
CONSVLTATIONES
CANONICÆ
PLERÆQVE

Ex iure nouissimo Concilij Tridentini recentiorumque Pontificiarum constitutionum depromptæ.

AVCTORE
FRANCISCO ZYPÆO
I. C. PROTONOT. APOST.
CANONICO, OFFICIALI,
ARCHIDIACONO ET VICARIO
GENERALI ANTVERPIENSI.

Editio postrema ab Authore aucta & emendata.



ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum & Ioan. Bapt. Verdussen.
M. DC. LXXV.

Cum gratia & Priuilegio.

AD LECTOREM.

BEneuole Lector Consultationes has inscripsi: quòd pleræque ex actis litium, habitisque desuper deliberationibus natæ sint. vnde & carent longâ hypothesium narratione: feruntur circa ea, quæ ex actis controuerti poterant; seu ex quibus decisionum rationes potissimùm desumi. quinimò sæpiùs euagantur paulò latiùs, quàm hypotheses aliquando videbuntur exigere; dum materia, ipsa nonnihil pleniùs discussa, etiam scriptioni stylum laxasse est visa. Præmonita hæc minùs turbare te poterunt, si quid alioquin videbitur inassuetum. malui desiderare te aliquid ex stylo aliorum; quàm nimia factorum narrandorum mole grauare: dum vberior illorum cognitio aut necessaria non erat; aut se inter dissertandum ingessit. boni consule, vtere, ac fruere.

APPROBATIO.

COnsultationes Clarissimi & admodum Reuerendi Domini FRANCISCI ZYPÆI Archidiaconi & Officialis Antuerpiensis, in quibus plurimæ difficultates in Curijs occurrentes, diligenter & subtiliter discutiuntur, ac solidè explicantur, dignas censeo quæ ad publicam vtilitatem typis euulgentur. Antuerpiæ 7. Februarij 1638.

P. COENS *S. T. L. Canonicus & Librorum Censor Antuerpiensis.*

INDEX TITVLORVM NEC NON CONSVLTATIONVM LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI

LIBRI TERTII

TITVLVS I.

De

De Censibus.

LIBRI QVARTI

TITVLVS I.

De Sponsalibus & Matrimonio.

LIBRI QVINTI

TITVLVS. I.

De Accusationibus.

De



CON-

CONSVLTATIONES CANONICÆ.

LIBER PRIMVS.

TITVLVS I.

De summa Trinitate, & Fide Catholica.

CONSULTATIO I.

Quatenus Colleg. Eccl. Canonicus ad fidei professionem teneatur?



ROFESSIONEM fidei faciendam ab obtinentibus dignitates, & canonicatus in cathedralibus; & quæcumque beneficia curata disertè decretum est à Concil. Trid. *s.24. c.12. §. prouisi.* Id praxis & aliqua concilia diœcesana, vt Antuerpiense 1609. *tit.1. c.14. & Mechlin. diœces.* 1609. *tit.1.c.4.* extenderunt etiam ad canonicos collegiatarum Ecclesiarum, quin & quoscumque beneficiarios. Quasi ex rationis identitate. Et obligatos ita contendit canonicos collegiatos Zerola *prax. Episc. p. 1. v. benef. §.5. vers. dico* 4. & in subsidiũ adducit textum eiusdem Concilij. *s.25. c.2. cæteri,* inquit, *siue in præsenti, siue in futurum beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in synodo diœcesana conuenient, vtq́, in ea ipsa id præstent.* non omnes in ea conueniunt, non ergò sic, aut *per d. c.* præstant. Ideoque Garcias *de benef. p.3. c.3. nu.*13. contrariam sententiam amplectitur, recitatq́ue Interpretum decisionem. 12. *Febr.* 1588. *d. §. prouisi* non extendi ad canonicos in collegiatis. eandemq́ue resolutionem multa exemplaria *Declarationum Card. Interp.* etiam habent.

1. Non tenetur.

Et sanè Concilium prouin. *Mech.* 1607. *tit.1.c.2.* sicut Trid. de cathedralibus, & curatis tantùm loquitur, & verò Diœcesanum Mechliniense anni 1609. *t.1.c.4.* disertè amplectitur eam sententiam, vt *d. §. prouisi.* non se extendat ad canonicos Ecclesiarum Collegiatarum: ad fidei tamen præsidium decernit, vt professionem in capitulo suo faciant. sanè in latis, vt in Germania, diœcesibus molestum foret excurrere vndequaque ad Episcopum, ad eam professionem faciendam. & maior equidem ratio, vt præstetur; concipi potest in Cathedralibus, & curatis. Denique, quamuis *d.c.2.s.25.* latiorem interpretationem daremus, tamen non est huic adiecta ea pœna, vt antè beneficiarij fructus non faciant suos; nam & ille esset ineuitabilis laqueus, vbi; & quando non fiunt synodi, cum professionem in iis faciendam indicat. eademque pœna ex synodalibus decretis vltra concilium porrectis collegiatos Canonicos non afficit, etsi decreta illa sint obseruanda.

2. Minime sub pœna.

De Constitutionibus.
CONSULTATIO I.

Publicata constitutio in Aula Belgica, ac Metropoli, an Antuerpiæ liget?

PRINCIPES Belgij 12. Iulij 1611. edictum perpetuum proposuerunt, quo inter cætera, quædam circa formas, & solemnitates testamentorum sanxerunt, quod in Aula mox, & passim alibi promulgatum est, & in camera computuum Brabantiæ reponi iussum, in Cancellaria, totaque Brabantia publicatũm, impressum, & diuenditum, allegatum in iudiciis, & extra illa passim: sed Antuerpiæ demum publicatum 3. Februarij 1617. Interim anno videlicet 1614. testamentum conditum est Antuerpiæ: in quo formulæ ab edicto præscriptæ, obseruatæ non sunt: controuertitur an validum sit, & ob id an intermedio tempore testantem edictum obligauerit, sine speciali publicatione Antuerpiæ facta?

Controuersiæ huius punctum, si cum senatoribus

Publicatio prouincialis requiritur.

toribus aut conſiliariis vrbis conferas, quaſi de indubitato reſpondent, publicationem hîc requiri: ſi cum iis, qui in partibus fuerunt, aut pro iis reſponderunt, donec Commiſſarij Aulici huc miſſi, edicti publicationem diu dilatam procurarunt, in contrariam ſententiam eunt. quibus multa ſuffragantur argumenta.

Primum deducitur ex Authent. *vt factæ nouæ conſtitutiones, legem*, inquit, *valere, hîc quidem ex quo inſinuata eſt; in prouinciis autem, ex quo directa, & palam facta eſt, in vnaquaque metropoli, aut alia ciuitate, & infra, Prouinciarum verò Præſides mittere eas conſtitutiones, & miſſuros eſſe per omnes ciuitates, ſub vnaquaque prouincia conſtitutas.* vbi mandatur quidem Præſidibus, vt per omnes quidem ciuitates conſtitutionum publicationem fieri curent, diſpoſitiuè tamen ſtatuitur in Aula quidem ſeu ciuitate in qua Princeps reſidet, adeoque territorio ad eam ſpectante, ſtatim obligare, atque inſinuata eſt: in prouinciis autem poſteaquam palam facta in Metropoli, aut alia ciuitate. Inferri ergo videtur ſufficere publicationem factam Bruxellis, vbi Aula eſt Principum, & in Cancellaria Brabantiæ, quæ vice ſupremi Principis fungitur, & metropoleos, & plus quàm præſidis authoritatem refert.

Qualis Antuerpia & eius vnio cum Brabantia?

2. Quamquam Marchionatus ſacri Imperij prouincia eſſe, & eiuſdem Metropolis Antuerpia videatur, non tamen eo ſenſu prouincia, cui vnus & ſoli præſes præerat, vel metropolis, vbi is reſidebat: quo nomine vtitur dicta Anthen. Præſertim cum Brabantiæ innexa nunc, eiuſque non primum membrum ſit, vti & Niuella, & aliæ quædam vrbes corpori Brabantiæ iunctæ ſunt, nec Ius Metropoleos habent.

3. Neque contrarium euincere videtur conſuetudo nouas conſtitutiones, atque edicta, licet in Aula & Cancellaria publicata, Antuerpiæ nihilominùs publicandi. Quippe ea conformis eſt iuri ſcripto *in §. prouinciarum d. Auth.* eaque conſuetudo publicandi non in præcipuis tantum Brabantiæ vrbibus, ſed & minoribus, quin imò pagis ſingulis obſeruatur: ex illa autem inferre in ſingulis pagis neceſſariam eſſe publicationem, ad edictorum quorumlibet obligationem, nimis lata abſceſſio videtur à Iuris tramite.

4. Quin & à Principum authoritate. quæ à ſingularium vrbium, vicorumque magiſtratibus malignis aliquando vel negligentibus dependeret.

5. Præſertim cum nulla proferantur priuilegia, quæ vrbi Antuerpienſi aſſerantur, vt ſpecialem in foro ſuo promulgationem exigant, quando conſtitutio Principis in Aula, & Cancellaria publicata palam ſatis omnibus innotuit.

6. Accedit quod ipſum edictum finalibus verbis, poſtquam iniunxit omnibus officiariis Principalibus, illius conſuetis in locis faciendam publicationem; mandat vt obſeruari illud irrefragabiliter curent, *ceſſantibus omnibus impedimentis, & alegationibus in contrarium*: Quæ inſignis clauſula impedimentum ſingularis publicationis tollere videtur.

7. Quod edicti publicatio ob puncta quædam, quæ nihil ad materiam teſtamentorum pertinent, Antuerpiæ dilata fuit, donec benigna illorum interpretatio à Principibus fuit obtenta. Et vt natura curioſiùs in ea inquirimus, quæ controuertuntur, aut occuluntur; ita certum eſt edictum hoc plurium manibus tritum, plurium inueſtigatione cognitum Antuerpiæ fuiſſe, quàm in vicinis locis, vbi facilè præconis vox audita periit.

8. Omnes Notarij in Brabantia admiſſi, immatriculati, & ſuppoſiti ſunt Cancellariæ: quos ideo afficere ſtatim & obligare videtur, quicquid ibi publicatur.

Hiſce omnibus, vt ſua momenta meliùs apponantur & opponantur, ex hiſtoriis repetendus eſt ſtatus huius vrbis, & Marchionatus ſacri Imperij.

In læto introitu Brabantiæ *art.* 40. *Caroli V. Philippi II.* 5. *Iul.* 1549. Principes noſtri promittunt ciuitatem Antuerpienſem cum ditione ad eam ſpectante Brabantiæ collectam, ſeu congregatam (*vergadert*) perpetuò manſuram, ea ratione & modo, quo fuit cum à Brabantia ſeiungeretur. *art.* 4. ſe inter alia aſſumpturos titulum & inſignia marchionatus ſacri Imperij, provt (inquiunt) oportet, & ſigillo ea referente vſuros; quod nunquam ſine Ordinum aſſenſu mutaretur.

Quæ fuerit forma antiquæ congregationis, collectionis, vel vnionis præſertim ante ſeiunctionem Antuerpiæ, de qua in læto introitu non ſatis conſtat. coniectare ergo oportebit, non minùs ex præterito nunc, quam olim illa ex futuro,

——— Si Iupiter vnam
Eſſe velit Tiriis vrbem, Troiaq; profectis;
Miſcerive probet populos, aut fœdera iungi.

Ænæas, vt eſt apud Liuium *lib.* 1. dictus fuit omnium ſui temporis ſapientiſſimus, nec ſub eodem iure ſolùm, ſed etiam nomine omnes eſſent, Latinos vtramque gentem appellauit; nec deinde Aborigines Troianis ſtudio ac fide erga Regem Ænæam ceſſere. *Conditor noſter Romulus*, inquit ille, *tantum ſapientiâ valuit, vt pleroſq; populos eodem die hoſtes, dein ciues habuerit.*

Claudius Galliæ, Veſpaſianus vniuerſæ Hiſpaniæ, ius tribuit reipub. & in orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imp. Antonini ciues Romani effecti ſunt.

Vniuerſum regnum, inquit Auguſtin. *in tot ciuitatibus conſtitutum dicitur Romana ciuitas.*

Sed enim hæc plena coniunctorum confuſio eſt. Diuæus *rerum Brabanticarum lib.* 1. *c.* 7. *cum Godefridus Barbatus*, inquit, *ducatum dono Henrici V. Imp. obtineret, Marcham tum ei adiectam dicunt, alij id multo ante actum contendunt:* cum quo non ſatis conſentit Bochius, *in Belgij principatu de Marchionatu, ſacri Imperij.*

Aubert.

Aubert. Miræus Codice *Donat. piar. c.* 80. *Lothario*, inquit, *mortuo Conr. Imp. eidem Godefrido Barbato an.* 1131. & Lotharingiam *inferiorem & Marcam Antuerpiensem rursus attribuit, ac confirmauit*. Is vtrumque principatum ad Godefridos Henricos & alios suos in Brabantia successores transmisit.

Franciscus Haræus *in historia Brabantiæ siue Belgij ad annum* 1300. *ius stapulæ*, inquit, *Dux Mechliniæ concessit, consilio Ioannis Bertholdi alterius partis Principis. quod indignè factum fremebant Antuerpienses, inter alia id asserentes, quòd Ducem nostrum beneficiario iure ab Imperatore Antuerpiam possidentem iura ciuitatis suo arbitrio non liceret mutare*. Idemque Haræus *ad annum* 1312. notat Antuerpiam inter capitales Brabantiæ ciuitates sigillo firmasse tabulas Ducis Ioannis II.

Narrat iterum Haræus inter Wenceslaum Ducem Brabantiæ, & Ludouicum Comitem Flandriæ conuenisse, vt Comiti Mechliniam, Duces nostri pro belli impensis cederent, Margaretæ Comitis vxori Antuerpia vice dotis assignaretur; ea tamen lege, ne quid de priuilegiis Antuerpiensium mutet, minuatque Comes; beneficio Ducum Brabantiæ hæc Comes possideret. (ex formula deinde Comitis Flandriæ Duces Brabantiæ vt feudum Antuerpiam releuabant, vt loquuntur) Marchæ sacri Imperij titulus penes Duces remaneret. *nulla*, inquit Scriban. *Orig. Antuerp. c.* 6. *quantumuis ingens, pecunia digna visa fuit, vt Marchionatu cederet*.

Iterum Diuæus *lib.* 16. quem refert Haræus *ad annum* 1403. *porro*, inquit, *Philippus Dux Burgundiæ, quanquàm Antonium filium eius secundum Dux nostra diu antè adoptasset, veritus tamen ne eâ mortuâ illi obstaculum aliquod in adipiscendo Lotharingiæ, Brabantiæ, ac Limburgi ducatu oriretur, plurimum nitebatur Antonio viuâ adhuc Ioannâ principatum confirmari, pollicitus ordinibus Brabantiæ, si id fieret, Antuerpiam, Mechliniamq́, se perpetuò connexurum*.

Effectui id datum, quo ad hanc vrbem, narrat Demetrius in principio suæ historiæ, *Dux*, inquit, *Philippus domini VVesemalij operâ Ordines Brabantiæ eò pertraxerat, vt secundum filium Antonium in Brabantia futurum Ducem inaugurarent, ipsis tradita Riensi regione, cuius Antuerpia metropolis, quæ prius Flandrorum ditioni subdita, æterno fœdere tunc Brabantiæ iuncta est. Pontus Heuterus Rer. Burg. ad an.* 1403. *vt verò*, inquit, *nonnihil gratiæ referret, ditionem Riensem, cuius est metropolis Antuerpia, Brabantiæ vnit, quæ in eum vsq; diem regio sui iuris, vt etiamnum est Mechlinia, semper fuerat*.

Haræus iterum ad annum 1406. *principatum*, inquit, *gentis de more suscepit Antonius*. quem refert 21. Decemb. Bruxellis, ac deinde 2. Ianuarij Antuerpiæ inauguratum esse, de more vtique gentis.

Refert Haræus sub ea tempora Antuerpienses bellum gessisse cum Mechliniensibus, ob ius stapulæ Mechliniensibus à Duce concessum, eoque illis fauente, atque contra fratre illius comite Flandriæ Antuerpiensibus, ob eam causam graues inimicitias inter eos Principes exarsisse: vt credibile nullatenus sit, eos, qui priuata priuilegia taliter defenderint, supremi iuris dignitatisque suæ passos præiudicia.

Vnio, inquit Baldus, *est vnum quoddam mixtum*. significans non esse propriam illam miscibilium alteratorum physicam: assimulatque vnionem duorum monasteriorum vnitis domibus, sic vt duo remaneant monasteria, non fiat tertium aliquod nouum.

Itaque intelligimus oppositionem, vt saltatorum in choro exquisitam temperationem, exquisitam iunctionem non intelligimus. Vbi traditur omnia permutari; neque permanere ea, quæ erant, quæ sinimus Philosophis. intelligimus vnionem, per quam non extinguantur iura vniti alterius cùm altero, nec status vnitorum mutetur.

Videmus in regnis Hispaniæ sæpius consociatis, & dissociatis retentos omnium titulos, arma, sigillaque ex eis mixta. Omnes regnorum, quæ erant quatuor Angliæ varietates, Edgarus vni quadrans Imperio ad vniforme dominium, seruans vnicuique proprias leges, vocauit. *Malmes. in fine lib.* 1. *& princip.* 2. Coniunctæ sunt à Carolo V. septemdecim prouinciæ Belgicæ in mutuam defensionem, contra omnes exteros. Ita tamen vt ea societas nullis singulorum legibus, aut priuilegiis derogaret.

Et enim pluries cogitatum est à Principibus nostris, etiam à Philipp. II. vt ex manuscriptis quibusdam consiliis ei porrectis inueni, de Belgicis hisce prouinciis in regnum vnum erigendis: Impedimento autem semper fuit cùm regij nominis libertati, vt creditum est, semper Belgicis moribus aduersarij horror, tùm priuilegiorum suorum, quæ vita Belgarum est, sub tali sceptro periculum.

Itaque quod sub potentibus illis Principibus obtineri non potuit, sub imbecillioribus longè antecessoribus factum esse credi nequit. Scilicet vt collectio coniunctioque aliqua prouinciarum facta fuerit cum præiudicio iuris collectorum. Nemo suum iactare præsumitur, minùs populus aliquis totus ius ditionis suæ imminuere, libertatemque lædere. Vt specialiter infra dicimus in publicationem prouincialem imminuendam non præsumi populum consensisse.

Sed omnino æstimandum est, eam coniunctionem esse talem, de quali, ita Rebuff *prax. benef. l.* 1. *de vnionibus n.* 15. *tertiò*, inquit, *fit vnio Ecclesiarum, vt vtraque remaneat Episcopatus vel parochialis, sicut erat, & tunc dicitur æquè principalis vtraque Ecclesia, sed vnus erit Episcopus vel rector vtriusq; Ecclesiæ, & tunc qualibet suâ habebit priuilegia, & statuta, gl. & doc. in c. & temporis XVI. q.* 1. *Bart. & alij in l. si conuenerit §. si nuda D. de pignor. actio. & tunc nominatio à digniori fieri debet. l. quæritur D. de stat. homi. cap. ex litteris de Iure patr.* quemadmodum particularius docet Pecq. *ad. c. quæ à Iure de Reg.* Iure priuilegiisque saluis.

Iur. in 6. prouincias ciuitatesque vnitas retinere singulas libertatem, atque Iura sua.

At verò supra diximus Duces Brabantiæ teneri nomen, titulum, atque arma Marchionatus ferre, atque in sigillo vti: magis ergo adhuc manet nomen, atque Ius Marchionatus, quàm Ius Ecclesiarum in ea specie vnionis: quæ apud Rebuffum aliosque maximè suum cuique Ius conseruat.

Optimè sanè id explicat vnio Vltraiectensis, quam examinat Hugo Grotius in Apologetico suo, aliique pluribus libellis, per hos annos in prouinciis vnitis nostro idiomate editis.

Et in repub. Heluetiorum de pace & bello pagi omnes statuunt simul: quæ publicum non attingunt, diuersa esse possunt, & non vnita iura, priuilegiaque sua cuilibet esse separata.

Et cum maximè ab effectu noscitur causa, cum videamus Iura, statuta, priuilegia, longo vsu recepta, vel Principum diplomatibus concessa Antuerpienses retinere, liquidum fit, antecedentem coniunctionem Marchionatus cum Brabantia ita esse factam, vt ea nihil attingerentur, sed tantum vt sub vno capite atque Principe ita coalescerent, vt eosdem amicos, hostes eosdem eæ prouinciæ haberent, quæ publicum attingerent, tributa vectigalia, neruosque reipub. simul tractarent, extra has causas, quælibet res suas sibi haberet. Quin & Principes nomen, titulum, arma singularum ferrent, *prout*, inquiunt, *oportet.* Qui hîc oportet? procul dubio ex formula socij fœderis, collectionis, connexionis.

Ergo ante publicatione hic vt in metropoli prouinciæ factam constitutiones non ligant, valetque testamentum, non secundum edictū nondum hic publicatum, factum.

His ita constitutis Respondendum est pro testamento, vt validum sit, quodcumque ante publicationem edicti Antuerpiæ factam conditum est. Cuius ratio fundamentalis in eo sita est, quod iam ante demonstrauimus, ciuitatem ditionemque Antuerpiensem illæsis suis Iuribus Brabantiæ esse connexam, adeoque Marchionatum sacri Imp. singularem esse prouinciam, illiusque metropolim Antuerpiam: si non eo sensu, & limite, quo fortè prouinciæ à Romanis distinctæ erant, quo tempore *d. Auth.* condita est, tamen ex vsu posteriorum sæculorum ad eam rationem ducenda. quippe alium Præsidem, aut dominum ea prouincia non agnoscit, sed dynastia est, immediatè olim agnoscens Imperatorem; nunc supremi sui Iuris, quemadmodum Principes nostri inter alios soueranos titulos eum gerunt.

Vt proinde separatam habeat rationem ab Aula & Cancellaria, & in illis facta publicatio non sufficiat, sed singularis hîc requiratur. Neque enim publicatio in Aula, vel Concilio Principis facta sufficit, ad ligandos omnes, qui eum Principem agnoscunt, sed requiritur publicatio prouincialis. *d. Auth.* extra territorium, quod Aulæ cohæret, quale ad certos vsque lapides vtraque Roma comprehendebat. quamquam neque Aula Marchionis sacri Imperij, vt talis, Bruxellis est constituta, adeoque non frustra Commissarij Aulici anno 1617. tam studiosè laborauerunt vt edicti publicatio Antuerpiæ fieret.

Quare Malder. *in comment. in* 1. 2. *tract. de leg. ar.* 4. *tradit*, quod in regnis ex accidenti eidem Regi subiectis, Reges non possint quidem vnica publicatione in sua Curia facta, omnia sua regna obligare. quia non *præsumitur eiusmodi regna*, inquit, *tale ius in Regem suum resignasse*, *nisi de eiusmodi resignatione aliunde constiterit, quod vix contingere solet.* Ita ille. atque hæc de Antuerpia nostra non tam docet quam vt certa præsupponit Egbertus Leoninus *Cons.* 10. & generatim sentit Cap. Tholos. *d.* 444. *in fin. Gram. d.* 47. *n.* 9. *Ann. Rob. l.* 2. *Rer. Iud. c.* 1. *pro hæred. Christin. dec.* 53. *& quos allegat.* & ita censuisse videntur Principes, cum non obstante publicatione pridem in Aula Bruxellis facta, institerunt rigidè vt & fieret Antuerpiæ. edicta etiam anteriorum Principum nostrorum iubent publicationes fieri in locis vbi consueuerint. 7. *Oct.* 1531. 24. *Oct.* 1559. & quidem probatur per testes in turba productos apud acta, per quos liquet obseruatum semper Antuerpiæ fuisse, vt ne qua constitutio obligaret, nisi ibi publicata. consuetudo autem vt legum, ita eorum quæ monumentis probari non possunt, optima est interpres, tantæque authoritatis, vt quamuis lex contraria foret, per tanta tempora antiquasse eam videretur.

Vnde Malder. *in comment. in* 1. 2. *tract. de leg. q.* 90. *ar.* 4. §. *dico* 3. docet non sufficere publicationem in metropoli, si consuetudo habet, vt leges antequam obligent, promulgentur in singulis ciuitatibus. Vt in Hispaniis habere Medina testatur. quod aliqui etiam videntur voluisse de Iure communi. *per tex. in l.* 1. §. *fin. & ibi Bald. C. de Cad. toll.* quamuis id ea lex non euincat, & cum Iustiniani sit, cuius & Authenticæ, minus verisimile est.

Qua ratione satisfactum est primæ & secundæ obiectioni. nisi quod addendum sit Antuerpiam non tantum retinuisse ius metropoleos respectu sui Marchionatus, sed & acquisiuisse respectu ipsius Brabantiæ, cuius est, vocaturque cum aliis pluribus ciuitas capitalis. Possunt enim in vna prouincia metropoles esse plures. *l. vn. de Metropoli Beryto C. lib.* 11.

Ad hunc modum Iustinianus *in Auth. de Moderatore Helenoponti* vniuit, in vnamque redegit, contraxitque prouinciam Helenopontum, & Polemaicum. Sic *vt tamen*, inquit, *neque alterutri in iis metropoli* (Amasiæ scilicet & Neocesareæ) *nomen Metropolis detrahatur.* & rursum in Auth. *de prætore Paphlagoniæ & vna*, inquit, *fiat prouincia, plures habens metropoles. id quod & in aliis quibusdam nostris exstitit prouinciis.*

Ad 3. respondendum est, facilius esse vt ciuitas Antuerpiensis in suo Marchionatu ius metropoleos retinuisse censeatur, quam vt vici, pagi, & vrbeculæ singulæ ius tale, & prærogatiuam metropoleos acquisi-

acquiſiuiſſe contra diſertam conſtitutionem.

Ad 4. poſſunt Principes vti idoneis mediis cum vident negligi, aut non recipi ſuas conſtitutiones, quod niſi fecerint diſſimulando conſentire præſumuntur.

Ad 5. Ius commune prouincialem publicationem exigens, atque vſus inueteratus ſatis titulorum ſuppeditat, neque notitia pro publicatione eſt, alioquin typographus Iuris legitimus auctor, publicuſque legiſlator foret, ſi quidem ex notitia, ex typis, & editione omnis penderet legum authoritas: præconis voce, & magiſtratus authoramento opus eſt, vt leges obtineant. *d. Auth. vt facta noua conſtitutiones & Nouel.* 152. ita enim ſtatuit Iuſtinianus de materia teſtamentorum agens, quæ noſtra eſt controuerſia. & in eadem iudicauit Senatus Pariſ. *Annaeus Robert. Rer. iud. lib.* 2. *cap.* 1.

Ad 6. pro nobis facit mandata magiſtratibus publicatio. Neque clauſula *Ceſſantibus impedimentis, &c.* ad defectum publicationis porrigi poteſt, quia id maximè contra Ius foret. qualem quæ obſcura ſunt, numquam recipiunt interpretationem, ſed commodam potius. quare rectè atque ordine iuſſi hic intelliguntur magiſtratus curare primum, vt publicetur edictum, deinde vt obſeruetur, atque ita impedimenta amouere.

Ad 7. iam dictum eſt, notitiam non ſufficere, ſed requiri publicationem, quæ quacumque ex cauſa non interuenerit, nihil intereſt: ſufficit non interueniſſe.

Ad 8. Subiectio hic non conſideratur, ſed publicatio: & vt forent notarij obligati ante hanc publicationem, nihil eorum culpa noceret teſtanti; *l.* 24. *C. de teſt. Ambiguitates* inquit, Iuſt. *quæ vel imperitiâ vel deſidiâ, teſtamenta conſcribentium oriuntur, reſecandas eſſe cenſemus, & ſiue inſtitutio hæredum poſt legatorum donationes ſcripta ſit, vel alia prætermiſſa ſit obſeruatio, non ex mente teſtatoris, ſed vitio tabellionis, vel alterius, qui teſtamentum ſcribit, Nulli licentiam concedimus per eam occaſionem teſtatoris voluntatem ſubuertere vel minuere.*

Itaque conſtitutiones nondum Antuerpiæ publicatæ ibidem non ligant, & ita per Turbam practicorum nuper aſſertum fuit. adeoque teſtamentum Antuerpiæ conditum citra formam edicti ante illius in ea vrbe publicationem priori Iure nixum ritè ſubſiſtere omnino eſt ſtatuendum.

De Reſcriptis.

CONSVLTATIO I.

De cauſæ remiſſione à delegato ad eum, qui ſimul datus eſt Iudex, facta.

Reſcriptum Apoſtolicum pluribus in ſolidum inſcriptum, vni oblatum, qui de Iure vel de facto non vult, vel non valet de cauſa cognoſcere, ad aliorum aliquem ritè & rectè transfertur; *c. cum plures de off. deleg. in* 6. 1. Ritè fit, cùm plures in ſolidum dantur.
vnde ſi vnus ſit aditus, & contra eum proponatur exceptio dictarum in Concilio generali, vel Bonifaciana vetitarum; poteſt is, præſertim conſentiente eo qui obtulit Reſcriptum, ne cauſa principalis per inutilem altercationem ſuper Incidenti retardetur, eam ad Coniudices remittere.

Neque obeſt textus *d. c. cum plures* quod negotio coram vno inchoato alij ſe nequeant deinceps intromittere; quia id obtinet inuito eo, qui inchoauit; ne in illius iniuriam alij adeantur. Ideoque exceptiones omnes *ibidem* ab eius perſona ſumuntur. quod & in aliis mandatariis generatim obtinet; ne ſine iuſta cauſa inuiti mutentur re non integra. 2. Quamquā non illo inuito.

Quod autem quis ſub prætextu diſtantiæ, atque inhibitionis ideo conceſſa, quod minatus erat Iudex à quo ſe de facto proceſſurum, appellauerit, ideoque Remiſſio poſtea facta, antequàm appellationis merita diſcutiantur, effectum videatur non habere, quaſi per appellationem ſuſpenſa fuerit remittentis iuriſdictio; ideo non obſtat; quia huiuſmodi appellatio friuola eſt, & nullius effectus. 3. Nec obeſt appellatio;

Friuola quoad Inhibitionem; quia quamuis remittens fuiſſet incompetens, inhibere poteſt quando periculum eſt, ne partes via facti procedant. *Ceuallos in tract. de cognit. per viam violent. In præfat.* Friuola.

Deinde quia, quamuis fuiſſet irrita inhibitio; tamen quia reparabilis eſt per diffinitiuam, hodie ab ea appellari non poteſt. *Trid. ſ.* 24. *c.* 20. neque nullitas attendi poteſt, quæ non habet adiunctam iniquitatem irreparabilem in definitiua, *per Conſt. Clem. VIII. Incip. litium V. Idus Feb.* 1592. niſi ſit defectus Iuriſdictionis, Citationis, aut mandati. Iuriſdictionis hic non eſt defectus; quia, quamuis ſubforet, tamen periculum ex incompetenti facit competentem. 4. Reparabilis. 5. Aut nullitatis obiectio;

Neque obſtat *c. non ſolùm de appel. in* 6, vbi inhiberi non pro lubitu poteſt; ſed pro ratione grauaminis per definitiuam, vel Interlocutoriam illati: de illo actutum; de hoc non niſi poſtquàm conſtiterit appellationem ex vero grauamine emiſſam, & cauſam deuolutam, quia d. diſtinctio *d. c. non ſolùm* hodie ceſſat per *Trid. ſ.* 24. *cap.* 20. vbi ſuper reparabili grauamine non admittitur appellatio; ideoque nec Iudicis, ad quem commiſſio, aut inhibitio: ſed actus de quo hic appellatum eſt, & delegatio ſecuta, erat irreparabilis, definitiuus, imo executiuus. 6. Nec hodie obſtat c. non ſolùm de appell. in 6.

Nullius autem effectus eſt appellatio præſens, quia per remiſſionem ceſſat querela diſtantiæ: quamuis iuſta ſubfuiſſet. *c. cum ceſſant. de appell. in* 6. 7. & per remiſſionem tollitur ſi quod ſit grauamē;

Nimius autem iuris apex quæritur, dum non omne grauamen ſublatum prætenditur, quia cum remiſſione non ſimul expenſæ luuntur; iuxta *c. ſtatutum.* §. 1. *v.* 1. *partes à ſua Iuriſ-*

Iurisdictione dimittens Impetrantem parti alteri in expensis legitimus condemnet.

8. Nec expensæ hic debēt considerari. Et sanè expensæ à d. c. *cum cess.* non exiguntur, & sine condemnatione immaturè peterentur, & dolus aut contumacia, cum non subsit in eo, qui secundum Iudicem adit, aut remissioni consentit, ne retardetur causa principalis, & incidentales controuersiæ accrescant; non est cur condemnari iure possit.

9. & alter Iudex de iis poterit statuere. Sed etsi possit; erit Iudicis postmodum, qui ex remissione aditur, dispicere, quid in cum statuendum erit, vt differri non auferri tantùm ea pars reparationis videatur in quo hærendum non est, ne liticula hæc, principalem cognitionem retardet: contra bonum publicum; quod finem litibus non nouum semen subministrari vult. Præsertim vbi distantia notoriè dietas non superat.; & propterea Iudex dimittens in expensis in promptu condemnandi facultatem non habuit.

Frustra vero dicitur quod Coniudex, ad quem remissio facta est, cognoscere non possit de appellationis meritis, sed superior; nam id quidem verum foret, si esset appellatio interiecta à diffinitiua aut irreparabili per definitiuam: tunc enim Iudicis aditi, &

10. Et cognoscere ac si primo aditus fuisset. coniudicum simul suspensa foret Iurisdictio: sed ita cognoscet coniudex, vt primò aditus Iudex potuisset, scilicet an friuola sit appellatio, an à reparabili, an deuoluerit cognitionem, an sua manserit Iurisdictio, an appellatio deserta sit. Nam, vt hæc potuit primò aditus, sic & is, ad quem facta est remissio, qui inchoatum ab eo Iudicium illo non volente, aut non valente assumere potest, ex authoritate per Ius, & rescriptum concessa; non per remittentem, si incompetens fuit: quamuis & per eum posset, si competens. Nam subdelegare pontificius delegatus potest. *d.c. Iudex. de Off. deleg. in 6.* sed frustra à delegato authoritatem caperet, qui habet à delegante, si primò aditus quomodocumque non valet, aut non vult cognoscere.

11. Nec impedimentū præstat aditio incompetentis; sed ideo plures dantur in solidum. Neque hæc impedit aditio Incompetentis, eiusque in causa intromissio; quia non præstat Impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum. adeoque quod à non competente actum gestumvè fuerit. Sed imò eo fine, vno rescripto, plures conceduntur Iudices, vt si vnus adeatur, & aduersùs eum proponantur exceptiones, quæ eum Iure remoueant, alij adiri & cognoscere possint. *c. si contra de off. del. in 6.*

12. Quatenus cum alijs delegatus possit subdelegare? Egimus porro de exceptione ob dietarum distantiam. de qua Iudicis declinati est cognoscere; vt tunc delegatus possit subdelegare. *iuxta c. si pro. x. de off. deleg. c. super. c. pastoral*, §. *item eod.* etiam cum pluribus delegatus. *c. quamuis. c. fin. eod.* & etiam ad coniudices remittere. *c. super.* §. *verum. eod.*

13. Etiam suspectus. Cæterùm, si ob suspicionem recusetur, antè quidem, sed non pòst, nisi de recusantis assensu, subdelegat. *c. iudex. eod. in 6.* & coniudices, non arbitri; de causa suspicionis cognoscunt, si dati sint cum clausula *quod si ambo. c. si contra eod. in 6.* cui comparatur illa *& eorum cuilibet. d. c. si contra in verb. aut simili.* & quod de duobus dicitur, cùm eadem sit causa, obtinet & in pluribus. *glos. d. c si contra.* quin & qui subdelegauit aut ad coniudices remisit re integra, seu quamdiu iurisdictione non sunt vsi efficaciter, potest subdelegans aut remittens suam iurisdictionem reassumere. *c. quamuis de off. deleg. in 6.*

CONSVLTATIO II.

De clausula cum annexis & connexis.

QVi ad Sedem Apostolicam prouocauit, Rescriptumque obtinuit, quo causa ex integro cognoscenda alteri Iudici delegata est, ex ordinaria clausula *cum annexis, & connexis, Incidentibus, & emergentibus* &c. 1. Idem Iudex de annexis impetrandus est, ad eumdem Iudicem trahere potest occasione eorum quæ nascuntur & dependent ex causa principali: quæ autem talem nexum non habent, ea non pertinent. Qua de re, quæque pro connexis sint habenda latiùs tractat Menoch. *lib. 1. q. 45. & lib. 2. cent. 1. cas. 95. De arbitrar.*

Et vt iisdem de rebus, vt ad eundem Iudicem eatur, Iure statutum est, ita rectè receptum, vt & de connexis cognoscat non tantum; sed etiam vt si quis plures causas habeat aduersùs vnum intentandas vetetur illas diuidere, sed vnum Rescriptum iubeatur & eundem Iudicem pro omnibus petere, non ad diuersos eundem aduersarium distrahere. *c. 2. de rescrip. in 6.* 2. & aliis quas habere aduersus eundē Impetrans intendit.

Vnde nata est clausula alia Rescriptis inseri solita, *omnesq́ alias causas quas habet orator, habereq́ vel mouere intendit.* &c. cuius mentio est *in c. 15. X. de rescript.* vbi dolus eorum ita reprimitur, qui abuti illius generalitate voluerint, vt obtineat clausula huiusmodi generalis dumtaxat in personis, vel causis, quæ pares sunt expressis vel minores; non verò vt inuolucrum huiusmodi extendere possint ad maiores. 3. Sed nomine huiusmodi generali personæ aut causæ maiores non comprehenduntur.

Sed neque extendi ea clausula potest ad eas causas non connexas, quæ non erant in rerum natura, tempore dati rescripti: quia non entis nullæ sunt qualitates. itaque legitima aduersùs rescriptum est exceptio vt non comprehendatur, quod natum non est. nisi connexum sit, inquam, aut ex causa principali attentatisuè *c. non solum de app. in 6.* nascatur, quia id tanquam accessorium sequitur naturam sui principalis, ideoque si rogatus actor affirmare iuratus nolit se tempore rescripti intendisse huiusmodi causam proponere, non poterit coram eodem Iudice eam intentare. 4. Aut non erant tempore Impetrationis.

Sed neque nunc facilè causam omnino dispara- 5. Sed nunc disparatæ

causę in prima instantia coram Ordinario sunt agitandæ. disparatam introducere appellans poterit coram Iudice delegato, quia concilium Tridentinum *s.24. c.20.* omnes causas in prima instantia coram ordinario tractari iussit, ita vt actor alibi quem conuenire non possit. sed neque reus subterfugere eum Iudicem potest, qui alia tantum in causa contra eum pronuntiauit: *c. præterea, c. proposuit X. de appellat.* nisi fortè ipse Iudex in vtraque causa etiam pars sit, v.g. qui ex officio plura decreuit v.g. prælatus visitans &c.

CONSVLTATIO III.

De Euocatione.

TRes controuersiæ oriuntur circa litteras à Sede Apostolica impetratas.

1. In prima instantia. 1. Quòd agatur de prima instantia ordinarij: in qua causa ab eo auocanda non est, nisi vrgenti & rationabili causa, per rescriptum propria Papæ manu signatum. *Trid. s. 24. cap.20.*

2. Expressis falsis subticitis veris. 2. Quòd litteræ euocationis sint odiosæ, & faciliùs subreptitiæ, quàm alia rescripta iustitiæ, quæ cursum habent omissis falsis: si non ad formam præscriptam, saltem ad formam iuris. *c. super litteris X. de rescript.* quodque hic falsa sint expressa, & vera subticita.

3. Inimicitiis &c. 3. Nominatim expressæ inimicitiæ, quæ non sunt: & quòd causa per promotorem agatur, cùm id verum non sit, sed per ipsum Episcopum, seu alios eius commissarios, ex mero officio, sine technis iudiciariis: subticitum autem; quòd ea causa pars sit visitationis, aut ex ea orta.

4. Visitatio & correctio quomodo fauorabilis? Vt primùm de postremis pauca dicamus, fauorabilis est admodum visitatio, & quæ pænè cohærere solet, correctio morum: sed vtraque pura, & simplex, quæ de præsenti expediri potest, magis exequendo & ordinando, quàm cognoscendo: quodam ædilitio, & censorio iure in rebus, iuxta *c. cum speciali §. porro de appel.* euidentibus, non quæ longum tractum exigant, per inficiationes, exceptiones, & excusationes, dubium quæstionis statum facientes, quæ indaginem & cognitionem iudicialem requirat: quantumuis summariè, & ad formam Clementinæ *sæpe de verb. signif.* procederetur.

5. In euidentibus.

6. Non litem exigentibus. Vnde fit, vt & recusatio ordinarij visitantis reijciatur tanquam suspecti. *Vt Paulus V. declarauit, & epistolam refert Barbosa in Remiss. ad Trid. s. 24. cap.10. & sæpius aliàs S. Cong.* atque ex aduerso quæ de visitatione à Tridentino statuuntur non obtinere; quando compilato processu proceditur: quando & appellatio & inhibitio locum habet, etiam ad effectum suspensiuum. *Ordinatio Clem. VIII. super Quæstionibus iurisdictionalibus edita.* 1600. *ar.9.*

7. Non compilato processu.

8. Eo Habito Itaque cùm hic processum sit iudicialiter non videtur admodum referre, quod subticitum sit, actionem esse ortam ex visitatione: præsertim cùm clarè sit expressum, de excessibus impetrantium agi, adeoque de correctione morum. non opus exprimere originem ex visitatione.

9. Regularium appellationes difficiliùs recipiuntur. Fatendum est quidem querelas, & appellationes regularium etiam difficiliùs recipiendas: *c. cum speciali in fin. de appellat.* sed illos iuxta obseruantias regulares, vt loquitur, esse corrigendos.

10. Corriguntur iuxta obseruantias regulares. Iuxta, inquam, obseruantias regulares, id est, vt alibi loquitur: *c. reprehensibilis X. eod.* contra regularem prælati, & capituli sui disciplinam regulares appellantes non recipiendos. Sicut veteres capitula morum, capitula culparum, capitula disciplinæ vocabant, in quibus de moribus, culpis arguendis, emendandis, & iuxta obseruantias regulares puniendis, & disciplinâ seruandâ agebatur.

11. In capitulis morum.

Vnde & decretum refert, Quaranta *V. Monast.* non admittendam appellationem regularium super pœnitentia in refectorio, capitulo, &c. facienda.

12. à quibus non datur appellatio. Hæc enim iniunguntur iure quodam œconomico superiorum regularium tanquam patrum familias inter priuatos parietes. Eodemque Iure fiunt visitationes superiorum regularium.

13. Nisi excessa forma. Ideoque nec ab iis admittitur appellatio. *Nisi*, inquit, *c. irrefragabilis X. de off. ord. formam excesserint obseruandam.*

14. Aut regularis pœna grauitate. Adeoque quando Episcopi visitant regulares, & res persequuntur non euidentes, neque expeditè imponunt præscriptam in regularibus obseruantiis pœnitentiam; sed instituunt actionem quasi forensem, quamuis summaria techna, & ad pœnas non in capitulo, aut refectorio subeundas, sed palam, coram extraneis, aut quæ deueniant ad notitiam extraneorum, aut quæ regularibus obseruantiis grauiores sint: videtur cùm illis agi iure communi, non regulari: Ideoque huiusmodi actiones ius commune recipere; quoad admittendas, aut reiiciendas appellationes. Quia superiores regulares domesticam authoritatem excedentes, & regularem expeditam disciplinam, viam aperiunt regulis iuris communis.

15. Aut lite instructa.

16. Euocatio hîc non grauat quæ visitationem & correctionem iuxta obseruantias tantù regul. non impedit. Ex quo in hac causa sequitur Episcopum N. eo nomine de euocatione queri non posse, si non impediatur in visitatione, & correctione iuxta obseruantias regulares. Dummodo nihil grauius aduersùs impetrantes statuat, cognitione iudiciali per eum cepta in iudicem commissarium Apostolicum iuxta terminos retroactorum per euocationem translata. Qui porro eâdem diligentiâ & zelo procedat, quo Tridentinum Ordinariis commendat huiusmodi causas esse tractandas.

17. Euocatio in rigore deuoluit & suspendit omnia: Secus quam appellatio. Quamquam & hæc examinationem exigant. Quia euocatio totam causam deuoluit ad superiorem. *Archid. in c. curia 11. q.3. & ibi Domin.* appellatio vero de qua alij textus loquun-

quuntur ab interlocutoria, non nisi istum articulum: *c. vt debitus de appel. c. romana §. fin. eodem in 6.* & hodie per Trid. in visitatione, & morum correctione deuoluitur per appellationem, sed non suspenditur iudicatum. *Piaf. prax. p. 2. c. 3. §. deuisit. exempt. nu. 61.* euocatio autem, quia transfert ipsam

18. instantiam primam in statu in quo est, & deuolueret, & suspenderet: sed quia Trid *s. 24. cap. 10.* nec querelam etiam ad Sedem Apostolicam factam quicquam suspendere permittit, ideò nec suspendetur hic, si quid ab Episcopo ex notoriis citra pœnas ordinarias iudicatum fuit: aut visitans, aut corrigens non impedietur iuxta obseruantias regulares salutarem pœnitentiam aliquam iniungere, quæ non sapiat castigationem iudicialem: Attentata etiam post euocationem annullantur: *c. Ecclesiam vt lite pendent.* & si in appellatione non irritentur, nisi eam iustam esse constiterit *c. non solùm de apell. in 6.* sed & hæc iterum sunt hodie temperanda *per d. c. 10. s. 24. Trid.*

Sed nō æquè ex Tridentino in Visitatione & correctione.

19. Quæ longiores moras exigunt, ad visitationem non censentur pertinere, quia eam celerrimè peragi exigit Conc. Trid. *s. 24. c. 3. & Toletanum* relatum *in c. inter cætera, 10. q. 3.* vetat ne Episcopus visitans amplius quàm vna die per vnamquamque basilicam morandi licentiam habeat.

Sub illam non cadunt quæ moram requirunt.

Quæ sic expediri non possunt, sed longiores moras exigunt, ad priuilegium visitationis non pertinent. Quare *cap. 1. §. vlt. de cens. in 6.* notoria crimina, quæ examinatione non egent, iubet visitantes corrigere, non illa de quibus tantùm orta est infamia; sed ea reseruare in inquisitionem legitimam, quia scilicet visitatio probationum longas moras non admittit. & illud est compilato processu procedere, quod visitanti

20. S. Cong. negat concessum, exhibere libellum vel interrogatoria illius loco impendere, terminos seruare, causam instruere, diffinitiuam exspectare. Sententia definitiua sine præuio processu non magis nascitur, quàm partus sine ventre, & tamen hæc omnia reperiuntur, aut addicuntur in actis contra impetrantes.

& indaginē iudicialem.

21. Cæterùm, quamuis expressum sit in precibus actionem per promotorem institui, & id verum non sit, sed per Episcopum, & Commissarios; tamen id substantiale non est, sed potius in idem recidit. Iure enim communi inquisitiones fiunt per ipsos Iudices: quas partes subeunt promotores, quos inuenerunt nostri mores. & sicut decisum est de officiali, quod in iudicando habeat idem cum Episcopo auditorium; eadémque quasi persona videatur: & appellatio non ad Episcopum fit, sed Archiepiscopum: ne ab eodem ad eundem, vt inquit Textus, appelletur: ita censendum est de promotore in inquirendo, vt idem cum Episcopo officium præstet, ideóque has preces non esse subreptitias dicendum videtur.

An subreptū censeatur quod expressum sit promotorem agere, cum ipse Episcopus ex officio procedat?

Sonant quidem magis iudicialem cognitionem; sed si ipsa acta videantur, clarum est iudicialem cognitionem esse ceptam, ideóque in substantia rei esse veritatem. 22.

Quæ eadem de inimicitiis dici possunt, & lite. Nam etsi ex actis litem esse non constet cum ipso Episcopo; tamen esse constat cum officiali eius, in materia iurisdictionis: in qua illum repræsentat, idemque cum eo auditorium facit. Vnde cum suspectus est Episcopus, suspectus etiam fit Vicarius. *c. insinuante. X. de off. deleg.* accedit & quod narretur Episcopus impetrantes pluribus decretis & factis grauasse; ab eo autem, qui bis grauauit, iustam euocationem esse tradit Rebuff. *de euoc. n. 58. per L. non distinguemus §. cum quidam iuncta gl. D. de arbit. c. vt debitus de appell. c. 1. de dilat.* 23.

An quia expressum est litem esse cū Episcopo cū sit cum officiali?

à bis grauante iustè fit euocatio.

Nec finita illa est, sed prouisionaliter tantùm est dictum, vt officialis possit, non postulatâ à patre Impetrantium Præfecto territorij veniâ coram se partes & testes citare: definitio causæ adhuc pendet sub Iudice: sed neque per finem litis finis infertur inimicitiarum.

Porro quod ad secundam quæstionem attinet, tradit quidem Rebuffus *L. 1. prax. benef. cap. 29. num. 11.* rescripta euocationum, quia contumeliam continent Iudicis, à quo, si subreptitia sint, fieri nulla: id tamen non videtur recipi posse nisi substantialiter, & per omnia sint subreptitia: nam & rescripta appellantium contumeliam Iudicis à quo continent, ab eoque malè, nulliter, perperam iudicatum esse allegari solet, & tamen non irritantur; dummodo substantia maneat, cui quadret commissio. Verum quidem est magis esse odiosum iure primæ instantiæ priuari ordinarium, quàm ab eo appellari; tamen si preces causam veram continent, cui Ius euocationem permittat, substantia rescripti sufficienter sustinebitur, vt quadret ei, nec irritetur commissio euocationis. Præsertim cum c. super *litteris x. de rescript.* generatim de rescriptis loquatur, neque euocatoria excipiat. Adeoque nec nos distinguere oporteat, si ratio Iuris non aduersetur. Vnde & ipse Rebuffus *in tract. de euoc. num. 86.* tantum ait annullari euocationem, si sit allegata falsa causa, & Princeps ea sit motus. Et *num. 88.* si tacita vel expressa sint, quæ potuissent mouere concedentem ad eam denegandam. *Per d. c. super litteris,* vel de leui non concessisset. *Per d. c. postulati in fin. ibid.* Sic *in c. cæterùm de resc.* traditur rescriptum secundum valere, quo causa à primo auocatur, si mentionem fecerit primi: neque scrupulosè status litis alius requiritur exprimi. Quamquam & hoc rescriptum de quo agitur statum & merita causæ pro expressis habet. Sed & *in d. c. cæterum §. verum* de subiicito non substantiali ob fraudem fit condemnatio in expensas; sed non irritatur euocatio. 24.

Euocationis rescriptum non fit nullū si non est subreptitiū quoad Substantialia.

Igitur rescriptum hoc super inimicitiis (nam 25.

Ideoque nec

Fundata super inimicitijs veris quamuis accessoria falsa narrentur.

(nam illæ recusando iudici sufficiunt *l. non distinguemus. §. cum quidem D. de arbit.*) fundatum, quamuis accessoria quædam precum debilitentur, substantiam integram retinet. Ideoque iis probatis euocatio iuri quadrat, nam eam ob has permittit Rebuffus *trac. de euoc.*

26\. Causa ob suspicionem euocata non committit Episcopus, sicut cum in forma iuris recusatur.

Verum quidem est dum ordinario iure proceditur Episcopum recusatum causis suspicionis ritè probatis ipsummet committere causam alteri. *c. cum speciali 61. V. at ipse X. de appellat.* Ideoque cum rescriptum habeat vt commissarius in præmissis omnibus faciat, prout erit iuris, videri permittendum ipsi Episcopo, vt alteri causam ipse committat.

27\. Neque cum recta aditus est superior.

Sed hæc non obtinent post recusationem nisi de consensu recusantis d. c. cum speciali, c. Iudex de off. deleg. in 6. & cum extra ordinem itum est ad Sedem Apostolicam, ad vitandas tricas arbitrorum, super suspicione sumendorum, & periculum iudicis à recusato committendi, qui & ipse facilè in affectum & reuerentiam Episcopi committentis trahatur. Cuius considerationem habet *c. statutum. §. cum vero de rescript. in 6. c. insinuante X. de off. deleg.*

28\. Lis est probatio inimicitiarum.

Probari autem inimicitias ex lite tradit Mascar. *de probat. V. inimicus conc. 898. n. 26. & seq.* quæ etsi non sint capitales, tamen facilè sunt sufficientes ad suspicionem aduersùs iudicem proponendam.

29\. Et hæ recusationi facilè sufficiunt.

Et sanè in iudicibus inimicitias ad iudiciorum nullitatem valdè expendit *d. c. quod suspecti 3. q. 5.* & exemplis etiam œcumenicorum Conciliorum probat latè. Et valdè tenere procedit *d. c. statutum de rescript. in 6.* adeò vt quamuis vetet causas committi extra diocesim, quando reus & actor sunt eiusdem diocesis: tamen id admittit, quando actio est dirigenda contra Episcopum, vel eius capitulum: vt ille propter hoc, & hoc propter illum refugi possit.

Et verò ibidem timor litigantis, & aduersarij potentiam perhorrescentis commissioni extraneæ sufficit; & illius probationi, iuramentum timentis.

30\. Præsertim addito iuramento quod recusans nō confidat se consecuturū iustitię complementum.

Atque adeò inimicitiæ probationi suffecerit iuramentum Impetrantium, quod propter eas non sperent ab Episcopo N. consequi iustitiæ complementum: in quo satis fundatur ratio euocationis: & sufficit supplemento præsumptionis ex lite ad probandam inimicitiam; ad effectum causæ sufficientis ad euocationem.

Nunc quoad quæstionem primo loco propositam, iudicium soluitur vetante eo qui iudicare iusserat; vel etiam eo, qui maius imperium in ea iurisdictione habet. *l. iudicium D. de Iud.* & euocationem etiam in criminalibus admittit ex publica causa. Auth. *Qua in prouincia §. excipiuntur C. vbi de crim.* iustas porrò causas in arbitrio Principis reponit Rebuffus *de euoc. num. 72. 74.* Concilium autem Trid. causam vrgentem & rationabilem exigit: formam verò, subscriptionem manus Pontificiæ.

31\. Euocationis causa iusta ex arbitrio Principis.

32\. Qualis est grauis suspicio.

Pro iusta ac rationabili causa est inimicitia ac grauis suspicio. Nam *quod suspecti, & inimici*, inquit, *c. quod suspecti 3. q. 5. iudices esse non debeant, & ipsa ratio dictat.*

33\. Forma Cōcil. Trid. nō seruatur.

Sed ea concilij forma hodie non practicatur: Plures indies è Curia exeunt auocationes sed non sic subscriptæ, vt neque super eo pars exceperit.

34\. Nec ea ligatur Papa.

Et verò Tridentinum quatenus loquitur de subscriptione propriæ manus Pontificiæ, cum Papæ ea in re aut forma imponere legem non possit; *Rebuff. de euoc. n. 58. 60.* instruere illum, non ligare potuit: vndè nec additur euocationem aliter factam censeri irritam, aut subreptitiam. Adeoque sicut & *c. 5. s. 24. Trid. de mat.* circa dispensationes eum instruens non seruat Pontifex, sed contrarias indies dispensationes concedit, (& quidem sine speciali Concilij Trid. derogatione, quia stylus Curiæ non habet, vt Concilio derogetur) sic de hac auocatione dici potest, vt sufficiat eam à Papa fieri, etsi aliter Concilio non derogetur, aut forma seruetur.

35\. Nec tamen expressè derogat illi.

36\. Auocare autem censetur eo ipso quo alteri de causa cognoscere mandat.

Auocari autem eo ipso censetur, quo Papa committit, & mandat alteri. *Rebuff. de euoc. n. 16. p. c. cæterum c. Pastoralis c. cum contingat X. de rescript. Tuscus V. auocatio conclu. 561. num. 3. citat. Staphileum de litteris iust.* vt tradit rectè Rebuffus *de euoc. n. 16.* quod si petitur à primo iudice euocatio, & Princeps rescribat, *audias*, &c. censetur Princeps euocare, & ad partis petitionem se referre. Ideoque dum in hoc rescripto dicitur *vocatis vocandis super omnibus facias prout de iure erit faciendum:* id erit, cognoscas, an iuridica causa sit euocationis, & tum ea auocata, etiam de principali cognoscas. Sed tum debet Iudex in litteris suis, aut sua interlocutoria dicere, *euocamus. Rebuff. ibid.*

37\. Sed cū dicitur vocatis vocandis facias prout de Iure ipse Iudex per interlocutionē debet euocare.

38\. Resolutio finalis.

Itaque videtur resoluendum, quod in quantum transitus factus est, ad longioris moræ indaginem, & cognitionem iudicialem; præstito per impetrantes iuramento, quod ab eodem Episcopo non sperent debitum iustitiæ complementum; eandem causam ab eodem esse auocandam, in statu in quo est: ita tamen vt per hęc non impediatur vllatenùs in non deductis per impetrantium inficiationes, excusationes seu exceptiones ad indaginem supra scriptam, effectus alicuius purę ac simplicis visitationis, factæ aut faciendæ, seu correctionis morum, iuxta regulares obseruantias: dummodo neutrius limites, & forma excedatur: neque grauius quippiam aduersùs impetrantes statuatur. Cuius cognitio in vim dictarum litterarum Apostolicarum reseruetur.

CON-

CONSVLTATIO IV.

De sub & obreptione, quæ & in quibus rescriptis vitium generet nullitatis.

ADuersari inuicem videntur *c. postulasti de rescript. c. si motu de præb. in 6. Clem. si Romanus de præb. c. gratia de rescript. in 6. c. super litteris de rescript. Clem. 2. de off. ord.* Sub-
1. reptio atque obreptio irrita reddit rescripta, gratiæ quidem ipso iure: *c. fin. de filiis presb. in 6.* iustitiæ autem per exceptionem. *c. si autem. c. plerique de rescript.* vbi rescriptum subreptitium per negligentiam primi impetratoris est validum, quod non accidit in his, quæ sunt ipso iure nulla. quæ non conualescunt per regulam Catonianam, neque omnis taciturnitas veri, aut falsi expressio, quæ irritaret rescripta Papæ, irritat litteras ordinarij. Vt si quis
2. beneficium obtentum Pontifici subticet, irrita est gratia: *d. cap. postulasti*, non si ordinariò. *d. Clem. 2.* vt si verus valor non exprimatur, idem respectiuè obtinet. *Felin. aliis relatis c. ad aures num. 15. conclus. 14. de rescript. Silua beneficiorum 3. p. q. 11. num. 56.* Vitium tamen taciturnitatis tollit motus proprius. *d. c. si motu d. c. si. Romanus*, nisi taceatur inhabilitas personæ: *glos. in d. Cl. si Romanus, verbo validam*, qualitas beneficio intrinseca, aut quod Ius tertij respicit. *Abbas c. ad aures num. 3. & 5. de rescript.* Non tamen tollit subreptionem ex falsæ causæ expressione. *Sanch. de matr. lib. 8.*
3. *disp. 21. nu. 52.* Porro non omnis tacita veritas aut expressa falsitas vitiat rescripta. *d. c. dudum in verb. expositum nobis de potestate prædicta, nihilominùs litteras gratiosas daremus*, & distinguit *d. c. super litteris*, vt qui per ignorantiam, aut simplicitatem, falsitatem exprimunt, si quidem eo non facto nullas litteras obtinuissent, nullius sint momenti: si obtinuissent quidem, sed non eâ formâ; valebunt in forma communi dumtaxat: si autem per fraudem & malitiam; carebunt mendaces omnino impetratis: Si tamen causa non finalis, sed
4. aliqua impulsiua falsa sit expressa, nō continuò vitiatur rescriptum. *c. post translationem de renuntiat. c. etsi Christus de iureiurando. c. cum cessante de appellat. l. si mulier. C. de iur. dotium l. 1. §. sexum D. de postul.* Difficilis, intricata, & à multis confusè tractata controuersia est, quando veri taciturnitas vel falsi expressio vitiet rescripta: leges multæ & decretales inuicem diffidentes citantur. Hanc distinctè & solidè optimè enodauit Sanchez *insigni disputatione lib. 8. disp. 21.* (*vbi num. 60.* specialem *solutionem aßignat d. c. gratia*) quam disp. ad finem, n. 79. in summam atque epitomen redigit, regulasque quando subreptio vitiet aut non vitiet rescripta.

Rescripta gratiæ ipso iure.

Sed non æquè in Ordinatio.

Neque ex omni falsitate, aut taciturnitate vitiantur.

Sed ex causa finali.

CONSVLTATIO V.

De Consanguinitate & affinitate & iis quæ eo spectant in dispensationum litteris exactè exprimendis.

QVoniam non omnis obreptio litteras Apostolicas inutiles facit, vt latè admodum & doctè disputat Sanchez *de mat. lib.* 1.
8. d. 21. quam ad finem in epitomen redigit, vt tunc demum taciturnitas veri reddat dispensationem inutilem quando id expressum non est, quod iura iubent exprimi, vel intrinsicè pertinent ad dispensationem, estque causa talis; vt ea expressa aut denegaretur omnino gratia, aut sub alia forma concederetur. Porrò nulla exstant iura, quæ iubeant exprimi in postulatione dispensationis, quod quispiam sit in ius vocatus ob suspectam conuersationem, aut suspicionem incestus, quin imo dum 2.
verus incestus & copula interuenit, hæc causa solet esse faciliùs dispensandi, vnde nata est ea clausula in litteris Apostolicis apponi solita, quod Oratores *Incestum non admiserint, data opera vt crimine admisso hac causa foret Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam faciliorem reddendi.*

Quin imo, quando inter Oratores interuenit copula, eaque in verbis narratiuis litterarum exprimitur, nihil autem de accusatione aut inquisitione incestus, tum iuxta stylum Curiæ Romanæ (qui in his rebus pro Iure est, *Sanchez d. 29. n. 17. l. 3. de mat.*) extra ipsa narrata in tenore ipso mandati dispensandi inter alia, quæ pro forma illius præscri- 3.
buntur, ponitur ea conditio, *vt si causa ad iudicium sit deducta, non dispensetur, nisi parito prius indicato*, vt inquisiti de criminibus per fictas causas non obtineant remissiones, vnde ordinariò tribuit Concil. Trid. *s. 13. c. 5.* examen illarum, & hic vt eius iudicium seruetur. Qui stylus cum non obtineat in litteris quando mandatur dispensari, ideò quod orta sit grauis suspicio, sed falsa; sequitur nec de Iure, nec de stylo esse exprimendam accusationem, seu inquisitionem super suspecta conuersatione, seu graui copulę suspicione; quę tamen sit falsa. Quare si quotidiè dispensationes conceduntur copulâ verâ expressâ, subticita inquisitione desuper facta, & conditionatè Pontifex de suo scrinio instruit delegatum; quasi nec in vero casu copulæ inquisitionis expressio sit necessaria, quamuis ex stylo in eum casum adiiciatur clausula paritionis iudicati, multò magis in casu suspicionis copulæ sed falsæ, cum ea clausula ex stylo non adiungitur, nec canones eam exigunt, dicendum est litteras Apostolicas huiusmodi taciturnitate non vitiari.

Neque verò par est ratio vtroque in casu veri criminis & præsumpti, seu potius suspectæ conuersationis: vt neque sunt eadem Iura ca-

Quæ obreptio rescripta vitiet.

An in litteris dispensationis debeat exprimi lis super suspecta conuersatione?

In casu vero copulæ ex stylo non exprimitur non ergò necessè in casu tantum præsumptæ.

ra casus veri, & Imaginarij, hominis viui & picti.

Sed neque disciplina Ecclesiastica eundem rigorem habet in casu veri incestus, & suspicionis tantum, vel suspectæ conuersationis.

4. In casu vero copulæ pœnitentia est admodum rei iudicatæ, in casu præsumptæ arbitraria.

Vnde rursus ex stylo Romanæ Curiæ explicito vero incestu vbi absoluendi & dispensandi authoritas datur, non eadem delegato libertas datur pœnè imponendæ, quæ in casu suspicionis tantum: nam in illo restricta potestas est, ad ipsam formam iudicati; in casu suspicionis autem non aliud ex stylo inseritur, quam ea verba, *imposita ipsis propter præmissa, arbitrio tuo, pænitentia salutari*; arbitrio inquam delegati tota pœnitentia imponenda committitur pro modo culpæ, ad nullam formam restricta.

5. Falsò condemnatus nō tenetur parere iudicato vt dispensetur sed potest appellare.

Adeò quidem vt si ex falsis testimoniis quis esset condemnatus tanquam incestuosæ copulæ reus, atque eadem tamen foret falsa, dispensatio tamen à delegato foret expedienda, etiam non parito prius iudicato, sed ipsi condemnato appellatione defensioneque omni permissa: nulla enim lex, nullus canon innocentem damnatum ea pœna affligunt, nullus Curiæ Romanæ stylus id exigit.

6. Nec detētio vitiat rescriptum si non incidit in raptum.

Sed neque vitiat gratiam quod oratrix aliquo tempore in ædibus matris Oratoris fuerit detenta, nonnihil in speciem inuita, illudque subticitum, quando detentio non est talis quæ comprehendatur sub raptu: quoniam neque canones neque stylus Curiæ præcipiunt eam exprimi: imo stylus satis apertè significat non aliam detentionem esse exprimendam, quam quæ spectet ad raptum, conceptus est enim per modum exceptionis, *Dummodo illa propter hoc* (id est, ad finem matrimonij) *rapta non fuerit*, exceptio autem in ceteris firmat regulam, adeò vt quæcumque alia non excepta sint de regula. & sic quæcumque alia detentio extra raptum non impedit dispensationem. Et sic in regula 48. *Cancellariæ* etiam decretum est, tantum, vt de raptu fiat mentio in dispensationibus super consanguinitate.

7. Nec raptus præsumitur negatiua iuramento probatur.

Sed neque raptus præsumitur, & illius negatiua solâ præsumptione probata dici potest, cum agitur de gratia sine præiudicio tertij; sed & plenius per iuramentum Oratorum; & plenissimè per dicta testium nihil de raptu inaudiisse declarantium, sed Oratricem quasi liberam indies apparuisse.

8. Potest tamē indici sequestratio personæ, & bonorum restitutio ad explorandum libertatem.

Quin imo si delegato pro plenissima satisfactione visum fuerit explorare libertatem Oratricis, potest indicere quod in vera rapta statuit Conc. Trid. *s.24.c.6.de reform.mat.* vt separata loco tuto & libero constituatur. Imo & pro euidentissima libertate adiicere, quod facit Conc. Trid. *s.25. de regular. c.16.* in nouitiis egressuris, vt eadem Oratrix cum bonis suis in eodem loco libero & tuto constituatur, *ne hac*, inquit, *occasione discedere nequeat quod totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile si discesserit recuperare possit.*

9. Nec obstāt sermones de matrimonio habiti, quando non est adulteriū cum fide dispositiuè promissa.

Multo minimè subreptum censeri potest, quod explicitum non fuerit inter Oratores de matrimonio aliquando sermones fuisse, tum quod promissio per sese nihil officit futuro matrimonio, si non accedit simul adulterium. *Sanchez l.7.d.78.79. de matr.* quod hic nullatenus probatum est, tum quod sermocinationes de futuris matrimoniis nihil ad rem faciunt, sed dispositiuè data fides reciproca requiritur, vt in milite decisum est, *§. planè inst. de testam. mil.* vt sermo communis non sufficiat, sed hoc disertè agat, & seriò declaret, quem sibi hæredem esse velit.

10. Quomodo probetur negatiua quod orta suspicio sit falsa?

Et hæc quidem rursus iuramento Oratorum probantur: Quemadmodum etiam ea negatiua quod orta suspicio sit falsa, seu quod non interuenit copula, si quidem ei qui dicit incumbit probatio, non ei qui negat, *l.2.D.de probat.* & per rerum naturam factum negantis probatio nulla est. *l.Actor C.eod.*

Quamuis enim de negatiua loco & tempore circumscripta anxiè disputetur, id tamen ab omnibus penè receptum est, negatiuam vagam & vniuersalem nullatenus probari posse. *De qua re Mascard.latius vol.2.concl.1091. Quibus modis negatiua probetur.*

11. Iuramento.

Ideoque vniuersalis negatiuæ opportunissima probatio fit per iuramentum impetrantium.

Nisi quod ipsi impetrantes vice probationis impendere possint præsumptiones Iuris, quibus delicta non præsumuntur, quin imo quilibet præsumitur generatim bonus, donec doceatur malus, & singulariter iura incestus præsumptionem excludunt, *c. cum in iuuentut. X. de præsumpt. Quis*, inquit, *de facili crederet, quod quis propriæ salutis oblitus cum propria nepte abominabilem perpetraret incestum? cum etiam naturale fœdus nihil. admittat saui criminis suspicari.*

12. Præsumtionibus.

13. Incestus non præsumitur.

14. Sed manifestè debet detegi.

Sic & Concil. Melden. incestum monialium manifestè detegi vult, si accusentur, *c.3. X.de purgat. canon.* adeoque tam in ciuilibus quàm criminalibus iudiciis actore non probante reus absoluitur, etiamsi nihil præstiterit. Vnde nota olim illa vox, *Si accusasse sufficiat, quis innocens erit?*

15. In gratia nemini præiudiciali narrata facilius præsumuntur.

Adeoque verificata per Oratores graui orta copulæ suspicione, negatiua veritatis, seu falsitas copulæ ipsa negatione probatur, vbi non agitur de præiudicio tertij, sed tantùm de gratia alicui facta. Quemadmodum clausula rescripto gratiæ probatur, inserta, *si Orator fuerit Idoneus* sola præsumptione, *c. dudum X. de præsumpt. nec per eam* impetranti probandi *se idoneum*, inquit, *vlla necessitas imponitur, cum prima facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.*

16. Vt quem esse idoneū.

Sufficit ergo similiter Oratores prima facie bonos eos præsumi, non incontinentes, adulteros, incestuosos, nisi contrarium, inquit, ostendatur.

Cum in gratiosis quæ non spectant præiudicium tertij, etiam litteris inserta qualitas sola præsumptione probatur, donec contra-

rium

rium ostendatur, quamuis exactior probatio requireretur quando ageretur de præiudicio tertij. *Masc. de prob. vol. 2. concl.* 878. *V. idoneus an quis præsumatur.*

17. Nisi contrarium probetur.

Et quoniam aduersùs Oratores negatæ copulæ contrarium non est ostensum, nec dumtaxat ea non manifestè detecta vt loquitur *d. c. 3. x. de purgat. canon.* sed neque ad eas vsque præsumptiones peruentum, quæ Iuris vehementes esse dicuntur, vt solus cum sola, nudus cum nuda sit demonstratus; sequitur vt quamuis non essemus in materia gratiæ, sed res reuocaretur ad rigorosissimós terminos Iudiciales, & vbi ageretur de tertij præiudicio, non aliud superesset quàm quod decidit in caussis partium litigantium Greg. IX. *in c. vlt. §. vlt. X. de iureiuran. præsumptione*, inquit, *faciente pro actore, reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam iuramentum*, & excipit tantum *nisi Iudex (inspectis personarum & caussa circumstantiis) illud actori videat deferendum*: quod scilicet eo casu accidere potest, cum actor semiplenè probauit, illaque omnia concurrunt quæ Mynſ. *cent. 1. obs. 68. ex communi DD. sententia* exigit. Inter quæ sit vt iuraturus rei gestæ habeat notitiam per sensum corporeum, neque probationes tantum præsumptiuas produxerit.

18. Etiam in iudicialibus iuramentum defertur in locum probationis.

19. In hac materia impetrantibus, cum hi soli notitiam soleant habere.

Quam notitiam cum nemo habeat, & præsumptiuæ omnes sint probationes quæ aduersùs Oratores sunt allatæ; sequitur vt, in quamcumque partem res vertatur, Oratoribus deferendum sit iuramentum; siue considerentur vt ciuiles litigantes, *d. §. fin.* siue caussa consideretur, vt inquisitionis, ex qua defertur iuramentum purgationis canonicæ. *tot. tit. X. de purgat. canon. d. c. 3.* vbi moniales libidinis accusatæ, si manifestè illi inseruire non deteगantur, canonicè purgantur. *c. inter eod. tit.* vbi concurrente quamuis simul vulgata infamia, graui scandalo, & vehementi suspicione, tamen accusatus purgatione canonica absoluitur.

20. Et sufficit in gratiosis informatio extraiudicialis.

Enimuero in hac materia gratiæ probationes non exiguntur Iudiciales, sed sufficit informatio extraiudicialis, vt suadent verba ex stylo inserta, *te diligenter informes &c. si per informationem huiusmodi preces veritate niti repereris &c. Super quo conscientiam tuam oneramus &c.* adeò vt satis ea sit Informatio, per quam delegatus moueri animum suum sentit, vt credat, & conscientiæ suæ satisfaciat: vnde nec Iurati testes, nec coram Iudice producti, necessariò requiruntur. *Sanchez de Mat. lib. 8. d. 35. n. 15. & 16.*

CONSVLTATIO VI.

De valore Belgicorum beneficiorum exprimendo per 24. duc. etiam in pluribus simul impetrandis.

Titius Romæ impetrauit collationem canonicatus & præbendæ, nec non scholastriæ Ecclesiæ L. diœcesis, cum clausula, *quod illorum prouentus valorem annuum 24. ducatorum auri de Camera non excederent*, cum tamen verus valor longè sit maior. Quæritur an huiusmodi valoris expressio bullas vitiet?

Regulæ Cancellariæ iubent exprimi annuum valorem in impetrationibus beneficiorum: caussæ plausibiles adferuntur plures; vt Pontifex in distribuendis beneficiis proportionem meritorum quantitatisque prouentuum sequi possit, sed in rei veritate non alia caussa attenta in statuendo fuisse credenda est, quam solutio annatarum. *Gomez ad reg. 61. Cancell. in præfat.* quia vbi ea non soluitur, valoris expressione non est opus *idem ibid.* quæ ad ratam valoris beneficiorum taxari solet. Quare huiusmodi taxati in Camerâ apostolicâ valoris expressio sufficit. Et cum beneficia, quæ sunt infrà 24. ducatos annui prouentus, ab annatis sint immunia, *ex Concordatis Germaniæ vers. sed de beneficiis, quæ valorem 24. flor. auri de Camera non excedunt, nihil soluetur*, notoriâ consuetudine totius Belgij obtentum est, vt omnes canonicatus & præbendæ ac dignitates inferiores sub expressione illius taxæ cameralis 24. ducatorum impetrentur. Originem consuetudinis aliqui ad concordata Germaniæ referunt; alij ad priuilegium Carolo V. aut aliis Principibus olim hîc concessum, vt sub vmbra talis taxæ cameralis immunitas annatarum siue aliorum consequentia tribueretur: sed quomodocunque illud se habeat, de consuetudine totius etiam Germaniæ & Hispaniæ testatur Chokier. *in Comment. ad reg. Cancel. reg. 61. n. 21.* quin & Franciæ: *vt idem Chokier ad reg. 21. num. 17.* Quod ipsum amplè etiam expressum fuit in quadam resolutione Rotæ Romanæ *data 20. Nouemb. 1624.* cuius originale vidimus, & quoniam in paucorum manibus fuit, visum est verba eò spectantia hîc inserere: ea ita se habent; *nec suffragatur N. quod fructus canonicatuum illarum partium soleant exprimi per non excessum in ducatis 24. vt de consuetudine totius Germaniæ dixit Rota in Leodiens. canonicatus 9. Decemb. 1589. & in Coloniens. canonicatus 20. Maij 1602. coram Bo. mem. Cardinale Pamphilio in Leod. canonicatus & Scholastria 27. Februarij 1612. coram Bo. mem. Cardinale sacrato, & in Paderbornen. canonicatus 29. Maij 1610. coram Reuerendiss. D. meo Decano, quoniam talis consuetudo obtinet quidem in prouisionibus, quæ fiunt in Curia ad effectum iustificationis narratiua facta in gratia concessa per Papam, & in his terminis procedunt dictæ decisiones, & hoc introductum fuit per concordata, vt euitetur solutio annatæ in Curia, non autem ad alios effectus. Cum immò vt validè fiant nominationes concessæ ex priuilegio verus valor, prout est, veniat omnino exprimendus: quemadmodum in his terminis pulchrè notat Rebuff. in prax. benef. in 3. part. significatur vers. nec non verus valor. n. 7. in fin. & latius in tract. nomination. q. 9. n. 32. & 33. aliàs enim frustra in prædictis indultis concessis vniuersitati fuisse limitata*

1. Caussæ, cur exprimendus valor, veræ annatæ.

2. Quare taxæ curiæ expressio hîc sufficit.

Ea in Belgicis minoribus 24. duc.

tata facultas nominandi ad beneficia valoris 60. *vel* 100. *ducatorum, cum scirent summi Pontifices valorem cuiuscumque etiam opulentissimi beneficij in illis partibus non exprimi nisi in* 24. *ducatis, & alioquin etiam illusum esset voluntati Romanorum Pontificum si dum ipsi restrinxerunt indultum ad beneficia valoris ducat.* 100. *dumtaxat, sub hac tamen postea cautela consuetudinis Germaniæ exprimendi in Ducatis tantùm* 24. *Louanienses inuaderent beneficia valoris tercentorum & quatercentorum, & vltra ducatorum.*

Igitur Titius stylo Curiæ, & consuetudine huiusmodi nixus, non habet quod dubitet de bullarum suarum subsistentia. Supposito tamen quod scholastria in Ecclesia possideri soleat ab aliquo Canonico, seu beneficiato eiusdem Ecclesiæ, sine dispensatione, simul cum præbenda alioue beneficio ibidem, nam si dispensatione opus foret, ad illius effectum verior vtriusque valor videretur meritò exprimendus; nisi aliæ clausulæ illum pro sufficienter expresso haberent: vt sæpe aliàs solent. Quare tenor bullarum serio est attendendus, alioquin eo seposito impetrationem supradictæ præbendæ & Scholastriæ sub taxa camerali 24. ducatorum nullum sub vel obreptionis vitium pati omnino dicendum est.

3. In dispensatione super pluralitate non æquè

CONSVLTATIO VII.

Executio rescripti beneficialis facienda non est nisi preces sint veræ.

Litteræ obtentæ ab I. tam quoad personam impetrantis, quam rem impetratam, omnino censendæ sunt subreptitiæ, & obreptitiæ, conditionibusque insertis defectæ, adeoque executioni non mandandæ à delegato. Subreptitiæ; quia dicunt *vitam eius ac morum honestatem aliaq́, laudabilia virtutum merita* talia esse, vt *illorum intuitu* Pontifex *specialem ei gratiam facere* voluerit; cùm ipse notorius fuerit per plures annos in statu sacerdotali concubinarius; cum sequela plurium prolium; præter alios defectus minorum gentium.

Obreptitiæ; quia non explicuit onus præbendæ annexum Lectionis Theologicæ, & curæ pastoralis, cùm ipse qualitates ad illam necessarias non habeat, nec ille, ex cuius etiam matrimonio vacationem prætendit.

Defectæ insertis conditionibus; quia ab omni æuo solita est præbenda conferri per electionem, quocumque mense vacasset, vt & nunc fuit collata, adijcit autem Pontifex *dummodo ad nos collatio pertinet*, item *dummodo tempore datæ litterarum non fuerit alteri ius quæsitum.*

1. Concubinarius impetrans nō admittendus. Quod si ergo sacri Canones, & nouissimè Concilium Tridentinum *s.*25. *c.*14. aduersùs clericos concubinarios tam graues & multiplices pœnas statuerint, etiam priuationis quoad obtenta beneficia, & inhabilitatis, atque indignitatis quoad obtinenda; *donec*, inquit Tridentinum, *post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus, cùm eis ex causa visum fuerit dispensandum*: quantò minus poterit nunc huic impetranti prouideri sine vlla manifestatione emendationis, & dispensatione superiorum non tantùm, sed via regia, sub formula communi, allegationeque expressa vitæ ac morum honestatis, aliorumque laudabilium probitatis, ac virtutum meritorum?

Præsertim cùm etiam in Secularibus iure dispositum sit, ne infamibus pateant portæ dignitatum: *l.*2.*C. de dignitat. lib.* 12. illudque dictum canonizetur ab Innocentio III. *in c. inter dilectos X. de excess. prælat.* & transferatur ad succentoriam; vtique inferioris gradus beneficium: quantò magis tralatitium erit ad canonicatum cathedralem, lectoralem, & plebanalem in tali ciuitate? 2. Reijciendus vt infamis.

3. Rescripta beneficialia ex mente Canonum intelligēda. Sanè de mente Pontificis iudicandum non aliter est, quàm vt sit conformis sacris Canonibus, & œcumenicis conciliis: adeoque ea literarum verba *præmissorum meritorum intuitu, specialem gratiam facere volentes*, non aliam voluntatem significare possunt, quàm quæ fundata sit in veritate huiusmodi meritorum, vt si qua in re alia subintelligenda sit ea conditio *si preces ac narrata veritate nitantur, iuxta c.*2.*X. de rescript.* id maximè obtineat hac in causa. Eoque magis quod dictæ litteræ Apostolicæ tam priores quàm secundæ, *seu perinde valere*, relatiuæ sint, ac fundentur in regula octaua Cancellariæ Apostolicæ reseruatiua mensium: quæ præfatur his verbis; *Cupiens D. N. Papa pauperibus clericis, & bene meritis personis prouidere, beneficia sua dispositioni reseruat*; &c. Relatum autem inest referenti, cum omnibus suis qualitatibus, & secundùm hoc illud intelligitur, & declaratur, *L. asse toto D. de hæred. instit.* id quod vel maximè obtinere debet in beneficiis sic affectis & curatis, vt non nisi personis bene meritis, *dignis, & habilibus conferantur*, vt loquitur Tridentinum: *s.* 7.*c.*3. veteres canones cum pœna nullitatis innouando. quare de vitæ morumque qualitate solerter delegatus debet inquirere. *Clem. Vn. de conceff. præb. c. vn. de offi. deleg.*

4. Explicanda in rescripto qualitas præbendæ Lectoralis. Nunc quod attinet ad puncta subreptionis; certum est præbendam, de qua quæritur, ab Episcopo N. an. 1564. in vim ac conformitatem Concil. Trid. *s.*5.*c.*1. effectam fuisse, & deputatam pro Lectore Theologiæ: & vt in aliis generaliter Tridentinum nullitatem constituit, si qualitates beneficio inhærentes in prouiso non fuerint: *s.*25. *c.*5. sic specialiter *d. s.*5.*c.*1.*§. de cætero præbenda huiusmodi*, inquit, *non nisi personis idoneis, & quæ per seipsos id munus explicare possint conferatur, & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida*; impetrans vero nec Theologiæ scientiam, aut docendi, legendivè licentiam habet: adeoque litteræ eius ad huiusmodi præbendam obtinendam nullæ sunt, & inualidæ. Ideoque meritò Delegatus tam C. quàm I. huic impetranti præbendam eam conferre recusauit, seu huiusmodi litte-

ras exequi, attentis etiam pœnis, quas canones minantur iis, qui indignis ob vitæ turpitudinem, aut aliàs secundùm exigentiam beneficiorum non qualificatis, collationem faciunt, quas conglomerat Rebuffus *lib. 1. c. 17. de benef.*

5. Pastoralis. Similiter pastoratus ab omni memoria cum ea præbenda coniunctim possessus fuit, & per Episcopi, Decani, & Capellani electionem, quocumque mense vacatio occurrisset, conferri solitus, quod tituli & priuilegij vicem præbet, & si aliud proferri non posset: *l. 1. in fin. l. 2. in princ. D. de aqua & aquæ pluu.* quin imo cùm per annos 40. beneficium conferri, possideri consueuit tanquam vnitum, declararunt Interp. Concilij Trid. illud pro vnito habendum. 7. *Kalend. Maij* 1564. *apud Serol. in prax. p. 1. V. vnio §. 6.* possessoremque molestari non posse, id quod etiam Impetrans subticuit; adeoque vel ex hac etiam parte litteræ subreptitiæ fiunt, & inualidæ.

6. Conditio si ad Pontificē spectet ea collatio, si deficit irritū fit rescriptū vt & ex ea, si alteri sit Ius quæsitū, vt est si quis per triennium sine lite illud beneficium possederit. Sed nec minùs inualidę fiunt per defectum conditionum insertarum, *quod ad Pontificem collatio non spectauerit*, ac deinde *quod tempore datæ illarum* prædicto *iam ius specialiter erat quæsitum.*

Siue enim consideremus collationem, quam Impetrans prætendit per obitum S. siue per matrimonium C. neutro modo ius impetrantis firmari potest.

Non per matrimonium C. quoniam is nec per ætatem (quæ in cathedrali requiritur) nec per eruditionem (quæ in præbenda theologali & pastorali) capax erat; cùm Poëta tantùm esset, non gustatis vlterioribus studiis; adeoque *iuxta d. c. 1. s. 5.* collatio ei facta, nulla erat, & inualida: vti nec possessionem vnquam fuerat adeptus, vt per eius matrimonium, nec de iure vacare potuerit, nec de facto: adeo vt nec dispensatio foret in contrarium admittenda aduersùs decretum Concilij, & à Rege vetitum fuerit desuper litteras Placiti dari, quemadmodum etiam idem Concilium Trid. *s. 25. c. 5. in fin.* huiusmodi qualitatibus expresse vetat derogari, seu dispensari, & omnia contraria declarat pro subreptitiis, nullis, atque irritis esse habenda.

Non per mortem S. quoniam ab illius excessu prædictus E. ex legitimo titulo, vt supra est dictum, non tantùm triennalis, sed & decennalis ferè possessor factus est, pacificus, & sine lite: quippe quæ sine citatione Iudicis initium non habet: *§. omnium instit. de pœn. tem. litig.* nec hactenus citatus fuerat.

Quin imo pridem erat triennalis idem, antequam hîc impetrans priores suas litteras obtineret, executori exhiberet, aut eidem E. insinuari curaret.

Vnde nec refert si insinuationes antea & protestationes eidem factæ fuerint per prædictum C. quoniam aduersùs hunc impetrantem ex vacatione per obitum S. agentem, nihilominùs cōpetit ea Iuris exceptio *quoad te, liberas ades habeo.*

Aduersùs autem agentem ex vacatione per matrimonium C. manet illa, quam mox diximus, exceptio, quod vacatio nec de Iure, nec de facto, per illius matrimonium sit inducta; quod nihil iudiciale sit factum per C. nulla lis mota, nulla citatio obtenta; nec regula 36. de triennali vllam protestationum mentionem faciat, vt in omnino impeditis per hostilitatem aut similes causas Pragmatica sanctio ex Concilio Basiliensi considerationem aliquam protestationum habet. Sed regula si triennium sine lite sit transactum, indistinctè possessorem molestari vetet, impetrationes contrarias declaret irritas, atque inanes, quemadmodum generaliter per actum extraiudicialem non interrumpitur præscriptio. *L. alienam & ibi DD. D. pro emptor.*

Quibus de causis, tam signanter ac pluries additur in litteris *si adhuc vacet per obitum.* non vacat quod pridem alteri præscriptione huiusmodi canonica est quæsitum; nam vt in ciuilibus negotiis inuenta est præscriptio, ne dominia rerum diu essent in incerto; sic & hæc præscriptio canonica, ne proprietas beneficiorum perpetuò esset in incerto, Ecclesiæque diu propriis sponsis carerent; sicut ob eam causam etiam Concilium Lateranense Iura deuolutionum in beneficialibus induxit, vt superiores supplerent inferiorum Prælatorum negligentiam in prouidendo viduatis Ecclesiis, de sponsis propriis singularum.

Atque ideo deficit prædicta conditio, *dummodo alteri non sit Ius quæsitum*, posita in litteris impetrantis, & consequenter ea non verificata, nullatenus potest procedi ad aliquam executionem. Sicut & alteram, *dummodo ad Papam collatio pertineat*, satis supra defecisse demonstrauimus, cùm debeat semper in hac præbenda procedi per electionem.

Vt omittamus quod litteræ impetrantis datæ sint Romæ ante annum, eoque amplius; qui autem vltra annum negligit prosequi executionem Rescripti, à fructu gratiæ illius excidit. *c. plerumque X. de rescript.* eoque etiam nomine E. etiam annali huiusmodi præscriptione tueri se potest, & delegatus ad executionem huiusmodi litterarum procedere prohibetur. 7. Post negligentiam annalem rescripti executio nō est facienda.

De Consuetudine.

CONSVLTATIO I.

Carnium esus Benedictinis vetitus, & an consuetudine excusetur?

CVique Monacho carnem nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia: non quia creaturam Dei iudicemus indignam, sed quia carnis abstinentia apta, & vtilis Monachis æstimatur. *c. carnem de cons. d. 5. c. cum ad monast. X. de stat. Monach.* sed specialiter regula S. 1. Qui Canones & Constitutiones esum vetent?

la S. Benedicti *c.36.* statuit, vt carnium esus infirmis omnino debilibusque pro reparatione concedatur, ac vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant, &c. *c.39.* vt carnium quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles, & ægrotos, sensibiliter à morbis læsos, vel imbecilles & languidos. *Vt explicat Thomas à Iesu in exp. reg. Carm. c.12. d.3.* Innocentius verò III. *in d. c. cum ad monast. X. de stat. monach.* eandẽ à carnibus abstinentiam firmat, & laxiorem concessionem à quibusdam Prælatis factam, resecat. Clemens itidem *in constitutione ne in agro de stat. mon.* approbat, innouat, & obseruari mandat Innocentij constitutionẽ. Benedictus verò XII. *Bullâ datâ anno* 1336. *c.26.* de esu & abstinentia carnium statuit his verbis; *Verum quia ad salutis profectum tenditur, si moderationis sobrietas & modestia obseruentur, volentes ea, quæ circa esum & abstinentiam carnium, B. Benedicti regularis institutio tradidit, & in constitutione piæ memoriæ Innocentij Papæ III. Prædecessoris nostri, sunt statuta, firmiter obseruari: statuimus & ordinamus, quod per totum annum feriâ quartâ & die sabbati, & à prima Dominica de Aduentu, vsq; ad diem Natalis Domini, & à Dominica Septuagesimæ vsq; ad diem Paschæ, omnes Regulares eiusdem ordinis, seu religionis ab esu carnium vbiq; abstineant; nisi necessitas infirmitatis non fictæ, per Abbatem vel alium Prælatum proprium fortè suadeat, cũ aliquo dispensandum. Diebus autẽ quibus Monachi in infirmitorio carnes edent, sic prouideatur omnino, quod in refectorio remaneat ad minus medietas Monachorum, Capituli, vel Conuentus: & idem fiat vbi Abbas, seu alius Prælatus principalis, aliquos ad domum seu ad cameram suam vocabit ad melius & plenius exhibendum: Quoties verò plures simul carnes in infirmitorio comedent, versus & oratio in principio mensæ, ac post refectionẽ Hymnus & versus dicatur; & continuum discumbendo silentium obseruetur, ibiq; legatur, sicut in refectorio continuè aliquid quod ædificet audientes; nullaq; persona secularis ad comedendum inibi aliquatenus inuitetur. Caueant autem Abbates & alij Prælati aliorum locorum ipsius Ordinis seu religionis, ne seculares personas ad eorum mensas conuocent, quarum occasione ipsi, vel ordo, seu religio huiusmodi denigrari valeant, vel notari.*

2. *An ea Benedicti XXII. constitutio esum permittat, an consuetudinem inuectã tantum restringat?*

Quæ Bulla, etsi à pluribus in diuersum sensum deducta sit, verior tamen est, non fuisse mentem Benedicti, neque sententiam Bullæ, esum carnium in infirmitorio concedere, diebus ibi non exceptis; sed omnino vsus laxiores post Innocentianam inuectos resecare, & certis modificationibus cohibere, sub earumque intellectu Innocentianam pristino rigori restituere. *Quod latè docet Carolus Fernandus Benedictinus in epist. Parenetica ad Monachos Sagienses scripta anno* 1512. *præsertim c.63.64.65.66.* & disertè declarauit Pius Papa, *Bulla quibusdam reformatis Monachis rescripta anno* 1550. narrata diuturna altercatione distractionis, & inconstantiæ generatiua, circa esum & abstinentiam carnium, attentâ regulâ S. Benedicti, non licere illius Monachis submissis obseruantiæ regulari, siue nondum submissis, vti carnibus, nisi secundùm regulam præfati ordinis, & cum suorum superiorum licentia, non per importunitatem concessâ, sed pia consideratione concedenda, & data deinde visitatoribus facultate esum carnium permittendi; ob teneritudinem, aut debilitatem bis vel ter in hebdomada: si aliàs aliquibus locis reformatio induci non posset. *cæteris tamen,* inquit, *in regulari constitutione Innoc. III. & Benedict. XII. constitutionibus contentis modificationibus obseruatis.* Scilicet vt quando esus carnium permittitur, non in refectorio communi, sed in infirmitorio comedantur, adhibita lectione, silentio, benedictione, & gratiarum actione.

3. *An omnium carnium esus sit prohibitus, an tantùm quadrupedum?*

Porrò regula carnes quadrupedum tantùm nominat. & S. Hildegardis in illius explicatione, quam diuinitus tradita latino stylo scripsisse dicitur, cuius esset ignara, censet bipedum permissis esse: quod non tam succulentæ & libidinis sint incentiuæ: tamen Turrecremata *tract.*104. *in reg.* secus æstimat, quod illæ magis sint deliciosæ. Et generatim carnes Benedictinis prohiberi censuit *Thomas à Iesu in expos. text. reg. Carmel. c.12. d.1. Craesbekius in reg. c.39.* addito illo Hieronymi; *esus carnium & potus vini, ventrisq; saturitas seminarium libidinis est.* Perez *in idem caput n.10. in fin.* rationem vetitę monachis carnis latiùs prosequitur *idem Thomas. ibid.*

4. *Vsus contrarius potest esse rationabilis, & iustam originem habere.*

Porrò multis in locis vsu immemoriali ab abstinentia carniũ recessum est, alicubi priuilegiis particularibus: alicubi frequentiori Superiorum relaxatione: siue ob aëris intemperiem, penuriam, & caritatem piscium: siue eorum, & climatis dissonantiam, vt continuus vsus morbos generaret, quibus non tantùm natis, sed & nasciturIs carnium esus esset concedendus, vt in origine sua extinguerentur, aut præoccuparentur: præsertim in locis vbi vinum rarius & carius est: & potus regionis flegmatico vitio auertendo non sufficit, nisi interposito carnium succo. Sic in toto Belgio Benedictinam familiam carnibus vsam videmus: & Cistercienses, qui initio professi sunt obseruantiam regulæ quasi ad literam reducere, dispensatione Alex. VI. an. 1498. quæ habetur apud Rodrigues, Carnium vsum, & esum admiserant.

5. *Quæ vbi bõ cultat immemorialis consuetudo pro priuilegio est.*

Huius vsus in N. Benedictina familia originem non est inuenire, adeoque creditur retineri licitè posse. *Qua de re multi passim: &* Panorm. *in d. c. cum ad monast. ex sententia Cardinal.* licitum vsum asserit donec reformetur; sed quod superior debeat super his intendere. Petrus de Waloncapellæ *lib.3. instit. monast.* dicit verisimilem esse opinionem, quod per summos Pontifices, seu aliàs super eo sit dispensatum, quod etsi hîc non constet quomodo aut qualiter se habeat; immemorialis tamen temporis ratio facit, vt credi possit priuilegium. *l. 2. in princ. D. de aqua & aqua pluuia.* eò magis quod id à Cistercensibus factum constet, & Hispanis reformatis eiusdem familiæ eadem dispensatione vti permisit Alexander VI. *apud Rodrig.*

drig. & Benedictini Cassinenses certis monasteriis, certis ex causis, certis diebus carnium esum permiserunt. Et probauit Greg. XIII. Immemorabilis enim consuetudo, etiamsi de titulo non constet, vel bona fide, vtrumque tamen temporis prærogatiuâ, quantisper aliud non probatur, complectitur. *Suarez. tom. & lib. 1. de relig. c. 13. num. 8. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 4. n. 14. vide Sayrum clauis regia c. 11, nu. 12. Azor. Instit. moral. lib. 5. c. 17. q. 6. Caiet. 1. 2. q. 97. art. 3.*

6. Quamuis fortè principia fuerint mala. imo quamuis consuetudo mala fide foret inducta, si tamen sine violentia diu durauerit, potest abrogare legem humanam. *Suarez. lib. 7. de leg. c. 18. Salas de leg. disp. 19. sect. 20.* nam & incipit consuetudo cum peccato sæpe, neque vt corruptela reiicienda est semper, cum successu temporis validata est. *Malder. in 1. 2. q. 97. art. 3. memb. 1. & clarius memb. 2. § appendicis. Azor. vbi supra. & c. 18. q. 16. & Suarez lib. 1. de relig. c. 13. n. 8. & 9.*

7. Quæ nisi apertè constent præsumi non debent in tam antiquis præsertim quę communis pręscriptionis tempus superât. Et quamuis *c. vlt. X. de consuet.* requiratur, vt consuetudo, quæ legem abroget, sit præscripta; præscribi autem non videatur posse, sine bona fide; adeoque authores citati ac alij accipiendi videantur de ea, quę originem quidem vitiosam, sed subsecutam successorum bonam fidem habuit, qui non tenentur examinare facta antecessorum, præsumere possunt illos bonos, & factum bonum fuisse: nisi constet de malo: *Sayrus in thesauro casuum lib. 3. c. 11. n. 12.* tamen quando principia ipsa, vt in antiquis solet, obscura sunt, vel dubia, sentire oportet pro consuetudine vt valeat: licet quædam appareant alicuius vitij indicia: dum tamen ita manifesta non sint, vt nulla illud tergiuersatione celari seu excusari possit. Omnis enim priùs alia coniectura sumenda est, etiam causæ fatuæ, quàm aliqua recipiatur assertiua delicti. *Menoch. de præsumpt. l. 4. p. 161. n. 26.* præsertim in personis religiosis, quæ animæ suæ nunquam censentur immemores; nisi contraria sit euidentia, adeo vt etiam quod in aliis crimen foret, si ipsi patrent, in aliam præsumptionem trahatur, si aliqua possit superesse.

Quod in casu nostro specialiter iuuatur, quod olim in hac domo B. hæc eadem disputata, frustrataque sint effectu suo, quæ visitatores inducere conati sunt, & quamuis aliquanto tempore carcerum metu ac vi maiori aliquid illi obtinuerint, illud tamen nec sufficiens ad præscriptionem fuerit, nec vniformitate actuum consensus communis significatiua quæ in omni consuetudine requiritur. *Mynsing. cent. 6. obs. 42.* satis firmatum, cum etiam à singulis huiusmodi abrogatio, quâ Ius quæsitum tolleretur, probari deberet. *c. quod omnes de reg. Iur. in 6.* saltem ad effectum, vt illi obligarentur.

8. Nec decretũ aliquod non receptum contra sufficit.

De Electione.

CONSVLTATIO I.

De parochialium Ecclesiarum collatione.

VAcantibus parochialibus Ecclesiis Côc. *Trid. s. 24. c. 18.* præscripsit concursum, cum ea clausula, vt omnes prouisiones præter formam illius factæ subreptitiæ esse censerentur, non obstantibus, quacumque reseruatione pręuentionibus, indultis, nouis prouisionibus, affectionibus, & impedimentis quibuscumque. Vnde manifestum est collationem Romanam neglecto concursu ab Episcopo proposito irritam esse. Et, licet Pontifex super concilio possit dispensare ex iusta causa, cũ id exprimit; non sufficere tamen ad huiusmodi derogationem clausulam generalem nõ obstantibus quibuscumque, &c. censuerunt classici multi Doctores *citati in collect. Barbosa ad Concilium Tridentinum s. 1.* quod obtinere maximè debet, quando idem Concilium non tantum disponit, sed &, si quid secus factum erit, subreptitium fore decernit, vt de concursus neglectu statuit in clausula *aliâs prouisiones omnes d. c. 18.* & licet Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. glos. 6. n. 120.* dicat, vt Pontifex censeatur validè contulisse beneficium curatum sine concursu, sufficere expressè vel tacitè derogasse Concilio Tridentino: & sufficere derogationem generalem: tum quia id, etsi admitteretur vbi Ordinarius non proposuit concursum, tamen ratio non fauet vbi iam proposuit, aut tempus proponendi adhuc durat, & solet proponere Ordinarius: & hîc minùs obtinere debet, vbi Rex Conciliũ voluit seruari, vt sonat; & Regens Margareta litteris suis, etiam Conciliis mandauit, vt curent seruari: adeoque Regis Placitum eò non extenditur, sed subreptitium est, quin & collatio in qua concursus factus non exprimitur. Quin etiam constitutio Pij V. *incip. in conferend.* significat non esse Pontificum mentem, vt decreto conciliari de concursibus derogetur, quoad ipsos concursus vllatenus; sed dumtaxat, vt eorum qui in concursu digniores sunt reperti, dum vacatio contigit in mense Pontificio, nomina transmittantur ad Sedem Apostolicam, & ab illa accipiant prouisionem, & litteras; quo minùs lædantur annatæ, & Iura Curiæ.

1. Collatio Romana parochialis citra concursum irrita est.

Sed arguitur hic concursus non fuisse ritè celebratus; adeoque subsistere prouisionem Romanam: sed id non sequitur: quia non ab euentu, sed à decreto Concilij irrogatur subreptio, & nullitas. 2. Nec effectũ concursus tollit, apex aliquis minus ritè seruatus.

Quare & cessat argumenti prosecutio, quod non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum: quia ex regula Catoniana, quod ab initio nullũ est tractu temporis non conualescit, etiamsi in illam temporis aut facti circumstantiam reciderit, qua stante rectè poterat inchoari. Adeoque collatio semel Romę nulliter

nulliter facta non recuperat vires, etiãsi postea contigerit concursum celebratum, iure esse irritum; præsertim durante tempore, quo ordinarius concursum perperam celebratum corrigere, & nouum instituere potuit. Ideoq; Pontificia collatio fundari debet in lapsu temporis, & nullitate concursus, aut plenitudine potestatis, voluntateque abrogandi decreti Concilij, aut designatione dignioris in loco beneficij facta, cui designato à Pontifice fiat collatio.

3. Quamuis nec ordinarius decretũ c.18.s.23. exactè seruarit. Rursus obiicitur, quod ipse Ordinarius non seruauit decretum Concilij, sed designationẽ dignioris, patrono Ecclesiastico competentem, cùm & hic competat institutio, sibi arrogauit; & eum, quem voluit ipse elegit; non patrono electionem permisit: vt iubet Concilium *s.24.d.c.18.§.si verò Ecclesiastici.*

Quoniam subreptitio collationis Romanæ ab ipso Concilio, non ab hoc euentu inducitur, vt diximus: & posito, quod aliud concursui non possit obiici, hæc exceptio tertij est, non publica; scilicet patroni, aut ab eo electi: qui se in ea soli possunt fundare, non alij; adeoque si patronus & ab eo electus in gratiam electi aut ordinarij conniuerent, aut iuri suo renunciarent, electionique ab Episcopo factæ consentirent, non haberet Romanista, quod ex eo capite obiiceret.

4. Nec obstat Reg. 8. Cancell. Denique obiicitur regulam octauam Cancellariæ non esse abrogatam, per quam menses Pontifici reseruantur, quibus vacantia beneficia ipse conferat: sed verò quoad curata beneficia parochialia repugnat id disertis verbis *d. c.18. etiamsi*, inquit, *ipsa parochialis Ecclesia reseruata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, &c.* Atqui dicta regula octaua non aliud agit, quam vt vacatura in certis mensibus beneficia generaliter Sedi Apostolicæ reseruet.

5. Nec Interpp. Verùm replicatur, Congregationem Concilij interpretum *apud Barbosam in Collectaneis atque in Declarationibus Concilij* censuisse in hęc verba; *si beneficium curatum Iuris patronatus Ecclesiastici in mensibus Apostolicæ Sedi reseruatis vacauerit, Episcopus ipse Ordinarius nulla habita ratione patronorum debet edicta concursus proponere & idoneum eligere, Romam mittere instituendum, cum fide Ordinarij, sicut in aliis curatis, quæ nõ sunt de Iure patronatus.* Liquida videtur hęc decisio.

Sed, vt omittamus huiusmodi declarationes non tantùm non exhiberi authenticas, & omnes impressas declarationes iam sæpius Romæ esse damnatas, vt adulterinas; ego tantùm prouoco ad ipsum textum Concilij: qui indistinctè, sine mensium reseruatorum vel non reseruatorum mentione disponit, *vt si vacans parochialis Ecclesia Iuris patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat* (vt hic supponitur) *Is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur, vt ab eo instituatur: cùm verò institutio ab alio quàm ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligit digniorem, quem patronus ei præsentet ad quem institutio spectat.* Hęc sanè verba omnia, si conferantur cum ea declaratione, consistere simul non possunt: iam enim ante diximus decretum Concilij de instituendo concursu etiam in reseruatis locum habere. vt præfatur d.c.18. *in princ.* nullaque reseruatione aut impedimento obstante decretum Concilij, formamque obseruari: quæ in Ecclesiis Iuris patronatus non aliam facit distinctionem, quàm an Episcopo competat institutio, an alteri: si Episcopo; tum ad patronum spectet electio dignioris: si alteri; ad Episcopum: nullo autem casu ait Conciliũ procedere posse Episcopum nulla habita ratione patronorum: sed addit Concilium, deferri patrono electionem vno casu, altero saltem præsentationem; nullo autem ad Romanum Pontificem quidquam reiicitur à Concilio; tametsi dicat se disponere etiam in Pontifici reseruatis: & semper patroni rationem vult haberi in nominandis *d.c.18.§.porrò.* Ita vt contrarietas huius decreti satis tollat in parochialibus regulam, cum qua simul stare non potest. *l. vbi repugnantia. D. de reg. Iur.*

6. Concilium stare non potest cum Reg. 8. Cancel. quoad curata parochialia, ideoque quoad hæc abrogata censenda. Sed huic solutioni posset obiici quod Concilium ita possit accipi, cum ait, *collatio fiat ab eo ad quem spectat: patronus præsentet ei, ad quem institutio spectat, &c.* At qui ex reseruatione regulæ octauæ Cancellariæ, in mensibus Pontificiis tam liberorum beneficiorum collatio, quam patronatui subiectorum institutio ad Pontificem spectat: *vt liquet ex textu regulæ:* sed respondere rursum est facile, quod in beneficiis Iuris patronatus Ecclesiastici, cùm institutio ad Episcopum spectat, sine distinctione mensium velit Episcopo fieri præsentationem; & ab eo institutionem: si ad alium spectat; alteri præsentationem, ab eodemque institutionem: quæ verba satis sunt clara, nec consistunt cum verbis prædictę declarationis: cum Concilium mandat non ab Episcopo vnquam fieri præsentationem, sed à patrono: & propriè non dicitur ad Pontificem spectare vnquam institutio, vt loquitur Concilium, sed ad ordinarium, vel alium inferiorẽ: quare etiã in liberis beneficiis ea verba *d.c.18. collatio Ecclesiæ ab eo fiat ad quem spectabit eam conferre,* propriè ordinarium collatorem respiciunt: & regula 8. Cancellariæ non vtitur huiusmodi verbis in Pontifice, sed *cupiens pauperibus clericis & aliis benè meritis personis prouidere*, nec stylus bullarum vtitur verbo *institutionis*, & tamen omni casu mandat Concilium institutionem fieri seu ab Episcopo seu ab alio ad quem spectat. Quare rectè *apud Gonzales ad reg. 8. Cancel. glos. 8. n. 112.* Nauarrus censuit *per. d.c. 18.* reseruationem omnium parochialium esse sublatam: idque vsu in multis diœcesibus fuit receptum: vt nuper plurimi Episcopi harum regionum testati sunt in graui quadam causa: adeoque ea interpretatio ibi est retinenda. *l. si de interp. D. de legib.* præsertim cum Concilium Basiliense iam olim omnes reseruationes Pontificias sustulerit, *siue*, inquit, *per Extrauagant. ad regimen. & execrabilis. siue per regulas Cancellariæ, aut alias apostolicas cõstitutiones introductas: statuens, vt de cætero nequaquam fiant: reseruationibus*

nibus in corpore Iuris expreßè clausis, & his, quæ in terris Romanæ Ecclesiæ subiectis fieri contigerit, dumtaxat exceptis: quod Concilium à Nicolao Pontifice approbatum est 14.*Kal.Iul.*1449.in Gallia,cuius tunc pars erat Flandria,receptum per Regiam constitutionem, quæ vocitata est exinde pragmatica Sanctio.

Et verò Concilium Tridentinum huiusmodi reseruationes nec restituit, nec admodū vspiam probauit: etsi res ipsa introspiciatur, cum Pontifex astrictus erit designato digniori non liberè conferre, sed restrictas ei tantùm litteras expedire non omnibus satis dignum recursu ad Sedem Apostolicam aliquid reperiri; sed in pecuniariam tantùm causam redigi quæstionem: cuiusmodi rationes odiosæ sunt, & bursales constitutiones à scriptoribus vocantur, & omnibus modis creduntur restringendæ: vt manendum sit omninò in propriis terminis decreti *d.c.*18. præsertim in his ditionibus, vbi Concilium receptum est, prout sonat, non vt quotidianæ interpretationes, decreta, aut constitutiones Romà adferri possint, quæ præter Concilij mentem, decretum alterent, amplient, aut restringant, & regulam octauam de reseruationibus, quoad beneficia curata parochialia (nam sunt & alia curata in quibus intacta mansit) abrogatam restituant.

Quod nunc attinet ad id, quod vlterius concursui, seu à patrono electo obiicitur, quod examen non fuerit factum per approbatos in Synodo, adeoque reddatur irritum, & locus fiat prouisioni Apostolicæ; quæ lapso

7. Nec examen non ad omnimodam formam Concilij factum hîc obest.

iam tempore de nouo possit impetrari: respondeo d.c.18.declarare quidem omnes collationes parochialium Ecclesiarum subreptitias citra concursum factas; sed non itidem, si instituto concursu apex aliquis aut Iota fuerit omissum, ideo concursum esse irritum, aut effectu carere: quin imo *in fine d.c.*18. diuersas causas ponit ob quas Ordinarius ea forma omissa possit instituere priuatum examen; *ceteris tamen*, inquit, *seruatis*, Item Concilium Prouinciale circa examinationis formam posse addere vel minuere.

Cui rei conformiter Concilium primum Mechliniense, *tit.de Decan. & pastor.c.*6. statuit in hæc verba; *Vacatione Ecclesiæ parochialis occurrente licet Synodus plurimum optaret circa examen promouendi ad illam obseruari dispositionem Concil. Trident. attendens nihilominus quod in quibusdam diœcesibus propter nimiam sacerdotum inopiam illa seruari non potest,omnia & singula circa huiusmodi examen necessaria, locorum Episcopis authoritate eiusdem Concilij committit, decernens collationes & prouisiones post examen ipsorum iudicio necessarium factas, firmas esse & validas*: Concilium verò secundum *ann.*1607. *tit.*17. *de archipresbyteris c.* 5. *in* hæc verba; *Ecclesiis parochialibus vacantibus curabunt Episcopi & Archidiaconi, vt quàm fieri poterit citißimè iisdem de idoneis pastoribus prouideatur, illiq; mox instituantur, & sic à capta possessione, & inchoata residentia pro rata temporis fructibus gaudeant*: nullibi autem priorem dispositionem reuocat; quin imo tacitè approbat, collationes indistinctè in partibus factas, dum Episcopis & Archidiaconis mandat, vt curent quàm primum vacantibus Ecclesiis de nouis pastoribus prouideri, illosque institui: quæ cura in Romanis prouisionibus per illos expediri nequit: ideoque significat tacitè hîc fieri prouisionem & institutionem, quæ sub eorum curam vtique cadit: firmæ ergo erunt & validæ parochialium collationes post examen ipsorum Episcoporum iudicio necessarium factæ: præsertim cùm secunda Synodus à Sede Apostolica sit approbata, adeoque prima tanquam relata,atque ita pro inserta habita,etiam sit approbata.

Cui rei id accedit maximè quod *d.c.*18. *Concil. Trid.* præfatur *expedire maximè animarum saluti à dignis atque idoneis parochiis gubernari*: ideoque salus populi præualet apicibus subtilitatum, vt potiùs ea attendatur, quàm vnius Iotæ defectus in concursu obrepens. Vt si vnquam verùm sit eum peccare in legem qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem; id maximè hic obtineat. Adeoque si quid omissum fuerit,valeat concursus; effectumque sortiatur, *ceteris*, inquit Trid. *seruatis*. 8.

Nec nullitates attendendæ minutiarum præ fine & proposito Concilij.

Quid enim si ad Barbosam & ab eo allegatos respicimus, quanta strues occurret nullitatum? quas illi mox inducunt, si vel edictum propositum fuerit cum maiori termino quam viginti dierum, vel Episcopus plures idoneos examinatoribus non nominauerit, vel examen factum sit ante terminum edicti, vel quis termino decem vel viginti dierum elapso sit ad examen admissus, vel eodem die quo examen factum est concursus sit clausus, vel examinatores in Synodo non sint approbati, & quidem tres in Synodo approbati non sint adhibiti, vel singulis annis in Synodo sex examinatores non sint propositi, nominatim quidem, & non in genere, vel sub nomine dignitatis, vel in locum denominatorum eo anno mortuorum alij surrogati non sint ab Episcopo cum consilio Capituli, & dummodo mox intra annum Synodus celebretur: nam elapso anno Synodi omnium officium exspirare volunt, adeò vt nisi sex in Synodo nominati supersint, cæterorum officium nullius sit momenti, nec Episcopo liceat alios sumere; adeò quidem vt quamuis in prioribus Synodis probati sint examinatores, nullius flocci sint nisi in vltimis Synodis sint expreßè confirmati, & quidem tam scrupulosè vt quamuis competenti numero examinatores fuerint Synodales, si quis tamen accesserit non Synodalis,actum aliorum irritet,vel si quis examinatorum non fuerit Doctor aut Licentiatus, etsi Concilium clericos vel regulares alios admittat,vel adhibiti solemniter nō iurarint. Hæc omnia aliaque recenset Barbosa *ad.d.c.*18.tanquam nullitates concursus: quasi iis non

iis non seruatis in mensibus Apostolicis, omnimoda dispositio Pontifici deferatur:

At verò non euincit textus Concilij, si textus & ratio tota ponderetur, non apices tantùm aliqui seorsim inspiciantur. Ad quem modum olim in Curia Romana ex quibuscumque leuidensibus nullitatibus etiam optimo Iure nixi causa cadebant, donec Clemens VIII. constitutione 5. *Idus Februarij* 1592. omnes abrogauit nullitates, excepto defectu citationis, iurisdictionis, aut mandati: & ex causæ ipsius æquitate lites omnes deinceps determinari iussit: sustulitque magnam Curiæ corruptelam, qua litium contexendarum artes supra causæ æquitatem valebant.

9. Nullitates non substantiales non attendendæ.

Ad eum ergo modum quo præcisæ sunt litigiorum nullitates, & æquitas causarum reducta est; non extra rationem statuendum videtur, vt mens, causa, propositumque Concilij Tridentini *in d. c.*18. attendatur potius, quàm aliqui apices minus obseruati, quorum gratia salus animarum negligatur.

Ob quam rem cum turbatus Belgicarum ditionum status, nec annuis Synodos diœcesanas, nec triennales prouinciales permittat, multæque aliæ loci huius & temporis difficultates occurrant, quo minùs seruari verbotenùs Concilium possit; rectè Synodus prima Prouincialis Mechliniensis *d. c.6. tit. de Decanis* considerauit litteram occidere, animam rationemque legis viuificare, commisitque prudentiæ Episcoporum omnia ad examen huiusmodi necessaria, & prouisiones, post examen ipsorum iudicio necessarium factas, validas declarauit.

Profectò salubriùs quàm Romanistæ quidam curiales omnes consectantur subtilitates, vt huiusmodi concursus subuertant, quo via aperiatur Romipetis, qui annatas augeant, quæ, damnatæ à Concilio Basiliensi, nec iterum à Tridentino stabilitæ, & in Belgio locum non habent, ob priuilegium, quo inferiora beneficia non censentur excedere 24. ducatos: qualia annatas non debent. Tamen vt admitterentur, præualere non debent illæ, nec expeditionum iura saluti animarum; quæ curatur per concursum; etiamsi non omnibus numeris aut apicibus absolutum: ideoque non admittendæ hic sunt illæ nullitates, quæ saluti animarum, legisque expresso hic fini repugnant. *l. non dubium. & ibi DD. C. de leg.*

10. Præsertim adstipulante consuetudine tot annorum post Concilium.

Quia ex ratione, & Synodi primæ prouincialis decreto natum est, vt vsus & consuetudo in concursu parochialium fuerit literalibus huiusmodi legibus soluta; rationis præscripto, fineque contenta: saltem in his partibus, vbi Synodi non annuæ, sed ratæ sunt ob temporum & locorum difficultates. Alioquin in apicum rigore vix hìc vlli concursus à multis annis essent validi, quod absurdum est, & contra sensum, & praxim communem.

11. Et locis his per tam longa bella turbatis.

Ex eademque ratione nata est declaratio quam refert Barbosa *in Collect. ad d. c.*18. in hæc verba; *prouisi de parochialibus non seruata forma Concilij ex eo quod ob varias difficultates non potuisset cogi Synodus, nec deputari examinatores Synodales non sunt remouendi, at danda est facultas Episcopo deputandi examinatores extra Synodum, illeq́; monendus & hortandus vt quanto citius conuocet Synodum eo meliori modo quo potest. Ita Aldan. d. tit.*9. *num.*40. *attestans sic fuisse decisum in Treuirens.*26. *Iunij* 1627. quæ declaratio, vicino Episcopatui Treuirensi concessa, moribus, & difficultatibus, & necessitatibus nostris accommoda magis hic recipienda est, & seruanda, quam aliæ Italico climati, & tranquillitati opportunæ.

12. Vbi Concilium prout sonat plano sensu receptum est.

Nec minus hæc considerauit Rex Catholicus inter Episcopum Atrebatensem & Abbatem S. Vedasti, cum ille interpretationes aliquas Romanas vrgeret, hìc verò textum Concilij planum esse, Conciliumque in plano & aperto suo sensu, nec aliter hic receptum allegaret, dum sententia 22. *Martij* 1589. lata Rex Concilij decretum *d. c.*18. §. *si verò*, obseruandum esse, prout sonat; & ab Abbate ad parochiales vacantes ex probatis electum, ab Episcopo instituendum iudicauit.

Quę sanè omnia in iudicio possessorio maximum momentum debent habere: scrupuli, si qui ex istis apicibus oriantur, reiiciendi sunt in iudicium petitorium: quod patitur moram huiusmodi subtilitatum enucleandarum.

13. Et aduersarius apostata Papæ obrepsit.

Nunc quod ad personam Romanistæ attinet, cum is ex Societate fugerit vt apostata, incapax est huiusmodi beneficij. *c. legi* 16. *q.* 1. *Rebuff. in prax. beneff. l.*2. *de disp. cum regul.* nam & apostasiæ crimen, & pœnas huiusmodi fugitiui incurrunt *ex Const. Greg. XIII. incip. ascendente.* §. *porrò. &* §. *quamuis in princ.* & cum habitum dimiserit, audiri eius de superioribus querelæ non debent, *Trid. s.*25. *de reg. c.*19. quæ facti infamia manet, vt etiam absoluto non pateant portæ dignitatum, seu huiusmodi curatorum parochialium beneficiorum. *l. palam in fin. D. de rit. nupt. l. senatoris eod. c. infames.* 3. *q.*8. *c. omnes* 6. *q.* 1. *l.* 2. *C. de dignit. l.* 12. *l. reos C. de reis post l.*10.

CONSVLTATIO II.

De deputatione Vicariorum in parochialibus vnitis citra concursum.

PArochus ratione sui beneficij omnia iura tam authoritatiua seu honorifica, quam vtilia, vt sunt oblationes, & decimæ per districtum suæ parochiæ habet sibi competentia. Quod si porrò intra ambitum parochiæ suæ ob illius latitudinem aut multitudinem populi noua Ecclesia ædificetur, ibique sacerdos constituatur, cum congrua portio-

portione; partem verò iurium, oblationum aut decimarum sibi prior parochus reseruat, non est secundus ille in suo districtu parochus; ex proprietate sermonis, sed Vicarius, manetque alter parochus primitiuus, qui plerumque vulgò patronus Ecclesiasticus nominatur. Id quod maximè obtinere solet in dignitatibus & collegiis Ecclesiasticis, quibus in dotem maximè olim altaria, atque Ecclesiæ parochiales assignari, vel vniri consueuerunt, quo titulo vel de suis collegis aliquem sacerdotem, vel alium constituere solent, qui parochialia munera subeat, percepta ex prouentibus parochialibus portione competente, reliquis autem dignitati aut collegio relictis: & qui sic constituuntur procul dubio sunt Vicarij, alij autem primitiui pastores: tametsi vulgari sermone, & ab exercitio pastores dicantur. *vt hæc constant ex c.7.s.7.c.16.s.25.Concil.Trid.& c.ad audientiam.X.de Eccles. edif. aliisq́ iuris communis locis mox citandis.*

1. Vbi titulus alteri est vnitus alteri curæ exercitium commissum ille parochus, hic Vicarius est.

2. Et hic Iure ab illo deputatur.

Eo præmisso, diserto Iure decisum est deputationem Vicariorum pastoralium ab iis fieri, qui Ius ipsum Ecclesiæ possident. *c.extirpandæ.§.qui verò c.de mon.de præb. c.vnic.de cap. monach.in 6.Clem.1.de Iur.patronat.Concil.Trid. s.23.c.1.5. eadem.* Quoniam verò à Iure antiquo recedendum non est, nisi quatenus expressè noua constitutione recedi iubetur; *l. præcip.C.de appel.* sequitur concursum in parochialibus Ecclesiis vacantibus per Conc. *Trid. s.24.c.*18. præscriptum in Vicariis locum non habere: quoniam non de iis sed de rectoribus Ecclesiarum disertè statuit: vacare has dicit; nunquam vacant vnitæ: in vacantibus Vicarios constitui Iubet; Vicarij Vicarios non habent: *c.cleric.X.de off.Vicar.* de rectore prouideri Ecclesiæ dicit, hic tantùm deputantur Vicarij, cum illi quibus vnio facta est ipsi rectores sint: conferri ibi parochiales Ecclesiæ dicuntur; denique totus concilij contextus sonat ea, quæ accidunt in prouisione ipsius tituli Ecclesiæ parochialis, non in subrogatione Vicarij.

3. Nec in iuris mutatione quæ de parochis præscribuntur vt concursus in Vicariis obtinent.

4. Deputantur ergo à parochis primitiuis non per concursum constituuntur.

Hanc sententiam asserit Garzias *de benef.p.* 9.*c.*2.§.2.*n.*289. *vbi diuersas Cardinalium Concil. Trid. interpretum declarationes negantes in Vicariis præscribi concursum citat (habetur & alia in impreßione Coloniæ an.*1620. *ad d.c.*18.) *Breue item Sixti V. & constitutionem Pij V. (quam etiam habet Quaranta in summa Bullarij verb.Vicarius perpetuus.Pias.pr.ep.p.2.c.5.n.17.) Azor Inst.mor.p.2.lib.6.c.29.q.3. & Gonzal.ad reg.*8. *Canc.gl.*5.§.3. *n.*49. itidem negant in Vicariis etiam perpetuis obtinere concursum, quamuis id attribuat Gonzal. totum d.constitutioni Pij V. quasi posteriori & correctoriæ, sed ex supradictis non correctoria ea, sed conformis esse probatur Concilio, *vt melius sentit Garzias ibid.n.*292.

Sic & loquitur declaratio Cardinalium citata à Zerola *p.*2. *verb. Vicarius.* §. 7. *sed nulla clarius, quàm illa quas citat Garzias num.* 294.295.

Quamquam secundum Garziam *n.*300.301. quando vnio non est ipsius tituli, sed tantùm bonorum, decimarum, &c. Quando is cui bonorum vnio fit, nullum Ius in beneficio retinet, nullámue in Ecclesia auctoritatem, tunc cui facta est vnio, non fit Rector aut primitiuus pastor, sed sacerdos in ea Ecclesia constitutus, actu & habitu est rector, & is, cui talis facta est vnio prouentuum, vtilitatem possidet instar prædij, non autem tituli spiritualis; & tunc secus est dicendum.

5. Nisi cui non titulus sed bona tantù sunt vnita.

Quemadmodum qui sub patronatu est, verus omnino Rector est, nec potest patronus administrationi illius se immiscere: *c.nouerunt.*10.*q.*1.*c.præterea.X.de Iur. patronat.Trid. s.*24.*c.*3. qui vnitam habeat parochiam rector est; alter Vicarius & minister: maior hic nexus est; maior authoritas: cui quo minùs derogetur, & concordia à dependentia fulciatur; mirandum non est, si non æquè in vnitis atque patronatui subiectis Ecclesiis concursum præscripserit Concilium Trid.

6. Aut patronus propriè tantum est.

Quod verò obiici potest, quod à Iure dispositata in pastoratibus locum habeant in Vicariis eorum; ad ea pertinet, quæ personarum capacitatem, ætatem, ordines, residentiam, pluralitatem respiciunt; eoque pertinent canones id innuentes, non ad illa, quæ respiciunt ipsorum constitutionem, quatenus alios concernit; id est patronos ipsos, collatores, &c. vel eos quibus Ius ministros subrogandi, & vices demandandi competit. Dicitur tamen Concilium Brabantiæ nuper pro concursu iudicasse inter Archiepiscopum Mechlin. & Capitulum Niuellense.

7. Nec semper quæ in parochis eadem in Vicariis obtinent.

De temporibus ordinationum.

CONSVLTATIO I.

Quæ illa?

ORdinationes statutis à iure temporibus celebrari mandat Concil. Trid. *s.*23.*c.* 8. statuta à iure tempora sunt sabbatha quatuor temporum; sabbathum sanctum, & pridianum Dominicæ de Passione. *c.quod die & c. fin.*75. *dist.* minores tamen ordines etiam qualibet Dominicâ, aut festiua die dari permittit textus *in c.de eo de tempor.ordinat.*vij & dominicam diem canones constituerunt consecrationi Episcopi. *c.qui in aliquo* 51.*dist.c. ordinationes c.quod die* 75.*dist.* sed Castal. *in prax. ceremonial.lib.*10. *sect.*10.*c.*3.*n.*1. etiam festiuum diem admittit, si Papa dispensauerit; de quo non est dubitandum; sed de eo, an citra dispensationem, festiuus dies dominici priuilegium obtinuerit? quod vsurpari quidem vidi, & rationem habere potest ex eo, quod diximus de minoribus ordinibus, cum nec Episcopatus alius sit ordo à presbyteratu; sed prærogatiua ordinis, seu superior gradus ord. Hierarchici, quæ supergreditur presbyteratũ, & cui competat Sacramentũ Confirmationis con-

conferre; ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere; quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis Presbyteri nullam habeant. *Concil. Trid. s. 23. can. 7.*

Et quamuis Rebuffus, *aliiq; citati à Barbos. in Collect. ad Concil. Trid. s. 23. c. 8. num. 2. per c. 2. de tempor. ordinat.* quod admodum rigidè
2. An feriæ sextæ quatuor temporum, saltem per consuetudinem?
loquitur, negent consuetudine induci posse vt aliis temporibus ordinationes permittantur; tamen his in locis obtinuit vt feriis sextis quatuor temporum etiam minores ordines conferantur. & d. c. 2. vbi consuetudinem improbat, loquitur de sacris ordinibus. Et quod Barbosa *ibid. n. 9.* feria sexta vesperi, quasi incepto iam sabbatho, minores posse dari asserat; ea computatio non admodum videtur placere c. litteras 13. *X. de tempor. ord.* & minus decet, quàm si ex consuetudine mane ieiunis & à ieiunis conferantur; coagulata quasi feriâ sextâ, & sabbatho per continuationem ieiunij. Qui vsus hic immemorialis vicem, viresque priuilegij obtinet.

3. An priuilegia regularium sublata de ordinando extra tempora?
Porro priuilegio Pontificum extra tempora ordinari potuerunt olim plerique regulares. quod *d. c. 8.* sublatum videtur, nisi quod Clemens VIII. & Paulus V. videantur illud confirmasse in Minoribus, quod in aliis non videbitur inferri ex generalibus confirmationum verbis: & propterea Gregorius XIII. illud de nouo concessit Societati Iesu. & quamquam communicationem priuilegij alij mendicantes prætendant; nescio an ratio missionum, &c. in aliis tam promiscuè admittat, vt mihi huiusmodi communicationes non facilè probantur, in quibus ratio illorum non est communis.

4. Quid de tonsura?
Tonsuræ autem non est præscriptus dies. ideoque die etiam non festo eam conferri vsus recepit. Et in *c. de eo. X. de temp. ord.* de minoribus ordinibus respondetur diebus dominicis & festis conferri posse; tonsuræ omissa mentione: vsusque ex eo traxisse rationem videri potest, quod plerique tonsuram negent ordinem esse: alioquin cum dicuntur præscripta ordinationum tempora, ea generalitas non videretur tonsuram comprehendere.

5. Qui hîc dies festi?
Festi autem dies; eos significant, qui à populo celebrantur; non eos qui tantum Ecclesiastico officio celebriùs coluntur. Et sic sonat stylus Curiæ Romanæ dum quis dispensatur, vt extra tempora ordinetur.

6. Vno die nô plures sacri, sed minores suscipi possunt per cô-suetudinem. & an citra exigentiam Ecclesiæ?
In eo etiam sacri & minores ordines differunt, quod duo sacri eodem die, etiam regularibus non conferantur; nullo priuilegio aut indulto obstante, *d. c. 13. s. 23.* ne quidem quasi continuato ieiunio. *d. c. litteras.* Minores autem quamuis Tridentinum *ibidem. c. 11.* per temporum interstitia velit conferri; excipit tamen *nisi aliud*, inquit, *Episcopo expedire magis videretur*: vtique pro Ecclesiæ seruitio; quod accelerandum sit, aut simili ex causa: quod contextus vlterior ibidem satis innuit; non tantum pro commoditate ordinantis; quamuis etiam consuetudo hîc sit sine causæ inquisitione plures ordines minores eodem die conferre; quæ non reprobatur: etsi non minores & subdiaconatum: quæ & alicubi esse videtur, atque ab aliquibus defenditur, ab aliis oppugnatur. *vt in collect. Barbos. ad d. c. 13. n. 9. & 10.* & sanè etsi verba *d. c. 13.* priuilegia atque indulta tantum excludant, mentem tamen ex iis, quæ *ibid. & c. 11.* proponuntur, satis crediderim esse, ne huiusmodi consuetudo ex facto admittatur. 7.

Temporum porro interstitia *d. c. 11. & 13.* inter ordines etiam exigunt, nisi aliud Episcopi proprij, seu Capituli Sede vacante, quo casu dimissorias iuxta *c. 10. s. 7. Trid.* dare potest, non ordinantis iudicio visum erit. eaque non mathematicè accipiuntur; sed Ecclesiasticè: vt scilicet annus computetur, prout ordinationum tempora recurrunt, & si numerus hebdomadarum; dierumúe expletus non sit. Et loquuntur ea decreta indistinctè in regularibus & sæcularibus: superiorum tamen regularium de necessitate aut vtilitate domus suæ testificationi facilè iudicium suum Episcopum debere conformare. eumque scienter ordinantem, censeri dispensasse; necessitatem porro & vtilitatem moraliter accipiendam ac benignè; non ea seueritate, qua cum agitur de rebus Ecclesiæ alienandis, aliisque causis publicis, atque odiosis: quin nec interstitiis non seruatis irrepentem censuram vllam incurrere; vel etiam ordinantem illum, cuius dimissoriæ eam dispensationem non continent, tradunt *citati à Barbos. in collect. ad d. c. 13. & 14.*

Interstitia seruanda & secundum computum Ecclesiasticum: nisi superior ordinandi dispésarit, qui in regularium iudiciû suorum superiorum facilè recipere debet.

De ætate, qualitate.

CONSULTATIO I.

Quis bigamus?

SErmonis proprietate Bigamus est solum vir, qui duas habuit vxores: interpretatione bigamia ad plures species est extensa, quoad effectum irregularitatis; vt ad illum qui duxerit viduam à priori viro cognitam, quod ex communi sententia etiam extensum ad corruptam extra matrimonium: denique ad illum qui virginem quidem duxerit; sed post adulteratam iterum cognouit. *Vt hæc latè demonstrat. Couuar. p. 1. Relectionis Clementinæ si furiosus de homicid. §. 2. de Bigamis & Neophytis, Cucchus in instit. maior. lib. 4. tit. 12. de his qui ad ordines n. 153. & multis seqq.*

1. Porrò quamuis de simpliciter corrupta dubitari possit, cur magis virum bigamum efficiat, quam plures etiam concubinæ à marito habitæ: & si eius rationem ex D. Thoma allegat Couar. *vbi sup. n. 3.* & hac in quæstione Borgasium Cucchus tradat *n. 157.* consilij sui non admodum certum fuisse: tamen minus dubij habet hic casus, vbi non simpliciter vxor fuit corrupta; sed sub scemate matri-

Qui corruptam simpliciter, eoque magis quæ sub specie matrimonij quãuis irrite duxit non potest ordinari.

matrimonij pluribus copulata; primo quidem nulliter attentato matrimonio contra decretum Concilij Tridentini *c.1.de reformat. matrim. s.24.* secundo autem legitimè contracto. *non refert enim quoad irregularitatem ex bigamia contrahendam*, inquit Couar. *nu.2. quod matrimonium sit iure validum vel nullum : satis equidem est ipse coniugalis affectus. quemadmodum probatur in c. vlt. & c.nuper de bigamis. ex quibus DD. ibi & in dist.27.4.sentent. ita planè frequentissimo omnium consensu annotarunt. Idem probatur ex canone 19. Apost.si eius ratio consideretur.* Ita Couuar. & textus ipse *in d. c. nuper & d.c.fin.* amplè dicit in matrimoniis contrahendis non iuris effectum, sed animi destinationem attendi; & cum eis, qui nulliter mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum bigamis,non licere dispensari, *licet*, inquit d. c. nuper *in veritate Bigami non existant;non propter sacramenti defectum; sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.*

2. Faciliùs tamen dispensatur quàm qui verè viduam duxit.

Itaque is maritus ex horum authorum sententia ad ordines non potest accedere : facilior tamen illius dispensatio esse debet, quam eius qui veram viduam duxit : præsertim cum sine crimine incestus,aut adulterij,aliouè impedimento attentatum sit prius ab illa matrimonium. Circa quod in forma tantum contractus, & contra Concilij decretum illam ad sic contrahendum inhabilitans, est peccatum; & verè tantùm habenda est , sicut simpliciter corrupta ob matrimonij nullitatem; nisi quod affectus coniugalis possit considerari : qui tamen hîc æquipollere non videtur solus cum eo , qui simul cum vero effectu matrimonij concurrit.

CONSVLTATIO II.

Tonsura an sub nomine Ordinum comprehendatur?

1. Capitulum quando dimissorias dare non potest, testimoniales potest.

AB alieno Episcopo nemo ordinari debet. *Trid.sess.6.c.5.sess.14 c.2.sess.23.c.* 8. & vix iuuat rescriptum aut priuilegium *d. c.2.* & *c.8.* nisi proprij ordinarij testimonium accedat, quo vita & mores ordinandi probentur. Vnde ordinarij iudicium fugientibus priuilegium non succurrit : poterit tamen vtile esse, si vacante sede priuilegiatus desideret ordinari, quamuis enim Capitulum intra annum dimissorias dare non possit , *Trid.sess.7.c.*10. testimoniales tamen dare non prohibetur : sed & tunc in eo ordinarij vices, & nomen subit.

2. Dimissoriæ ad omnes ordines comprehendunt tonsuram.

Porrò si priuilegium facultatem facit ab alieno Episcopo omnes ordines suscipiendi, etiam sacros; quæsitum est an clericalis character comprehensus censeatur ? & quanquam inter Theologos , & canonistas controuertatur , tonsura an ordo sit ? tamen in tali priuilegio existimem comprehensam Quanquam enim strictè sit interpretandum; tamen voluntatis quæstionem admittit ; vt minus censeatur voluisse, qui maius : & qui omnes ordines dixerit, etiam tonsuram : quæ vel ordo est, vel eò sic tendit ; vt qui ordines velit , etiam illud velle censeatur, per quod ad illos venitur. Denique sermo communis etiam tonsuram inter ordines appellat. & *c. cum contingat. X. de ætat. & qual. præfic.* & sic modus loquendi in decretis & priuilegijs intelligendus secundùm Iuris accipiendi modum. *c. causam. X. de rescript.* & personæ loquentis *l.in eo.33.D.de acq.rer.dom.l. nummis. 75.D.de leg.3.*

Ex aduerso dum Trid. *d.s.7.c.10.* vetat dimissorias ordinandis dari an etiam tonsurandos comprehendat? vt iis Capitulum gratificari non possit?&,cum illud *cap.10.*sit prioris iuris correctiuum, videretur esse continendum in proprietate sermonis; quo sub ordine non videretur tonsura comprehensa , & iuxta hanc sententiam videntur aliquando decidisse Cardinales Interp. tamen dum id authenticè non constat ; & Concilium graues censuras minatur , ac tutior in dubio via sit eligenda;& ratio inhibitionis nō secus in tonsurandis,quàm aliter ordinandis videatur obtinere, ne videlicet sede vacante quid non necessarium nouetur,reuerentiæ illud successoris (vnde non rectè ordinatorum,absolutio *ibid.in fin.*successori reseruatur) & luctui viduatæ Ecclesiæ tribuatur ; memini viros doctos primo anno dimissorias ad tonsurā negasse etiam iis, quibus beneficia aliqua parata erant , tametsi *d.c.10.*dari dimissorias ordinandis ratione beneficij recepti aut recipiendi arctatis, permittat ; quasi ordinandorum nomen tonsurandos non comprehendat in ea arctatione. Attamen verius videtur conformem debere esse vocis acceptionem ; & sic tonsuram sub ordine tam in regula prohibitoria,quàm exceptione arctationis,comprehendere vel excludere : si comprehendat ; posse arctato recipiendi beneficij occasione dimissorias concedi; quod & æquitas iuuat, quò minus innoxio præiudicetur : si non comprehendat tonsurandum regula; non habet opus beneficio exceptionis , ac semper potest charactere clericali insigniri. Sanè d.c.2. s.14.Trid. disertè de tonsura,vt de ordinibus, statuit, *& d.c.cum contingat.* 3. Dimissoriæ ordinandis dari à Capitulo vetitę an tonsurandos comprehendant?

CONSULTATIO III.

An superior regularis suos ad alienum Episcopum mittere possit, præsertim ex decreto Clementis VIII?

ALienę diœceseos clericum nullus Episcopus sine proprij consensu potest ordinare.*c.eos.c.cū nullus de temp.ord.in.6.Trid s.23.c.8.s.6.c.5.s.14.c.2.& 3.* alienus autem est quē neque origo, seu natiuitas, neque domicilium, 1. Quisque à suo Episcopo est ordinandus etiā exempti regulares.

neque

neque beneficium facit subiectum, *d. c. cum nullus*, id quod etiam in religiosis obtinere dicitur, *ibidem* §. *inferiores.* & §. *religiosi.* vt Prælati Episcopis inferiores suos religiosos non possint ad alios dimittere, nisi eis à Sede Apostolica id specialiter sit indultum (adeò vt generalis exemptio ad id non sufficiat) & religiosi etiam in non exemptis prioratibus deputati, à locorum illorum diœcesanis ratione habitationis ibidem fixæ, possint ordinari, licet non sint de eorũ diœcesibus oriundi. Vnde ad hoc verbum glossa religiosos, ratione originis, ab Episcopo originis posse ordinari rectè tradit; seu, quod idem est, rectè consensum dare posse Ordinariũ Originis, vt religiosus ab alio ordinetur; singula enim illa, natiuitas, domicilium, aut beneficium ordinandi, seu dimittendi, potestatem tribuunt. *d. c. cùm nullus & ibidem omnes scribentes. Coninck d. 20. de sac. ord. dub. 9. ad fin. Hurtado tract. de ordine difficult. 17. Sanchez de matrim lib. 3. disp. 23. Quarant. in Bullar. V. Ordo. Barbos. de off. & potest. Episc. p. 2. alleg. 4. Bonacina de sacr. ord. punc. 4. n. 8. 13. 14. 20. in edit. 2. Less. lib. 2. de Iust. c. 34. dub. 19. n. 92. Azor. Instit. moral. tom. 2. lib. 3. c. 48. q. 3. c. 49. q. 2. Filliucius tract. 9. de sacram. ord. c. 5. q. 6. Riccius decis. 249. & seqq.*

2. Etiam Episcopus originis aditur hodie.

Et quamquam non sit admodùm in vsu, vt ab Episcopo originis ordines accipiantur, dum quis alibi domicilium, aut beneficium babet; eo fortè quod mores alibi tunc melius sint noti, & Episcopo originis fortè ignoti; ob quam causam Concilium Trident. *s. 23. c. 8.* noluit ab alieno ordines dari in vim indulti ab aliquo obtenti, nisi illius mores Ordinarij testimonio commendentur: tamen neque dici potest *d. c. cum nullus.* omnino per contrarium vsum esse abrogatum: cum & Ordinarius Originis subditi sui alibi habitantis, seu beneficium possidentis per aliorum testimonium, regularis, aut sæcularis superioris Episcopo inferioris, de vita, moribus, & merito ordinandi, instrui possit, ordinare, & dimittere. neque verò canones per non vsum abrogati censentur; qui multis sæpe omittitur ex causis; sed demum per vsum contrarium.

3. Nec id vetat decretum Clem. VIII.

At verò obiicitur decretũ Clementis VIII. quod refert Piacesius *in prax. Episcopal. c. 1. nu. 14. Quarant. vbi supra V. Ordo sub fin. posse superiores regulares suis dimissorias concedere, sed ad Episcopum diœcesanum dumtaxat: nempe,* inquit, *illius monasterij, in cuius familia ab iis ad quos pertinet, ordinandus regularis positus fuerit: nisi tamen diœcesanus abfuerit, vel non sit habiturus ordinationes:* vnde inferri videtur non posse dimitti regularem ad Episcopum Originis à regulari superiori.

Sed verò non facilè ambiguis verbis, sed claris & expressis leges & canones sunt mutandi: alioquin quod sic non mutatur, stare non censetur prohibitum. *l. sancimus. C. de testam. & simil.*

Porro decretum illud subobscurum atque ambiguum videtur, eo quod desit propositio S. Congregationi Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum exhibita; ad quam Congregatio Concilij censuit; vt illa sub eo verbo incipere proponitur.

Obscuritas etiam atque ambiguitas illius decreti, responsi, seu censuræ ex eo patet; quod videatur dicere generaliter superiores regulares posse suis dimissorias concedere: vnde aliqui aduersùs *d. c. cum nullus, §. inferiores* contendunt eo decreto permissum; vt omnes generatim exempti, seu non exempti, seu quibus speciale priuilegium non est indultum ab alieno Episcopo Ordines accipiendi, possint à regularibus superioribus dimitti ad omnes, proprio absente, aut non ordinante.

Verum nec ambiguo sermone aduersùs canones veteres, & recentia Concilij Tridentini decreta, dicendum est omnibus regularibus datam facultatem alienos Episcopos adeundi. neque enim taliter canones abrogati, & priuilegia data censentur, præsertim aduersùs Concilium Tridentinum. *Sanchez de mat. lib. 3. d. 26. n. 7.* cuius vix vnum decretum hactenus vel expressa aliqua constitutione pontificia inuenitur abrogatum: & adeo reuerenter Sedis Apostolicæ stylus agit cum Concilio Tridentino, vt non soleat vnquam inter clausulas quas vocant *non obstantium* derogare Concilio Tridentino, quod tamen requireretur. *Sanchez d. n. 7.* 4.

4. Sed neque non exemptis facultatē vllo casu facit alienos adeundi.

Itaque quærendus est sensus propositi decreti ex aliis indiciis. Inter quæ considerandum est primò, quod detruncata sit, vt diximus, propositio S. Cong. exhibita: supplere ergo eam oportet ex præsumptione communiter accidentium (quod argumentum quàm validum sit multis tradit Euerard. *in loc. legal. loco à communiter accidentibus*) quoniam ergo vix in Italia supersunt Ordines, aut monasteria non exempta: exempti autem Ordines speciale indultum sibi vel obtinuerunt, vel priuilegio communicationis priuilegiorum (quod & in hac materia admittit Rodrigues *quæst. reg. tom. 1. q. 18. ar. 6.*) vsurparunt, vt dimitti possint ad alienum Episcopum ordinandi à superioribus regularibus; credendum est à talibus propositionem esse factam, ad quam secuta sit d. S. Congregationis Censura. 5.

5. Quod agit tantum de exemptis: quod vnde constet?

Priuilegium autem huiusmodi refert à Clemente IV. Minoribus concessum Rodrigues *tom. 3. reg. quæst. 24. ar. 1.* Itaque Congregationis censura ad amplitudinem huiusmodi priuilegiorum ex mente Concilij Tridentini restringendam pertinet, non ad illam augendam; multò minus ad priuilegium nouum tribuendum; idque paucis obscuris verbis, illis, qui nunquam tale habuerunt.

Secundum indicium est, quod d. S. Congregatio in fine pœnalem admodum subiungat clausulam priuationis officij, dignitatis, administrationis, vocis actiuæ & passiuæ ac alias: qui non est stylus concedendorum priuilegiorum.

Tertium item elicitur ex præfixo ibidem mandato Clementis VIII. *mandatur,* inquit, *omnibus & singulis quorumcumque regularium superio-*

superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant ea, quæ in decreto S. Congreg. Concilij Tridentini continentur, cuius tenor subiicitur, omnia verba sonant mandata, atque præcepta, nullum priuilegia, aut nouas facultates.

Quartum indicium est, quod decreti verba hinc inde semper alludant ad restrictionem facultatum per dicta priuilegia concessarum.

Siquidem d. priuilegium Clementis IV. Minoribus concedit vt promoueri possint per quoscumque catholicos Episcopos, communionem & gratiam Sedis Apostolicæ habentes: ergo hanc generalitatem reuocat d. decretum, vt non possint promoueri nisi per diœcesanum; illumque, non quemcumque, ad cuius diœcesim peregrinantes, transeuntes, nauigantes appulerint; sed diœcesanum illius monasterij, in cuius familia Regularis positus fuerit: quod alludit *ad d. §. religiosi*, qui vtitur his verbis, *à locorum diœcesanis quam diu morantur in ipsis prioratibus seu ipsis familiis*: ita vt quemadmodum *d. §. religiosi* permittit regulares ordinari à diœcesanis habitationis, & originis, vt ibidem subiungitur; sic & hoc decretum, quod ad eum §. alludit, non vetet religiosum ordinari ab Episcopo originis, sed neque permittat Minores, aliosque similiter priuilegiatos, ordinari hodie à diœcesano loci; sed eo tantùm, qui sit diœcesanus monasterij, in cuius familia regularis positus fuerit; seu firmiter ad superioris reuocationē residere iussus, id enim poni significat, scilicet possessionem sediū habere; habitare, residere; vt non possint à quocumque Episcopo, ad cuius loci monasterium delati fuerint, ordinari; nisi diœcesanus abfuerit, aut non sit ordinaturus.

6. Similiter idem priuilegium Clementis IV. Ordinationem à quocumque permittit, absque aliquo examine, per aditos Episcopos faciendo: decretum autem exigit, vt regulares ab Episcopo ordinante examinentur quoad doctrinam. quod conforme est Tridentino *s. 23. c. 15. & c. 8.* quippe regulares contendere solebant (vt videre est apud Rodrigues *tom. 3. q. 24. ar. 1. tom. 1. q. 18. ar. 6.*) non esse reuocata priuilegia ordines accipiendi à quocumque Episcopo, & sine præuio illius examine: quod tamen non admittit Tridentinum: quod vnumquemque diligenter examinatum à proprio Episcopo vult promoueri. *s. 23. c. 7. 8. & 12. regulares quoque*, inquit, *nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine, ordinentur: priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* Ad hæc omnia, inquam, alludit dictum decretum, vt & examen ex mente Tridentini requirat ab Episcopo ordinante faciendum, aduersùs priuilegia saltem quoad doctrinam, & idoneitatem: & generalitatem adeundi quēlibet Episcopum restringat ad Episcopū proprium seu diœcesanum, vbi regularis est positus: vt loquitur dictum decretum; seu sub quo moratur, vt loquitur d. §. religiosi; non quocumque appulerit, diuerterit, adnauigarit: ex ratione legis *hæres absens. §. nunquid. D. de iudic.*

Examen hodie subit ordinantis quicumque etiam regularis priuilegiatus aut exemptus.

7. At, inquies, loquitur Decretum indefinitè, superiores regulares suis regularibus posse dimissorias concedere, & in iure dicitur indefinita oratio æquipollere vniuersali: verum id obtinet, vbi non apparet dispar in aliquibus ratio; sed hic cum ius distinguit in d. §. *inferiores* inter eos, qui habent speciale indultum promouendi à quolibet Episcopo, & eos, qui non habent; vtique distinguere nos oportet: idemque decretum secundùm prioris iuris sensum distinctionemque accipere, & correctionem iuris non admittere; vel facultatem facere aduersùs clari iuris prohibitionem, vt quispiam ab alieno Episcopo ordinetur, qui non habuerit speciale indultum. *iuxta d. §. inferiores.*

Cur hoc in decreto indefinita non æquipolleat vniuersali?

Atque ita concludimus regularem etiam hodie posse ab Episcopo originis ordinari, nec id à Concilio Trid. prohiberi, neque à supradicto decreto, neque vsu contrario hîc abrogatum esse; sed neque eos, quibus speciale indultum non est concessum promouendi à quolibet alieno Episcopo, in vim eiusdem decreti posse promoueri: ne quidem si proprius sit abfuturus, aut non ordinaturus.

8. Quod porrò insuper quæritur, an is qui diuersos habet Ordinarios, ex causa originis, domicilij, & beneficij, adeoque optionem quemlibet adeundi, si ab vno illorum aliquem ordinem acceperit, ea quasi optione facta ius omne consumpsisse censendus sit; an verò integra sit adhuc ei facultas pro reliquis ordinibus, alium adeundi? Barbosa quidem *vbi supra ex Molfesio in summa Theologia moralis tract. 2. c. 2. n. 10. Bonacina vbi supra n. 20. Achilles grassis de pens. decis. 13. Riccius in prax. decis. 306. Quaranta V. Ordo*, censent sic eligentem variare non posse.

An qui vnos ordines accepit ab Episcopo originis possit variare, & alios accipere ab Episcopo beneficii aut domicilij?

Verùm argumenta quæ proponit Riccius *decis. 306.* satis cōuincunt contrarium: & solutio, quam ad finem proponit, valde est insufficiens: præsertim quia hîc variatio non contingit circa vnum, & idem subiectum, sed respectu diuersorum, quoniam ordo susceptus. v. g. diaconatus distat à suscipiendo v. g. sacerdotij, itaque vt exclusa sit variatio quoad vnū, qui & natura irrepetibilis est; nihil vetat quoad alterum variare; & alterum Episcopum adire: si quidem nullus id iuris textus prohibet: & regula est, vt iure permissum censeatur, quod non inuenitur prohibitum, eò magis quod in iure expressa sit concessio, vt adire liceat quemcumque lubeat, originis, domicilij, aut beneficij Episcopum; neq; hæc exceptio adiiciatur; neque verò vllibi decernatur, quod per aditionem vnius Episcopi, alter fiat alienus, seu non proprius: Ordinationis autem legitimæ causa efficiens est propria ex vna trium causarum, originis, domicilij, beneficij, iurisdictio Ordinantis in ordinandum: qua manente, manet legitima possibilitas effectus, neque pactis aut factis priuatorum manente causa potest ea legalis possibilitas tolli. Et verò *in*

l. 2. 3.

*l.2.3.4.5.& 20.D.de opt.legat.*optione quidem semel facta omne ius consumitur; sed vnius rei eligendæ: non omnibus autem exhibitis, quoad non exhibita, integra manet optio: *d.l.4.* & rationem assignat *d. l. 20.* huius iuris, cur voluntatem optans mutare non possit; quia omne *Ius prima*, inquit, *testatione consumpsit, quoniam res continuò eius fuit simul ac se dixerit eam sumere*: itaque quoniam non eadem ratio in casu nostro obtinet; aditione vnius Episcopi non tolletur facultas à iure concessa pro alio ordine alium adeundi, quem alioquin ius adire permiserit.

CONSVLTATIO IV.

Abbates quos ordines conferant?

I. Abbates sacerdotes & benedicti suis conferunt tonsuram.

ABbates sacerdotes & benedictos suis regularibus conferre posse tonsuram clericalem certi iuris est: *cap.quoniam. dist.69. c.cum contingat. X. de atat. & qualitat. ord.* sed & lectoratum: *ex d. c. quoniam d. c. cum*: & ostiariatum: *gloss. in d. c. quoniam verb.lectoris.* Quod videtur probari argumento à minori: vt si liceat superiorem ordinem conferre,

2. Lectoratum.

quod minus videtur apparens, liceat inferiorem, quod magis licitum appareat; quod argumentum à minori ad maius validissimum in iure est. *Euerard. in loc. legal. loc. à minor.*

3. An Exorcistatum, & Acolytatū?

sed an conferre possit exorcistatum, & acolytatum, non æquè constat: dum alij affirmant, alij negant. *vt patet in gloss. 2. d. cap. quoniam.* Nec in iure textus est, qui hoc disertè concedat; sed tantùm ex priuilegio competere id posse negatiuæ opinionis authores contendunt. Quomodo etiam *cap. Abbates. de priuil. in 6.* dicit Abbates suis tantùm regularibus, & in quos iurisdictionem quasi Episcopalem habent, tonsuram clericalem conferre posse, *nisi aliud eis competat ex pleno Sedis Apostolicæ indulto.* Quale quidam quasi ex priuilegio ordinario concessum volunt illis Abbatibus, quibus concessus est vsus pedi, & mitræ, vnde & Concil. Trid. *s. 23. c.10.* dum non quidem concedit Abbatibus etiam exemptis facultatem conferendi omnes minores Ordines; sed concessam restringit ad proprios Abbatum subditos regulares; addit, *non obstantibus priuilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus*: & *dist. 23.* vbi disquiritur qualiter quisque debeat ordinari, de presbytero, *c. 8.* de diacono *c. 11.* de subdiacono, *c. 15.* de acolyto, *c. 16.* de exorcista, *c. 17.* de lectore, *c.18.* de ostiario, *c. 19.* traditur, vt ab Episcopo omnes ordinentur: psal-

4. Psalmistatum.

mistam autem *c. 20.* sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi ait: vnde *gloss. in d. c. quoniam.* idem posse tradit Abbatem, si sit sacerdos. Sed animaduertendum est omnia priora cc. de aliis vti hoc verbo, *cum ordinantur*; de psalmista autem; his verbis, *officium suscipere cantandi*: quasi indicet psalmistatum non esse ordinem, sed officium. Vnde & fortè nata est controuersia, quam decidit d. c. cum *contingat*, an tonsura, quam faciunt Abbates, spectaret ad characterem clericalem, an ad ceremoniam tantùm monasticam? quomodo & fœminæ regulares tondentur, siue capilli eis præscinduntur, & respondet ibi Pontifex à talibus Abbatibus clericalem ordinem conferri. & Barbosa *in collect.ad d.c.10. s.23. Trid.* satis videtur agnoscere differentiam inter Abbates habentes vsum pedi & mitræ, & non habentes; tametsi indistinctè *n. 8.* ex aliis tantùm tria requirat in Abbate, vt minores ordines possit conferre; 1. vt sit sacerdos, 2. vt sit benedictus, 3. vt suis regularibus. Sed Cucchus *instit. maior. lib. 4. tit. 12. n. 54. & seqq.* disertè distinguit, vt Abbates mitrati exemptorum monasteriorum omnes minores ordines conferre possint; Abbates verò non exempti non possint nisi ostiariatum, & lectoratum: sed *n. 56. hodie tamen*, inquit, *videtur receptum, vt ordines minores omnes dare possint Abbates, & Priores monasteriorum exemptorum, & citat plures, & nominatim Syluestrum in Sum. V. ordo 3. q. 2. vbi idem Syluester plures, quos & Cucchus citat.* sed quod de Priore dicit Cucchus, praxi receptum nullibi comperi: quod de Abbate; multis omninò locis: sed mitrato. Adeoque credo vsum ferè generalem esse; tametsi iuris textus id ita disertè non astruant. Ideoque id asseri à Nauarro *de priuil. cons. 14. n.5.* ea causa generalibus terminis referri decisionem Cardinalium *apud Pias. in praxi.p.1.c.1.n.7.* his verbis; *Cong. censuit quod Abbas benedictus possit regularibus sibi subditis conferre primam tonsuram, & quatuor minores, ac etiam benedicere calices, & paramenta, sine vnctione olei sancti, nec non omnes benedictiones facere sine aliqua licentia.*

5. Vsus ferè generalis vt possit omnes minores conferre Abbas habens vsum pedi & mitræ.

Itaque præsupposito, quod abbatia P. authoritate Apostolica sit erecta, cum vsu pedi, & mitræ, insignibus & consuetis prærogatiuis etiam singulariter ordini Præmonstratensi competentibus, in quo video quosdam tonsuram & ordines minores conferre, existimem etiam Abbatem P. id posse præstare.

6. Noua Abbatia cum prærogatiuis & insignibus ordini competentibus adeò vtens pedo & mitra, habet per facultatem vt aliæ Ordinis.

De officio Archidiaconi.

CONSVLTATIO I.

Vt se hodie habeat?

AVthoritas Archidiaconorum, quæ de iure est ampla, explicaturque *tot. tit. de off. Archid. præsertimq̃, c. ad hæc eod.* & rectè enarratur à Cuccho *instit. maior. h.t. & à DD. passim eod.* à Concilio Tridentino non parùm est imminuta. *scilicet s.24.c.20. 5.ad hæc. s.25. c. 14. vers. supradict.* quæ disertè amplectitur Synodus prouincialis Mechliniensis prima *tit. de correct. c. vlt.* & quærit Zerola *in prax. V. Archid.*

1. Imminuta per Tridentinum authoritas.

V. Archid. an etiam per c.16.ſ.24. Trid. additque omninò multa per conſuetudinem eis eſſe abrogata, quæ per ius commune competant. Sed & ſ.24 c.3.§.Archidiaconi ſ.14.c.13.ſ. 24. c.18. nonnullam mutationem præ ſe ferunt.

2. Quoad cauſas matrimoniales & criminales.

Itaque hodie Archidiaconi, aliјque inferiores cognoſcere non poſſunt cauſas matrimoniales, aut criminales: quod diſertè ſtatuit d. §. adhac: ſed Epiſcopi ſoli ſuo examini & iuriſdictioni eas habent relictas: cum alioquin de iure iurgia audiant ſingulorum, paræciarum ſollicitudo, & ordinatio ad eos pertineat, cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem ſui Epiſcopi corrigant, & emendent: niſi adeò ardua fuerint negotia, quæ abſque maioris ſui præſentia nequeant terminari. c. 1. & 7. X. de off. Archid. & in d. c. 1. dicuntur vicarij Epiſcopi in omnibus; & in c. perlectis §. ſollicitudo diſt. 25. parochiarum ordinationi iurgiorum curam, adeoq; etiam laicorum, qui ſub nomine eccleſiarum & parochiarum veniunt, connectit. & hæc exceptio Tridentini, ſignificat regulam generalem fuiſſe in contrarium, atq; etiamnum vigere ſepoſitis iis, quæ excipiuntur.

3. Et has ſtrictè acceptas:

Enimuerò criminales cauſas, vt in legibus correctoriis, accipere oportet ſtrictè, vt non comprehendat correctorias, quæ tantùm pro emendatione exceſſuum proponuntur; ſed illas quæ ad punitionem, pœnasque ordinarias, legales, atque Canonicas. qua de re egimus in Iur. Pont. nou. anal. tit. de accuſ.

4. eodemque ſenſu concubinatus:

Secundùm quem ſenſum etiam Trid. ſ.25. c.14. verſ. ſupradictorumq́, etiam concubinatus cauſam epiſcopali iudicio reſeruat, ſcilicet quando agitur ad pœnas ibidem propoſitas; non verò ſi vel criminaliter non agatur; vel in rigore verbi non ſit concubinatus: ita vt fornicatio, & non aſſidua frequentatio, monitio etiam concubinarij ad Archidiaconi curam ſpectent; non autem rigoroſa d. c.14. punitio: ſed illa iam ſit redacta in ordinem arduorum negotiorum, quæ nequeunt ſine maioris præſentia terminari. d. c 7. nec excludatur Epiſcopus per monitiones aut correctiones Archidiaconi? vt in aliis caſibus d. Synodus Mechlinienſis decreuit. vbi ſupra.

5. Saluis concordatis & immemoriali conſuetudine:

Quin etiam d. §. adhac tantùm reiicit litis pendentiam: vt immemorialis conſuetudo contraria, & concordata pridem præſcripta non videantur eſſe reiecta: citati à Barboſ. in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. c.20. n. 57.58. vbi pluries ſic tradunt deciſum. Quoniam exceptio in cæteris firmat regulam; eſt autem regula, vt nulla lex immemoriali conſuetudini contrariæ, & antiquis concordatis cenſeatur derogare, niſi id expreſſerit. l. præcipimus. C. de appel. L. ſancimus. C. de teſtam.

6. Non abrogata vicaria Epiſcopi:

Porrò quod tradit Zerola in prax. V. Archidiaconus, quod per Trid. ſ. 24. c. 16. abrogata ſit Archidiacono perpetua Epiſcopi vicaria, & iuriſdictio ordinaria; erroneum eſt. Siquidem non eo vergit d. c. 16. ſed iuriſdictionem, quæ iure communi in totum Capitulum per mortem Epiſcopi transfertur, exerceri vult per vnum Officialem ſeu vicarium; temporalium adminiſtrationem per œconomum: nihil id ad Archidiaconum pertinet, qui nihilominus vicariam habet iuriſdictionem, aut ſubalternam, vt viuo Epiſcopo, ita Sede vacante: in vtroque caſu fungitur officio, quod nec eſt delegatum, nec morte exſpirat, 7.

7. Quæ eſt iuriſdictio ordinaria nec per mortem Epiſcopi exſpirat.

ſed ordinarium, iure magiſtratus ſeu dignitatis ſuæ competens. gloſ. in c. 1. de off. Archid. in V. vicariam. Cucchus vbi ſupra. num. 19. vbi ex Baldo vocat iuriſdictionem hanc ordinariam ſempiternam; ſed verius ſimpliciter Ordinariam, finibus tamen ſuis circumſcriptam: atque ita vt ad Epiſcopum ardua referre; ita Sede vacante ad Officialem ſeu Vicarium tenetur: in eoque differt eius vicaria authoritas ab authoritate vicaria Officialis: neque ſi in morbum incidat, remoueri poteſt, vt delegatus, ſed coadiutor ei dandus eſt: vt deciditur c. vlt. X de cler. agrot. & ex Nauarro conſ. 1. de cler. agrot. tradit Zerola prax. p. 2. h. t. §. 2. vnde vt ab Archidiacono ad Epiſcopum appellatur c. Romana de app. in 6. ita Sede vacante ad eum, quem Capitulum ſtatuit ad iuriſdictionem Epiſcopalem Sedis vacantis exercendam: cùm aliàs ab Officiali ſeu Vicario generaliter conſtituto non appelletur ad Epiſcopum: ſed Metropolitanum: quod vtriuſque ſit idem auditorium. d. c. Romana. vnde quidquid poteſt Archidiaconus viuo Epiſcopo, poteſt Sede vacante: nec ab antiquo iure receditur, niſi quatenus eſt expreſſum in nouo. d. l. præcipimus. vnde hæc vicarij ſeu Officialis electio facta à Capitulo Sede vacante, maioris non eſt energiæ, quàm facta ab Epiſcopo, quæ non tollit Archidiaconi ordinariam iuriſdictionem.

8. Manet authoritas examinis promouendorum ad ordines & beneficia. Etiam vbi in nouis Epiſcopatibus aliis id etiam incumbit.

Nec magis abrogata eſt authoritas Archidiaconi quoad examinationem clericorum ad ordines, aut beneficia promouendorum d. c. 7. ei tributa, quamuis ſ. 24. c. 18. Trid. examinatores ſingulis annis in diœceſana Synodo deſignari iubeantur, vt rectius Zerola, quàm in altera quæſtione tradit prax. p. 2. V. Archidiaconus. §. 1. quoniam nouæ iuriſdictionis erectio cumulatiuè cum priori facta cenſetur non priuatiuè ad illius abrogationem. l. 1. C. de off. præfect. vrb. ſed Trid. ſ.7. c.13. Epiſcopi examinationem requirit, quod d. c. adhac ad Archidiaconum reiecerat.

9. Et inſtitutio

Quod verò attinet ad inſtitutionem; non rectè etiam Zerola dicit eam iure competere Archidiacono, conſuetudine Epiſcopo: ſed verius eſt quod dicitur d. cap. 7. §. in quadam. quod iure inſtitutio corporalis competit Archidiacono; ſed quæ iuris & tituli eſt attributiua competit Epiſcopo: & pro hac obtinenda promouendus examinatur ab Archidiacono, & idoneus præſentatur Epiſcopo: quo inſtituente quo ad titulum, ſubſequenter Archidiaconus executiuè, & corporaliter inſtituit, & in poſſeſſionem mittit. d. §. in quadam c. cum ſatis X. de off. Archid. quod tamen nunc Archipresbyteris ruralibus plerumque committit.

Nec

Nec verò *c. licet Epiſcopus de prabend.* dicit id conſuetudine eſſe abrogatum; nec mentionem facit vllius conſuetudinis; ſed hæc eſt ſubſtantia illius *c. licet*; quod etſi Epiſcopus poſſit conferre beneficium vacans per adeptionem ſecundi incompatibilis, poſſeſſore irrequiſito; non tamen eo non vocato alterum in poſſeſſionem inducere corporalem; qui fortè ius habet retinendi; & poſſeſſio alicuius de facto turbari non poteſt. Vbi neque dicitur quod Epiſcopus per ſe, non per Archidiaconum voluerit mittere in poſſeſſionem corporalem, nec iure vetitum eſt ne Epiſcopus inſtitutionem per ſe faciat, quam ſolet committere Archidiacono; ſed in *d. c. cum ſatis.* nullius conſuetudinis prætextu poteſt Archidiaconus inſtitutionem, titulumúe curæ animarum dare; *vt & in c. nullus* 16. *q.* 7. *& c. cunctis fidelibus*, 16. *q.* 1.

10. Non tamen tituli attributiua de iure.

Sed è contrario multorum locorum conſuetudo habet, vt inſtitutio tituli attributiua etiam ad alios quàm Epiſcopos ſpectet; non tantùm in ſimplicibus beneficiis, ſed etiam curatis. *Trid. ſ.* 24. *c.* 18. §. *ſi verò. ſ.* 25. *c.* 9. §. *quod ſi ad inferiores. ſ.* 7. *c.* 13. ideoque gloſſa *in d. c. cum ſatis* excipit conſuetudinem in contrarium præſcriptam.

11. Sed immemoriali conſuetudine.

Neque verò omninò contrarium ſtatuit Conc. Trid. *ſ.* 14. *c.* 13. quod quidem ſi nuda verba reſpicimus ſubobſcurum eſt; ſed ſi cum aliis locis conferatur, non aduerſabitur rationi; quam ſi reſpicimus occurrit Cardinalium Concilij Interpretum declaratio quæ refertur his verbis; *Intelligendum eſt hoc decretum quoad examen dumtaxat ab Ordinario faciendum de perſona præſentati; ſecundum aliud decretum eiuſdem Concilij ſ.* 7. *cap.* 13. *non autem intelligendum vt cenſeatur ablata inſtitutio, quam idem Concilium voluit ſaluam eſſe omnibus Epiſcopo inferioribus, ad quos pertinet. Vt apparet ſ.* 25. *c.* 9. *verſ. quod ſi ad inferiores.* Et alia, quæ refertur his verbis; *vbi ex conſuetudine inſtitutio beneficiorum ad Archidiaconum ſpectat, velut in inferiori Germania, nihil eis per hoc decretum derogatum eſt: etiam ſi hoc illi faciant in Eccleſiis in quibus nihil ſtatutum eſt in eorum fundatione, dummodo tamen hoc aliàs eis legitimè conueniat, ita vt hoc non dependeat ab aliquo iure patronatus, quod decreto Concilij ſublatum ſit, & prout diſponitur. cap.* 13. *ſ.* 7. *cap.* 18. *ſ.* 24. *cap.* 9. *ſ.* 25. *de reformat.*

12. Quam non ſuſtulit. Concil. Trid.

Et verò *d. cap. cum ſatis* non ſimpliciter Archidiacono aufert inſtitutionem authoriſabilem tanquam incapaci; ſed ſine licentia & mandato ſui Epiſcopi: crediq́ue poteſt vbi eam nunc præſcripſerunt olim incœpiſſe à perpetua quadam licentia, & mandato Epiſcoporum; vel abſentium, vel latis diſtrictibus aliàs occupatorum. An autem ea quo ad iuris effectus, & nominatim Trid. *ſ.* 24. *c.* 18. §. *ſi verò iuris verſ. cum verò inſtitutio ab alio quàm Epiſcopo erit facienda*, differat ab illa quam facit Epiſcopus, tetigimus *in Iur. pont. nou. anal. de inſtitut. n.* 5. & ſanè *qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum. reg. Iur.* 72. *in* 6. vi perpetui mandati, & præſcriptæ exinde conſuetudinis per ſe facere videntur Epiſcopi, quod fit per Archidiaconos, qui in omnibus vices eorum agunt. *d. cap.* 1. *de off. Archid.* vnde quidam cenſuerunt iuriſdictionem Archidiaconi eſſe delegatam, & multa iura ad delegationem reflexerunt. *vt in gloſ. d. c. cum ſatis V. conſuetudinis.*

Quin etiam ſi verba *d. cap.* 13. *ſ.* 14. excutiamus, loquitur tantùm de patronis priuilegium prætexentibus: & vt *ſ.* 25. *c.* 9. omnes patronatus ex priuilegio dumtaxat competentes, exceptis iis qui ad ſublimes Principes vel Vniuerſitates ſtudiorum generalium pertinent, ſunt ſublati; ita etiam eiuſmodi priuilegium quo inſtitutio alteri, quàm ordinario loci tribuitur in gratiam patroni, cui illud ſit conceſſum, ne quis intrudatur minimè idoneus pro loci ratione: de qua reſpectiua loci idoneitate *in Iur. Pont. anal. de inſtit. n.* 1. 2. 3. & ob quam ab Ordinario loci examinari debent præſentati etiam ab Ordinariis aliorum locorum, vel Nuntiis Apoſtolicis. *d. cap.* 13. *ſ.* 7. *d. cap.* 9. *ſ.* 25. Non obſtante quocumque priuilegio aut conſuetudine etiam immemorabili præſcripta *d. c.* 13. *ſ.* 7. qua ratione conciliatur quidquid obſcuræ antinomiæ eſſe videtur in *d. cap.* 13. *ſ.* 14. vt quod nec Nuntiis Apoſtolicis, nec aliorum locorum ordinariis competit, nec patronis ſit conceſſum.

Viſitatio etiam totius diœceſis Archidiacono iniungitur, ſi Epiſcopus non poteſt, de tertio in tertium annum. *d. c.* 1. *X. de off. Archid.* ita tamen ne ſit grauis frequenti excurſu. Vnde non niſi ſemel in anno quamque parochiam viſitare poteſt. *c. mandamus X. eod.* niſi emerſerit cauſa ob quam oporteat ſæpius. *ibid. in fin.* vt *in c. venerabilis X. de cenſib.* Epiſcopus bis procuratur in anno, dum cauſa correctionis viſitauit. Sed Trident. *ſ.* 24. *c.* 3. *Archidiaconi*, inquit, *Decani, & alij inferiores in eccleſiis vbi hactenùs viſitationem exercere legitimè conſueuerunt, debeant quidem aſſumpto notario de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſe ipſos tantùm ibidem viſitare.* videtur ergo Archidiaconus & inferiores non poſſe viſitare, niſi de conſenſu Epiſcopi: at verò *d. c.* 1. Archidiacono viſitationem iniungit, ſi eam Epiſcopus non poteſt facere: ſi ergo declaret Epiſcopus ſe poſſe aut velle facere, iure ille non poteſt; ſaltem minimè eo diſſentiente, cuius vices gerit. 13. Et viſitatio manet vbi olim competiit.

Sciendum eſt tamen quandam Cardinalium interpretationem verba *de conſenſu Epiſcopi* referre ad aſſumendum notarium, non ad facultatem viſitandi, quod iuuat forma loquendi Concilij, *debeant*, inquit, *viſitare*; non autem, non poſſint, niſi de conſenſu: & fluxus ſermonis videtur recipere (comma) poſt verbum Epiſcopi, alioquin quod ſequitur verbum deinceps præponendum videretur, & ſic Concilium Atrebatenſe 1588. *tit. de viſitat. c.* 1. cum ibi ſit viſitatio eccleſiarum ab antiquo penes Archidiaconos, mandat vt viſitantes aſſumant notarium Epiſcopi. 14. An Epiſcopi conſenſus ad eam neceſſarius.

Et nihilominùs retento priori ſenſu, &

constructione quæ magis congruit cum verbis sequentibus vbi deputati à Capitulo ad visitandum ab Episcopo approbari iubentur: Id tamen accipiendum esset moraliter secundùm *cap. fin. X. de offic. Archipresbyt. non contendat*, inquit, *Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia, etsi valde idoneus sit, decet tamen vt sua onera partiatur.* Ita vt non semper, & præfractè dissentire possit, ne Archidiaconus visitet; sed arbitrio boni viri. Iuxta *l. fidei commissaria. 46. D. de fidei commiss. libert.* non enim intendit Concilium solicitudinem Archidiaconorum extinguere; sed vt omnia ordinatè fiant, & concorditer. Nam *vnus ædificans & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Ecclesiastici* 34. vnde & decernit *d. cap.* 3. ne inferiorum visitatio Episcopi visitationem impediat; & vt illi huic peractæ visitationis rationem reddant.

Quibus ex causis fortè concordatum, quod dicitur esse Cameraci olim inter Episcopum & Archidiaconos, qui ibi plures sunt, initum, non fuerit vndique rationabile; ne scilicet imposterum Archidiaconi visitarent; sed Decanus ruralis visitaret loco vtriusque, iuraque reciperet; & vt nunc per se istius loci Archiepiscopi visitant, non tantùm per Decanos; ita rationi magis congrueret, vt & Archidiaconi per se, *iuxta d. c.* 3. visitarent: quam quod Decanus loco vtriusque non visitantis iura reciperet.

15. Quæ authoritas in Decanos rurales?

Quæ concordia satis innuit Decanos rurales, quos *c. 1. X. de off. Archipresbyt.* Archidiacono subesse vult, ad Episcopum & Archidiaconum communem aliquem ibi habuisse respectum, *iuxta d. c. 7. §. fin. de off. Archid.* quod commune eorum officium Decanus exerceat, adeoque communiter sit eligendus, vel amouendus: sed hodie his in locis huiusmodi Decani vel Archipresbyteri à solis Episcopis constituuntur, iuxta Synodum prouincialem Mechliniensem primam *tit. de Decanis cap.* 3. vt & multa alia Archidiaconorum munia ad Archipresbyteros, & Sigilliferos per Synodos prouinciales, & diœcesanas, consuetudinemque inde secutã sunt translata: & in erectionibus nouorum Episcopatuum nonnulla sunt his vel illis dignitatibus attributa. Vt Antuerpiam Cameraco translatus est Archidiaconatus, qui olim illic fuerat Antuerpiensis districtus; ex quo & parte districtus Leodiensis, erecta est diœcesis Antuerpiensis; ita vt in illa curam iurisdictionalem exerceat Archidiaconus Antuerpiensis, qualem in vlla parte talis diœcesis ante alij Archidiaconi exercuerant. Cui conformis est clara iuris decisio, *in c.* 2. *in extrauag. Ioann. XXII. de Concess. præb.* Archipresbytero verò & Pœnitentiario Antuerpiensi data est per diœcesim Antuerpiensem cura animarum in foro conscientiæ. Nulla autem exclusiua est primæ, & principalis, seu Episcopalis curæ: *d. cap.* 3. *f.* 24. *Trid. d. c.* 7. *X. de off. Archid. in V. omnem solicitudinem & curam tam in clericis, quàm in ecclesiis, impendendo; cum super his sit redditurus rationem in districti examinis iudicio.* Quæ distinctio non parum facit ad quæstionem quam mouet glos. *in d. cap. cum satis in V. consuetudinis, & alij passim*, an Archidiaconi habeant curam animarum.

16. Quæ iura?

De iuribus autem Archidiaconalibus etiam Synodus prima Mechliniensis *tit. d. Sigill. c.* 1. 2. *&*. 4. ne titulo sigilli quidpiam accipiatur præter stipendium ibi taxatum, quod ad Trid. *f.* 24. *c.* 14. & constitutionem Pij V. *Incip. dudum. & c.* 2. *X. de excess. prælat. & quæ tetigimus in Iur. pont. nou. de instit. n.* 4. allidendum est. Quod vt vt se habet, vsus tamen mansit, vt certa iura accipiant secundum antiquas taxas, quæ plerumque leues sunt, non tantùm moderatæ: præsertim nunc attenta mutatione monetæ, ac vilitate pecuniæ, scientibus & annuentibus Episcopis.

17. Moderata procuratio.

Prout etiam moderata esse debet, vbi, seu quando visitant Archidiaconi, procuratio. *Trid. f.* 24. *c.* 3. *§. quæ vt*, quæ excedere non debet quinque vel septem saltem euectiones. *c.* 6. *X. de cens.* ita tamen vt qui paucioribus vti consueuerunt, eas non excedant. *§. sanè ibid.* imo nihil procurationis nomine accipiunt, si ita sit consuetum. *Trid. d. c.* 3. *§. in iis*, alioquin victualia recipit visitans, non pecuniam. *c. exigit de cens. in* 6. nisi volentibus visitatis. *c. felic. ibid.* quorum optioni id relinquitur. *Trid. d. c.* 3. *vers. si tamen.* alioquin Germaniæ Archidiaconi non vltra 50. turonenses argenti, quorum duodecim valent vnum florenum auri puri; salua conuentione vel consuetudine minore. *cap. vn. de cens. in extrauag. commun.* generaliter id statuendum est, vt moderata sit procuratio, modestus equitatus, famulatusque; cum celeri diligentia: ne vel mora visitatos grauet *d. c.* 3.

18. Conuentiones & consuetudines.

Denique vt multis aliis in rebus, ita & in officio Archidiaconi conuentiones & consuetudines multa variarunt. Vbi sunt Episcopi residentes, & angusti districtus Archidiaconorum authoritas nonnihil est imminuta; vt & in nouis episcopatibus Belgij. Vbi autem Episcopi plerumque sunt absentes, & temporales Principes, & latæ diœceses, admodum est Archidiaconorum potestas ampliata: vt in diœcesi Leodiensi patet per concordata inter Episcopos & Archidiaconos generaliter & Archidiaconum Brabantiæ specialiter inita. 24. *Septemb.* 1334. quæ referuntur in Statutorum Leodiensium modificationibus impressis Parisijs anno 1518. quæ vtique etiam nunc obtinere debent, quatenus canones Tridentini, aut nouæ hîc Erectiones non derogarint in iis locis? quæ ab episcopatu Leodiensi sunt præcisa. De practica etiam variorum Archidiaconorum potestate videatur Choppin. in sacra polit. l. 1. t. 8. n. 15. 16. 21. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 9. *Monast. l.* 2. *t.* 3. *n.* 19. *c. dudum* 54. *V. sed cum X. de elect.*

DE

De Officio Delegati.

CONSVLTATIO I.

De designatione Iudicum Synodalium.

IN delegandis Iudicibus requirit Bonifacius VIII. *in c. statutum de rescript. in 6.* vt sint in dignitate ecclesiastica, personatum obtineant, vel canonicatum cathedralem. Quod innouauit Concil. *Trid. s. 25. cap. 10.* adiecitque vt idonei in vnaquaque diœcesi nominatim designentur; saltem quatuor, in Conciliis prouincialibus aut diœcesanis; eorumque nomina Romam mittantur: vt causæ ecclesiasticæ iis delegentur; delegationes aliis factæ subreptitiæ censeantur, & Greg. XV. *const. incip. sanctissimus an.* 1621. constituit vt etiam Conseruatores tum principales, tum subrogati tam iisdem qualitatibus præditi esse, quàm eadem formâ designari debeant.

1. Porro facit necessitas huiusmodi designationis vt cesset decretalis Alexandri III. *in c. quoniam Abbas de off. delegat.* qua rescripserat successorem in dignitate succedere in delegationem dignitati, non personæ antecessoris, factam. *VVeymsius post Garz. & Costam ad constit. 24. in Trid. innou. constit. 1. n. 13.* & satis innuit vers. *& si aliquem interim ex designatis mori contigerit.*

Delegatio non transit in successoré hodie nisi in ordinariis.

Qua de causa cum delegati nominatim designari debeant, & mortuis alij subrogari; vbi Greg. XV. constitutio viget, conseruatores vix impetrari possunt perpetui: nisi Episcopi ipsi eorumúe Vicarij; nam hi perpetui esse possunt: cum d. cap. 10. disponat tantum de iis, quibus *præter Ordinarios locorum*, inquit, *causa Ecclesiastica committuntur.* Vicarij ergo atque officiales Episcoporum perpetui sunt, sine designatione: & his rectè conseruatoriæ perpetuò diriguntur, vt quasdam nuper vidi plurium diœcesium Officialibus delegatas.

2. Vicarij ergo ad causas delegari possunt; & ad gratiarum etiam beneficialium executiones, & conseruatorias: etiamsi si Vicarij sint Episcopi confirmati, nondum consecrati; quin etiam Capituli Sede vacante, aut Prælati iurisdictionem episcopalem habentis: Vicarij inquam generales, non foranei; nisi ex certa scientia Pontificis.

Designari possunt Vicarius generalis,

3. In dignitate aiunt esse Protonotarium Apostolicum, ac designari illum posse Iudicem; sed & Cancellarium academiæ à Sede

Protonotarius,

4. Apostolica approbatæ; & dignitatis commendatarium perpetuum; non autem superiores ordinum mendicantium; etsi aliqui in his

Cancellarius academicus,

5. contra sentiant: sed vsus secus habet. Sed & Canonicos cathedrales (nam quasi dignitates à Bonifacio sunt expressi) Collegiatæ Canonicum quamuis aliàs maximè idoneum, negant admitti, vel Canonicos regulares, quamuis cathedrales; sed hoc apud me dubium est, nam & participant de splendore radiorum episcopalium, & vocantur ad functiones cathedrales, vt Episcopi in negotiis Ecclesiæ horum consilium aut consensum non minus hîc requirere debeant, quam alij suorum sæcularium canonicorum; atque opera in omnibus vti possint: vt Pontifex qui regularem erexit in cathedralem per consequentiam spiritualia regularium otia transmutarit in negotia. Sed & canonicum cathedralem super ætate dispensatum, si desit ætas in Iudice requisita, negant designari posse, tanquam ad eum finem non dispensatum: vel coadiutorem in canonicatu, quamuis cum futura successione: eò quod de præsenti non sit canonicus: qualitas autem requisita tempore commissionis adesse debeat, ita vt nec sufficiat adesse tempore præsentationis rescripti, sufficiatque tum adesse; quamuis postea per resignationem, aut aliàs desinat, eademque qualitas adeo requiratur, vt nec subdelegatus ea *iuxta d. c. statutum versic. neque alibi* carere possit. *vt hæc omnia Barbos. & ab eo citati in Collect. ad Concil. Trid. s. 25. c. 10.* quod tamen de subdelegato ad plenam cognitionem & decisionem causæ intelligendum est. *negari enim non potest*, inquit, Weymſ. *ad const. 24. in Trid. innouat. const. 1. n. 21.* quin ad vnum aliquem particularem articulum subdelegari rectè possit is, qui dignitatem non habet; dummodo de cætero sit idoneus, & legalis; vt indies Notarij, & simplices clerici ad auditionem testium, & similes actus committuntur.

Commendatarius perpetuus dignitatis.

6. *Canonicus chatedralis, non collegiatæ,*

7. *Sed regularis cathedralis.*

8. *Non dispensatus super ætate, Non coadiutor.*

9. *Subdelegatus eandem qualitatem debet habere,*

10. *nisi sit ad aliquem tantum articulum sine definitione.*

11. Porrò designatio à Tridentino facienda in synodis præscribitur: vtique sub ea ratione qua negotia in synodis tractantur, extra synodos designatio committitur ordinario loci; sed de eo filio Capituli: quod, vt prætermittere non potest, ita nec sequi tenetur. *Garz. de benef. p. 9. c. 2. n. 353. decl. 3.* sed nec alij à nominatione idoneorum excluduntur: *vt post Garziam VVeymſ. vbi sup. n. 13.* sed vtique in synodis deliberando, non statuendo, nam soli Episcopi vocem ibi conclusiuam habent. extra synodos Ordinarius substituit, vt loquitur Concilium, suggeri, & consuli tantùm ab aliis ei potest, solius Capituli sui consilium requirere tenetur. *Vt diximus, & interpretes responderunt apud VVeymsium num. 17.*

Qualiter facienda Iudicum designatio.

12. Quærit idem Weymſ. *num. fin.* an qualitas ecclesiasticæ dignitatis requiratur etiam in delegatione inter duos merè Laicos facta? ob generalitatem constitutionis, & decus Sedis Apostolicæ rectè censet requiri; quamuis secus senserunt Francus & Cantiuncula, quasi posteriores constitutiones mentionem non fecissent huiusmodi correctionis, quia Bonifacius cum nullis nisi ea qualitate præditis causas à Sede Apostolica vel Legatis committi velit, negatiua vniuersali satis omnia negat, satis priora corrigit: & Trid. *d. c. 10.* generaliter *causæ*, inquit, *ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum ecclesia-*

An in causis vtriusque Laicorum eadem dignitas exigatur?

ecclesiasticum pertinentes delegandæ committantur: eaque generalitate causarum *ad forum ecclesiasticum pertinentium*, etiam illas complectitur, de quibus quærimus.

13. An causa vnius diœcesis Iudicibus in alia designatis possit delegari? Quod autem *n.* 15. idem Weymsius quærit, an causæ vnius diœcesis committi possint Iudicibus in alia designatis? cùm iure veteri id fieri potuerit, saluis distinctionibus *c. statutum.* §.1. *& seqq.* & nunc Tridentini decreto *c.* 20. *s.* 24. vt omnes causæ coram Ordinariis in prima instantia agitentur, non video cur non possit. nam etsi vnamquamque diœcesim suos velit habere Iudices deputatos, & iis causas delegari non aliis; non addit tamen omnes in ea diœcesi ortas in eadem diœcesi delegandas; quod iure priori permissum est, ideoque ambiguis verbis correctum non censetur: & multò minus in casibus *d. cap. statutum*, & secundis, tertiisque instantiis. præsertim cum ratio decreti conciliaris id non exigat, scilicet quod Romæ personarum dissitarum notitia haberi non potest; *hincq; interdum Iudicibus non vndequaq; idoneis causæ in partibus delegantur*, ideoque ea causa finali cessante, non est torquenda dispositio ad prioris iuris abrogationem.

14. Personatum habentes delegantur. Personatum obtinentes etiam expressit Bonifacius VIII. & nouauit Trid. *verb. personas quæ qualitates habeant iuxta constitutionem Bonifacij VIII.* sed non suffecit id Tridentino, sed addidit; *& alioquin ad id aptas*: vt sufficiant oneri delegationis. Personatus hîc ferè sunt beneficia nunc simplicia; prærogatiuam in Ecclesia habentia, & pastorum deputationem; vt olim credantur primarij pastores, seu plebani fuisse: Bonifacio instar dignitatum fuisse videntur; quippe qui eos locarit inter dignitates, & Canonicos cathedrales. sed nullum hîc designatum vidi Iudicem, nisi & alia qualitas ei competierit.

15. An plebani? Plebani tamen sæpè subdelegantur ad audiendum testes, aut causam nonnihil instruendam, citra facultatem sententiam dicendi, saltem definitiuam, sed interlocutoriam dumtaxat, seu decreta v. g. citandi, monendi, cogendi testes, similiaque ferendi.

De Officio Ordinarij.

CONSVLTATIO I.

De priuilegio visitationum.

1. Visitatio priuilegiata. Visitatio Episcoporum tum in iure, tum Concil. Trid. præclara priuilegia sortita est, ad boni publici conseruationem, præsertim ne decreta visitantis appellatione suspendantur, sed ea priuilegia: ut publica salus causata est, ita etiam oportet vt visitans, si quid agat, permittat, inhibeat; in scemate visitationis maneat, atque intra sphæram & terminos visitationis. Eam dixi *in Inr. Pontif. nou. anal. tit. de accus.* n. 9. comparari optimè officio ædilium, quod magis in lustrando, & exequendo consistebat, vt & Censorum, quàm in cognoscendo. Ideoque ædiles curules, non pro tribunali, sed in curru, quo vehebantur, decernebant. Ædiles plebis, quorum cura ad res minores pertinebat in via, vel fortuito cespite statuebant, expeditè atque sine mora, magis exequendo, quàm cognoscendo, & iudicando; nam quæ examen requirebant, à solicitudine sua seponebant, vnde & Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 3. iubet, vt visitantes studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere; & Conc. Toletanum *relatum in cap. inter cætera* 10. *q.* 3. vetat, ne cum Episcopus diœcesim visitat, amplius quàm vna die per vnamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. Cabilonense verò *in c. præcedenti ibid. cauendum est*, inquit, *ne cum Episcopi parochias suas peragrant quandã damnosam erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant*, quo pertineret, formâ, & priuilegiis visitationi attributis abuti velle, alioque flectere: quàm quo concessa sunt: & sub vmbra visitationis ea decernere, & exequi, quo non scopus spectet visitationis, propositus in *d. c.* 3. *sess.* 24. *& c.* 1. §. *sanè de cens. in 6.* sed iura aliquorum sine examine legitimo pessumdarentur appellatione contempta, quæ reiici non potest, nisi in puris putis terminis visitationis, & si modus illius tamen non excedetur. *Ceual. tract. de cog. per viam viol. glos. 6. & q. 74. n. 21. & seq. Nauar. de Appel. cons.* 1. 2. 3.

2. Sed in suis terminis maneus.

3. circa notoria,

4. circa morã;

Quapropter quæ altiorem indaginem requirunt, ad visitationem & ex ea correctionem, emendationemque morum non pertinent; Adeoque rectè Innoc. IV. formam tam Archiepiscopis, quàm Episcopis, quàm Prælatis vniuersis ordinario iure subiectos visitantibus *c.* 1. *de cens. in 6.* §. *vlt.* præscribens, notoria crimina, quæ examinatione non egeant, corrigi iubet; sed si de aliquibus tantùm orta est infamia, non permittit: (cum eam moram visitatio non patiatur) sed tantum denuntiari, vt extra visitationem solemniter inquiratur, si visum erit expedire. Neque enim res dubiæ materia sunt visitationis, sed liquidæ & claræ. atque hæc est ratio, vt si quid visitantes quoad morum emendationem decreuerint, appellatione non suspendatur: morum scilicet notoriè malorum, non item iure vel vsu non improbatorum. emendatio morum præsupponit malitiam: ideoque mali mores sine appellatione emendantur, non improbati autem, aut dubij extra causam priuilegij sunt. Rectè Paulus *l. vlt. D. de appel. recip. si res*, inquit, *dilationem non recipiat, non permittitur appellare*, & Modest. *l.* 16. *D. de appel. constitutiones*, inquit, *quæ de recipiendis nec ne appellationibus loquuntur, vt nihil noui fiat, locum non habent in eorum persona, quos damnatos statim puniri publicè interest.* Rectè ille Romanus quid festis diebus agere permissum esset rogatus, respondit quod prætermissum

5. Quæ altiorem indaginem requirunt huc non pertinent.

6. Sed remittuntur ad inquisitionẽ ordinariam.

7. vt & quæ moram patiuntur.

sum noceret. Rectè non minus rogatus quis, quid visitantem appellatione reiecta exequi liceat, responderit, quod prætermissum noceret. quod si non statim puniri publicè intersit, quod si res dilationem recipiat, quod si notoria non sit; contrarium Paulus, Modest. Innoc. IV. canones & Tridentinum sentient.

8. Qua eadem ex causa si quid in visitatione decerni potuit, & longo demum post tempore decernatur, priuilegium visitationis amittit, ad exemplum militis in expeditione tedantis iure militari, cuius post missionem post annum concidit testamentum. §. *sed hactenus de milit. testam. inst.* & annus is quidem militi à præsidio, fortè limite Imperij, reuertenti indulgendus est. Cæterùm Episcopo visitanti Tridentinum iniungit quam celerrimè totam visitationem absoluere, quod si non fiat id vno die, vt Conc. Toletanum videri potest exigere; saltem fiat æquo & bono Iudicis arbitrio quamprimùm. non bonum erit, nec æquum arbitrium, eam dilationem visitationi exequendæ dari, quam summam etiam iudiciis ordinariis omnibus esse iura voluerunt; & nouissimè Tridentinum *s.* 24. *c.*20. biennium scilicet. Omitto Nouel. Iustin. 79. 83. vbi intra duos menses monachorum, & clericorum causas expediri iubet. valde iniquè igitur agunt visitatores, qui lustrato loco domum muti abeunt, & biennium, trienniumque tacent, ac tum demum quasi ex visitatione, quæ lubent, decernunt: & reiecta appellatione exequuntur ea, quæ neglexerunt iudicio ordinario, quod interim confici poterat, committere; multò peius, qui controuersa, & super quibus lis pendet, per innouationem & attentatum attingunt.

Visitans statim debet officio fungi, diu post non potest cum priuilegio visitationis exequi.

CONSVLTATIO II.

De ordinariorum circa sacerdotes castrenses authoritate, & concordatis cum delegato exercitus.

INter concordata Ordinariorum 23. Ian. 1595. inita, & denuò in Septembri 1628. inter Archiepiscopum Mechliniensem vt delegatum exercitus, & Episcopos conprouin-
1. ciales renouata, relatum est, vt parochis liberum sit administrare sacramenta omnibus diuertentibus ad suas parochias, & sepulturas in iis morientibus, saluis iuribus: Non licebit tamen parochis assistere militibus, seu personis de exercitu, matrimonium contrahere volentibus; nisi tanquam præsidiarij in eorundem parochorum parochiis resideant.

Breue delegationis Vicarij exercitus.

Quæritur cum in præsidio sunt milites an delegatus seu subdelegatus exercitus designare vrbis aliquam capellam possit, in qua sola milites sacramenta suscipere, & sepulturas eligere possint?

Idque sub pœna nullitatis, si quis matrimonium v. g. contraxerit coram parocho; sub cuius regione in ea vrbe in præsidio moratur?

Denique dispensationes super proclamationibus matrimonialibus non nisi à se concedendas fore, & ab Ordinariis locorum concessas, non recipiendas decernere?

Hæc protrudi à castrensibus quibusdam sacerdotibus aliquando dicuntur, dum Breue delegationis non satis examinant.

Siquidem nec ratio concessi Breuis, nec textus verba quidquam auferunt ex iurisdi- 2.
ctione Episcoporum, aut iure parochorum: vt generatim omnes concessiones nouæ interpretationem capiunt, ut saluum sit ius cuiuslibet *l. nec auus. C. de emanc. lib.* & de iurisdictione nouiter concessa decretum est in *l.* 1. 3.
C. de offic. præf. vrb. vt non abroget priùs concessam; sed tantùm cum illa possit concurrere. & quemadmodum non est de priuilegiis iudicandum, nisi toto eorum tenore diligenter inspecto; *cap. porro X. de priuil.* ita priuilegiati seriò vetantur eorum metas transgredi. *d. cap. porro, in fin.*

Non minuit iurisdictionē Episcopi aut parochi.

Concurrit tantùm.

Verba autem Breuis Illust. D. Matthiæ Houio Archiepiscopo Mechliniensi concessi (cui conforme est quod habet modernus Illust. Archiepiscopus ab Vrbano VIII. 4.
1626.) nullum iota habet quod sacerdotes castrenses vel milites eximat à iurisdictione episcopali, aut iure parochiali respectiuè.

Non eximit.

Sed nec ratio vllatenus eo vergit, scilicet quod *in exercitu multa sæpè contingant, in quibus pro salubri directione animarum, salute illorum qui in castris degunt, & versantur, opus est industriâ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, propterea quod non facilè ad locorum Ordinarios aut ad Sedem Apostolicam recursus haberi possit*: hæc tota est quæ inseritur Breui ratio; quæ sola ad solatium tantùm spectat eorum, qui ita absunt à suis Ordinariis, vt ad eos recurrere, & ab eis iuuari non possint; non vt ob difficultatem recursus ad Ordinarium magis aliàs ab eo eximantur, quàm à Papa, ob difficultatem recursus ad Papam.

Ideoque in eodem Breui additur delegatum in eos, etiam sacerdotes castrenses, qui per Breue ei subiiciuntur, iurisdictionem exercere non posse, *qui sint in propria diœcesi, sub qua* 5.
illorum Ordinarij iurisdictionem suam ordinariam in eos exercere possint.

Nec quidem concurrit in diœcesi ordinariorum castrensium sacerdotum.

Tantùm abest vt Ordinariorum iurisdictionem Breue minuat, cum Delegato aufertat, quando Ordinarius suam exercere potest, quod idem suo modo de parochis accipiendum est.

Præsertim cum etiam Conc. Trid. *s.* 7. *c.*14. ita nuper innouauit c. volentes *de priuileg. in* 6. vbi etiam aduersùs indubitata priuilegia præseruatur Ordinariorum iurisdictio, si priuilegiati extra locum suum contrahant vel delinquant.

Consequenter infertur, delegatum exercitus etsi aliquid inter suos possit statuere,

quod ad salubrem directionem, & animarum salutem pertineat; nihil tamen posse vnde consequens sit aliquod præiudicium Ordinarij, aut parochi: vt sunt quæ tribus supra propositis quæstionibus continentur, quoad sus-
6. ceptionem sacramentorum, & sepulturas, in ijs parochialibus Ecclesijs, sub quibus milites præsidiarij agunt, aut moriuntur. vel contra confessionem & communionem paschalem, missas, & conciones parochiales frequentandas, & quę Parochianus obediens plenius exigit. minus sibi parochias priuatim sine authoritate summi Pontificis aut Episcopi loci erigere, collectionem fidelium facere, *c. Ecclesias. tot. d. 1. de cons. c. 4. s. 21. c. 9. s. 14. Conc. Trid. c. Ecclesias. 23. q. 1. c. 13. s. 24. Trid. c. pastor. de his quæ à præl.* nec baptisterium *c. clericos d. 1. de cons.* nec officia fieri alibi non permittente Episcopo. *c. si quis ead. d. l.*

Nihil Vicarius potest statuere quod præiudicet parochijs.

7. Multò minimè vt possit adijcere pœnam nullitatis matrimonio coram parocho præsidiarij militis contracto, qui sit per moram præsidiariam factus proprius etiam parochus, vel domiciliaris parochus ante militiam: cuius iurisdictio per militiam non statim perimitur *l. 23. §. miles. D. ad municip.*

Multò minus nullitatis pœnam in matrimonijs apud parochos contractis adijcere.

Quibus accedit quod eadem lex tradat militem videri domicilium habere *vbi meret si nihil in patria possideat*; & multi sanè in patria nihil possident, adeoque ij vbi merent domicilium habere videntur, & sic facilè ibi parochum vt proprium sortiri, vbi in præsidijs, aut aliter morantur; non tamen per modum
8. transitus. *l. hæres absens. §. proinde. D. de iudicijs.*

Nullitas autem matrimonij induci non potest aliquo inferiorum statuto, sed sola authoritate pontificia, aut Concilij generalis. *Sanchez. de mat. l. 7. d. 1. n. 9.*

Quæ solo papali decreto inducitur, aut Concilij œcumenic.

9. Dispensationes etiam ab Ordinarijs concessæ ijs, qui alioquin ad iurisdictionem illorum pertinent, iure concilij Tridentini, & ab eo concessa facultate munitæ sunt, nec earum vsus à quoquam infra Pontificem inhiberi potest aduersùs canones permissiuos, non magis quàm falcem licet mittere in alienam messem; vt nec par quidem in parem imperium habere potest; & extra iurisdictionem ius dicenti non est parendum.

Dispensationes ab Ordinarijs concessæ non possunt argui dum quocumq; modo subditis conceduntur.

Quibus attentis videntur facturi benè sacerdotes castrenses, si huiusmodi sermonibus vel attentatis Ordinarios aut parochos non irritent; sed potius concordatis, & nominatim articulo suprascripto, vtantur, per quæ multa eis authoritas concedi videtur, quæ examinata ad rigorem verborum dicti Breuis non facilem controuersiam pateretur.

10. Sæpè siquidem non imperiti parochi de Breui disputantes contenderunt, ex eo castrensibus sacerdotibus nullum ius sepulturæ cōpetere; sed locale illud esse, & reale, fundo parochiarum infixum: *tot. tit. X. de paroch. tot. tit. de sepult.* vnde sicut iure dominus prohibet, ne quis fundum suum ingrediatur *§. feræ. inst. de rer. diuis.* sic & parochus ne quis in loco sepeliat. Castrenses autem volatilem tantùm, & cum castris mobilem iurisdictionem habere; concessam tantùm pro iurisdictione in eos, *qui*, inquit Breue, *in castris degunt, & versantur*: castra autem sint locus vbi milites tentoria figunt in morem castri; vt *in l. 3. D. de re milit.* sic emansor dicitur, qui diu vagatus, ad castra regreditur: vt & idem Breue alibi iurisdictionem tribuit in personas *in exercitu*, inquit, *commorantes.* Exercitus autem non est vna cohors, aut ala; sed numeri multi militum: *l. 2. D. de his qui not. infam.* qui adeoque cum separantur, & singulatim in præsidia distribuuntur, exercitus esse desinunt, & castra; & consequenter illorum personæ singulæ in exercitu commorari non amplius in rigore verborum nonnullis videntur. quamuis vsus longissimi temporis ipsum Breue aliter sit interpretatus.

Castrenses Capellani non habent ius parochialis sepulturæ.

Qua eadem ex causa, semotis concordatis, sacerdotum castrensium iurisdictio, & authoritas tota pro eo tempore non exiguum dubium apud illos patitur.

Sed & quidam non leuem scrupulum inijciunt, commentando idem Breue, quod cum à solo parocho licitè sacramenta suscipiantur *Trid. s. 24. c. 13.* nisi expresè aliud concedatur; & in eo Breui disertè Delegato exercitus & sacerdotibus ab eo subdelegandis in omnes personas in exercitu commorantes non omnis iurisdictio ordinaria, & parochialis respectiuè tribuatur; nec expresè facultas matrimonijs castrensium assistendi: quod aliàs tamen res grauissima est, & speciale mandatum requirit: *c. fin. de procurat. in 6.* & generatim quæ notabilia sunt, nisi specialiter notentur, videntur omissa; *l. item apud Labeonem §. ait prætor D. de iniur.* Adeoque cum in Breui non disertè exprimatur quicquam quod ad facultates matrimoniales pertineat; omissum censeri contendunt, quod non est concessum. præsertim cum etiam Concilium Trid. *s. 24. c. 20. §. adhæc.* negotia matrimonialia solis locorum Ordinarijs reseruet, abdicata iurisdictione inferioribus competente; quantò minùs censeri volunt non competentem esse concessam, si disertè non exprimatur? vt non fit in Breui. 11.

An ius iungendi matrimonio?

Quamuis enim illud generalem authoritatem Delegato tribuat in sacerdotes sæculares, ac regulares, *perinde ac si illorum præsul & pastor, horum superior esset*: non tamen eandem tribuere videtur illis in laicos, sed facultatem tantùm de eorum causis cognoscendi, confessiones audiendi, absoluendi, etiam à casibus reseruatis, (quibusdam exceptis) altare portatile concedendi, & super eo in locis honestis, dum sacer haberi non poterit, in Exercitu celebrandi; Ecclesias, Capellas, cœmiteria & Oratoria polluta reconciliandi, vbi exercitus consederit; nulla expresè & specialiter matrimoniorum facta mentione: ad quæ de casu ad casum facultatis concessæ non facile solet fieri extensio *c. P. & G. de off. deleg. in fin.*

Et quod dicuntur in Breui castrenses sacerdotes assumi *pro sacramentis administrandis*; præterquam quod narratiuè non dispositiuè id ponitur; ea generalitas quibusdam videtur restrin-

restringenda ad necessaria sacramenta, non verò voluntaria; vt est matrimonium: vt tradit Sanchez *de mat.lib.*3. *d.*35. *n.*8. generalem licentiam à parocho datam administrandi omnia sacramenta, non porrigi ad matrimonium: & similem clausulam Bullæ Cruciatæ similem facultatem concedentis ad sacramenta confessionis & Eucharistiæ esse restrictam *per declarationem Rotæ*, præsertim cum delegationes generatim sint odiosæ, vt ibidem prosequitur *n.*9. & odia restringenda. Sicut disertè priuilegia religiosorum sunt restricta, ne matrimonium sollemnisent, sine parochi licentia. *Clement.* 1. *de priuil.in* 6.

Tametsi autem generalis facultas concessa exercendi omnia quæ spectant ad curam animarum etiam comprehendat matrimonium; non tamen in eodem Breui deprehendi dicunt generalitatem talium verborum, sed horum duntaxat; *pro salubri directione, & animarum salute*, in proœmio non dispositiuè positorum, sed & restrictam, *multa*, inquit, *sæpè contingunt, &c. in quibus opus est persona in dignitate constituta industria. Pro salubri*, inquit, *directione, & animarum salute illorum, qui in castris degunt, & versantur; pro*q́; *inter eos cognoscendis causis, & controuersiis forum ecclesiasticum concernentibus*: & inferius consequenter concedit facultatem dispositiuè omnes causas ecclesiasticas, prophanas, ciuiles, criminales, mixtas inter eos cognoscendi, terminandi, exequendi, etiam per censuras, & pœnas: quoad salutem autem animarum; confessiones audiendi, absoluendi, etiam à reseruatis; quibusdam exceptis, & censuris: de matrimonio nullā esse mentionem, (vt ad salutem non necessario: & quod illud in Exercitu commorantibus celebrare non æquè conueniat. vnde & legitimæ vxores solent arceri. *l.* 10. *C. de re milit.* & admodum nuper pœnis & carcere, militum matrimonia sæpè impediebantur. donec data est Romæ declaratio id aduersari Concil. Trid. *de refor. mat. c.*9.) & cum permittenda sunt, merentur commeatum, & licentiam adeundi parochum domicilij, seu habitationis.

Præsertim cum Concil. Trid. *s.*24. *c.* 1. *de reform. matrim.* generaliter statuerit à proprio cuiusque parocho factis proclamationibus, vt ab eodem quisque coniungatur: sacerdotes autem castrenses non sint propriè parochi (parochus enim est rector parochialis ecclesiæ qui *in c. omnis vtriusque. X. de penit. & remiss.* proprius sacerdos dicitur, cui iure ordinario competit potestas in incolas parochiæ. *in d. Clem.* 1. *de priuil.* presbyter parochialis vocatur) parochia autem hic ex etimologica aliqua ratione definiri non debet, vt neque Episcopatus, quasi Episcopus quisquis inspicit dici possit; sed quo sensu dicimus diœceses & parochias esse distinctas, & antiqui canones ipsas parochias, terminationes nuncupant. locorum terminos, vtique *c. plures* 16. *q.* 1. sed subdelegati tantùm sunt castrenses à Delegato exercitus. quippe in eodem Breui data est facultas vnum vel plures subdelegandi ad exercitium commissionis sibi delegatæ; cuius proinde volunt delegationis tenorem expressè debere facere mentionem facultatis matrimonio assistendi; vt censeretur Pontifex à Concilio Tridentino recessisse, vel tanquam totius orbis Ordinarius alteri quàm parocho facultatem assistendi matrimonio concessisse.

Sed neque mouet eos finalis clausula generalis Breuis *cætera faciendi & exequendi in præmissis necessaria vel quomodo libet opportuna*, quasi agat de præmissis; & de matrimonio nihil fuerit præmissum: & generale alioquin mandatum non comprehendat negotia matrimonialia, vt est supra dictum ex *d. c. fin. de procurat. in* 6.

Concedit quidem Breue *omnem & quamcumque iurisdictionem in administrandis sacramentis*: sed minus dubij habuisset, si addidisset, *quibuscũque, seu omnibus*. Quamuis enim iurisdictio satis vniuersaliter per voces *omnis & quæcumque* ponatur; restringitur tamen per adiectas, *in administrandis sacramentis*. non ad omnia extenditur circa quæcumque iurisdictio fluere potest: quin & eæ voces administrandis sacramentis indefinitè positæ multis non videntur æquipollere vniuersalibus, quando in illis iuris ratio est diuersa. Vt ad matrimonia requiritur mandatum speciale. *c. fin. de procur. in* 6. & licentia expressa. *citati à Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trid. ad c.* 1. *s.* 24. *de reformat. n.* 122. Porrò in Breui de matrimonio nihil est specialiter expressum. vt & matrimonij administratio prohibita est regularibus, quibus est concessa pœnitentiæ & eucharistiæ. Et quamuis sint qui eum assistere matrimonijs posse censeant, cui parochus concessit facultatem administrandi omnia sacramenta, vt diximus: alij distinguant inter parochum absentem & præsentem *citati à Barbosa vbi supra n.* 128. contra tamen citat *n.* 129. Egidium de Coninck, Filliucium, Tamburin. Hurtado, existimantes concessionem facultatis ad administrandum omnia sacramenta non æquiualere, nec sufficere; vt eius vigore possit sacerdos deputatus matrimonijs assistere, vel illa sollemnizare.

Et quanquam præfata concordata & rati-habitio de præsenti & præterito sanent in omnem euentum castrensium matrimonia; *iuxta Sanchez d. disp.* 35. *n.* 20. 21. 22. tamen Ordinarij & parochi irritati castrensium incongruis sermonibus, actionibusque possent concordatis, castrensibus ea non obseruantibus, repudium mittere, & actus huiusmodi non ratos habere, & inde grauia incommoda, lites, & præiudicia forent exspectanda. Quæ vt præcaueantur, rectè fecerint castrenses, si abstinuerint ab insolitis huiusmodi nouitatibus: vsu hactenùs consueto, & concordatis sint contenti, se aliosque in periculum nõn conijciant. *Vide infra de matrim. cons.* 14. 13.

12. Sanè difficultatem non habet, quin ecclesia intra muros arcis in parochialem ab Ordinario erecta, ei subsit. *c. omnes basilicæ.* 16. *q.* 7. & intra limites alicuius parochiæ subijciatur, etiam patronatui rectoris matricis ecclesiæ, seu illius qui in illa ius patronatus,

Ecclesiæ Episcopo sunt subiectæ.

natus, seu parochi primitiui habet; *c. ad audientiam. X. de eccles. edif.* de ea disponere nihil pertinere ad delegatum exercitus, seu illius Vicarium, satis item liquet: quia, vt diximus, nullum ei ius parochiale competit: sed mandatum tantùm personale delegatum, subdelegatumúe est. Ideoque eos, qui in arce morantur, nec in numeros regios relati sunt, nec castra sequuntur, ad illorum iurisdictionem non spectare constat: pœnitentiam quoque communionem paschalem, Inunctionem, matrimonium eis per illos administrari non posse; verba Breuis aut mentem illos non comprehendere; sed neque concordata: quæ & firmos arcium præsidiarios Ordinario & parocho non delegato aut subdelegato; castrensibus sacerdotibus, Capellanis maioribus, aut minoribus subijciunt; Ecclesias nullas aut iura parochiarum eis deferunt: sed tantùm administrationem personalem militum eorumúe qui castra sequuntur. Quare & perperam in quibusdam castrensium ordinationibus huiusmodi Capellani pastores vocantur: cum & ipsi Delegato ipsum Breue nec in ipsos sacerdotes quidem ordinariam aliquam authoritatem tribuat; sed tantùm in sacerdotes seculares, ac regulares, *perinde*, inquit, *ac si illorum præsul & pastor; horum superior esset*: id autem quod simile est, non est idem.

CONSVLTATIO III.

Sumptus Officij Episcopalis quatenùs ad successores transeunt?

Difficultas proposita ab Episcopo N. eiusmodi est, vt pro tuitione libertatis, & authoritatis ecclesiasticæ, sat causæ fuerit faciendi, id quod factum est: sat potestatis in faciente. Adeò vt alij in Belgio passim Episcopi, & nominatim eius in ea Sede antecessores id fecerint, quod hic factum est.

Hoc tantùm rem controuersam facere videtur, quod cum magno, Nobili, potente quæstio orta sit.

1. Præstandum constanter episcopale Officium. Enimuerò aduersùs potentes authoritatem Ecclesiæ deseri non oportet. Tutati sunt Ambrosius aduersùs Theodosium, Augustinus aduersùs Bonifacium, Thomas Cantuariensis aduersùs Henricum, Borromæus aduersùs suos, alij alibi: Patrum & nostro æuo: gladium excommunicationis (quem neruum vocat ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valdè salutarem, Trid. *s.* 25. *c.* 3.) cum opus esset exserendo, seu aliàs, quod temporum oportunitas suaderet, exequendo, Quod & literis sacris consonat mandantibus, non timere à caudis titionum fumigantium, nec terreri ab his qui occidunt corpus, &c.

Virum iustum & tenacem propositi
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida.

Itaque non debuit terreri idem Episcopus potentia G. neque eius officium respectu eo labefactari. Id tantùm vrgeri potest, quod districtus sit vir potens.

2. Etiam districtione personarum. At verò Trid. *d. loc.* iubet in causis iudicialibus, quando executio realis vel personalis propria authoritate à Iudicibus fieri potest, abstineant in procedendo & definiendo à censuris ecclesiasticis: quod idem edicta Belgica decernunt aduersùs officiarios, adeoque magis locorum dominos. Sed *liceat*, inquit Trid. *si expedire videbitur, contra quoscumque etiam Laicos in causis ciuilibus per mulctas pecuniarias, seu per captionem pignorum, personarumq́;* (nota) *districtionem aliaq́; iuris remedia procedere,* &c. *In causis quoque criminalibus, vbi executio realis vel personalis fieri poterit, erit à censuris abstinendum.* ita Trid.

3. Si videbitur in re graui. Visum fuit expedire eidem Episcopo; potuit ergo per districtionem personæ procedere: & debuit potius, quàm per censuras: quas hic edicta non sic admittunt, in subsidium tantùm admittit Trid. & alioquin causæ grauitas admittebat. Quibus etiam leuior per canones & Trid. carcer habetur. Minùs ergo argui potest, quod per districtionem personæ processerit, si potuit per censuras; sed eas non expedire iudicauerit; edicta hic vetent. (non ago autem nunc de modo incarcerandi, an per se Episcopus id potuerit facere, an implorare debuerit brachium seculare, quod quoquo loco faciendum est, vt habet loci consuetudo.)

Sed, inquis, infamat carcer, neque ad eum procedendum est, nisi in atrocioribus delictis, vbi de fuga timetur, vbi opus fuerit personali detentione. *Trid. s.* 25. *c.* 6. adeoque & *c. clericos de sent. excom. in* 6. excommunicat Prælatos temerariè clericos incarcerantes. Et Bulla Cœnæ aduersùs Laicos id facientes grauius tonat, ergo multò minus quis magnus in infamantem carcerem trudendus fuit.

4. Aduersus talionem meritos. Sed verò ipse G. clericum seu custodem templi, ob officium sibi mandatum in templo præstitum, in carcerem trusit, & parochum sacerdotem, clericum ibi visitantem, inuitum aliquanto tempore detinuit; nemo negat illum ecclesiasticam immunitatem violantem censuram meritum fuisse; si vel Prælati ipsi temerariè, quamuis iusta potestate, id facientes excommunicentur. Meritus ergo censuras, meritus multò magis est carcerem, censuris minorem.

5. Qui in clericum ea sunt vsi. Neque quæri potest G. Ecclesiam ei honorem non deferre, qui ecclesiæ non defert, eiusque ministris. Cui dici illud potest, non ego te possum reuereri vt Principem, qui me non habes vt Senatorem. Qui nouum & iniquum ius in alium statuit eodem ipse vtatur. Qui quod vult facit, quod non vult

vult patitur. Frustrà legis implorat auxilium, qui in legem committit.

Sequitur ergo cum G. iure ac lege actum esse, quæ arbitrarium iudici fecit modum procedendi; qualem per districtionem per-

6. sonæ seu alium expedire iudicarit. nam ea clausula ad animi motum & conscientiam iudicis pertinet, de qua rectè gl. in *c. statutum.* §. *assessorem de rescr. in 6. verb. relinquat. cum conscientia*, inquit, *relinquatur eiusdem, ergo solus Deus de hoc, & nullus alius est Iudex vel cognitor.*

Neque motus animi sui dare rationem tenetur distringens.

Vlterius ergo sequitur per Episcopum nihil factum esse per iuris imprudentiam, per

7. legis imperitiam, quo solo casu iudex litem facit suam. §. 1. *inst. de oblig. quæ ex quasi delicto l. hoc edicto. D. Quod quisque iur.* Eaque imprudentia talis esse debet, vt ad leuem culpam saltem pertineat, non autem ad leuissimam: Tutorum exemplo; vtrique enim causam publicam agunt, vtriusque gerendi officij necessitas incumbit, vtrique inuiti ei præficiuntur, aliaq; in re comparantur *l. præf. 63. D. de rit. nupt.* vtri-

Neque litem facit suam.

8. que ergo de leui tãtum culpa tenebuntur. *l. 1. l. non similiter 4. D. de magis. conuen.* Et quamquam aliqui ex hac lege leuissima n arguant, durius id est tamen, quàm vt aliquo exemplo receptum sciatur. Adeoque Baldus alijque in contrarium euntes, de lata solùm culpa iudicem non ambitiosum teneri asserunt. *arg. l. si quis domum. 9. aliàs est. l. si quis fundum. 10. §. Celsus. D. locat. d. l. hoc edicto.*

De lata culpa tenetur, quandoque & leui non leuissima.

9. Quod attinet ad prudentiam facti an expediens fuerit iure agere, an dissimulare: rigore vti & cauterio, an lenibus remedijs (nam qui vetuit timere à caudis titionum fumigantium, etiam iussit, cum in vna ciuitate persecutio ingrueret, fugere in alteram) ea tota remissa est per Trid. ad arbitrium ipsius Iudicis, procedentis quatenus ei expedire videretur, quatenùs conscientia dictaret. In qua re alteram partem eligens censeri non potest quasi delinquere; ex eòue obligari, aut conueniri posse. *d gl. in d. c. statutum.* Vt Bonifacius VIII. cum Philippo pulchro, & D. Thomas Cantuar. cum Henrico II. inter cæteras etiam aliquas quæstiones de subtili iure habuerunt; & vtriusque tempore multi, & magni in Ecclesia viri quædam dissimulanda, & leniùs tractanda iudicabant: & tamen hunc Ecclesia colit vt martyrem; & illius sepulchro post 300. annos aperto, is integro adhuc corpore apparuisse dicitur.

De prudentia facti & zelo Deus est iudex.

Ad animi motum ea pertinent, & quis scit quis Zelus Episcopum corripuerit, quis spiritus agitauerit coërcendæ iniuriæ ministris ecclesiæ irrogatæ; & durantis contumaciæ G. erga illam; nec vno lapsu; sed iam pridem malè

10. de ea meriti, & plura illius iura inuadentis?

Denique ex his sequitur Episcopum hæc officij, libertatis, authoritatis, iurisdictionisque ecclesiasticæ defendendæ causa fecisse, & litem passum ab G. eamque adeò ad successores iurisdictionis, non consanguineos pertinere.

Sumptus coercendæ iurisdictionis ad successores in officio nõ hæredes pertinet.

Saltem pro rata temporis, quo Episcopalia commoda dotis, prouentuum, mulctarum, 11. & quorumcumque compendiorum percipiunt, vt incommoda eiusdem temporis non fugiant: sicut & vsufructuarius expensas litis ob rem vsufructuariam motæ præstat, non in futurum omnes; sed moderatas ac pro rata temporis sui accidentes, tanquam onera fructuum. *Garz. de expens. & melior. c. 11. n. 10. vers. at verò. & n. 11. post Molin. & alios*, sic in litis expensis disertè sonat *l. 1. C. de Bon. Matern. verb. sumptus ex fructibus impigrè facere.* Vtique sumptus qui in ea tempora incidunt, in quæ fructus. Tametsi enim Garzias alijque patrem in bonis maternis filij defendendis grauius oneret, quàm alium vsufructuarium; non ita tamen vt cessante iam vsufructu, adhuc sumptus ferat, qui tum posteà superueniunt. res successiuæ transeunt cum suo onere successiuo. Qua temporis rata quis sentit commodum, sentit onus. Eadem hic est partis, quæ totius æquitas: quam lex dicit esse secundùm naturam. *l. secundum D. de reg. iur.*

Pro rata temporis & fructuum.

Secundùm naturam ergo erit, vt defunctus eiusque consanguinei hæredes sumptus ferant qui in eius vita obuenerint, seu pro rata temporis, quo fructus suos facient; residuum autem successor in dignitate.

CONSVLTATIO IV.

De Ordinarij Iurisdictione in Capitula.

1.

Capitula cathedralia atque maiora non obstante exemptione Episcopi per se ipsos, *Concil. Trid. s. 6. c. 4.* reliquam diœcesim etiam per Vicarium generalem aut visitatorem, *s. 24. c. 3.* visitare possunt, tam in corpore quàm singulis membris, corrigere, & emendare tam per se solos, quàm illis quibus sibi videbitur adiunctis. *d. c. 4.* si autem extra visitationem volunt procedere, debent id facere cum adiunctis duobus à Capitulo initio cuiuslibet anni electis. *s. 25 c. 6.* vbi *in princ.* statuitur, vt *d. c. 4.* locum habeat in omnibus cathedralibus non tantùm sed etiam collegiatis, illic non expressis: quare non rectè videntur nonnulli quærere an *d. c. 6.* locum habeat in solis exemptis, an ad capitula cathedralia pertineat tanquam cathedralia, an tanquam exempta; *vt citati apud Barbos. ad d. c. 6. & d. c. 4.* neque enim ita distinguit Concilium, aut indistinctè loquitur non tantùm, sed addit *in omnibus cathedralibus & collegiatis*; qui omnes dicit nullam excludit. Tollit tamen exemptiones utroque loco; qua derogatione opus non esset, si sermo ipse sola exempta Capitula complecteretur. Vnicam addit exceptionem *d. c. 6. in fin.* vt ea omnia quæ ibi decernuntur in illis ecclesijs locum non habeant, *In quibus Episcopi aut eorum Vicarij ex constitutionibus, vel priuilegijs, aut consuetudinibus, siue concordijs, seu quocumque alio iure maiorem*

Cathedralia Episcopi per se ipsos visitant solos, aut cum adiunctis.

2. Diœcesim etiam per Vicarium aut visitatorem.

3. Extra visitationem cum adiunctis.

4. A Capitulo exempto electis.

5. Idem in collegiatis.

6. Nisi maior competat Episcopis authoritas

maiorem habent potestatem, authoritatem, ac iurisdictionem, quàm præsenti decreto sit comprehensam, quibus sancta Synodus derogare non intendit. Illud enim est assiduum Concilij propositum restituere Episcopis legitimam iurisdictionem, multis antè priuilegijs accisam, augere potius pro tuenda ecclesiæ disciplina, quàm minuere. Siue ergo exemptæ fuerint, siue subditæ illis ecclesiæ, in illisque maiorem authoritatem habuerint, non est illa per Concilium sublata: si non habuerint, est concessa hæc quæ d. c. 4. d. c. 6. proponitur. Sed quia in non exemptas ecclesias maiori authoritate de iure, & plerorumque locorum moribus Episcopi vsi sunt, & non æquè in exemptas; eo fortè respectu plures ita distinxerunt.

7. Casus in quibus Episcopi procedunt sine adiunctis.

Igitur Episcopus procedit sine adiunctis 1. dum visitat: *d. c. 4. s. 6.* deinde 2. dum habet maiorem iam olim authoritatem *d. c. 6. in fin.* 3. dum procedit in vim. *c. 8. s. 22. Trid.* 4. dum in vim *c. 9 s. 24.* 5. dum Capitulum monitum non eligit adiunctos: *citati à Barbos. ad d. c. 6. n. 5.* 6. dum dies festos à se institutos cogit seruare: *iuxta c. 12. s. 25. de regular.* 7. dum ipsi adiuncti iurisdictionem eius turbant: 8. dum non Capitula visitat, aut personas capitulares; sed sacramenta, reliquias, parochialia ornamenta, fabricam, capellas, & similia. 9. Quando totum Capitulum deliquit: cùm rei sint omnes; adeoque non possint esse Iudices: si modò in ipsum Episcopum non sit delictum; qui etiam pars esse & Iudex simul non potest. 10. si rationes exigat *iuxta c. 19. s. 24.* ab ijs, qui sede vacante vicarij, œconomi, aut simili officio functi sunt; nisi agat criminaliter. 11. si agatur ciuiliter, non criminaliter contra capitulares; nam ciuilis Capituli iurisdictio non est tributa Episcopo: *d. c. 6. §. cæteris.* 12. si agatur de personis quæ nec habent dignitatem, nec sunt de Capitulo: *d. c. 6. vers. qui verò non obtinent.* 13. etiam coadiutores, & portionarij: quamuis vocem habeant in Capitulo, dummodo non sint de Capitulo, nec coadiutoribus concessum sit vt fruantur omnibus priuilegiis coadiuti. Quæ pleraq; à S. Congregatione decisa referuntur *per citatos à Barbos. in Collect. ad d. c. 6. & d. c. 4.*

8. Duo sunt eligendi pro adiunctis.

Neruosa admodùm est structura *d. c. 6.* & verba singula suam emphasim habent: quam lubet nonnihil ponderare. Duos à Capitulo iubet elegi, non totum Capitulum cum ordinario procedere: quod difficilior sit omnium conuentus, & plura remorarum, atque alia incommoda, antequam pro disciplina ecclesiæ delinquentium causa instrui, & rectè decidi posset, secum vehat. deinde hos duos, quasi Ca-

9. Capitulum repræsentantes:

pitulum repræsentantes, adeoque illius iurisdictione fungentes: ex qua illos ita Episcopo inæqualiter æquiparat, vt si sine illis processerit,

10. Illorum cũ Episcopis assensus aut dissensus vt operetur.

acta omnia sint irrita: & tamen si alter Episcopo accesserit, alter dissenserit; alterius dissensus nihil officiat: si vterque discordet, eligatur tertius, cuius iudicium, cui parti accesserit, præualeat. *d. c. 6. versic. vnum.* vtique si concors fuerit discordia duorum adiunctorum, & cum his tertius, vel cum Episcopo consentiat. Sed quid si hic ab omnibus, adiuncti à se inuicem dissenserint? casus est à Concilio omissus; iuri ergo communi relictus. Illum tractat Gutier. *pract. lib. 1. q. 94.* quid si ergo quis adiunctorum vt suspectus recuseturː substituet vtique Capitulum eligendo alios: sicut recusato officiali Episcopus alium dat iudicem; non arbitri de causis cognoscunt. *c. si contra de off. deleg. in 6.* ne non necessaria impensa litigantes onerentur.

11. Episcopum sufficit esse confirmatum.

Quoniam de iurisdictione hoc decretum agit tantùm, sufficit Episcopum esse confirmatum; quamuis non consecratum per se iudicare, vel Vicarium, aut officialem. Quinimò

12. Sede vacante Vicarius vt cũ adiunctis procedat.

Sede vacante Vicarius cum adiunctis eandem operam præstabit; pendentes coram Vicario causas ad se potest auocare; nõ vt solus, sed cum adiunctis, cognoscat: plurium vnitarum eccle-

13. Plurium Eccl. Episcopus cũ adiunctis singularum.

siarum Episcopus causas cum electis cuiusque Capituli respectiuè cognoscit: à Vicarijs cum adiunctis decisas per appellationem non recipit; cum sit idem vtriusque auditorium *c. Romana de appellat. in 6.* sed eæ ad superiores de-

14. A Vicario decisas causas non reuidet.

uoluuntur. Nolentibus adiunctis, aut non valentibus procedere non trahit ad se in solidum cognitionem; sed prouidet Capitulum, substituendo alios; sed neque electis accrescit autho-

15. Nolentibus adiunctis aut non valentibus prouidet rursus Capit.

ritas Episcopi non valentis aut volentis procedere; sed eius negligentia aut defectus suppletur per superiores, aut Capitulum tanquam in casu omisso ex primæua iurisdictione per se solum procedet. *arg. d. versic. cæteris.*

16. Processus instruitur corã Episcopo.

Iurisdictionis porrò episcopalis prærogatiua etiam *in d. c. 6.* in eo elucet, quod processus instituatur coram notario Episcopi; quod ad fiscalem quoque ipsius, aut promotorem ex

17. Per eius ministros.

rationis paritate extendunt, quod in eius domo, aut consueto tribunali processus fiat aduersùs personas singulares. si quid autem toti

18. In eius tribunali.

Capitulo proponendum est, an ad domum suam illud vocare Episcopus possit, an ipse ad locum capitularem accedere teneatur hîc nihil

19. Quid si cum toto Capitulo sit agendum?

dicitur; sed scriptores sæpè referunt decisum vt ipse accedat. quamquam *in c. 1. in princ. de cens. in 6.* dicitur quod ex vno loco ad alterum vocare possit eos quos visitat. Denique in initio potest solus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere;

20. Solus ad informationem & necessariã detentionem potest procedere admodum circumspectè.

non quidem semper; sed *in criminibus*, inquit concilium, *ex incontinentia prouenientibus, de qua in decreto de concubinarijs*, non ex omni ergo incontinentia; adeoque non in simplici fornicatione. *vt Rotam iudicasse referunt 6. Iunij 1622.* addit Concilium; *& in atrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus.* Neque rursum semper; sed *vbi de fuga timetur:* non leuiter; sed ex arbitrio æqui boni viri. circumspectio sanè magna Concilij quoad personas canonicas; tam vt euitetur apprehensionum temeritas, quæ aliàs Prælatos trahit in laqueum censurarum ipso iure: *c. si clericos de sentent. excom. in 6.* quam vt nondum damnatis gradus dignitas seruetur. eoque Concilium etiam in atrocioribus illis delictis non

vtitur

vtitur vocabulo capturæ; sed necessariæ detentionis: additque 5 *in omnibus autem casibus*
21. Et decenter. *ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur.* qua in re non satis vbique prouidetur, dum in carceres publicos atque criminales sacerdotes, vt laici, compinguntur. decentiùs intra aut iuxta palatia Episcopalia quibusdam olim locis clericorum custodiæ fuerunt ordinatæ. In Concilio Carthaginensi quarto decernitur, *vt Episcopus in Ecclesia, & in consessu presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam se presbyterorum esse cognoscat.c. Episcopus distinct.*95. ergo in detentis, nondum damnatis, magna est huius rei ratio, & decentiæ æquitas, vt tantisper ita custodiantur securè, vt ex indecentia loci nihil affricetur ignominiæ.

22. Episcopus quando ipse Capitulū conuocet? Dum porrò agendum est cum toto Capitulo, *nec de re*, inquit, Concilium, *ad suum vel suorum commodum spectante agitur, Episcopi ipsi Capitulum conuocent, vota exquirant, & iuxta ea concludant.* non spectat ad suum vel suorū commodum, si de re ad dignitatem Episcopalem pertinente agatur. spectat enim illa non ipsius; sed Ecclesiæ commodum. quin imo si cum Capitulo controuersiam habeat, quamuis pecuniariam, cuius causa officium magis spectat, quàm personam; & de illa amicè velit agere cum Capitulo; ratio dignitatis exigit, vt possit ipse conuocare; sed ratio æquitatis non permittit, vt vota exquirat, & concludat: ageret officium Iudicis, aut Præsidis in causa sua. & propterea Concilium non addit aliàs semper, *sed absente verò*, inquit, *Episcopo, omnino hoc ab iis de Capitulo, ad quos de iure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id*, inquit, *Vicarius Episcopi admittatur*; vtique vt talis: sed si alia ex causa ad eum pertineat; non prohibetur.

23. Vt vota audiat & iuxta illa concludat. Moderatè iterum Concilium; *vota exquirant, & iuxta ea concludant*: innuens votum Episcopo non competere, nec arbitrium; sed iuxta aliorum vota debere concludere, vtique in rebus adiaphoris, à iure aut synodo aliqua non vetitis, aut rationabili consuetudine improbatis. nam de his statuta exequi, non deliberare oportet: in non vetitis autem rectè deliberatur quid vtilius, quid honestius sit; quid cultui diuino, quid saluti animarum magis expediat.

24. Quibus per c.6.s.25. Trid. derogetur? Derogationes hîc sanè amplissimæ sunt, etiam consuetudinum immemorialium, etiam ex fundatione competentium, sententiarum, iuramentorum & concordiarum, etiam à Sede Apostolica in forma communi, & non ex certa scientia, confirmatarum. *citati à Barbos. in collect. DD. ad d.c.6. vbi*, pleraque quæ iam diximus S. Congregationis aut Rotæ declarationibus firmantur.

De Maioritate & Obedientia.

CONSVLTATIO I.

De Regularium obedientia Ordinario debita.

Episcopo diœcesani omnes obedire debent. *c.2. de maiorit. & obed.* etiam Laici, 1. Episcopo omnes debēt obedire. & Principes *c.4. eod.* Abbates, & sacerdotes. *c.9.* qui etiam dum consecrantur obedientiam, & reuerentiam Episcopo promittunt: sed verbo dumtaxat: nam ad iuramentum, aut 2. Sed quatenus? scriptum non tenentur. *c.3.* nisi fortè administrationem habeant; *Gloss. d.c.3.* nec ad nouam formam: vt in Metropolitano respectu suffraganei decisum est. *c.13. eod.* adeo vt nec 3. Qui qualiter iurant? consuetudo, nec præstatio iuramenti de facto emissi in contrarium suffragetur. *ibid.* formam autem iuramenti suffraganei, Gregorius IX. explicat esse, qualem ipse pontifex ab Episcopis immediatè subiectis recipit: *& ponitur in* 4. Abbates ad antiquam formam. *c.4. X. de iureiur.* & respectu Abbatum Episcopi antiquâ formulâ iubentur esse contenti. *c. ne Dei. X. de Simon.* quæ *ibidem* ponitur ad subiectionem, reuerentiam, & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm regulam, &c. Quomodo etiam iuramentum à clericis Ecclesiæ suæ cathedrali præstitum principaliter refertur ad Episcopum, tanquam Ecclesiæ caput. *c. cùm clerici. X. de verb. signif.* 5. Clerici secundùm canones, Regulares secundùm regulā &c. obediūt. sed vbique inseritur secundùm regulas SS. Patrum. secundùm regulam S. N. quo scilicet modo in plerisque ordinibus professionis formula obedientiam spondet secundùm regulam. Vt determinetur quousque ea se extendat. neque enim superior ad quodcumque arbitrium, lubitumque suum eam porrigere potest. à Laicis vix exigi potest, nisi vt declinent à malo, & sacris canonibus de se latis obsequantur: à clericis, vt secundùm instituta Ecclesiæ, quoad clerum lata, vitam dirigant: à Regularibus; vt secundùm authoris sui normam se componant. in Laicis statui possunt, quæ ad salutem sunt necessaria: in Clericis quæ vitæ eorum, & honestati congruunt, vt in partem hæreditatis dominicæ assumtorum, solicitudo vberior, & in directione præceptiua potestas sit maior: in religiosos qui consilia Euangelica insuper ex voto amplexi sunt; suprema authoritas est. *c. monasteria 2. q.3. c. nullus 2. q.7. c. qui verè 16. q.1. c. Abbates 18. q.2. c. si quis Abbas. ibid. c. visitandi 17. q.4. c. non semel ibid.* ita tamen vt & huius imperium intra terminos regulæ, quam professi sunt ferè coërceatur; adeo vt supra eam extra canonum præscripta imperanti superiori obedientia non debeatur. nec inuitus quis- 6. Non vltra notoriè. piam supra regulam ad perfectionem cogi possit; infra regulam autem obedire teneatur. In qua re admodum discreti esse debent

Episcopi, vt in monasteriis sibi subiectis rigores vnius regulæ non exigant ab alumnis alterius: prompti tamen subditi; vt quidquid non est contra præceptum Domini, aut notoriè supra regulæ obligationem recipiant, atque obsequantur. quomodo loquitur Hieronymus *in c. si Dominus 11. q. 3. si Dominus*, inquit, *ea iubet, quæ non sunt aduersa scripturis sanctis, subiiciatur seruus domino, hoc ipsum intelligamus de vxoribus apud viros, & de filiis apud parentes.* à quibus argumentum ad religiosos valet. Quo sensu *c. ad monaster. §. prior. X. de statu mon. Abbati omnes*, inquit, *in omnibus reuerenter obediant.* Quare si quis venerit contra decretum Episcopi ab Ecclesia abiicitur. *c. 2. de maior.* infamia notatur *c. 5.* dummodo in ipso Episcopi decreto nihil sit quod canonicis obuiet institutis *c. 9. eod.* Quomodo in Clement. *frequens in fin. de excess. Prælat.* inter reliquos Prælatorum excessus refertur, quod quidam statuta faciunt, per quæ derogatur priuilegiis regularium.

7. Sed in dubio.

8. Pœna inobedientis.

9. Non contra canones.

10. Priuilegia.

11. Tam in condendis statutis, quàm specialibus præceptis.

Statuta ergo & decreta facere possunt Episcopi: *d. c. 2. c. vt animarum de constitut. in 6. Trid. s. 24. c. 10. §. 1.* positi enim sunt Episcopi à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei; & iubet Apostolus ad Hebræos *c. 3.* obedire præpositis. Iique legislatiuam potestatem habent ad ordinandum ea, quæ ad regimen Ecclesiæ suæ sunt necessaria, iuxta singulorum gradum. Possunt igitur Episcopi statuta per diœcesim facere conuenientia, vt possint regere Ecclesiam Dei, ad quem finem sunt positi. Etenim qui finem intendit, media permittit. Et sicut lex dicitur mutus magistratus; & vice versa viua lex magistratus: qui, quæ non potest lex omnia comprehendere, manu supplet. Ita Episcopi siue leges ferendo, siue manu ducendo statuere possunt: eisque adeò obediendum est. quemadmodum cum initio Ecclesiæ, cum eadem fuit Episcoporum, quæ hodie potestas, pauci canones erant; Episcoporum manu pleraque dirigebantur. Vt D. Paulus 1. ad Corinthios cap. 11. post pauca literis præscripta *cætera*, inquit, *cum venero disponam.* Episcopi tamen 18. *q. 2.* vetantur quædam in monasteriis facere: *vt c. hoc tantum.* nec aliud præcipiant quàm quod canones præcipiunt. *c. Abbas.* vt Abbas ab Episcopo non constituatur, sed à Congregatione eligatur: *c. quam sit*, vt de bonis illorum, aut chartis nihil auferant: inuito Abbate monachus non ordinetur: *c. luminoso.* ad missas publicas non cogantur: *c. pridem*, ibi baptisteria non fiant: *c. seruitium*, grauamina non imponantur.

12. Quatenus specialiter regulares?

Quibus præmissis expendendum est, quatenus & quousque regulares Episcopis obedire teneantur.

Exempti non tenentur nisi in casibus à iure exceptis. non exempti, qui ipsis Episcopis in professione votum obedientiæ emittunt, ipsis tanquam Prælatis regularibus ordinariis obedire tenentur. *Sanchez lib. 6. moral. c. 1. n. 11.* dico votum; non promissum aut iuramentum, nam id non mutaret rei statum. Vt *in d. c. ne Dei. X. de Simon.* vt Pontificale in Ordinatione presbyteri in fin. qui huiusmodi votum non emittunt, obedire tenentur Episcopis, eo modo, quo tenentur reliquæ personæ ad clerum pertinentes, quoad communem scilicet disciplinam Ecclesiasticam. An autem etiam quoad obseruantias regulares? quidam controuertunt, creduntque authores à Sanchez citatos, sentire quod non aliter sint Episcopis subiecti, quàm sicut reliquus clerus. consequenter quod visitari, & corrigi ab eis non possint quoad obseruantias regulares. In eam sententiam citant *Trid. s. 21. c. 8.* vbi non ipsis Episcopis viâ regiâ disciplinæ regularis cura committitur; sed vt prouideant paternis admonitionibus, vt regularium superiores debitam viuendi rationem iuxta regularia instituta seruari curent. quod si hi moniti post sex menses officio defuerint; tunc demum exequuntur Episcopi, prout ipsi superiores possent, iuxta eorum instituta: idque non iure ordinario sed tanquam Apostolicæ Sedis delegati.

13. An quoad obseruantias regulares?

14. Viâ regiâ an tantùm supplendo negligentiam superiorum regularium?

15. Quoad disciplinam communem.

Insuper quemadmodum *c. in singulis. X. de stat. monach.* diœcesanis monasteriorum reformandorum studium iniungit; ita Clementina *attendentes eod.* non alia specificat, quàm quæ ad communem Ecclesiasticam disciplinam spectant, qualia in clericis corrigenda notat Concil. Trid. *s. 14. c. 6. s. 22. c. 1. s. 23. c. 6.* quin & *d. c. in singulis*, vbi multa sanciuntur, nusquam tamen meminit correctionis circa regulares obseruantias per Episcopos viâ regiâ faciendæ: sed potius per visitatores, etiam in monasteriis diœcesano subiectis *d. c. in singulis §. porro.* quin & in *c. ea quæ ibid.* correctiones, & pœnitentiarum impositiones per Abbatem loci, secundùm regulam imponendæ decernuntur. quod resonat *d. c. 8. s. 21. Trid.* quod etsi in commendatis loquatur, non ideo accidit, quod in his plus possunt Episcopi, sed vt Trid. significet commendationem non obstare, quo minùs commendata visitentur: vt cætera, & corrigantur.

16. Quoad regulares obseruantias.

Verùm enim verò existimo sicut ad Episcopos pertinet curare disciplinam, clero sæculari congruentem, ita & regularem disciplinam, in monasteriis sibi subiectis, iuxta regulam quam profitentur, & regularia instituta, canones sacros, statuta etiam, & decreta Episcopalia, per cuiusque diœcesim, & singulares domos facta. Probat id manifestè c. Abbatem. 18. quæst. 2. in verb. extra regulam facta corrigere. *c. 1. & d. c. in singulis. §. porro. X. de statu. mon. diœcesani*, inquit, *Episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, vt cum ad ea visitatores* (qui ibi præcipiuntur in capitulis ordinum in singulis regnis, seu prouinciis deputari) *accesserint, plus in illis inueniant, quod commendatione, quàm quod correctione sit dignum.* Reformatio autem, de qua *toto illo c. & seq.* agitur, est reformatio ordinis, & obseruantiæ regularis, quæ disertè exprimitur, & tam visitatoribus, Capitulis generalibus, quàm Episcopis commenda-

mendatur. Et si disciplinam tantùm communem spectarent, *d.c.* nec se Episcopi possent immiscere regularibus obseruantiis; impossibile esset eos finem ibi expressum consequi: scilicet curare vt visitatores nihil correctione dignum, sed commendatione inuenirent.

17. Quid inter Ordinarios & Visitatores intersit?

Interest autem inter Episcopos & huiusmodi visitatores, quod hi instituuntur saluo iure diœcesanorum, & si quid grauius reperiunt, denuntiant Episcopis: qui prouident, etiam Abbates, sine strepitu iudicij amouendo. *d.c. in singulis d.c.ea*, & ex visitatoribus *nullus*, inquit, *d.c. in singulis ex hoc sibi authoritatem prælationis aßumat.* præsertim cum ibi in principiis capitulorum iubeat assumi aliquos ex alio ordine Capitula celebrare assueto. vnde & *per d. c.ea*, monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciunt visitatores; & pœnitentiam iniungi secundum regulam: Episcopi autem in monasteriis sibi subiectis, pro sua iurisdictione correctionem ipsi facere possunt.

18. Possunt Episcopi visitantes ipsi corrigere.

19. (Etsi ordinariè Prælatis primo loco id ferè defertur.)

secundum c.1.6.12.13.17.19. de off. ord. tamen ordinariè primo loco regularibus superioribus correctio deferri videtur *c. abbates pro.* 18.*q.*2. vbi abbates ab Episcopo, ab abbate monachi corriguntur. *c. litriosos. ibid. vers. nec audeat. in verb. nisi ab abbate. c.7. de off.ord. d.c.ea.c.*8. *s.*21.*c.*8.14.*s.*25. *de reg.Trid.c. reprehensibili.X. de appel. Trid.s.*24.*c.*20. *& plura inueniuntur in tit. de for. comp. de exces. prælat. de stat. regul.* tametsi etiam Episcopis competit in monasteriis diligentia disciplinæ. *c.*1. *de stat. mon.* cuius ratio ex paulo inferiùs dicendis liquebit.

Quin & *c.*1. *de censibus in* 6. præscribit visitandi formam, quæ ab Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis seruari debet. *& §. fanè* iubet inquiri de vita & conuersatione ministrantium in Ecclesiis, & locis aliis diuino cultui deputatis: ac cæteris, quæ ad officium suum spectant, ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc lenia, nunc aspera, iuxta datam sibi à Deo prudentiam, *saluis*, inquit, *in fin. rationabilibus & approbatis religiosorum consuetudinibus & regularibus institutis*, ergo iis saluis circa regulares obseruantias & defectus studium reformationis intendit. quo etiam spectat *d.c. in singulis in verbis attentißimè præcauentes, ne per eos monasteria indebitis oneribus aggrauentur, quia sicut volumus superiorum iura seruari, ita inferiores nolumus iniurias sustinere.*

20. In moribus, officiis,

21. obseruantiis, & defectibus,

22. Omni disciplina & ad totius instituti normam reformatione.

Ad hæc Concil. Trid. *s.*25. *de regular. c.*1. sancit, vt regularis disciplina instauretur, & præseruetur, regulares ad regulæ, quam professi sunt, primæuique instituti normam, vitam instituant: quæ ad suæ professionis perfectionem, & obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & si qua alia sunt ordinis vota, & præcepta, ad communem vitam, & vestitum pertinent, obseruentur: & cura à superioribus adhibeatur, tam in capitulis, quàm in visitationibus, vt ab illis non recedatur, prosequiturque *c.*2. illatiuè per *igitur*, & consequentibus pluribus Capitulis multa salubria decreta, quæ superant notoriè communem cleri disciplinam, & obseruantias complectuntur regulares: & concludit *c.*22. *hæc omnia*, inquit, *& singula in superioribus decretis contenta obseruari. S. Synodus præcipit in omnibus cænobiis, &c. & infra vers. & quia S. Synodus desiderat vt omnia & singula supradicta quamprimùm executioni demandentur, præcipit omnibus Episcopis in monasteriis sibi subiectis, & in omnibus aliis ipsis in superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus generalibus & aliis superioribus ordinum, vt statim prædicta exequantur*, hortatur Principes, & magistratus, vt Episcopis & cæteris præfectis in superiùs contentæ reformationis executione auxilium & authoritatem interponant requisiti.

Per quæ patet solutio argumenti superiùs desumpti ex *Clementin. attendentes*, neq; enim omnia vbique dici possunt; neque procedit argumentum ab authoritate negatiuè. Et verò si Clementina rectè expendatur, agit etiam de regularibus obseruantiis; *in verb. inducant easdem ad impendendum in monasteriis suis deuotum & debitum domino famulatum.* Hîc deuotus & debitus citra obseruantias regulares non subsistit. *Iterum in verb. ad quæ omnia obseruanda moniales per illos de quibus supra dictum est* (c.1. Episcopos & visitatores) *compelli iubemus remediis opportunis.* inter omnia, & deuotus famulatus, & alia specificata sunt, quæ & obseruantias regulares redolent. 23. Rursus quomodo Episcopi circa obseruantias statuere, corrigere possint primo loco, vel in defectum?

Quod ad alterum argumentum *ex c.*8. *s.*21. *Trid.* ratiocinatio illius cap. admodum valet in contrarium: ait enim; *quæcumq; in diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, vbi oportet prouideri æquum est.* cura ergo & prouisio Ordinario competit, infert Concilium, *propterea commendata monasteria*, &c. & via regia ad ordinarium reiicit, vbi non viget regularis obseruantia: vbi autem viget; paternam admonitionem, & in defectum semestrem, per Episcopos tanquam delegatos Sedis Apostolicæ visitationem & correctionem fieri iubet. sicut supra diximus *per c.7. de off. ord. c.ea de stat. mon.* superiori regulari primo loco deferri ordinariè suorum correctionem, in Capitulis culparum. Vbi animaduertendum 1. videri eam partem vltimam *d.c.*8.*s.*21. conceptam, quasi de exemptis statueret: nam visitare saltem, & sic corrigere subiecta sibi monasteria possunt Episcopi notoriè, sine præuia monitione, aut expectatione semestri. *c.* 1. *de cens. in* 6. *§. fanè. §. vlt.* quid autem circa obseruantias regulares possint statuere, ibi non quæritur. 2. specialiter loqui de commendatis patet *ex c.*20. *s.* 25. *de reg.* vbi non comprehendi quædam declarat sub iis, quæ aliàs de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt, *videlicet d.c.*8. *s.*21. quidquid sit hoc *c.*8. nihil conuincit de obseruantiis singulare: quod non & in regulari disciplina, & correctione excessuum locum habeat; in quibus Episcoporum iurisdictioni subsunt, & obedire tenentur: atque ita nihil arguit de eo quod intenditur. 24. Præsertim in monasteriis commendatis.

D 2 Quem-

Quemadmodum edictis Præsidis prouinciæ : non ideo quis censetur non obligari, quod is coram eo conuentus ius habeat reuocandi domum ; nec imminuit authoritatem Papæ, aut obedientiam fidelium, quod Concil. Trid. 24. c. 20. causas omnes coram locorum Ordinariis in prima instantia tractari voluerit. Itaque quamuis correctio claustralis, de plano, neque iudicialis, atque in leuibus tribuatur Abbati : extra controuersiam tamen est (in casu appellationis, in casu regulari permisso) negligentiæ, euidentiæ, notorietatis, grauitatis, & vt multi volunt, etiam, præsertim si qua iusta causa suadeat, præuentionis ; singulatim ad indicendam ordine iuris seruato punitionem, ex præscripto canonum Episcopo competere iurisdictionem. *Vt multis Tusc. in V. Abbas. conc. 7. maximè ex cons. Egid. 5. cui plures subscripserunt*, sed & Episcopo visitanti non mandat *d. c. in singulis*, vt denunciet Abbati corrigenda ; sed vt ipse reformet. sicut *d. c. ea quæ* visitatoribus iniungit, vt corrigendos Abbati in leuibus, Episcopo in grauibus, *d. 1. c. in singulis*, denuntient.

25. Consuetudo. Sed & optimè dicit Tuscus consuetudinem in hac materia tribuere iurisdictionem. Atqui Episcopi harum regionum etiam quoad obseruantias regulares soliti semper fuerunt, tam in prouincialibus quàm diœcesanis Synodis, quàm aliàs de regularibus statuta facere, eorumque causas tractare, & superiores non exempti eis obedientiam promittere : quid ni ergo teneantur eorum subditi, saluo saltem ordine cognitionum ?

26. Quæ ad œconomiam spectant Episcopo non deferuntur, nisi vt sit regimen boni patrisf. nō prodigi. Porrò quæ pertinent ad regimen œconomicum, non subordinantur potestati Episcoporum. sicut ad eos non pertinet, quid quisque clericus domi suæ ; ad Præsidem prouinciæ, quid quisque paterfamilias intra parietes suos agat : quem œconomum, condum, promum, pincernam statuat ; si modo non peccet in leges publicas : sit modò integer vitæ, scelerisque purus : sit administrator frugi, neque res Ecclesiæ dilapidet. Quod si materia offeratur visitationis, correctionis, disciplinæ, instituti ordinis retinendi ; quin & prodigæ administrationis, excitatur officium à lege publica : in his valet Episcoporum potestas, ad rationes audiendas, exigendas, inidoneum amouendum. *Trid. s. 22. c. 9.*

27. In concursu quando obediendum Episcopis? *constit. Greg. XV. incip. inscrutab.* Quin & in concursu, superiorum regularium etiam authoritati præualet ; *vt declararunt Concil. Trid. interpretes 7. April.* 1592. & præclarè differit S. August. *in c. qui resistit. 11. q. 3. si aliquid iusserit curator, nonne faciendum est ? tamen si contra proconsul iubeat. non vtiq; contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire. Nec hinc debet minor irasci, si maior prælata est. Rursus si aliquid ipse proconsul iubeat & aliud Imperator; numquid dubitatur illo contempto huic esse seruiendum* ? sed si versemur extra materiam subordinatam,

28. Quando Prælatis? regularis priùs obedit Prælato, quàm Episcopo. Quomodo accipiendum, quod tradit Syluest. *in sum. verb. obed. n. 8. 9. 10. & authores apud Sanchez operis Moral. lib. 6. c. 2.* aliique similia referentes. quanquam in ordine Benedictino Congreg. Bursfeldensis, communis obedientia deferatur Ordinariis ; quoad autem obseruantias regulares Prælatis ordinis : ex quorumdam priuilegiorum concessione ; quorum tamen tenor diligenter est inspiciendus, an cumulatiuam, an priuatiuam authoritatē tribuat: alioquin solicitudo ordinis adiecta, non autem authoritas, Episcopo iure competens, abrogata censetur. De Superiorum regularium Iurisdictione, & an accumulatiua an exclusiua sit ordinariæ, vide latè *Astrologiam Eccles. Scioppij q. 7. n. 40 & seqq.*

Nunc porrò inspicienda est nota, quâ iudicetur quod supra, quod infra regulam sit. siquidem in voto regulárium obedientiæ id omne censetur implicitè comprehensum, quod necessarium est ad regulæ obseruantiam : adeoque in eo religiosus tenetur superiori obedire ex vi voti : in quo fundatur superiorum regularium authoritas : & in quo differt ab Episcopali, & alia hierarchica Ecclesiæ potestate : quæ profecta est à Spiritu sancto, quando *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* quod iuuat Trid. *s. 24. c. 10. §. 1.* vnde sequitur Prælatos regulares præcipere non posse, nisi quod cadat sub regulam ; religiosos non teneri. nisi quatenùs se extendat votiua obedientiæ promissio. Sed summus Pontifex & Episcopi pro regimine Ecclesiæ ea quæ conuenire videntur, constituere possunt, *d. §. 1.* ex vi publicæ potestatis sibi commissæ: citra respectum alicuius promissæ obedientiæ : qualem nullam spondent Laici ; non omnes, neque omnem clerici : non ipsis Episcopis ; sed plerumque regularibus dumtaxat vouent religiosi. Vnde monialium clausura ex vi voti exigi non potest in locis vbi necessaria non est ad castitatem regularem seruandam ; potest tamen ex vi potestatis publicæ, ad leges salubres ferendas iure diuino Ecclesiæ concessæ. 29. Potestas regulariū Prælatorum tota fundatur in voto subditorum, Papę & Episcoporum in authoritate Ecclesiæ, illis obediendum secundùm regulā, his plenius.

In eo tamen & Episcoporum potestas, & Prælatorum regularium authoritas conueniunt, quod sicut hi nihil supra regulam, ita illi ordinariè nihil austerius, aut rigidius imperare possunt, quam sit cuiusque ordinis institutum, ad illiusue obseruantiam necessarium. Sunt enim gradus perfectionum in Ecclesia ; & in domo Patris supremi mansiones multæ : & in perfectione nemo crescere cogitur inuitus. Non possunt ergo superiores austeritates rigidioris ordinis transferre ad gradum mollioris. Sed quam quisque elegit spartham, in ea se exerceat. Ecclesia sponsa Christi circumdata est varietate. acies est bene ordinata : in acie gregarij sunt milites, sunt triarij, sunt equites, sunt pedites, sunt leuis armaturæ, sunt cataphracti, sunt hastati, sunt fundibularij, sunt sagittarij : in Ecclesia triumphante nouem sunt ordines Angelorum: & sub singulis sui omnibus ordines. itaque qui molliorem regulam elegerint, non sunt 30. Non tamen regularibus imponere possunt Episcopi, quæ sunt supra regulam.

cogendi

cogendi eam transcendere : qui rigidiorem; non tolerandi descendere. Omnes maneant suo in gradu religiosi sui amphitheatri.

31. Id est sine quibus hæc seruari nequeat, aut difficulter. Itaque nota eius quod secundùm regulam est, describitur, quod necessaria sit res ad obseruantiam regulæ : adeo quod sine illa valdè difficulter regula seruari possit. Lessius *lib.2.de iust.c.41.dub.9.n.77. Vasques in 1.2.q.95. art. 2.disp.154.c.4.num.10.* vt non sufficiat quod

32. Tametsi conferant & abundantiori cautelæ seruiant. quid ex abundanti conferat ad pleniorem regulæ obseruantiam. Alioquin præcipi possent multæ corporis afflictiones, vigiliæ, diuturnæ orationes, ieiunia, rigores, & austeritates; quæ ad meritum & abundantiorem cautelam faciunt. sed sine quibus tamen bonus religionis status seruari potest. Qualia supra regulam Prælati imponere non possunt, nec regulares recipere tenentur; nisi verisimiliter videant se aliter non posse peccatum vitare : alioquin supra regulam

33. Vnde particularium lapsus alijs necessitatem non facit. præceptum, sine quo obseruantia stare potest, non obligat. Vnde Sanches *d. c. 2. num.45.* tradit, si Prælatus soli vni imponit, absque causa particulari asperitatem, quæ est de necessitate communi, non id esse regulæ consentaneum; sed supra regulam; & *num.46.* non posse propter culpam vnius, vel duorum, præcipi quidpiam toti collegio, cum obligatione ad culpam, quod ex vi regulæ non iniungitur, nisi sub obligatione ad pœnam; quia hæc excedunt regulæ præscriptum.

Enimuerò quoties certum est quod præcipitur esse licitum; incertum, an Prælatus possit præcipere; tenetur subditus obedire. *c. quid culpatur. 23. quæst.1. L. Miranda in manual. pral. l.1. quæst.26. a.6.* & quidem in omnibus quæ sunt secundùm regulam explicitè vel implicitè *ibidem ar.7.* & quæ sunt infra regulam, dum tamen possint ordinari ad regularem vitam *ibid. ar.9.* quin & in his quæ sunt contra regulam in quibus Prælatus potest dispensare; non aliàs. *ibid. ar.8.* nec in his quæ simpliciter sunt supra regulam, nisi fortè in pœnam; aut cum assensu maioris partis Capituli aliquid strictiùs acceptetur. *ibid. ar.10.*

Quæ omnia latius deducta sunt vt per consequentiam constet quid dicendum sit ad quæstiones propositas, si non de assensu maioris partis Capituli aliquid strictiùs acceptetur.

34. Supra regulam rigida non rectè imponere inuitis. 1. Supra regulam esse impositos diuersos rigores, onera, austeritates in hoc ordine, in hac domo nunquam assuetas.

2. Perperam mutari formulam voti immemorialem, & obedientiam superiori regulari

35. Formula cõsueta professionis non mutanda. dumtaxat promitti solitam, nunc exigi etiam Episcopo præstandam.

3. Rectè & ritè Episcopum visitasse monasterium, & corrigenda correxisse, non

36. Episcopum visitantem rectè imponere pœni- tantùm circa communes canones; sed etiam disciplinam, & obseruantias regulares; & pro excessibus notoriis, per rei euidentiam, aut confessionem, pro eorum modo pœnitentias imposuisse : Cæteros, de quibus sparsa fama, ad ordinariam suam inquisitionem remisisse. *iuxta cap.1. §. vlt. de cens. in 6.* tentias ob obseruantias regulares

4. Non tamen rectè visitantem abrogasse membranas veteres statutorum, quæ præfectæ in inauguratione præter regulam tradi solent, ab omni æuo; vt secundùm ea monasterium regat, atque immemoriales consuetudines, nullò iure improbatas. *aduersante d.c. in singulis vers. saluis, &c.* 37. Non rectè abrogare antiqua statuta regulæ & canonibus non inimica.

Præterquam quod non sit materia visitationis integra cœnobiorum statuta, & mores antiquos abrogare, & noua edere : cum ea longum examen requirant : & visitationis materia sit in promptis, & euidentibus. *d. §. sanè, vt diximus supra de off. ord. consult. 1.* præsertim cum visitantes circa quemque locum vno tantum die hærere permittantur, *c. inter cætera. 10. q.3. & Concil. Trid. s.24. c.3.* celerrimè præcipit visitationes absolui. Tametsi Interpretes, *vt refert Zerol. prax. Episc. part. 2. in verb. visit.* à Trid. negent tempus certum esse determinatum; prudenti tamen arbitrio visitantium, pro eorum necessitate relictum, non ità extendendum, vt mora graues sint. quod fieri omninò aliter nequit, si in loco omnia illa examinanda sint, & sine tamen huiusmodi examine volumen nouorum statutorum condi non potest. Vndè rectè appellatum. Cùm hæc non sint de materia visitationis, nec illius priuilegia sortiantur. Præsertim quæ executionem tribuunt decretis, non obstante appellatione. *Trid. s.24. c.10.* Visitationis materia maximè versatur circa particulares excessus, & defectus, (quibus promptum remedium dandum) in officiis diuinis, moribus, disciplina, obseruantiis. *d. c.1. §. sanè de cens. in 6.* habet & visitatio modum procedendi magis patrisfamilias, quam iudicis. Quare si iudicialiter compiletur processus, & procedatur ad pœnas criminum magis, quàm correctiones; ad censuras, relegationes; locum esse appellationi Interpretes Trid. sæpè declararunt. Non patris hæc officium redolent; sed iudicis, & legislatoris. Quin ex sanctione Clem. VIII. 16. Oct. 1600. ar.9. si ex decreto visitationis grauamen irreparabile irrogetur, aut citata parte iudicialiter procedatur; appellationi locus est : etiam quoad suspensiuum effectum. 38. Præsertim morosè in Visitatione. 39. Quæ expedienda est celeriter vno die aut saltem arbitrio boni viri. 40. Versatur circa euidentia non litigiosa. 41. Instat patrisf. visitans corrigit.

5. Perperam Episcopum monialibus prohibuisse, ne confiteantur confessariis, aliis quam ab eo designatis; si habent priuilegium eligendi quos lubet, ex approbatis ab Ordinario. Quia aduersùs priuilegia, statuere non potest. *d. Clem. freq. de exces. Prælat.* nisi quod Bulla Greg. XV. *incip. inscrutabili* nunc in confessoribus monialium exigere videatur specialem ad hoc officium approbationem, etsi nec in omnibus nec vbique sit recepta. 42. Auferre nequit priuilegium eligendi confessarium approbatum.

6. Neque rectè leues excessus, aut defectus, qui in hebdomadariis capitulis referri, agnosci, pœnitentia aliqua expiari solent, ad trutinam suam rursus reuocasse, ad effectum 43. Nec semel correcta repetere.

vt noua pœnitentia vindicentur: sed tantùm ad generaliter monendum, increpandum, deterrendum impofterum: nisi fortè tam tenui fidelia fuerint dealbati, vt conferuatio disciplinæ exigat aliquid vini Samaritani oleo super
44. Nisi nimis mollis fuerit correctio, & periculum disciplinæ sit.
infundi; increpito etiam superiore, de nimia remissione, & mollicie. nam visitatio instituenda est, tam in capite quàm in membris. *c. olim. X. de accus.* nam omne caput languidum infirmiter sustinebit bases disciplinæ. Si caput ergo languidum, & membra languidè curat; Episcopus & visitator pro suo officio rursum potest pertractare, ne sanies intus, malè obducta cute, putrescat.

45. Regularis amoueri potest ab officio sine ordine iudiciario.
7. Episcopum visitantem in capite & membris valide amouisse ab officio monialem non rectè in illo versantem, sine ordine iudiciario. Quia Trid. *s. 25. de reg. c. 2.* omnes ad nutum facit amouibiles. & *d. c. ea quæ*, etiam superiores atque Abbates ab administratione mouet, sine strepitu iudicij. *& c. qualiter 24. X. de accus.* ait ordinem aduersùs regulares personas non vsquequaque seruandum (egerat paulò antè etiam de publicandis non dictis tantùm sed etiam nominibus testium, proximè au-
46. Facilius quàm alij & liberius.
tem, vt inquisitionem fama, denuntiationem monitio, accusationem inscriptio præcederet) *qua regulares personæ, cum causa*, inquit, *requirit, facilius, & liberius possunt à suis administrationibus amoueri.* & Greg. XV. *Const. inscrutabili. an.* 1622. in exemptis Episcopis tribuit, vt ex
47. Et ab Episcopo.
rationabili causa superiorem moneant, vt administrantes amoueat: quod nisi præstet; ipsi
48. Citra infamiam.
faciant; quando opus iudicauerint. & sic docet Tuscus. *v. religiosi. conc. 147. ex Feder. de Sen. cons.* 105. quod valet amotio Religiosi, si-
49. Leuioribus etiam ex probationibus.
ne monitione, & processu. Intelligo, dummodo non ex causa, aut modo, infamante, nisi illa satis probata: *vt diximus in Anal. iur. Pont. nou. de regul. n.* 46. eadem ratione tradit Tuscus, *vbi suprà* leuiores probationes sufficere ad corripiendos religiosos, quam inter Laicos, & in foro contentioso.

Rationabiliter autem in statutis Windesim. *c. 3. parte 2.* de procuratore ita dicitur; *si (quod absit) negligens aut prodigus, aut contumax inuentus fuerit, sepiusq;* (nota) *correptus, se emendare noluerit, subrogato in eius locum meliore, ad cellæ protinus* (nota) *custodiam reuocetur.* quod, quia à Canonibus non abhorret; etiam seruari potest in ijs, qui non sunt eiusdem Congregationis, quando superioribus ad maiorem Dei gloriam, & domus religiosæ vtilitatem visum erit. cum *ex Trid. s. 25. de reg. c. 2.* sint amouibiles: & hîc prudenter procedendi modus tantùm præscribatur.

Atque harum quidem particularium quæstionum resolutiones pleræque enucleatiùs infra examinantur *tit. de regular.* & Marchantius in libello, quem Baculum pastoralem inscripsit, Episcoporum in non exempta monasteria præsertim fæminarum potestatem, & in his præfectarum singulariter examinat.

CONSULTATIO II.

De præcedentia collegiatarum dignitatum supra Canonicos cathedrales.

CErtum est quando collegium cathedrale totum procedit aut considet omnibus præferri; singulos autem Canonicos cum alijs dignitatibus contendere vix posse existimo. Verùm est ex dignitate corporis membrorum prærogatiuam æstimari; sed ea non est tota in singulis; participant aliquid de sole suo, & fratres Episcopi vocantur; interpretatiuè dignitatem habent; non verè: non enim singuli iurisdictionem aliquam habent, aut administrationem, quæ quo est maior, eo & dignitas. Congruit ergo vt cedant ijs, qui verè eam habent, & suis ipsi radijs lucent. clerici & pueri scholares cum clero procedentes præcedunt quemcumque magistratum sæcularem, inter quos nulla est comparatio, aliaque innumera sunt similia. Statuit Bonif. VIII. *in c. statut. de rescript. in 6.* causas apostolicas delegari. *nullis (inquit) nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis.* distinguit hos à dignitate præditis: malè; si sub ijs comprehendantur: accedunt tamen nonnihil & succedunt. Cæterùm quod eos spectat qui in cathedralibus dignitates obtinent, non existimo alios Decanos contendere cum Decano cathedrali; sed primas moribus Belgicis, vbi Præpositi non sunt, ei deferre; secundas Archidiacono, propter amplitudinem Iurisdictionis, quam sub Episcopo habet in omnem clerum. *c. 7. X. de off. Archid.* vbi & ea sunt verba; *secundùm Romani ordinis constitutionem Archidiaconus maior post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur.* Archipresbyteri etiam de iure magna est dignitas: cum in diuinis, non foris, etiam Archidiaconum præcedat. *c. 1. & ibi DD. X. de off. archip.* quamuis nec quod de præcedentia in diuinis dicitur, in Belgio vllibi sciam receptum. Pœnitentiariatus alicubi est dignitas, & subit partes aliquas Archipresbytero delatas in *c. 2. & 3. de off. Archipres.* dignitatem non sonat Conc. Trid. *s. 24. c. 8.* thesauraria & Scholastria alicubi officia, alicubi sunt dignitates. his similibusque (salua consuetudine, suprema talium scruporum arbitra) præferendas puto primas Ecclesiarum collegiatarum dignitates propter iurisdictionem, & administrationem eminentius illis competentem. Quam semper considerant, qui huiusmodi controuersias tractant. *vt Chasʃanæus per totum cathalogum gloriæ mundi, & speciatim parte 4. consid.* 38. vbi & nuncupatim decidit Decanos aliarum ecclesiarum canonicis cathedralibus singulis præferri.

Right margin: 1. Canonici cathedrales, vt singuli non præcedunt aliarum ecclesiarum dignitates. 2. Dignitates minores in cathedralibus an collegiatas præcedant?

De Procurator. & Mandator.

CONSULTATIO I.

Mandatarius qui pecuniam meam habet vsuras debet ex mora, aut per interpellationem.

SI procurator meus, quæstor seu receptor pecuniam meam habeat, ex mora vtique vsuras mihi pendet. *l.* 10. §. 1. *D. mandati*, multò magis si pecuniam meam in vsuras vel reditum dederit. *d.* §. 1. mora autem fieri intelligitur, si interpellatus non soluerit. *l. mora. D. de vsur.* sed hoc sæpè difficilis est definitionis, vtpotè magis facti, quam iuris; ideoque iudicis examine eget. *d. l. mora.* adeò vt non parum eius arbitrio tribuatur. *Menoch. cas.* 220. vbi & (præterquam quod dies interpellet pro homine) casus 17. refert, in quibus ex re, non

1. Et citra eam sæpè v. g. ecclesiæ & minori.

persona, id est citra interpellationem in mora quis esse intelligitur, vt vsuras debeat. Et singulatim rei fisco delatæ conscius possessor, fur, violentus occupator, pecuniam societatis in rem suam vertens, debitor qui facit, ne possit interpellari, debitor minorum, ecclesiæ, libertatis, &c.

2. Et sufficit alioquin vnica interpellatio.

Sed & vnica interpellatio sufficit etiam extraiudicialis, *vt Menoch. ibid. n.* 29 *latè prosequitur: Ferreti & Corasij argumentis respondens.* Seria tamen atque ipsi debitori, non seruo aut famulo facta requiritur. Nam si defuerit petendi debiti instantia, non protinus per debitorem mora facta intelligitur. *d. l. mora. Menoch. vbi sup.* v. g. si debitor & creditor leuiter conferentes de solutione, de parandis nummis, de distrahendis rationibus colloquantur, non hic illum vrgeat instanter, vel ille se aliqua exceptione, vel excusatione, *vt plures adfert Menoch. vbi supra ad fin.* tueatur: vt maximè si debitum non sit liquidum: *l. si quis. l. sciendum. D. de vsur.* si modo nihil fraudandi causa simuletur. *l. si modo ibid.*

Vnde fit vt quæstores, & bonorum alienorũ administratores, qui parem corrogando ferè & erogando calculum faciunt, ante supputatas rationes vix in mora esse videantur: sed neque post illas, si continuata administratio priorum rationum reliqua in posteriorum onera exegerit; vel interpellati exinde non sint: exceptis casibus apud Menoch. recitatis: ac imprimis minorum, quibus sine interpellatione debentur vsuræ. *l. minorum. C. in quib. caus. in integ.* adeoque ecclesiæ, quæ iure minoris fruitur. *c. auditis de in integ. rest.*

3. Dolum & culpam omnem non casum præstat.

A procuratore dolum & omnem culpam, non etiam improuisum casum præstandum esse, manifestum est: *l.* 13. *C. mandat.* omnem culpam intelligit Del-Rio. *ad leg. contractus D. de reg. iur. V. mandatum in interp. etimolog.* omnis gradus; adeoque leuissimam: cum lex excipiat tantùm inprouisum casum. Quoniam aliena negotia aut suscipienda non sunt, aut exactissimo officio gerenda. *l. in re mandata. & ibi gloss. C. mandat. Del-Rio vbi supra in analog. interp.* qui etiam minimam culpam in hoc negotio, vbi mandatarius spondere videtur industriam, in gradu leuis culpæ constituit; ne re ipsa dissentire videatur ab ijs, qui in mandato leuem tantùm præstandam contendunt. Quod nonnihil proniùs recipiendum est in ijs negotijs, quæ non parum ad naturam locati vergere videntur: v. g. in quæstoribus, receptoribus, & procuratoribus bonorum, qui mercedem pro opera accipiunt: ex ratione legis *si vt certo. §. nunc videndum. D. mandat.* vbi, si merces accessit in deposito, etiam culpa exhibetur; vt in empto, locato, dote, pignore, societate: dum iam vtriusque causa negotium agi videtur; & à mandati natura, quod est gratuitum, recedi: præsertim dum quæstores sordidi sunt, vt operam locent, non verò vt aduocati gratis postulent, aut alij litem procurent; qui communi censura à finibus mandati non excluduntur.

4. Et quicquid neglectũ est.

Vt in agendo, ita & in negligendo mandata culpa admissa præstanda est: *d. l. in re mandata nec quicquam* in alienorum negotiorum *administratione neglectum*, inquit, *ac declinatum culpa vacuum est*: sed in vtroque ita se gerere debet mandatarius vt bonus paterfamilias. vt is ergo, si debitis, præsertim vsurarijs, grauetur, pecuniam penes se otiosam non seruat, sed debita reditusque exsoluit; ita & procurator totorum bonorum, præsertim cuius Dominus peregrè agit, si otiosam Domini pecuniam habet, in exstinguenda debita reditusque redimendos impendere debet. Nam *& id quoque ei mandari videtur vt soluat creditoribus. l. sed &* 59. *D. de procurat.* Id enim videtur in generalitate administrationis comprehensum, non tantùm vt quis recipiat pecuniam Domino debitam, sed & soluat creditam. Et quamquam *d. l. sed &* subijciatur legi quæ de generali libera administratione mentionem facit, non tamen causam ex liberis mandatis, sed ex generalibus accipit, vt in gerendis negotijs generaliter agat citra alienationem quod vtilitas Domini exigit, quod ipse bonus paterfamilias, si adesset, præstaret.

5. Rem Domini non potest oppignorare etsi generalem non liberam administrationem habet.

Porrò procurator citra Domini voluntatem bona pignori dare non potest: *l.* 1. *C. si aliena res pig. dat. sit.* tametsi exceptio aduersùs Dominum detur, quatenùs in rem versum sit. quod eadem lex rursus restringit ad id, quod numeratum est, vt non mox pecuniæ versæ citra Domini moram petantur vsuræ: vt ne quidem procurator totorum bonorum sine speciali seu expresso Domini mandato alienare possit, nisi res quę facile corrumpi possint: *l. procurator totorum* 63. *D. de procurat.* quod concessum videtur ei, cui generalis & libera administratio est concessa: *l. procurator cui* 58. *D. eod.* sed hic exigere, & aliud pro alio permutare posse dicitur. sed *in l. quarat. §. litera vers.*

qua rat. generaliter vt vendere possit permittitur, sed eius Domini qui peregrè profectus est: & rarum est vt ex generali clausula alienare mandatarius possit, nisi specialiter mandatis comprehendatur. *qua de re tota latius videri potest Tuscus, V. mandatum, conclus.* 50. 51. 52. 45. 41. 42. Quapropter in huiusmodi generalitate valde apprehendenda est conditio mandantis, mos illius, & regionis; causæ, loci, personæ, aliæque circumstantiæ. *l. filiusf. 7. D. de donat.* vbi & libera pecuniæ administratio non extenditur vt perdat; neque vt donet: nisi ex persona hoc potuerit colligi: vt si filius sit senatoriæ dignitatis, sed & aliàs in generali mandato non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, *c. in generali de reg. iur. in 6.* vnde vendere, alienare, oppignorare, præsertim immobilia & duratura, nec Prælatis permittitur; quibus tamē libera administratio videtur concessa, sicut administratoribus reipublicæ, quibus transigere licet: *l. præses C. de transaction.* quod tamen iis, qui generale tantum mandatum habent, non est concessum. *l. mandato 60. D. de procurat.* atque hæc ideò; quia ius aut mos Prælatorum non est immobilia vendere. *tot. tit. X. de reb. Eccles. non alien.* adeoque nec licebit receptoribus Ecclesiarum, quamuis generale & liberum mandatum habentibus, res Ecclesiæ alienare, vel oppignorare: vt nec tutoribus, eorumúe adeò mandatariis. *D. & C. de reb. & pred. minor. sine decreto non alienand.* consequenter mandator generaliter & liberè nobilis aliquis, seu diues, non mercator, seu qui prædia sua non solet alienare, generalibus verbis non censebitur mandatario alienandi facultatem fecisse, quia in specie non esset id concessurus: multò minùs, vt fide iubendi, ita oppignorandi pro debito, quod non est domini, aut non in solidum est: id enim est perdere, & donare; quod non est concessum vel ei, cui data est libera administratio. *d. l. filiusf.*

6. Nec libera extenditur ad donationem.

7. Nisi ex circumstātiis.

8. Sed transactionem.

9. Nec immobilium alienationem ex ratione personæ.

Quibus omnibus attentis cum non constet L. receptorem bonorum Ecclesiæ, seu minorum, vnquam penes se habuisse pecuniam otiosam durante administratione, sed illa demum finita, cum mandatum erogandi cessauit, ad vsuras prioris temporis condemnari non potest, nisi fortè iudex excussis iterum rationibus aliud possit deprehendere; quo casu vel vsuras præstare teneretur ex re Ecclesiæ, seu minorum debitas: *d. l. minor.* vel sarcire culpam, qua neglexit redimere reditus bonis incumbentes, (quod & is teneretur, qui non moram, sed culpam hanc in rebus aliorum commiserit) post redditas autem & liquidatas rationes tenetur, mora contracta non tantùm ex re, sed etiam per interpellationem; quin etiam ante liquidatas rationes quoad eas summas, quæ nullam patiebantur controuersiam, & quibus nulla erogatorum par esse noscebatur compensatio. Denique ex rationibus delenda est pecunia sub vsuris aut reditu sumpta, sine speciali vel expresso mandato bonis hypothecæ suppositis, excepto tamen quod in rem Ecclesiæ seu minoris versum est: non tamen supra quam numeratum est, id est, sine vsuris: nisi fortè ita vtiliter sub vsuris acceptum sit, vt boni viri arbitratu non aliter fieri potuerit, vt ei officium suum non sit damnosum, sed præstetur ei, *quidquid eo nomine vel abest ei, vel absuturum est*, *l. 2. in fin. D. de negot. gest. l. 19. §. penult. & seq. l. 23. l. 31. §. liberto l. 45. D. eod.* vtiliter inquam, iudicio hominum communi, etsi effectum non habeat negotium, sine eius culpa, *l. 10. §. 1. l. 22. D. eod.* adeoque ad terras aggere vtiliter omnium prudentum iudicio cingendas, etsi ob extrinseca impedimenta id non successerit.

10. Nisi in rem sit versum aut iudicio communi vtiliter gestum.

11. Etsi Euentus non responderit.

De in Integr. restit.

CONSVLTATIO I.

Quando minori aduersùs curatores simul & aduersùs possessores agere liceat?

Est in arbitrio minoris curatorem actione personali conuenire: *l. 1. D. de tutel. & rat. dist.* vel possessorem rei vendicatione: *l. fin. C. de act. & oblig.* minor enim tam restituitur rebus propriis, quàm à curatore damnum requirit: nullo ei præiudicio per electionem generando. *l. vlt. C. si tutor vel cur. inter.* imo consulit Imp. Anton. vt læsus, si tempora restitutionis non excessit, restitutionis auxilium accipiat: sin aliàs; curatores conueniat. *l. 1. eod.* neque verò interuentio illorum impedit illud iuris beneficium. *l. 2.* vt licet ab illis personali actione ius suum consequi possit, nihilominus tamen restitutionis auxilium detur. *l. 3. eod. c. 1. c. 2. in 6. de rest. in integ.* exceptionem tamen id patitur in casu *l. properandum. §. fin. C. de iud.* quoad damnum peremptione instantiæ minori culpâ curatoris datum, vt in curatoris defectum tantum restituatur: sed id singulare, vt plura per eandem legem sancita ad lites certo spacio coarctandas in gratiam publicæ tranquillitatis. In casu item fraudis aut collusionis ea electio obtinet. *l. etiam 45. §. fin. D. de min. c. 1. §. 1. de rest. in 6.* nec tamen negatur restitutio in omnibus iudicialibus. *d. c. 1. in princ. c. 2. eod. c. 1. 2. X. eod. c. 5. X. eod.* ita tamen vt non tam leuiter, quàm in contractibus, restituatur in iudiciis: sed si grande damnum sit minoris, multumque intersit corpora potius habere, quàm actionem. *l. 9. in principio D. de minor. l. 1. C. si aduers. vend. pig.* authoritas id meretur iudiciorum: ob quam cum minor inuitus curatorem non accipiat; ad lites accipit. *§. 1. inst. de cur.* Cæterum si minor ipso iure munitus est, vt in quibus causis in integrum restitutio non est necessaria, quas per epito-

epitomen *eo tit.* habet Cuiac. *in Cod.* aut contractus ipso iure non valet, cessat restitutio. *Cuiac. in partit. C. si tutor.* conformiter, quæ alia iuris loca i. curatores conueniendos, & in subsidium possessores innuere videntur, ad exceptiones pertinent: *v. g. in d. l. 1. C. si tutor. Bus. in l. 13. §. pomp. D. de minor. glos. in l. polla. C. de his quib. vt indig.* vt maneat Regula, electionem minori competere, ordinarium simul & extraordinarium remedium. *Cuiac. in parat. C. si tutor.* Ad quem modum in simili procedit lex *seruos. C. si vendito pignore agatur.* vt illegitimè venditi serui vendicari possint, vel creditor in id quod debitoris interest conueniri. *l. 1. eod.* quia enim nullitas nascitur ex solemnitatum substantialium omissione, *l. 1. C. de fide & iure hastæ fiscalis & ibi glos. in verb. omni ordine*, & quod nullum est, nullum præstat impedimentum, nullum iuris producit effectum, dominij translatio impeditur, & præsto est vendicatio: *l. 1. D. de reb. eor. l. 5. §. manet actio. ibid. l. 11. C. de præd. minor.* Neque porrò obstat *l. 4. & vlt. C. si vend. pig. agat.* vbi non obseruatis quæ in distrahendis pignoribus celebrari consueuerunt aduersùs possessorem datur actio dumtaxat, si fraudem eum participasse doceri potest: quippe non neglectis solemnitatibus, sed per fraudem ibi facta est venditio, v. g. minori per collusionem pretio, aut contra pactum (quo spectant iuxta Cuiac. *l. 4. 7. 9. 10. D. de distract. pignor.*) tum enim subsistit venditio, & ex fraude conuenitur venditor, & si particeps est etiam emptor: sin minus; ille solus: quando autem subest nullitas, arbitrium est penes debitorem, quem conueniat. *d. l. 1. C. si vend. pig. agat.* ita Cuiac. *in paratit. eod. tit.*

CONSVLTATIO II.

Quamdiu Ecclesia restituatur.

ADuersantur. *c. 1. 3. X. de rest. in integ. l. vlt. C. de temp. in integ. rest. c. 1. rest. in 6. c. 5. X. eod.*

Alexander III. *in d. c. 1.* dicit quod Ecclesia iure minoris debeat semper illæsa seruari; & repetitur ab Innoc. III. *in d. c. 3. eod.*

Contra autem facit quod fauor minorum (quo vtitur Ecclesia *d. c. 1. 3. Euerard. in loc. à minor. in prin. & n. 20 post glos. & Panorm. ad d. loca.* non operatur restitutionem vltra quadriennium: *d. l. vlt.* & consentaneè de ipsa Ecclesia deciditur, *in c. 1. de rest. in 6.* & hæc regula est vera; ideoque illud *semper in d. c. 1. X.* non significat tempus, sed casum: i. omni casu non omni tempore, seu quandocumque, seu quotiescumque læditur: læditur millies, restituitur millies: *vt vult. glos. ibid. Villagut. de reb. Eccles. alien. rest. lib. 1. c. 73. in princ.* nec in sermone nouum est, vt temporum, pro numerorum, vocabulis vtamur. exceptionem tamen addit Greg. *IX. in d. c. 1. in 6. de rest.* nisi præuaricationis vel fraudis manifestæ probetur super hoc interuenisse commentum, aut alia rationabilis causa subsit: vt *in d. c. 5.* vbi post 45. annos restituitur Ecclesia. Quæ clausula conformis est illis Bonif. VIII. verbis; *in c. 2. de rest. in int. in 6. nisi aliquid rationabile appareat, quod aliud suaserit faciendum*: & illis generalibus edicti prætoris, *si qua mihi iusta causa videbitur.* & ob eam generalitatem causarum, quæ superiorem mouere debeant ad idem beneficium concedendum, vt loquitur Greg. Et quia alij aliis causis facilius mouentur, fortè inde factum vt translata ea doctrina ad minores, tempora restitutionum vix amplius seruentur. *Mynf. obs. l. 1. obs. 51. Bugnion. leg. abrog. l. 1. Satyr. 38.*

CONSVLTATIO III.

Quando minor recuperato prædio cum fructibus, vsuras soluat pretij in rem versi?

VNà cum prædio minoris sine decreto alienato restituuntur fructus: doli tamen exceptione repellitur minor si de in rem verso doceat emptor, nec ille offerat pretium cum vsuris. *l. si fundus § fin. l. si pupillorum. § fin. D. de rebus eorum qui sub tut. l. tutor in fin. D. de minor. l. vtere. 14. l. si præd. C. de præd. min. sine decret.* quia qui restituitur in integrum vt in damno morari non debet, ita nec in lucro; *l. 1. C. de reput. quæ fiunt.* Sed pone pretium impensum est in redemptionem reditus annui, & solutionem lapsorum canonum; siue pone duobus creditoribus solutum pretium, cui alteri vsuræ debebantur, alteri non item; atque ita vtrumque versum est in rem minoris: an ergo vt redempti reditus, ita & canonum lapsorum priori creditori solutorum vsuræ præstabuntur, quæ i. creditori non fuissent præstitæ? d. lex quidem *tutor in fin.* de pretio & vsuris respondit actiones dandas: vtique si ad minores accepta pecunia peruenisset! sed *d. l. vtere* vsuris addit, *quæ fisco deberentur:* d. l. si prædium, *vsuras quas præstitura esset, l. 1. C. si maior. fact. lib. 5.* possessio cum fructibus restituitur, ita vt fœnebris pecunia (quæ vt creditori debebatur ait glos.) cum competentibus vsuris restituatur. Quare videtur si apud creditorem non erunt præstandæ vsuræ neque fore præstandas apud emptorem. Quomodo *d. l. si pupillorum*, non grauioribus vsuris valere obligationem, neque ius prioris creditoris ad sequentem transire decernit. & facit ratio *d. l. 1.* lucrum non facere debere minorem, sed nec in damno esse debere: morabitur minor in damno, si pecunia non vsuraria, aut fœnebris apud creditorem, vt lapsi iam canones, fiat vsuraria ac fœnebris apud emptorem: (quæ quidem tum non habent natu-

ram,

tam vsuræ vsurarum, quia emptori soluenti ex precio canones non sunt vsurarum lucra, vt ea causa nihil obstet) Atque ita *d.l.1.de Rep.* ex suprad. themate infert ita; *& ideo quidquid ad eum peruenit hoc debet restituere* : vsuræ autem lapsorum canonum censeri non possunt peruenisse, cum eas non deberet, & iis solutis factus non est locupletior : quod considerat *l.1. C.si aduersus cred.* quia nec pretium consumpturo datum restituitur. *l. quod si minor.§.restitutio.D. de minor.* in qua lege Paulus solum pretium restitui iubet, etsi res cum fructibus redditur, *l.4.C.de pred.min. & l. patri.§.1. in fin.* iubetur eatenus ex pretio reddere, quatenùs ex ea pecunia locupletior est; si quid minor consecutus est mutuò, restituit, *l. minor. §. prædia eod.* ad suam æquitatem per in integrum restitutionem reuocatur res, vsuris pecuniæ, quam constiterit ex tutela deberi, reputatis, & cum quantitate fructuum perceptorum compensatis. Vsuras autem docet *glos.ibid.in V.reput.* ideo deberi, quia cucurrissent fundo non dato; aliàs contra. Si enim cucurrissent vsuræ; doli exceptio *per d.§. quamquam & alia loca* oritur, cum tantò locupletior sit minor, tantum ei saluum sit. Quod nisi sic dicamus; contingit plerumque vsuras pretij longè excedere fructus prædij, præsertim si centesimas aut alias graues mercator fortè exigat, vt vocat *d. l.1. C.si maior.* competentes vsuras, cum prædia, & res immobiles, vsuras pretij 4. in 100. pendere vix soleant, atque ita fructus non tantùm minori perire, sed magnam partem prædij restituendo amittere oporteret; quod intentioni legislatorum minoribus succurrentium videtur aduersari. Quæ eadem valde attendenda sunt cum res Ecclesiæ, quæ iure minoris vtitur, iubentur restitui.

CONSVLTATIO IV.

An restitutiónis petitio executionem in minoribus & Ecclesia suspendat, vt in aliis appellatio?

ADuersantur *c. suscitata de rest. in integ. & tit. C. in integ. rest. post. ne quid noui.* quod appellatio maioribus præstat hoc beneficio ætatis consequuntur minores. *l. præses. D.de minor.* appellatione pendente, nihil innouandum. *D. nihil innouand.app.* ita in integrum restitutione postulata ne quid noui fiat lex iubet, *C.eo.tit.* sententiam pari gradu appellationis vel in integrum restitutionis solemnitate suspendi refert lex si *causa C.de transact.* Econtrario tamen in *c. suscitata, de rest. in integ.* sententia lata non suspenditur per petitionem restitutionis in integrum; sed sub cautione mandatur executioni. variè torquetur hoc *cap.* censent aliqui illud esse speciale, quippe sententiam latam fuisse à summo Pontifice : & in rem iudicatam transiuisse, quando per supplicationem non differtur executio. *Authent. quæ supplicatio C. de prec. Imp. off.2.* quod præsumptio malitiæ petentis restitutionem *in d.c.* suspensionem impediuerit. *Ita Corset. & Aufrer. in quæst.54.* sed Lanfranc. *c. quoniam.8.excep. n.9. de prob.* censet restitutione infra decem dies petita, ab eo qui syncerus apparet, suspendi executionem sententiæ: Thesau. *decis.* 181. *num.3.4.* iudicatum refert à senatu Allob. pro suspensione. Cæterùm non se fundat Pontifex in eo quod ipse iure Imperatoris vtatur, neque transiuerit sententia in rem iudicatam : quia & minores (quorum iure Ecclesia, & monasterium vtitur de quo ibi agebatur) contra rem iudicatam restituuntur. *C.si aduersùs rem iud.* & post eum tit. sequitur aliàs generatim. statuens *rest. in integrum postulata ne quid noui fiat*, & dicit Pontifex *sententiâ latâ*, *aliàs* dixisset re iudicata, sed per excogitatam malitiam (sicut ex plurimis præsumptionibus videbatur) effectum sententiæ in damnum Episcopi contingeret impediri, æquitate pensata duximus prouidendum : Satis significat, æquitatem se sequi non corticem rigidi iuris, quem excludi voluit ob plures præsumptiones excogitatæ malitiæ. Rursus si dicimus post decem dies à sententia Pontifici supplicatum esse; alia est æquitas contra iuris rigorem, in eo quod ab Episcopo exigitur idonea cautio, quæ non exigitur cum post 10. dies supplicatur. *d.Auth. quæ supplicatio, & Azo ad eum tit. de prec. Imp.* fundatur & hæc æquitas à Pontifice in verbis; *propter diuersas suspiciones.* Quare optimè Vestrius *lib.8. prax. c.3. n.15.* pro regula statuendum ait per restitutionem postulatam suspendi executionem: pro exceptione; nisi suspicio malitiæ vrgeat : & dummodo reparabile sit, quod executioni demandaretur. *n.16.17.Capel.vbi sup.* cautionem autem præstandam parte tantum petente, & quando de sufficientia exequentis esset periculum, neque de expensis iudicialibus dumtaxat ageretur, quæ sine cautione exigi soleant. *d.n.15.sub.fin.* apud nos, vbi materia consignationis frequentatur, & prouisionalis consignatio plerumque obtinet statutis multorum locorum, vt pendente quæstione restitutionis, sine præiudicio illius rei iudicatæ, transactionis, contractusúe obseruatio iniungatur : sic, vt noui nihil fit contra minorem restitutione petita, ita neque contra possessorem, qui ante definitionem restitutionis non eiicitur possessione, fructus colligit, &c. Itaque contra annuam præstationem restitutione petita, non turbabitur possessor per iudicium restitutionis, sed eam continuat minor lite pendente vsque ad definitionem.

Nisi malitia appareat.

CON-

CONSULTATIO V.

Res monasterio legata, ab eóque vendita, à consanguineis legantis retrahi potest.

CAia cùm matrem & in conuentu N. plures moniales sibi sanguine iunctas haberet, eidem matri & conuentui fundum legauit, quem deinde mater & conuentus vendidit. Titius testatricis & hæredis cognatus iure gentilitij retractus eum ab emptore auocare, & in se transcribere contendit; quod ius ei emptor negat competere, qui non sit consanguineus monasterij vendentis.

Quæritur quid Iuris?

1. Secundùm mores nostros, quia dominium non abiit in monasteriũ.

QVæstio hæc dupliciter considerari potest, secundùm mores nostros; vel secundùm ius scriptum. Secundùm hoc quidem Ecclesiæ dari, legaríque potest, & priuilegio speciali dominium in eam sine traditione transferri: secundùm mores nostros, & Principum edicta, res immobiles manibus mortuis dari, legariúe nequeunt, earúmue dominium in eas afferri. Si quæstionem ergo expendimus ad mores nostros; præsupponendum est in gratiam conseruandarum familiarum consanguineis tam diu ius retractus competere, quamdiu ea consuetis solemnitatibus coram domino, quem illa recognoscit, eiusque curia, non fuit tradita, in eamque emptor inuestitus. & nonnullibi deinde ad annum vsque & diem; alibi ad tempus factarum proclamationum dumtaxat, & inuestituræ. Igitur cum monasterium rem immobilem acquirere, in eaque inuestiri nequeat: tantisper ei familiæ, cuius fuit ante monasterij legatum, donationemúe, singulisque consanguineis ius retractus integrum manet, cum medium inutile extrema coniungi non impediat, neque impedimentum præstet, quod de iure non sortitur effectum. Sic & regula Catoniana ea non complectitur, quorum non omne ius à tempore conditi testamenti consumitur. *l. 1. l. 3. l. penult. D. de reg. Caton. l. cætera 41. §. 1. de leg. 1. Cuiac. obs. lib. 4. c. 4.* Itaque inter-medij facti aut iuris monasterij ratio non habetur, non magis, quàm in postliminio reuersis eorum quæ apud hostes acciderunt. Et in non dissimili casu tyrannidis Tiraq. *de retr. §. 32. gl. 1. n. 87.* atque hoc casu magis monasterium iure vel instar creditoris, quàm domini vendere censetur, vt valorem pretiumque habeat permittente hærede, vel quod opinetur re immobili contra edicta mo-

2. An nec momentaneum rei legatæ vel pretium?

nasterio legata pretium deberi (vt non malè multi censent) finis legis vendente monasterio cesset, eaque de duraturo non momentaneo dominio accipi debeat. *l. pro patri. §. versu. D. de in rem vers.* vt cum quis capere rem vetatur citra suum delictum, tunc hæres tenetur ad æstimationem. *l. apud Iulian. §. fin. cum l. seq. de leg. 1. l. fideicommissa. §. si seruo de leg. 3. Menoch. l. 4. præs. 220. n. 5. VVames. cons. 409. n. 3. cons. 416. tom. 2. de test.* vel quantum ad se pertinet piam testatricis voluntatem hæres interturbare nolit. Quæ eius agendi ratio reipublicæ vel familiæ iura non imminuit; sed ex eius consensu seu conniuentia venditione facta eius consanguineis, sine respectu personæ vendentis, retractus datur. *Tiraq. de retr. §. 1. gl. 2. n. 58.* Qui & generaliùs docet, dum res aliena venditur consentiente vel conniuente domino, retractui gentilitio locum esse. *ead. glos. 2. n. 18. 19. 20.* & creditore vendente debitoris consanguineos rem venditam retrahere posse. *§. 1. gl. 14. n. 18. & aliis.* Erit ergo locus retractui re à monasterio sic vendita. Et quamquam diceremus monasterium iure domini vendere; tamen quantisper non est facta inuestitura, agnatus retrahere potest, vt dictum est, soluto eo pretio, quod interim per secundos tertiosúe contractus constitutum est; quod æstimationem facit rei, quæ etiam per legatum aut donationem translata est; in qua donatione aut legato quamuis communiter receptum sit, vt retractui locus non sit: *Tiraq. de retract. §. 14. n. 90. §. 25. n. 1. & 2.* tamen in contrarium iuit Corasius *Miscel. l. 3. c. 3. nu. 4.* cuius doctrina in nostro casu vel ideo maximè posset obtinere, quod per secutam venditionem ventum sit ad æstimationem, & pretium. Cuius defectus pro causa excludendi retractus ab aliis allegatur: nam vbicumque pretium est, aut quod æquipolleat, retractus admittitur. *latè Tiraq. §. 1. gl. 14.* Ratio certè retinendi in familia patrimonij omninò hîc militat, quæ potius sequenda, quàm verba legis: in quam committit, qui ea amplexus contra illius nititur voluntatem. *l. non dubium. C. de leg.* nec legem captare, sed qua mente feratur animaduertere oportet. *l. penult. D. ad exhibend.* & dubitandum non est, quod si legem retractus statuentes de nostro casu rogati fuissent, id, quod diximus, statuturos fuisse: adeoque pro statuto habendum esse. vt in materia retractus argumentatur Tiraq. *de retract. §. 26. nu. 45. ex sententia glos. in l. tale pactum. § vlt. ff. de pact. cum concor. à Tiraq. omnium latissimè congestis, in rep. l. si vmquam in princ. num. 56. inter tam multa. C. de reuo. dona.*

3. Retractus locum habet quamdiu aliter nõ est ritè inuestitus.

4. Ratio retractus hîc locum habet, quæ?

Quare idem Author *§. 1. gl. 9. n. 107. & seq. 247. & seq.* bene docet marito rem vxoriam vendente consanguineos vxoris, & si non venditricis, admitti ad retractum: quamuis non sint de familia venditoris. Vt nec ideo obstet in nostro casu quod retrahens non sit agnatus monasterij vendentis, quod an etiam verum sit mox examinabitur.

5. Retractus hîc obtinet etiam secũdum ius

Nunc consideremus quæstionem propositam secundùm ius scriptum, & demus, vbi æstimatio rei non accessit, donatam rem legatamúe

scriptum, quia monasterium vicê habet consanguinei ob eos quos repræsentat.

gatamúe retrahi non posse, tamen cum monasterium deinde rem legatam distraxerit, testatricis consanguineis retractum competere, dicendum videtur, quandoquidem intuitu matris, aliarumúe monialium sanguine iunctarum legatum factum fuerit. *c. requisiuisti. §. si verò relinquatur. X. de testam. & ibi DD.* adeoque per eiusmodi legatum quasi ipsis cognatis datum (esto validum, & dominium transferat) non abi tres extra familiam, manent enim cognatæ etiam post professionem moniales, iura enim sanguinis, nullo iure ciuili dirimi possunt. *l.8.D.de reb.dub.* nec monasterium vicem extranei subit, sed consanguinei, imo & filij. *Auth. si qua mulier. C. de sacros.Eccl. c. in præsentia. X. de prob. & vtrobique DD.* per monachum ius legitimarum successionum retinet. *l.Deo nobis 54. §. hoc etiam. § sin vero. C.de Episc.& cler.* non parentum dumtaxat respectu, sed & aliorum agnatorum vel cognatorum. *glos. ibidem in verbo parentum.* quia nullum religiosis impedimentum ex sanctimoniali conuersatione generari decernit *d. §. sin vero.* quare Cuiac. *ad Nou. de monach.* ne capite quidem monachos minui asserit. neque enim vllus canon, aut lex aliud decidit. Velle quidem & nolle non habent. *c.si religiosus. de elect. in 6.* moraliter in superioris arbitrium resignant, & rerum dominia ex voto paupertatis & obedientiæ priuatim amittunt. *Auth.ingres.C.de sacros.Eccl. c.exiit. §. porro. §. adhæc de verb.sign.in 6.* sed id non obstat, cum eorum testamenta valeant, quæ capitis minutione irrita fierent. *§. aliter quoque inst. quib. mod.test.infirmentur*, nec vsusfructus monacho debitus, professione extinguitur, quod aliàs fieret. *§. finitur autem inst.de vsuf.* atque vsque adeo monasterium extranei loco non est, vt cum aliis prolibus numerum faciat; & filialem legitimam exigat: *d. Auth.si qua mulier* substitutum excludat: *Auth.nisi rogati.C.ad Trebel.* & conditionem, *si sine liberis moriatur*, deficere faciat. *d.c.in præsentia.* nisi alia verba aut testatoris mens contrarium suadeant. Quod si ergo monasterium ius liberorum habere censeatur, esse omnino intra familiam censendum est. Et quia tantisper res penes monasterium erit, penes familiam, à qua profecta est, esse reputanda videtur; quando autem distrahitur, extra familiam abire tum demum, quæ à monasterio repræsentata est; aperirique locus retractui consanguineis familiæ à monasterio antea representatæ: quod eo iure & nomine vendere credendum est, quo acquisiuit, & possedit (vnde enim possessionis causa mutaretur?) si ergo habuit iure successionis legitimæ, si intuitu monachi agnati testatoris, quo acquisiuit, & possedit, eo modo & iure distrahet. Quod si ita acquisiuit & possedit, vt agnatus, distrahet vt agnatus; viam sternet retractui agnatorum. Itaque monasterium hîc vendens Titio, consanguineus censetur per matrem & sorores, quæ naturâ consanguineæ sunt, quarumque intuitu res ad illud deuenit: præsertim dum in viuis, vt

6. Cognationis iura per ingressum non auferuntur.

7. Vt & plura alia retinent.

8. Ideoque per monachū à monasterio possessa ius retractus nō excludunt cum vendit monasteriū.

hic, eædem naturâ consanguineæ adhuc sunt, præcipuè mater quæ vendit; etsi de consilio, & assensu aliarum. Monasterium quippe dicitur propter monachos non sine monachis. *Bald. in l.1.col.2.C.de inst. & subst. sub cond.* 9.

Neque hæc mira sunt cum qualitas & priuilegium socij transeat in socium *l. si communem. D.quemadmodum seruit.amit. c. per tuas. §. quod autem.X. de arbitris c.in dubiis.X.de consec. Eccl.l.vtrum.D.ad leg.Pompeiam de parricidiis.gl. in l.fin. verb.fratribus. C.de muneribus & honoribus lib.10. & in c. nolite verb.triticum 11. q.1. cum simil.* Igitur re à monasterio sic vendita Titio, via patet ad retractum. In qua conclusione sentit nobiscum Petrus Pecq. *de Amortizat.c.3.4. n.2. post Guil. Bened. Papon. ad cons. Bourb.§.479.Damboud.in prax.rer. ciuil.c.265. n.22.sed Guil.& Pap.* ex praxi Galliæ litteras regias impetrari docent ad eum effectum.

9. Propter cōmunionem & societatē.

De his quæ vi vel metu.

CONSVLTATIO I.

An solus metus in virum constantem cadens, an alius etiam matrimonium irritet?

CONtrouertitur de matrimonio per metum inito: & aduersantur inuicem. *c. veniens el 2.c. consultationi. X. de sponsal. c. significauit.2.de eo qui duxit quam pollnit.c.veniens el 2. de sponsal.de metu* loquens ait, nisi metu, *coactus, qui possit in virum constantem cadere, eam desponsauerit, c. consultationi. X. de spons. de illato metu est cum diligentia inquirendum, etsi talis metus inueniatur illatus, qui potuit cadere in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ.* Vbi doceri videtur non metum quemlibet, sed eum porrò qui in virum constantem cadere possit ad inualidandum matrimonium requiri. quod iuuat *c.1. in* materia voti, seu matrimonij spiritualis; & *cap. penult. de his quæ vi aut metu. l. nec timorem.7. D. quod metu.* Sed cap. *significauit 2. X. de eo qui duxit quam polluit*, non disertè metum constantis viri requirit; sed quatenùs tanta vis illata fuerit, quod non spontè in primam consenserit: quibus verbis non constantis viri tantum metum recipit; sed omnem eum qui arbitrio Iudicis tantus sit, vt spontaneum consensum tollat. & quia *d.cap.significauit*, ex tali metu soluit matrimonium; sequitur Ecclesiam non irritare tantùm matrimonium ex metu viri constantis, sed & alio, qualem modo diximus, secus quam Sanchez *l.4. d. 17. de matr. aliiq. ab eo citati* existiment. vel potius iure naturæ, quam positiuo Ecclesiæ huiusmodi matrimonia irrita esse & declarari. etsi idem Sanches *d.14.* aliter opinetur: aut saltem ius naturæ, & Ecclesiæ reuera, cum probari potest,

test, non differre. quo facit *cap. cum locum de spons.* vbi ait Pontifex simpliciter, quod locum non habeat cõsensus vbi metus vel coactio intercedit; matrimonium autem solo consensu contrahi, & plena securitate gaudere debere. Consensus enim non efficiens tantùm causa, sed formalis & essentialis est matrimonij: sine quo illud esse non potest. vti per nullam potentiam sine sua essentia res esse potest. est enim matrimonium animorum coniunctio. adeò vt de fide sit consensum in ea esse necessarium. *Concil. Florent. decret. de sacram. matr. c. sufficit. 27. q. 2.*

Et quamuis argumentum à contrario sensu metum viri constantis requirere videatur; illud tamen non obtinet, quando contra ius alibi declaratum, aut rationem quid infertur. Ius alibi declaratum est, *in d. c. significauit*, & rationes iam datæ & relatæ latius apud Sanchez euincunt, *d. cap. 1.* quidem metus mortis mentionem facit, quia in narratiuis verbis Pontifici proposita erat intentata occisio: vt in more est respondere tantum ad proposita, alioquin cruciatum corporis, aliaque id genus excluderet.

Cap. autem *penult.* agit de collegio integro Canonicorum; & quamuis meminit mortis, aut cruciatuum, non excludit tamen alia, quæcumque in constantem virum cadere possunt. Quem ibi requirere videtur specialiter: tum propter vinculum, & reuerentiam adiuncti iuramenti, (cuius hac in re quantum sit momentum cõstat ex ijs quæ tractat Sanchez *d. 20. 21.*) tum quia, vt dictum est; de integro collegio Canonicorum agebatur, in quo vix præsumi potest violentia. Ideoque leuiusculi metus nulla consideratio habetur.

1. Cæterùm in matrimonio, vbi singulatim metus incutitur, qui verè spontaneam voluntatem impediat, etsi minor eo, qui in constantem cadit, quamuis ab Ecclesia non tam facile audiatur aut præsumatur: *d. cap. consultationi*, si tamen verè probari poterit; existimo matrimonium irritare. Quam opinionem vel ideò libentiùs teneo, quod præclari Theologi in foro conscientiæ asserant, nullum matrimonium valere, quod qualicumque metu cõtractum sit. *Ferd. Rebello de oblig. Iust. l. 2. de mat. q. 11. sect. 1. in vers. dixi modo, &c. sequitur Gutier. de mat. c. 77. n. 20.* neque nos ratio vlla cogat, vt aliud in foro Ecclesiæ, aliud in foro conscientiæ validum statuamus. cum ideò in matrimonio multa singularia contra ius scriptum ab Ecclesia introducta sint, vt conscientia seruetur illæsa, & à peccato immunis. Preterquam quod (quia

Verus metus si probetur irritat matrimonium quamuis non cadens in virum constantem.

2. Ecclesia non iudicat de occultis) non facilè Ecclesia præsumit, aut probatum habet spontaneum consensum defuisse ex leuiusculo metu, quamuis à parte rei secus sit. quando tamen reuera ex iudicio viri prudentis constaret, leuem licet causam, verè tamen grauem metum incussisse, tantumque vt spontaneum consensum defuisse commonstretur; non dubitem *per d. cap. significauit.* matrimonium pro irrito

Non tamen facilè præsumitur ex leuiusculo metu defuisse consensum.

haberi. quia certè nihil interest quo metu quis compulsus sit, dum constat compulsum esse, *vt inquit Decius in l. in omnibus. 39. n. 3. D. de reg. iur.*

Ad legem *nec timorem. cui consonat l. 5. 6. eod. l. 3. quib. ex caus. maior.* quod attinet, respondeo 3.
1. ius ciuile leuium rerum rationem non habere, de minimisque prætorem non curare, ne forum litibus impleatur, & quies publica turbetur: ideoque tolerare læsiones infra dimidium, & similia. 2. Dicit lex, *si quis meticulosus rem vllam frustra metuerit, per hoc edictum nõ restituitur.* (audi rationem) *quoniam neque vi, neque metu factum est:* deërat ergo materia edicti: non negat tamen IC. alia via officio Iudicis implorato, si qua ei iusta causa videbitur, succurri. *vt in l. penult. C. de his quæ vi.* ob solam impressionem subuenitur: denique ius ciuile saltem Digestorum, difficilius hîc erat circa admissionem leuis metus, quia facilè repudium admittebat; vt non faciunt canones, qui proinde difficilius censendi sunt ligare, quod soluere deinde non possint, & leuiorem metum admittunt in causa matrimonij, quam alijs. *Prapos. Neuizan. Nauar. apud Sanchez d. 6. n. 2. l. 4.* qua in re fundatur metus reuerentialis, quem Sanchez & ab eo citati admittunt, *d. 6.* preces importunæ, blanditiæ, &c. *de quibus idem d. 7. 10. 11.* quæ vix ad metum viri constantis pertinent aliquando.

Ius ciuile leuem metum non æquè curat.

Enimuerò quod *d. cap. consultationi* de muliere loquens, mentionem faciat metus cadentis in virum constantem, ex more loquendi, 4.
seu prouerbij loco, vt ait Sanchez *l. 4. de mat. d. 3. n. 3.* dicit. non enim eadem præcisè ratio expendendi metus in muliere ac in viro, in iuuene ac sene, imbelle atque robusto, ac militari homine ineunda est; sed ex Iudicis prudentis arbitrio. *l. 3. D. quib. ex caus. maior. vers. sed non sufficit. Menoch. lib. 3. præs. 4. Couar. de spons. p. 2. c. 3. § 4. n. 15. Sanchez d. 5.* qui *d. d. 3. n. 2.* huiusmodi metum respectiuè ad personas, de quibus agitur, dici benè asserit. *sequitur Gutier. de mat. c. 77. n. 2. 3.* Ideoque Couar. *ibid. n. 16.* non ita anxiè atque strictè metum considerandum esse in fœminis ait, quibus à natura inest minor animi vigor corporisque fortitudo. quare & Charond. *resp. l. 8. r. 23.* restitutam mulierem ait, quæ minis negandi debiti coniugalis à viro inducta fuerat.

Qualis sit metus pendet ex arbitrio Iudicis & circumstantijs.

Quamuis autem Palac. *d. 29. dis. vn fol. 663. § hæc porrò*, existimet hæc omnia post Concil. Trid. cessare, fallitur tamen. quia potest præcedere contractum comminatio, & metus, & ea causa durante contrahi. *Sanch. d. 12. n. 1.* verum quidem est præsentiam Iudicis & consanguineorum præsumptionem metus tollere, vel minuere, *Sanch. & ab eo citati d. 27. n. 2.* sed ita tamen vt probationem contrariam admittat; & maiorem quidem, quàm aliàs, exigat; & non paucæ etiamnum ex iis sufficiant, quas habet Menoch. *lib. 3. præs. 4.* 5.

Et obtinent hæc omnia etiam post Conc. Trid.

LIBRI SECVNDI
TITVLVS I.
De Iudiciis

CONSVLTATIO I.

Neminem suo motu citandum alteri iubere Iudex debet.



VONIAM extra allegata partium Iudex quid facere vix teneatur, quin & sæpè non possit; rectè Gail *lib.1. obs.50. num.4. 5.6. obs.55.num.6.7.per multos textus & Doctores* docet Iudici proprio motu non competere contra aliquem citationem decernere. Vnde sequitur nec debere actori, qui omnes & singulos sua interesse putantes, citari curauit, & in libello de maleuolis & maledicis tantùm in genere questus est, & silentium iis imponi petiit, statuere alios quærendos esse aduersarios: & nominatim M. & M. quorum interesse ipse suspicetur, in ius vocandos. Quia sufficit in genere, etiam in materia diffamationis per edictum generalem eiusmodi citationem fieri. *Idem Gail.lib. 1.obs.57. num.9. in fin.* neque nominatim M. & M.citandi sunt: quandoquidem lis principaliter contra eos ab agente non ordinetur:
1. Qui citandi. illique tantùm sint citandi, qui in libello nominantur, & contra quos petitio dirigitur, & lis principaliter mouetur, & consequenter quorum primariò in hoc iudicio interest, non quorum secundariò, seu per consequentiam. *glos. in l. de vnoquoque D. de re iud. authores citati à Pet. fol. in Addit. ad spec. Marant. parte 6. de citat. sub n.4. & apud Bertachin. in Rep. V. Citatio de quib. pers. vers. 10. vsque 20. & vers.30. & Card. Tusc. concl. 273.* Citandi non sunt multi ex necessitate. *Minsing. obs. cent.6. obs.6. num.18.* nisi fortè ipse actor nominatim semel citasset, quia tunc effectus est legitimus contradictor, & imputandum est citanti: aut ipse non citatus se obtulisset, pro suo enim interesse audiri
2. Præsertim si Iudex ad 2. & 3. edictū progressus est. tunc debet. *Tusc. num.13. & 17.* Quæ eo magis obtinent, si ipse Iudex sub sola generali omnium mentione processit ad secundum & tertium, atque peremptorium edictum. cum id *in l.70. D.de iud.* perimere dicatur disceptationem: & in *l.71. & 73.* quod cum dies superuenerit, agetur causa, & pronuntiabitur: non autem per nouorum aduersariorum singularem citationem inchoandum ex integro iudicium decernetur. Accedit quod nemo agere inuitus cogatur, nisi quem diffamauerit. *l.vn. C. vt nemo inuitus agere cogat.* Igitur non potest Iudex ei præcipere citationem ad agendum cum alio, quam ei lubet: ne quidem iam cum aliis litiganti, quia nihilominus, etsi cum pluribus agitur, contra singulos iudicium, & actio exercetur, actorque contra singulos agit: quod inuito mandari nequit. Neque enim quia quis cum Petro agit, etiam cum Paulo agere tenetur; sed vires suas relinquit iuris dispositioni *in tit. C.Res inter alios actas aliis non nocere. et l. sæpe D. de re iud.* Atque hæc quidem in rebus priuatis; in negociis publicis aliquando secus constitutum est; vt in vnionibus & suppressionibus beneficiorum mandat regula Cancellariæ de vnionibus & Concil. Trid. *s.7.c.6.* vocari eos quorum interest.

3. Nemo agit inuitus.

4. Quid in publicis?

CONSVLTATIO II.

Arrestum in bonis clerici fieri non potest per Iudicem laicum.

QVanquam facilitas conueniendi aduersarij, vt domi suæ potius quis ius consequatur, quàm foras ad illud obtinendum proficisci debeat, vsum arrestorum in multis regionibus introduxit; tamen neque casus & causas, neque personas omnes sub iis comprehendit. *Peckius de iur. sist. c.4.num.14.c.5.* vbi inter alios clericum excipit *num.8.*& expressè definitur *in c. cleric.de immun. Eccl. in 6. sed alio*, inquit, *modo conuenienti Iudicis Ecclesiastici cognitio aduersùs eum procedit. Rebuff. ad Ord.Reg.art.2.gloss.1.n.108.*

Verùm nec actu, nec habitu, seu potentiâ Iudex secularis in clericos eorumúe bona mobilia, quæ personæ conditionem sequuntur, iurisdictionem habet. *Couar. pract.q.c.21.* siue obligatio sit realis, siue personalis; quia semper coram Ecclesiastico conueniendi sunt. *c.3.4.& seq.c.si qui c.nullus c.de persona.c.peruenit.c.fratris c.sacerdotibus c.molita.c.placuit.c. si quis cum clerico.c.si clericus.c.clericum.c.in clericorum 11.q.1. Menoch.de arbit.cas.246.num.5.* vnde in longè forti-

fortioribus terminis Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violentiæ q. 76. n. 17. post Martam de iurisd. 4. parte cent. 2. cas. 125. n. 23.* etiam casu quo Iudex secularis potuit cognoscere de restitutione rei, penes clericum existentis; non posse tamen ait exequi; ad executionum autem naturam referuntur arresta. *Peckius d. n. 18.* & speciatim, non posse bona clericorum arrestari, docet idem Marta *d. cas. 125. num. 22. & cas. 41. vbi num. 30. post Bartolum & alios* docet repræsalias, pignorationes, & arresta in eos exerceri non posse, qui si in territorio adessent, in ius vocari non possent, vt non possunt clerici coram seculari.

Enim verò quamuis de rebus patrimonialibus, atque immobilibus clericorum controuertatur; nullatenus tamen dubitatur de bonis eorum ecclesiasticis, & mobilibus, quæ sequuntur omnino conditionem personæ.

Quapropter citra vllam hæsitationem dicendum est nullum, irritum, atque inualidum esse arrestum, per Iudicem secularem iniectum pensioni ecclesiasticæ, & spirituali I. reseruatæ super pastoratu suo, d. I. soluendæ per deseruitorem eiusdem pastoratus. Quod si autem secularis quispiam eius colonus, aut alias debitor esset; tum isti personæ seculari à suo iudice iuberi posset, vt manus suas non vacuaret.

De foro competenti.

CONSVLTATIO I.

Iudex notoriè incompetens, malè citat, adiri non debet, nec incurritur pœna contumaciæ.

QVam iustè naturalis scriptique iuris regulæ voluerunt vt vnusquisque à suis iudicibus iudicetur; tam sanctè sacri canones decreuerunt, ne sententiæ super matrimonio latæ vnquam transeant in rem iudicatam. illud priùs traditur *cap. nullus & tot. caus. 9. q. 2. & tit. C. si à non compet. iud.* ne peregrina sint iudicia, *cap. peregrina & seq. 3. q. 6. cap. in Galliarum 25. q. 2.* ne contra legem Deuteron. *c. 23.* per alienam messem transiens falcem in eam mittat. quàm legem D. Gregorius *resp. 9. ad Augustin. Anglor. Episc.* applicans ait, *falcem ergo Iudicij mittere non debes in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa. cap. 1. c. 6. q. 3.* vide & D. Paulus *ad Rom. cap. 14. tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Quod si quis transtulerit terminos proximi sui aduersùs maledictum *Deuteron. cap. 27.* talis iudicatio vel damnatio nec rata erit, nec vires vllas habebit. *d. cap. nullus, 9. q. 2.* nec firmitatem iudicati: *l. 2. C. si à non compet.* neminemque sententia à non suo Iudice dicta

1\. Acta sunt nulla iudicis incompetentis.

constringet: *l. vlt. ibidem.* & pulsato ante non suum Iudicem licet vt taceat: *c. pulsatus 3. q. 6.* adeoque ex notoria Iudicis incompetentia sequitur nullam citati dari contumaciam.

Quam, inquam, hæc iustè de foro Iudicum competenti constituta sunt, tam sanctè noluerunt sacri canones sententias, in causa matrimoniali ex erroribus rerum gestarum latas, vnquam transire in rem iudicatam; sed semper veritati locum super fore. *cap. consanguinei cap. lator cap. tenor. X. de re iud. c. fraternitatis. X. de frigid.* 2.

2\. Sententia matrimonialis non transit in rem iudicatam, semper retractari potest.

Cuius rei prompta æquè ac sancta ratio est, non solum quod quæ ex sacris canonibus proficiscuntur, ecclesiæ iudicio reseruentur: *l. omni innouat. C. de sacrosanct. eccles.* sed maximè quod matrimonij sacramentum contineat vinculum indissolubile: de quo Christus *Matth. 19. quod Deus coniunxit, homo non separet.* ideoque errore, quem coniugum absentia; *d. c. tenor* aut fortè colludium; *d. c. lator c. super eo. X. de eo qui cogn.* aut quid aliud; *c. loci d. §. his 35. q. 9.* causarit detecto; oportet non rectè statuta corrigere, & matrimonium redintegrare. *d. c. loci. §. his 35. quæst. 9. c. sicut. X. de testib.* quia vbi agitur de animæ præiuditio, omnia alia cedunt: ex Christi statera *Luca 9.* quid proficit homo si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Vnde omnes Iudiciorum formulæ, sententiarumque normæ vires amittunt, si qua ex iis animæ iactura sit consectaria.

Ex his conficitur sententiam à secularibus Iudicibus latam ab incompetentia infirmam esse; &, vt firma foret, nunquam in rem iudicatam posse transire.

Cum enim matrimonium res sacra sit, sacramentum, & quod magnum D. Paulus dicit; *ad Ephes. c. 5. in fin.* illius merito iudicium ad ecclesiam pertinet. *c. multorum 35. q. 6. c. de infidel. X. de consangum. & affin. c. accedent. de excess. prælat.* non verò ad seculares potestates. vt *in c. tuam. X. de ord. cognit.* Honor. III. super natalibus Reginæ Cypri rescripsit Ludouico Regi Francorum, ob implicitam matrimonij causam, cognitionem ad forum ecclesiasticum pertinere: & *in c. causam quæ. 7. X. qui filij sunt legit.* Alexand. III. an R. esset de legitimo matrimonio nata, ad ecclesiam; de possessionibus autem iudicare ad Regem Angliæ pertinere: idemque de alio Principe. *in c. lator. eod.* Vnde cum multa hodierni Nouatores in ecclesia & fide orthodoxa perturbassent, dignitatem etiam huius sacramenti in controuersiam vocarunt; vt opus fuerit aduersus eos etiam hîc Concilium Tridentinum insurgere: *si quis*, inquit, *s. 24. can. 12. dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos anathema sit.*

3\. Secularis nulliter de causa matrimonij cognoscit.

Inde inquit Choppin. *de sacra pol. l. 2. t. 7. n. 22. etiam principes viri si cupiant coniugij nexu ex causis canonicis solui, nouumque amplecti hymenæum; necessè habent Episcopum suum pro tribunali interpellare: Reges enim ac Monarchæ* 4.

4\. Etiam quoad Principes.

talibus in controuersiis fasces submittunt Prouinciali antistiti aut à Romano Episcopo iudices petunt. Vbi subinde allegat quomodo Ludouici VII. Regis & Leonoræ Aquitanæ matrimonium Francici Præsules irritum declararint an. 1152. recitatque diploma Romanum, per quod delegati antistites Regis Ludouici XII. & Ioannæ de Francia Ludouici XI. filiæ dissoluerint an. 1498. cui in terminis satis fuit conforme diploma quod obtinuit Henric. IV. cui, quam rebus gestis tam rectè iudicandi arte Magno, non satis fuit, si à Curia aliqua Parlamentari illius cum Margareta Valesia solueretur connubium. Quin & è contrario ab Innocentio III. Rex Franciæ Philippus, Curia eius, regnumque interdicto suppositum fuit, donec is relicta Maria legitimam vxorem Ingelbergam resumeret. Nec absimile accidit in Philippo I. aliisque.

5. Citatio etiã irrita quæ fit ad locum nõ tutum. Vt nihil dicatur, nulla gentium lege regno non subditos extra regnum sitos, ad regni iudices vocari; vocatis extra territorium ius dicentibus impunè non parere; ad locum non tutum, armis hostilibus & consanguineis carcerum terroribus infestum; citato naturæ iure & gentium abesse licere. *c. pastoralis de re iud. in Clem.* vbi Clemens V. natione Gallus, subdit hæc verba; *desiperet igitur qui citationem huiusmodi saperet arctasse citatum, &c.*

Constat igitur incompetenter pronuntiatam sententiam nullas vires habere, adeo vt nec appellatione vlla sit opus. *tot. tit. C. quando prouoc. non est necess.*

6. Res inter alios iudicatas aliis non nocere etsi verba sint affinia. Sed & insuper est animaduertendum, sententiam non esse latam aduersùs ipsos coniuges, quippe nunquam citatos; adeoque nullo naturæ, gentiumúe iure condemnari inauditi potuerunt, dum eis nullum iudicium dictatum fuit; sed alij tantum de crimine raptus interpellati, quod cum matrimonio tamen stare posset: sed non horum criminalis causa illorum iuri officere. *l. vn. C. quando ciuil. caus.* sed finis criminalis negocij initium ciuili quæstioni tribuere. *l. fin. C. de ordin. iudic.* Ita quod etsi & competenter, & rectè foret pronuntiatum; tamen res inter alios acta eisdem coniugibus non noceret. *tot. tit. C. res inter alios.* prȩsertim cum, vt hic, omnium discretæ sunt causæ. *l. sæpè 63. D. de re iud.* nec enim in simili negotio res inter alios actas absenti præiudicare sæpè constitutum est. *l. vlt. C. quibus res iudicata non nocet.* nec his officere, qui congressi in iudicio non sunt, si quid fortè præiuditij videatur

7. Quæ ita accipienda ne obsint inauditis. oblatum. *l. pen. eod.* atque in eum sensum accipienda sunt verba sententiæ; *à declaré le mariage non vaillablement contracté:* vt aggrauent causam eorum, qui de raptu illic accusantur; non quoad ipsos coniuges inauditos quicquam statuant. Ipsis ergo coniugibus ex ea sententia nihil est quod applicetur; sed ex supra citato Christi præcepto dumtaxat; *quod Deus coniunxit, homo non separet.*

CONSVLTATIO II.

Iudex citare non potest nisi subditos.

HAc in causa euidentes sunt plures simul nullitates, 1. ex inchoatione iudicij, 2. ex ordine. 3. ex decisione.

Nam cùm omnium actionum principium ab ea parte edicti proficiscatur quæ est de in ius vocando: vtique imprimis aduersarius in ius vocandus est, id est, ad eum vocandus, qui competenter ius dicturus sit. *§. omnium. instit. de pœn. temerè litigant.*

Quare ante omnia Iudicis est æstimare an sua sit iurisdictio. *l. si quis D. de iud.* *Sapientis Iudicis* Cicero esse dicit *animaduertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, qua res in quæstione versetur;* ideoque antequam in ius quempiam vocet despicere eum oportet, an sibi sit subditus: nam alioquin extra territorium aut supra iurisdictionem ius dicenti impunè non paretur. *l. fin. D. de iuris. omn. iud.* nam etsi qui ad iurisdictionem vocantis non pertinent, venire debeant, priuilegia sua allegaturi: *d. l. si quis vers. vocati*, tamen id obtinet dumtaxat cum ignotum, aut dubium est istiusmodi priuilegium. *l. 2. §. sed si dubitetur. D. de iud. glos. in d. l. si quis verb. æstimare.* quapropter cum euidens est atque notorium citatum ad Iudicem non pertinere, nec comparere quidem is tenetur. *Gail. l. 1. obs. 48. n. 9. & 10. Mynsing. cent. 6. obs. 7. si manifestum sit*, inquit, *n. 6. & euidens citantem non habere iurisdictionem in personam Citati (sicut Iudex laicus in clericum non habet iurisdictionem) tunc non opus est vel comparere, vel allegare priuilegium, imo Iudex incompetens excommunicari posset quousque desisteret. c. si Iudex laicus. de sentent. excommunicat. l. 6.* Ita Mynsing. quinimò ipso iure est excommunicatus, qui non ignorans qualitatem presbyteri in eum iurisdictionem exercet. *c. 2. X. de for. compet. §. 15. in Bulla Cœnæ.* 1. Notoriè non subditus vt clericus corã laico non tenetur cõparere.

Et licet d. lex *fin. d. l. si quis* communiter ita concilientur, vt diximus; quamuis daremus notoriè priuilegiatum vocantis non debere contemnere authoritatem; sed notorium priuilegium etiam allegare debere; vt hoc honori detur Iudicis: tamen ad effectum pœnæ contumaciæ euitandæ claro iure decisum est comparere non teneri: *contumaces*, inquit, *lex 53. D. de re iud. non videntur, nisi, qui cum obedire deberent, non obsequuntur; id est, qui ad iurisdictionem eius, cui negant obsequi, pertinent*: qui ergo notoriè non pertinent, contumaces fieri non possunt. 2. Nec fit contumax.

Id quod multo maximè obtinet in clerico, qui, ne quidem si velit, subiicere se potest iudicio seculari. *c. significasti. c. si diligenti. X. de for. compet.* cuius priuilegium iuris publici est, & non priuatum beneficium. *d. c. si diligenti* quod nulli Iudici ignorare concessum

est,

est, sicut priuilegia priuatorum; quæ facti censentur non iuris.

Citari ergo non potuit appellans presbyter, & loci parochus coram Iudice seculari; & citatus comparere astrictus non fuit; ac consequenter in contumaciæ pœnam non potuit incidere.

3. Nec declinatoria excidit.

Adeoque per non comparitionem dici non potest beneficio declinatoriæ exceptionis priuatus non comparens in primo citationis termino. quod in aliis Ordinationes Concilij Brabantiæ decernunt: sed quæ tamen non nisi stylum procedendi istius curiæ; non aliorum simul iudicum continent.

Accedit quod cùm regulariter expressi maior vis sit, quàm taciti: *c. nullus de elect. in 6.* clericus, qui expresso consensu se non potest subiicere iudicio seculari, *d. c. si diligenti*, minus poterit tacitè vel per contumaciam: præsertim cum Iudices seculares, nec actu nec potentiâ in eum iurisdictionem habeant: *c. seculares de for. compet. in 6.*

Sed & sacerdotio hîc iungitur alia qualitas, eademque notoria: quod D. appellans, tanquam ibidem procapellanus maior, castrensium numero priuilegioque gaudeat, & ciuilis Iudex de milite, militaris de ciue cognoscere, citareúe non possit *l. si militaris C. si à non compet. iud. l. 2. c. de off. milit. iud. l. 1. C. de off. præf. vrb.*

Euidenter ergo commissa est nullitas in inchoatione iudicij coram Iudice seculari aduersùs sacerdotem notorium, imo parochum proprium, & procapellanum maiorem castrensem.

Secunda nullitas est in ordine iudicij; quod lite non contestata processum sit ad causæ definitionem: cum tamen in iure decisum sit litis contestatione non facta processum irritum esse nunciandum: *vt loquitur c. vnic. X. de litis contest.* ideoque eâ non factâ nullatenus procedi potest ad aliquam sententiam: *auth. de exhibend. reis, §. si verò semel in verb. ne causa maneat actori vndique desolata, Iudice agere aliquid non valente, eò quod nondum apud eum facta sit litis contestatio, &c.*

4. Et lite non contestata non potest in principali pronunciari.

Nec verò refert si dicatur appellantem in scedula declinatoriæ exceptionis, seu aliàs aliquid etiam de negotio principali siue re gesta dixisse; quia id contestationem non facit: *d. c. vnico in verb. cum non per positiones & responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam contestatio litis fiat*, siue vt practicè dicitur per negotij propositionem, & actoris conclusionem; rei verò responsionem ad narrata non tantum; sed & simul conclusionem contrariam. Adeo quidem vt nec exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cuiuslibet obiectio litis contestationem faciat. *c. 1. eod. in 6.* & per actoris libellum & rei exceptionem nequaquam litis contestatio intelligatur esse facta. *c. 2. eod. in 6.* quod hîc eò magis dicendum est, quod, qui Iudicem declinat, nullatenus censeri potest litem contestari velle, vt rectè Azo *in sum. tit. de litis contest. si, inquit, fiat responsio in principali causa, sed non ea mente, vt quis in ea procedat; sed aliqua, vt declinet iudicium, proponat; non erit facta contestatio litis.*

5. Nec ea fit nisi & animus adsit, & petitus contradicatur.

Itaque cum hîc non sit responsum in causa principali, nec in ea conclusio per appellantem capta; quamuis circa rem gestam in scedula declinatoria seu aliàs aliquid sit dictum; non est facta litis contestatio: nec valuit Iudex quidpiam agere, eò quod illa nondum fuerit facta. *d. §. si verò.*

Tertia nullitas est in ipsa decisione à non competenti Iudice facta. siquidem *nullum litigatorum sententia non à suo Iudice dicta constringit. l. vlt. C. si à non compet.* quæ verba canonizantur *in c. ad nostram X. de consuet.* & causis Ecclesiasticorum applicantur; vt non nisi à suis Episcopis possint iudicari. *& in c. si clerici X. de iud.* & si militaris Iudex de ciuilibus actionibus cognouit, aut ciuilis aduersùs *militem quidpiam statuit firmitatem iudicati non habet. d. l. si militaris C. si à non compet. iud.* & sicut valet argumentum à milite armatæ militiæ ad militem cœlestis militiæ *Euerard. in loc. à milit. armat. &c.* vbi *num.* 50. ait *vigesimo primo facit ad hoc quod sicut in milite armata militia non est licita manuum iniectio per rectorem prouinciæ, sed suo Iudici relinquitur: l. 2. cum sua glos. C. vbi quis de curia vel cohorta: ita nec in milite cœlestis militiæ, qualis est clericus: l. 1. & ibi Ang. & Bal. illo eo tit. parificantur enim istæ duæ militiæ quoad vocationem in ius. l. 2. cum sua glos. D. de in ius vocand.* Ita Euerard. tametsi eo argumento hîc opus non sit; cum D. appellans etiam miles sit armatæ militiæ; tanquam procapellanus maior; habens regia stipendia: vt duæ istæ qualitates exemptionem magis corroberent, etsi alio in genere distingui possint. *l. item 6. l. 4. & 5. D. quod cuiusq. vniuersit.* ideoque in principali causa qualitas procapellani armatæ militiæ Regiis stipendiis militantis immunem faciet, sicut cæteros milites hodie, qui vt sacerdos immunis non sit.

6. Ab incompetenti Iudice lata sententia omnis est nulla.

7. Vt in milite sic in clerico.

Sed obiicitur Appellantem non fuisse citatum, actionem aduersùs ipsum non fuisse institutam, sed aduersùs vasa aliquot cereuisiæ illius: sed verò acta contrarium probant, illum citatum, aduersùs illum conclusum, quin etiam illum ipsum esse condemnatum in pœnam & emendam pecuniariam, non tantum vasa confiscata.

8. Non tantum in personam.

At verò quomodo pœnam imponere potest, qui iurisdictionem non habet ciuilem vel criminalem in eum, quem vult damnare? v. g. secularis sacerdotem, quem ne quidem ad liquidum debitum coram se probatum condemnare potest: *d. c. seculares de for. compet. in 6.* coram quo conuictio vel confessio criminis nullius etiam sit momenti. *d. c. etsi clerici. X. de iud.* sed in omni excessu coram solo Ecclesiastico respondet. *c. clerici ibid.*

Vt imprimis pateat quidquid in personam ipsius appellantis est decretum, cassum atque irritum esse, defectu potestatis in personam.

9. Sed etiam aduersùs bona mobilia.

Bona porrò, saltem mobilia, huiusmodi clericorum ad idem priuilegium pertinent. quemadmodum Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem inita, *bona*, inquiunt, *mobilia presbyterorum sequentur conditionem personæ*. §. *bona in concord.* ideoque nec possunt condemnari in bonis & pecuniis: *c. vnic. de cler. coniugat. in 6. ne per vnam viam*, inquit, *concedatur iisdem Iudicibus, quod per aliam denegatur.* & propterea ea vasa, præsertim quæ erant in pœnore appellantis, aut cereuisia ex granis cocta quæ iam ipsius erant, non poterant per Iudicem secularem confiscationi addici. vt Fachin. *lib.9. cont. c.27.* rectè ait in his delictum personæ spectari, & ideo puniri eum posse in bonis, *nullo iure id probatur*, inquit. sic Suarez *contra Regem Angliæ l.4. c. 24.n.11.* docet bona adhærere personæ ipsius clerici, & propterea sicut persona exempta est, sic & bona: & suadet *l.1. C. de priuil. eor. qui in sac. pal. mil. lib.12. in verb. cum vniuersis mobilibus.* Ergo saltem mobilia conditionem personæ sequuntur, sicut immobilia territorium: *Tuscus multis citatis in verb. bona mobilia concl.* 105. quod sæpius in casibus huic similibus docet Diana *tract.2. de immunit. Eccles. resp.* 41.53.71.76.80. *vbique plures citans & nominatim Barbos. in Collect. tom.1.t.2.c.20.nu.6.* cuius verba argumento intimati respondent appositè.

10. Nec contrariatur instructio Brabantiæ super precariis, nec ea fori priuilegium clericis aufert.

Nec his contrariatur ordinatio siue instructio super impositionibus edita in Brabantia, quasi indistinctè cuiuscumq; conditionis personas comprehendat, & in illam impingentium cereuisiam cadere in commissum velit, & illos mulctari.

Quoniam id verum esto; nullibi tamen clericos in illam impingentes quibuscumque secularibus Iudicibus aut officiariis subiicit, id quod est quod hîc quæritur.

Et quamquam in instructione *edita in Ian.* 1601. consentienti omni clero ob iucundum Principum Alberti & Isabellæ aduentum, ad defensionem religionis, decretum sit, vt nullus ex clero ab impositionibus esset exemptus; & is modus collectandi sit deinceps continuatus; non tamē pro præmio liberalitatis obtinuit clerus, vt quorumcumque etiam minimorum Iudicum secularium vel officiariorū iurisdictioni vel executioni, supponeretur, amissa omni exemptione diuino & humano iure stabilita: nec dubia aliqua verba ad eas absurditates trahenda sunt, quæ nullibi gentium catholicarum vsurpentur, vt ea in Brabantiā, quæ à recta politia tam laudabiliter hactenus audiuit, inducantur pro præmio, vt dictum, est liberalitatis cleri.

Nam si verba Ordinationis generalia de iuramento expurgationis, de emendis, de pœnis arbitrariis, ita accipiantur vt optat intimatus; ipsos Episcopos, Prælatos, dignitates, parochos proprios &c. sicubi impegerint, rusticanus paucarum casarum officiarius aut Iudex arbitrariè puniet, in theatro opprobrio, & flagris afficiet. nam huc atque vlterius extendi potest pœna arbitraria. quis vnquam sensatus ita sensit?

Ergo, esto clericus non sit immunis ab impositionibus, in pœnam etiam incidat, ad solutionem compelli possit; non tamen à quouis, sed à suo Iudice; secundùm iuris communis, & ante consueti formam: ad quod ius consuetudinarium alludit articulus 77. eiusdem Instructionis, vbi declarat per vrbes Brabantiæ capitales difficultates circa precarias exortas decidi debere, eo modo, quo decidi ante solebant: atqui Instructio Philippi Boni *an.* 1451. decidit actiones & executiones huiusmodi tractari debere per Iudices, sub quibus degunt debitores, aut sita sunt bona: porro sacerdotes degunt sub suis Episcopis, & eorum mobilia illorum personam sequuntur.

Neque obstat articulus 73. eiusdem Instructionis, vt per omnes omnino officiarios executio huius materiæ fieri possit; quia agitur de alioquin competentibus, nam extra territorium suum, aut iurisdictionem suam loco priuatorum sunt. quid enim si Antuerpiæ Louaniensis officiarius suo marte executionem facere vellet? nunquid absurdorum omnium id absurdissimum haberetur?

Et ideo d. ar. 77. addicuntur collectoribus Regiæ literæ executoriales aduersùs ibidem exceptos, & *ibid. atque ar.* 83. & 89. generaliùs dicitur vt omnia Concilia, Iudices, Auditores, Legumlatores se regulent iuxta illam Instructionem, & exequantur. vbi sub generali vocabulo Iudicum, etiam Ecclesiastici Iudices, quoad clericos, intelligendi sunt. saluis nihilominus dictis executorialibus literis Regiis, propter souueranam manum Regis, quæ se etiam ad clericos, ex vsu nostro, in huiusmodi materiis extendit: non autem manus seu potestas pedanei cuiuslibet rusticani.

Quamquam *in d.ar.*77. cum aliis exceptis disertè Iudices Ecclesiastici non excipiantur, & exceptio in cæteris firmare regulam dicatur, & argumentum à contrario sensu validum sit; tamen id non obtinet, vbi aliter claro iure decisum est: à quo non est recedendum per argumenta præsumptiua, sed disertam tantum expressionem. *l. sancimus C. de testam.*

Quod hîc multo minus dicendum est, ne tam absurdè remunerata dicatur liberalitas cleri, vt diximus: tum etiam quia non potest præsumi tam difformis voluntas Regis à præscripto diuini & humani iuris. atque eo minus quod optimorum Theologorum sit sententia, *Ioan. Malder. de instit. & relig. tract.6. c.1.d.8. aliorumq;* assertionem esse de fide, aut fidei proximam, quod Laicus neque personam Ecclesiastici, neque eius causas Ecclesiasticas, ciuiles, aut criminales iudicare possit. Et licet Principes aliquos sibi casus priuilegiatos alicubi habeant, non tamen dubitandum, quin potestas eò non extendatur, vt tam generaliter, vt intendit intimatus, cum tanto dedecore ordinis quosuis Ecclesiasticos subiicere queant quibusuis pedaneis; ideoque, quo

se non

se non extendit potestas, non porrigitur Principum voluntas.

Quanquam etiam si dici posset sublatum omne fori priuilegium in Ecclesiasticis in causa impositionum; tamen Instructio d. ar. 87. disertè excipit omnes qui ad Auditorum tribunal pertinent, quò procul dubio appellans spectaret, vt militaria Regis stipendia habens, si non potentius esset priuilegium cleri: ideoque vel à minori expresse tutus est, vel à maiori si quid liquida iuris ratio valere possit.

Atque hæc ita verbosiùs fortè & intempestiuiùs deducta sunt, ne ex præiudicata forsan opinione in materia impositionum publicè fauorabili, & in qua summariè procedi possit, quispiam hæreat (quia causa nulla tam summariè expedienda est, *quin defensiones legitimæ admittantur*, inquit, Clem. sæpe *de verbor. signif.*) atque omnino ne quis leuis aut summariæ considerationis hanc declinatoriam putet, aut obscuris decretis reiectam intelligi, aut potuisse reiici, aut ad negotij principalis decisionem, ita Iudices à quibus potuisse illotis manibus accingi.

CONSVLTATIO III.

Mulieris fugitiuæ quæstio super matrimonio aut diuortio tractanda in loco domicilij mariti.

IN causa matrimoniali Iudex is est adeundus, vbi maritus domicilium habet, tametsi vxor inde discedens alibi in libertatem proclamet. *l. 1. 4. & tot. tit. C. vbi causa status.* vbi diuersis legibus deciditur status causam tractandam in loco eius Iudicis vnde discessit, qui in seruitutem repetitur: quamuis alibi possessionem libertatis vsurpare, domiciliumque figere voluerit. Vnde Iason *in §. superest. n. 68. inst. de act. & passim Doctores* idem in vxoribus, monachis, aliisque qui in alterius potestatem reuocantur, decidunt.

1. Et monachorum in loco monasterij.

Vnde & Concil. Trid. *s. 25. c. 19. de Regul.* monachorum, qui se per vim & metum professos dicunt, causam coram Ordinario suo tractari voluit, & si discesserint ad monasterium remitti. Quod si ergo argumentum à matrimonio spirituali ad carnale, & contra (vt in topicis Euerardus) validum sit, remitti vxor fugitiua ad domicilium mariti, ibidemque causam suam deducere debet.

Quod eò magis obtinet quod spolians audiri non debet, nisi redintegrato spolio. non ergo fugitiua vxor, quæ sub specie ambulationis dimissa diuertere, & emanere contendit.

Cùm ergo impetrans iuxta formam Concilij Trid. matrimonium contraxisse, & in eodem lecto concumbendo mariti possessionē coniugalem stabilisse exhibitis monumentis doceatur; non est sine præuio iudicio Ecclesiæ, in eius potestate minuere ius, & authoritatem mariti, vel iurisdictionē Ecclesiastici Iudicis; aut sibi mutare domicilium, & quidquid secus attentatum est, irritum est, atque inane, nullum producens iuris effectum, aut fundamentum alienæ iurisdictionis.

Neque aduersùs hæc allegata suspicio aduersùs Officialem, ex eo quod eius Episcopus videatur suspectus, satis excusat: tum quia simul proposita fuit cum exceptione declinatoria, quæ est incompatibilis: nam illa fugit, hæc exigit iudicium declinati: hanc allegans illam censetur deserere. 2. Nec causa recusationis Ordinarij forū mutat.

Tum quia impetrans appellando ad superiorem declinat iudicium arbitrorum, vnam viam ingressa de contraria excipere non potest; sed Iudici eandem tenendi, & pari passu ambulandi facultatem fecit. Atque ita si appellatio iusta fuit, & legibus approbata, deferre; sed si friuola, spernere eam poterat.

Neque verò Iudex tenetur appellantem monere, vt arbitros eligat, vt impetrans allegauit; appellationis viam deserat: sed oportet *vt ipse cum aduersario*, inquit, *c. cum speciali 61. X. de appell. arbitros communiter eligat.* licet in casu contumacis discordiæ in eligendo, tum demum Iudicis officium surgat, vt conuenire cogat. *c. 41. eod.* & coram arbitris allegata & approbata suspicione, in arbitrio est Iudicis recusati de assensu partis, causam ad superiorem transmittere, vel idoneæ personæ committere. *d. c. 61. vers. at ipsa.* 3. Qui si causa arbitris iusta probetur. 4. Potest alteri committere.

At verò communia hæc sunt recusatis Iudicibus: sed in Episcoporum officialibus speciale, vt ob eorum vti suspectorum recusationem non eatur ad arbitros; sed ipsum Episcopum, qui prouidere potest; &, si æquum est, alium Iudicem dare. *c. si contra de off. & potest. iud. deleg. in 6.* vt & in delegatis cum clausula *Quod si non ambo, &c.* quando plures Iudices in solidum singuli sunt delegati, tam pro causa recusationis, quàm principali, non recusati adeuntur. *d. c. si contra.* 5. Et recusato Officiali Episcopus sine arbitris alij committit.

Vbi finalibus verbis inuenitur in materia recusationis & appellationis iuris diuersitas, respectu Episcopi, & sui officialis, quodque quia ab hoc ad illum nō appellatur, ex eo quod idem sit auditorium, non procedat argumentum ad recusationem: vtpotè quia auditorium & iurisdictio realis est, gradus iurisdictionis idem, quo Episcopus & generali eius vice iudicans consistit: suspiciones autem nihil ad rem, auditoriumque pertinent; sed personam; quam non æquè egrediuntur. Cui non obstat c. insinuante. *X. de off. deleg.* quia ibi plura concurrunt, 1. quod & Episcopus & officialis erant impetrati per vnam partem quod suspectum iure facit; *l. obseruandum. D. de iud.* tum quia factus erat impetrans Episcopi domesticus, quod valde etiam causam mutat: *3. q. 5. c. 1.* & propius Episcopi ministros afficit. quamquam aliquid fatendum est affricari officiali imo omnibus Canonicis cathedralibus ex iusta Episcopi suspectatione. *c. statutum de rescr. in 6.* sed tū hoc tum d. c. 6. Nec propter hunc semper ille recusari potest.

insinuante loquuntur in Iudicibus delegatis; Ordinariis autem firmius inhæret sua iurisdictio: vt communiùs iure ciuili ille, non hic recusari posse credatur. *L. apertißimi. C. de iud. Auth. si verò eod. L. vlt. in fin. C. vbi quis decuriali. L. vlt. C. de iurisd.* Tum denique differunt recusatio & appellatio quoad officialem Episcopi: quia non nisi ex arbitrio recusati transiri potest ad superiorem atque in eius est optione an ad superiorem velit mittere, an alteri de partis assensu committere. *d. c 61.*

Manet ergo sub prætextu suspicionis non sic potuisse aliò transire impetrantem.

Manet etiam ex mente & verbis Concil. Trid. *sess. 24. c. 20.* alios omnes processus ordinationesque nullius momenti esse. quod clarius decidit sanctio Clementis VIII. *16. Oct. 1600. statut. Cur. Eccl. Prouin. Mech. insertæ art. 5, 6. 10. 15.*

De ordine cognitionum.

CONSVLTATIO I.

Qui non docet se cohæredem non agit alio iudicio inde dependenti, adeóque neque ad inuentarium rerum hereditariarum.

A Conuenit B. coram Ordinario ad conficiendum inuentarium bonorum hæreditatis, & impetrauit Iudices à Principe super testamento B. petiit à Principe interdici, ne in illa quæstione tamquam præiudiciali fiat progressus, donec de hac decisum sit. petitio interdicti, remissa est ad datos Iudices, vbi quæritur, rectène aditus sit Princeps, an coram Ordinario res peragenda erat?

1. Præiudicialis est præiudicialis hæc quæstio. Decidit hanc difficultatem *l. fundi. 18. D. de except.* ibi enim Prætor aditus est cum actio intentata esset, & quæstio simul moueretur, cui præiudicium fieri poterat: & respondet iurisconsultus prætorem interponere se debere. *l. fundi. 16. ibid.*

An autem inuentarij petiti quæstio à testamenti controuersia tamquam præiudiciali excluditur?

Is qui possidet, si neget eum, qui petit, sibi cohæredem esse, potest eum excludere per hanc exceptionem: & nisi etiam cohæres sit, neque adiudicari quicquam ei oportet, neque aduersarius ei condemnandus est. *L. hac actio 1. D. famil. ercisc. & in l. si mancipium. 34. §. si communi. D. de euict.* aduersario seruus adiudicatus est, quia probabat eum communem esse. *l. fundi. 18 l. fundum. 16 D. de except.* & vtrobique interuenit prætor, nec permittit petitori, priusquam de proprietate constet, aliis Iudiciis experiri. *Marant. in specul. p. 4. iud. 20. distinc.* tantisper enim solemnis suppetit formula exclusionis, *tua non interest.*

Id ergo priùs examinandum est an cohæres sit actor, an rem communẽ habeat cum possessore, vel socius sit antequam inuentarium rerũ familiarium edere cogatur. si enim testamentũ subsistit, nihil horum est, neque enim facultatum suarum rationes, aut fortunas denudare inuitus quis cogitur. *l. fin. C. de alimentis pupill. præst. l. 2. C. quando & quibus quarta pars lib. 10.*

2. Nisi summariè appareat de interesse rerum notitia depereat. Nihilominùs quando summatim *l. 1. C. vt in possess. legat.* cognoscit Iudex petitoris interesse, eumque ius in re, & probabilem causam actionis habere, iubet rem exhiberi: *l. 3. §. sciendum. & §. si me: um. D. ad exhibendum. l. si quis ex argentariis. D. de edendo,* etsi nondum dominiũ plenè probatur. *d. l. 3. §. ibid. 11.* sic si Iudex probabilem actionem testamentum impugnantis reperiat, ne res hæreditariæ depereant; inuentarium edi iubebit: sin autem exceptio possessoris, & testamenti subsistentia tam sit euidens, vt facilè repellat actionem, non dabitur inuentarium. *c. 1. de confeßis in 6.* continget etiam aliquando vt media via ineatur, qua vtrique caueatur, tam ne quid depereat, quàm ne cuiusquam rationes denudentur: vt & inuentarium fiat, & codices excutiantur, non tamen illud aduersario interim edatur, sed apud acta in arcanis reponatur, scribis silentio seuerè imposito vsque ad finem litium.

De dolo & contumacia.

CONSVLTATIO I.

De contumace illiterato puniendo.

1. Contumacia non potest grauius puniri, quàm delictum, ob quod contumax citatus est. QVod appellans postquam per sententiam datus est ei coadiutor à successore Episcopo rursus citatus est, vt se sisteret examini sub pœna priuationis in casum contumaciæ; nescio cui fini aut bono id factũ fuerit, ab eo, qui sententiam à prædecessore latã propugnabat. erat enim id actum agere. Et verò cũ contumacia grauiùs puniri nõ possit quàm ipsum crimen, aut factũ, ob quod actio instituitur; & ob illiteraturam priuari nemo possit, sed subsidiarius ei tantùm dari ex iure. *c. ex eo. §. fin. de elect. in 6. c. 6. sess. 21. Concil. Trid. Rebuff. de pacif. poss. n. 84.* vt generatim traditũ est priuari quem nõ posse beneficio, nisi in iure expressè statuatur: *Rebuff. de benef. lib. 3. tit. 1. n. 62. qui alleg. glos. sing. in c. fin. de iur. patr. c. si compromissarius de elect. in 6. § optimã in auth. de non eligend. secund. nubend. 12. col.* officium procul dubio Iudex excessit, qui ob contumaciã minatus est, & inflixit pœnam grauiorem, quàm ex causa ipsa infligi poterat. sæuire enim & crudelis esse intelligitur, qui pœnas à iure sancitas supergreditur. præsertim Iudices Ecclesiastici, quos iuxta Apostolum monet Concilium Trid. vt Episcopos & Pastores se, non percussores esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed illos tamquam

2. Et propterea qui ob illiteraturã tantùm coadiutorem recipere tenetur ob contumaciam beneficio priuari nequit.

3. Iudex Ecclesiasticus præsertim statutas pœnas supergredi non potest.

quam filios & fratres diligant, elaborentque vt hortando & monendo ab illicitis deterreant. *sess.* 13. *c.* 1. atque in iure quidem contumax non nisi in expensas condemnari potest; si vlterius constet quid circa negotium principale constituendum sit; vt etiam causa pro contumace decidatur. *l. properandum.* §. *& si quidem vers. sin autem C. de iud.*, & hic citatus ad examen vt summum non nisi pro confesso, atque illiterato ob contumaciam haberi poterat, eique, vt dictum est, coadiutor dari: quod iam ante factum erat. Vno casu clericus ob contumaciam beneficio priuatur, cum tergiuersatur ad residentiam venire, cui obstrictus sit. *c. inter. c. ex tua de cler. non resid.* quia beneficium datur propter officium. vnde æquum est, vt qui officium deserit, beneficium derelinquat. vt qui modum aut conditionem donationi adscriptam contemnit, donatione excidit. sed hæc contumacia non iudicium; sed rem, & causam spectat: nihilque cum ea, de qua agimus, commune habet. atque aliàs ob contumaciam non posse beneficio quem priuari expressè decisum est. *in c.* 1. *X. de iud.* destituitur ergo hæc sententia omni causa: materiali quidem & efficiente; quia ius non tribuit ob solam illiteraturam Episcopo potestatem parochum priuandi: finali; quia actum à prædecessore agere volebat: formali; propter litis & appellationis pendentiam ob attentatū, pœnamque ex contumacia grauiorem, quam ex causa poterat, comminatā. nullitas etiam surgit ex primordiali citatione die dominico factā. Neq; verò in his ditionibus recepta est doctrina Bugnionis *in suo tract. de leg. abrog. l.* 5. *c.* 54. quasi abrogatæ sint leges, & canones, citationes, aliaque acta iudiciaria diebus sacris fieri vetantes. nec crudè intelligendus est; sed tantùm quoad denuntiationes rerum sub hasta publicè vendendarum. Eodemque modo & restrictione intelligendum est Principū nostrorū edictū 20. *Septemb.* 1608. generatim verò, vel vt in actionibus personalibus causam dicturus die festo, vt aliquis citetur, neque vsus, neque vllo ibi verbo Principes permittunt. toto etiam cœlo harum citationum, & illarum denuntiationum ratio distat.

4. Etiam pro contumace causa decidenda est si ita æquitas suadet.

5. Vnico casu ob contumaciam clericus beneficio priuatur si monitus ad residentiam non venit.

6. Sed ob rem neglectam ad quā tenetur, aliàs ex vi contumaciæ nemo priuatur.

7. Iudicialia festis diebus facta sunt irrita.

De probationibus.

CONSVLTATIO I.

De Matrimoniali probatione.

1. Probationes promissionū matrimonialium.

PRomissiones matrimoniales in hac causa sunt diuersæ, & diuersimodè probatæ. primæ ante partium copulam; secundæ coram diuersis testibus, & diuersis temporibus factæ: vtræque confessione rei: secundæ testimoniis, literis, & præsumptionibus. confessio porrò aduersarij potentissima probatio est. *l. si ego.* § *dotem. D. de iure dot. l. fideiussor.* §. *pater. D. de pignor.* quin & in iure confessus pro iudicato est. *l. vnic. C. de confess.* reus autem hic noster in iudicio promissione, de quibus agitur, est confessus.

2. Si qualificatæ sint, an sint diuiduæ?

Sed quoniam confessio eius non est simplex, sed in vtrisque promissionibus qualificata: mota est quæstio an ea diuidi possit (quàm latè tractat Griuel. *decis.* 12.) de primis attexuit, quod sint factæ tempore ebrietatis: de secundis; quod sub conditione, *si liberi consentirent, aut si actrix lite abstineret.*

Et quidem confessio qualificatā, vnius facti circumstantiam inuoluens, quamuis per aduersatiuam particulam (sed) verbotenùs discreta, vt hîc, ordinariè diuidi non potest: sed duo facta complectens, aut qualitatem cum interuallo adiiciens, diuidi potest. *Griuel. ibid. n.* 4. vti & tum cum ex negocij circumstantiis, Iudex præsumptiones, aut indicia veritatis contrariæ deprehendit: cui eapropter Griuel. *n.* 25. arbitrarium facit an confessio qualificata possit diuidi, quidue sit connexum, vel separatum. *n.* 26. & sanè respuitur pars confessionis, quæ habet iuris præsumptionem contrariam. *c. cum venissent. vbi Panorm. de inst Co. stal. ad l.* 3. *D. de iust. & iur. Griuel. vbi supra, num.* 20. 21. 22.

3. Cum plura facta complectuntur.

4. Aut iuris præsumptionem habent aduersantē.

Atqui in hac causa ex actis constat de iuris præsumptionibus contrariis, & indiciis contrariæ veritatis, nam quoad ebrietatem, cum ad sponsalium nullitatem ea requiratur quæ mentis inducat exilium, vt loquitur. *c. à crapula. X. de vit. & honest. cler.* & per quam homo omni iudicio, arbitrio, sensu, & consensu, qui ad sponsalia requiritur, destituatur, & tamquam amens, & furiosus sit habendus: *Couuar. de mat. c.* 2. *num.* 10. *& latius ad Clem. furiosus p.* 3. *in principio, num.* 4. liquet reum nimio potu non fuisse amentem, furiosum, à mente exulem, qui ipse rem gestam multis articulis, præuia, & pedissequa copulæ potuit referre, symposium fuisse paruum pro numero compotantium, testes de hilaritate potius quàm de ebrietate, quæ ad mentis impotentiam spectet, deponere: & in pleniorem probationem actrix iuramentum suppletorium obtulit: prout probatio contraria qualitati adiectæ confessioni semper admittitur. *Griuel. vbi supra n.* 27. 28. 29. adeoque & illa, quæ fit per iuramentum etiam suppletorium, casu quo aliàs locus ei esset.

5. Ebrietatis plenæ.

Quoad verò conditionem *si liberi consenserint* confessioni secundæ vt prætenditur adiectam; ea etiam habet iuris præsumptionem contrariam; quod filia aliàs honesta in præsentem copulam descenderet sub promissionibus conditionalibus: cum etiam iuris præsumptio sit remitti per copulam conditiones, quas constat factas. *c. de illis. c. super eo. c. per tuas. X. de condit. apposit.* reiici ergo etiam potest, aut remissa intelligi hæc conditio, confessioni adiecta, dum ex actis constat sæpius exinde partes fuisse copulatas.

6. Conditionis non remissæ per copulā.

Quin verò suscepit Actrix in se onus probandi promissiones, & plenissimè probauit vnas quidem per testimonium parochi, & alterius sacerdotis, ac tertij testis de eodem tempore,

tempore, & actu, seu pacto coram se simul facto conformiter testantium; nullaque adiecta conditione: quin & addit vna testis confessum reum se in fidem promissi annulum dedisse, catenam auream addixisse, & ex rei confessione datam hanc constat.

Quæ solæ promissiones sic probatæ sufficerent ad condemnationem rei. sed quoniam multa obiiciuntur de Actricis fama ante ignorata, & post nata; de rixis; metu sinistri successus; iuramento abhorrescentiæ rei: ob quę verbis solis contracta obligatio fortè solui posset, dummodo non vanus sit timor, nec lenis diffidij sed probabilis moraliter, & quasi

7. Quæ excludit leuem metū alicuiū incommodorum. certus, & in virum constantem cadens: *Sanchez de mat. lib.* 4. *d.* 1.5. 19. ideò lubet & reliqua considerare, an primis promissionibus sua vis insit: nam dum in earum reciprocationem Actrix corpus tradidit non datur pœnitentiæ locus. *Sanchez ibid. lib.* 1. *d.* 10. *n.* 3.4.*&c.* neque horror, aut metus, & quæ timeri possunt incommoda ius pleniùs partum interuertunt. *Sanchez ibidem.* quod si apud Hispanos & Italos, quorum reconciliatio periculi plena semper est, locum habet; facile recipiendum est in

8. Præsertim in Belgis. Belgis; qui fœcundo calice omnes illos rancores ita abstergunt, atque obliuiscuntur, ac si Lethæo flumine essent abluti. vt non obuia sint exempla cædium, homicidiorum ex huiusmodi causa in Belgis: adeoque ea allegans habet

9. Vbi ea non admodum obtinent. iuris hîc præsumptionem contra se, quæ non ea credit, quę fieri non solent; sed quæ plerumque solent. *l. si pactum. D. de probat.*

Itaque primæ promissiones, in vim quarum secuta est copula, iuuantur à secundis, vt supra plenè probatis: iuuantur ab aliis, quas

10. Promissiones ex indiciis iuuantur. aliqui testes sub conditione, si Actrix lite abstineret, aut aliter factas dicunt: iuuantur ab annuli & torquis datione; multis literis à reo Actrici scriptis; amatoriis quidem, sed multa sui parte non id redolentibus, quod meretriciis amoribus conueniat; sed vxorio affectui, & solandis dilationibus promissorū; præsertim quæ eo die scriptæ sunt, quo reus iubilæū se dicit celebrasse, aliæ quę preces ad Diuā Hallensem factas; aliæ quę ad Diuam Viluordiensem faciendas pro felici successu, quem vterque tam diu desiderauit; aliæ de inuocatione Spiritus S. pro fausta negocij inter partes hærentis directione, aliæ denique quæ infinita verba continent, quæ non nisi sponsis seu futurarum nuptiarum promissione obligatis conueniant.

11. Plures debiles coniunguntur. Quæ omnia quoad probationem faciendam etsi singularia viderentur, quoad actus singulos; tamen, cum in eundem finem conspirent, in ciuilibus coniunguntur. Neque sin-

12. Et testes singulares eodem vergentes: gulares omninò testes videntur, qui eundem finem respiciunt. *Gail. l.* 2. *obs.* 56. *Mynf. cent.* 2. *obs.* 20. *Masc. concl.* 379. *per textum in l. qui sententiam. C. de pœn.* & geminationes per inter-

13. Et geminationes deliberationem produnt. ualla factæ deliberati & constantis animi præsumptionem inducunt. *glos. in c. ex litteris de diuort. Alex. ad l.* 1. *C. de err. Aduocat.* siue iudicialis siue extraiudicialis ea geminatio sit. *l. vlt. in verbo transactionibus. scilicet C. de plus petit.* potissimum quando contrariæ voluntatis assertio tendit in deceptionem, & fraudem contrariam voluntatem asserentis. *c. tua nos. X. de sponsal. Tusch. V. geminatio conclus...*

CONSVLTATIO II.

Remissio sponsalium plenè probari debet.

Remissio sponsalium allegata in donationem incidit: quare cum donare nemo præsumatur; verisimilis nō est allegatio: adeoque ad pleniorem probationem adstringit. *l. non est verisimile, & ibi glos. D. quod metus causa.*

Præterquam quod contra matrimonium etiam pleniores requirantur probationes: vt vix iuramento suppletorio locus sit; nisi plus quàm semiplenè probatum sit: *Papon. arrest. lib.* 9. *tit.* 6.

Quin imo in fauorem matrimonij, etiam cui nulla incumbit probatio, neganti illud, tamen quasi ex officio Iudicis iuramentum imponitur, quo si qua exsurgant indicia pro matrimonio diluantur. *c.* 10. *X. de sponsal. impub.*

Vnde tamen (quod per transennam notandum est) non admittitur compensatio expensarum, quàm praxis solet sæpiùs indulgere, quando is obtinet, qui iuramento suppletorio, & quasi testimonio proprio aduersarium superat: quia hunc testimonium ab onere suo releuat, illi iuramentum imponitur, cum sola negatione tutus esset, nisi securitas Iudicis in causa matrimoniali, aut simili, vbi Iudicis officium valde exuberat, illud exigeret, non ex iure aduersarij, sed fauore causæ, in qua publicè interest omnia excuti, quæ sacramentorum aut conscientiarum ratio inquirenda suadet. vnde & publicâ authoritate eis obsistitur, qui mutuo consensu & collusione ad matrimonium soluendum prosiliunt, quibus iudicium Ecclesiæ non debet concurrere. *c.* 5. *X. de eo qui cognouit.*

CONSULTATIO III.

Quod Titius spondet vt tutor non soluit vt Titius.

Qvod Titius promisit vt tutor, non tenetur soluere vt Titius. *L. Titium. D. de rescind. vend. l. Luc. D. de instit. act. l.* 15. 26. *C. de administ. tut. gloss. in cap. si quis pres. de reb. Eccl. non alien.* quod maximè procedit cum promittens subscribit, quo nomine promittat. *Rebuff. in tract. nominat. quæst.* 16. *numer.* 31. Quamuis enim tutor etiam pro

pro pupillis promittens ipse conueniatur, & condemnatus censeatur nomine tutorio, ita
1. vt executio in personam, aut bona illius dirigi non possit; quàmtumuis vnica cum alio tamquam correo bonorum, & personæ suæ obligationem chirographo addidisset: *vt iudicatum à senatu Sabaudiæ refert Ant. faber in codice suo tit.23.de administrat.tut.definit.5.* nisi manifestioribus indiciis deprehendatur fideiubere voluisse pro pupillis tutorem.

Nō censetur spondere vt Titius per clausulam se & sua obligans.

Porrò Lucius creditor spopondisse ait Titium nomine proprio, eamque emphasim fuisse verborum, *obligando personam suam, & bona*, offertque probationem per testes, qui contractui interfuerunt: sed vetat edictum *ann.1611.art.19.* cum scripto contractum est, testes audiri; & solum scriptum seruiturum declarat probationi eorum, quæ acta contractaue sunt. quod in viridi obseruantia est.

2. Nec hic admittitur probatio extra instrumentum.

3. At verò tum Titius tum Iudex admisit probationem per testes, qui declarant nomine proprio tutorem spopondisse: post hæc Titius astutioribus consiliis vsus opponit probationibus edictum; & replicat aduersarius in integrum restitui non posse, qui læsus non sit: Titium non esse læsum ex probatione veritatis: ex sponsione nomine proprio pro pupillis factâ restitui non debere maiorem 25. annis, virum prudentem: sed & edictum vetare dumtaxat ne probatio per testes admittatur, cum instrumenta scripta sunt, plùs dictum quàm scriptum esse: at verò hic non de pluri dicto, sed de clarius dicto, quàm scripto agi, huius probationem non esse exclusam vt illius, tum quod in hoc non eædem causæ sunt, quæ de illo in edicto narrantur, tum quod articulus ille iuris scripti correctorius in propriissimis terminis verborum sit continendus: tum denique quod multa fieri prohibentur quæ facta tenent: adeoque quamuis vetitum etiam hoc casu foret, probationem per testes admittere, tamen postquam iam admissa est, & per eam iudici apparet rei gestæ veritas, secundùm hanc Iudicem pronunciare oportere: quia veritas, iudicium, & iustitia, in sacris litteris pro iisdem æquiualent: & *lex antep.D.de probat.* Iudicem veritatem sequi iubet: nec æstimandum est iustissimos Principes voluisse veritatem iam cognitam per edictum oppugnari; præsertim cum iam incommoda cessent, & peracta sint, ob quæ vetatur recipi probatio per testes. Ad extremum probauit Lucius, nisi Titius nomine proprio spopondisset, non dimissurum fuisse parentem correum, & pecunias pupillares, quas arrestauerat; quæ cum aliis nunc solutæ sint, & ille fortunis lapsus: iniquum fore excludi edicto: sed illud accipiendum fore saltem cum damnum datum non erit, sed res integra, aut quæ redintegrari possit. *vt diximus in Anal. iur. Pontif.de foro compet.n.9.*

Sed an admissa fidem faciat?

Sanè hoc punctum vltimum futile non est: præsertim si non leuis momenti iactura sit. qualem considerarunt Principes in circumstantiis *plus dicti*: cætera non æquè mouent, nam quamuis accipi deberent edicti verba quod sola instrumenta seruiant probationi, vt coniunctio maneat, & inhibitio futuri, scilicet quod Iudices admittere non poterunt probationem per testes; tamen postquam iam inhibitio seiuncta est, & quod futurum vetabatur, iam peractum est; non necessariò sequi videtur sola nunc instrumenta probationi seruire posse: sed probationi per testes, quamuis fieri vetitæ, iam tamen factæ, suas vires inesse, tamen senatus Antuerpiensis in causa Cornelij Huysmans & Waltheri vande Peer etiam factæ probationis per testes contra edictum nullam rationē habuit. quasi ex toto non videantur cessare incōmoda ab edicto allegata; præsertim cum veritas per testes non censeatur semper liquida, ob multa quæ testibus eorumque dictis perpetuò obiiciuntur. in quibus manent incommoda edicti, & lites intricatæ, quibus prospectum voluerit edictum.

CONSVLTATIO IV.

In criminali causa graues probationes adulterij requiruntur, & eæ ex multis capitibus infirmantur.

GRaues præsumptiones indiciaque adulterij sunt aduersùs *L.cum & Lex ex consensu.§.sin autem cum seq.C.de repud.* domestica testimonia, & aliàs non idonea in huiusmodi causis admittat, præsertim cū in rebus his obscuris physica demonstratio difficilè cōtingat. Cæterùm quia hîc agitur de causa criminali, oportet ad rigorē iuris casū excutere, & probationes luce meridiana clariores exigere, adeoque in ea mulieris assertio, non est probatio. *c. significauit. X.de adult.* vbi mulieri alleganti sacerdotem secùm adulteratum, nō creditur. sed neque per canones in criminali causa mulier testificatur. *c.mulierem.33.q.5.* quos forum Ecclesiasticum debet obseruare in iudicando: *c. quod clerici.X.de for.compet.* aut saltem, si moribus & praxi id datū sit, vt in testem sit admissa, eo saltem minus fidei tribuendum est: deinde socij criminis confessio, non est aduersùs alium admittenda. *c.vnic.de confess.c.veniens.10. de testib.* Denique, quia non habet contestem, quamuis omni exceptione maior foret, non facit fidem. *l.3.in princ.D.de testib.* Adhæc in persona P. minora coniunctim concurrunt, quod ancilla, & pauper, in causa quasi propria, cum de ciuili interesse, & agnitione prolis cum L. etiā litiget; quod & ipsa falsa sit, quod nisi in ius vocata fuisset, ipsum rebus non detulisset, aut molestasset, quod solita mentiri, per dæmonem iurare, & aliàs leuibus moribus, & sermonibus; de qua plures malè loquuntur, & sentiunt, & quā vnus testis pluries à se carnaliter cognitam asserit, vt cum illa coram obstetrice, & deinde sacerdote,

1. Mulier, correa vt non probet;

2. Et contestē non habens;

3. Malis moribus.

sacerdote, sacra ei infirmæ administrante, professa sit se à nullo vnquam virorum cognitam, quam ab L. Illi autem testi nihil obiectum sit quod fidem minuat, quam quod sit singularis,
4. eaque exceptio in P. locum etiam habeat, atque is vir sit, in quem nihil aliud est quod dicatur; hæc mulier in quam multa sunt alia, quæ dicantur: sanè viri huius fides, fidem huius mulieris omninò deprimit; eoque facilius, quod generatim traditur adulterium confessione mulieris non probari. *d. c. significauit, Paris. cons. 177. num. 28. vol. 4. Iason. cons. 23. v. 1.*

Cui dignior contradicat

5. Et quamquam adulterium etiam præsumptionibus probetur, & coniecturis: tamen quando criminaliter agitur, non id æquè obtinet. *Menoch de præsumpt. l. b 5. præs. 41. num. 15.* & vix tales sufficiunt, quales *in c. ex litteris de præs. c. praterea de testib.* nisi fortè in casu. *l. si quis adulterij. C. ad leg. Iul. de adult. quod sequitur Mascard. de probation. vol. 1. concl. 57. num. 5.* quæ in ciuilibus sufficiunt, imo minores, *idem concl. 62.* hîc autem nihil est, quod proximè ad actum pertineat. & vt demus præsumptiones esse remotas, plerasque vnicis testibus probatas; coniungi eapropter illæ minus possunt, vt in perfectam probationem criminalem coalescant. præsertim cum & pleraque talia sint, vt quamuis vera esse satis probarentur, interpretationem tamen accipere possint, quæ ad delictum non pertineat; quod præsumi non debere dicitur, cum alia interpretatio, quamuis fatua, haberi potest.

Præsumtiones in criminalibus vt non sufficiant.

6. Fama etiam, qualiscumque de hac causa fuerit, omnis nata est ex assertione & euulgatione P. atque expositione prolis. ad originem ergo suam reuocata, non aliam facit probationem, quam ipse fons vnde fluxit. vt & plurium testium dicta, quæ simul omnia resoluuntur in singulare testimonium & fidem eiusdem P. tot exceptionibus affectæ. vnde cum constet omnem populi opinionem & vocem esse natam, oportet audire illud Exodi *c. 23. non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies*, quemadmodum Daniel totum populum ad lapidandam Susannam procurrentem, quamuis ex duorum seniorum testimonio, reprehendit; & ex variatione tantùm arboris, sub qua adulterium contigisset, Susannam absoluit; seniores damnauit.

Fama vnde nata quærendum.

De Testibus.

CONSVLTATIO I.

De publicatione testimoniorum atque nominum testium.

1. IN iudiciis eam faciendam clarè statuitur *in c. qualiter & quando §. debet. X. de accus. per Concil. Trid. 24. c. 5. innouato*; & arguitur ea omissa *in c. cum I. & A. X. de re iud.* sic vt *glos. (in l. prolatam. C. de senten.* quæ sententiam ex solito iudiciorum ordine peruerso decidit vitiari) inter cætera exempla omissam publicationem referat: atque hoc pro generali quidem iure receptum est, iuxta quod in omnibus curiis deinceps eandem fieri hîc iussit edictum Principum *an. 1611. ar. 10.* sed illius interpretatio 28. *Nou. 1611. a. 1.* excipit causas criminales, vbi stylus loci in iis publicationem non faciebat. qui stylus multis locis introductus fuit ad imitationem, & extensionem *c. vlt. de hæret. in 6.* vbi, quamuis in aliis omnibus iudiciis facienda reis sit publicatio nominum, indulget in fauorem fidei, ne in causa hæresis fieri debeat; si modo ex ea crearetur verè periculum testibus. ex quo periculo ad alias causas dispositionem porrigi non est omnino præter rationem. vt ob potentiam reorum porrigit Clarus *quæst. crim. q. 49. n. 3.* vbi & in causa hæresis semper præsumi periculum, & publicationem nunquam fieri ex Simanca tradit. Sic & in *statut. Cur. Eccle. Prou. Mechl. ar. 49.* generatim, quamuis nominum, non dictorum, publicationem tamen in criminalibus non faciendam statuit: quin nec in ciuilibus, si quod testibus periculum immineat. vbi antithesis, & alij articuli docent non rigidè criminalia, sed vt à ciuilibus separantur, intelligi. neque tamen vbique is art. vsu obtinuit: sed ob priorem stylum alicubi contrarium, ius commune, & edictum seruatur sæpius, quod Clarus monet; vt confusa publicentur dicta, & sic separata à nominibus, & ordine testium, vt deprehendi non possit quid quisque dixerit; aut aduocato rei communicantur, sub iuramento de non reuelando ne reo quidem, sed tantum ad rei defensionem si quid se offerat vtendo. quâ viâ & testium periculo satis fit, & reorum pleniori defensioni: quam legitimam etiam in summariis iudiciis integram seruari iubet Clementina *sæpe de V. S.* tametsi Menoch. *de arbit. q. 33.* in summariis, qualia sunt pleraque Ecclesiastica, & arbitrariis eam necessariam non esse, & sperni posse sentiat; & plerique ex eius omissione nullitatem sententiæ causari negent.

Publicanda sunt testimonia.

2. Non tamen in causa hæresis nomina testiũ edantur.

3. An in aliis vnquam idẽ obtineat.

4. Enim verò non spectare publicationem dictorum ad necessariam defensionem clarum est; quia Iudex omnia illa diligentissimè excutere, opponere, ponderare debet. neque mutationem vllam accipere possunt à notitia vel ignorantia reorum: at nomina ideo omninò sunt publicanda, quia refert à quo quidque sit dictum; ab inimico, consanguineo, extero, eo cuius interfit, &c. quod supplere non potest Iudex; vt dicta ei liquent. Vnde in Concilio Mechliniensi olim publicatio non fiebat testimoniorum, & Interpretatio edicti in criminalibus veterem stylum tolerat. quin & Romani eundem seruant vsque ad vltimam instantiam. *Farinac. de testib. q. 75. c. 1. n. 5.* Metum verò periculi ad puram & prouidam Iudicum conscientiam reiicit *d. c. vlt. de hær. in 6.* vt neque pericu-

Testimoniorum publicatio non tam necessaria quam nominum.

5. Metus tamẽ verus esse debet.

lum dicant, vbi est securitas; neque ex securitate testes in discrimen præcipitent. itaque pro sua religione Iudices metum æstimant, qua in re versatur, vt dispiciant maiusne testis, an rei periculum sit? quale iudicium reo sit dictatum, quid testi euenire possit. Itaque cum circa regulares obseruantias ex inquisitione post visitationem formata actum esset aduersus quosdam religiosos *ex d. modo procedendi statut. Cur. eccl. prou. Mechl.* nominum, non dictorum publicatio rectè est facta, tametsi periculum non esset capitale, sed lædendæ monasticæ charitatis; quod maius erat, quàm quod reis ex monastica correctione immineret: sed neque seruata publicatio, quam dixi supra, confusa nominum & dictorum, quia ex dictis notitia testium se ingessisset: quia vt omnia intra priuatos parietes, ita pleraque coram paucis gesta referentes prodidissent. quia ergo & causa hæc summaria, arbitraria, ad correctionem monasticam erat; eam magis læsisset ipsa medicina, quam malum. alioquin *d. c. cum I. & A. X. de senten.* agit de Abbate; & reprehendit neglectam publicationem; quamuis sit verisimile testes etiam ex collegio aliquos fuisse: sed agebatur grauiùs, de illius amotione; & mero iure. hîc de stylo disserimus, & correctione monastica.

Quid in caulis monasticis?

De fide Instrumentorum.

CONSVLTATIO I.

De fide Originalium, Exemplorum, Archiuorum, Instrumentorum inuicem contrariorum, librorum veterum.

ANno 1220. Ordinarius T. dedit monasterio B. decimas noualium, præsentium, & futurorum in parochiis illimitatis certi districtus suæ diœcesis, adeoque ad dispositionem suam pertinentes; & in limitatis, in locis, quibus hactenus nihil ipse perceperat; saluâ tertiâ gerba, quæ dabitur sacerdotibus, qui ibi parochialia administrabunt. Ea donatio est confirmata à Gregorio IX. 9. Kalend. Martij Pontif. anno 8. & ab Innoc. 11. Kal. Decemb. Pontif. anno 5. Lugduni, & ab eodem ibid. anno 6. & in iudicio exhibitæ sunt originales literæ, sigillo integro firmatæ, atque incorruptæ. Idem Ordinarius anno 1239. dicit se post disceptationem coram arbitris, & eorum laudum, conuenisse cum Abbate G. super iure patronatus, & decimis ad illud pertinentibus, in Ecclesia G, illius districtus, videlicet tertia gerba; vt ab vtrisque communiter haberetur: saluâ portione competente presbytero deseruienti ibidem, & Ecclesiam alternis vicibus conferrent. Prolatum item est laudum anni 1267. atque aliud 1366. vbi, exceptis quibusdam terris, reliquarum omnes decimæ ibidem excreturæ æqualibus portionibus percipiendæ vtrisque ascribuntur: denique producuntur duo priuilegia, alterum Innocentij, alterum Alexandri super percipiendis decimis noualium in locis, & pro rata, quibus veteres possident. Omnia hæc munimenta producuntur desumpta ex peruetusto codice in pargameno scripto, & inscripto, *liber priuilegiorum*, exarato, vt in frontispicio narratur, anno 1460. asseruato in archiuo monasterij G. charactere admodum antiquo, ignota tamen scriptoris manu, sine mentione collationis per publicam personam, aut iussum Iudicis factæ; nec producto vllo originali instrumento, nec adscripto ex plumbis indultorum, quotus Innocentius, aut quotus Alexander fuerit; nec facta in duobus posterioribus laudis mentione d. conuentionis anni 1239. quæ etiam lata tantùm referuntur inter d. Ordinarium & Prælatum G. non autem interueniente parocho, cuius nunc successor litem mouet super noualibus eidem Prælato G. & in controuersiam vocatur fides, & authoritas instrumentorum omnium pro parte Prælati G. productorum.

1. *Si scripturam*, inquit Gregorius, *authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus*, *c. 1. X. de fid. instrum.* & iterum Alexander, *c. 2. ibid. si scripta non sint per manum publicam facta, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari, non videntur alicuius firmitatis robur habere.* sed, si qua iusta causa fuerit exempla conficiendi, iussu illa Iudicis per publicam personam sunt facienda. *c. vlt. ibid.* &, si qua mota iam est quæstio, parte etiam præsente, seu contumaciter absente. *c. 5. ibid.* vt vix Principum instrumentis credatur; nisi fauerit consuetudo. *c. 9. ibid.* scilicet quoad fidem narratorum in instrumento: alioquin quoad rem coram ipsis gestam plenè creditur. *Clem. vnic. de prob.* & quoad ea quæ Ordinariis nota, seu ab aliis gesta esse debent, v. g. excommunicationes. *c. post cessionem. X. de prob.* in iudiciariis autem non nisi persona sit adhibita publica. *c. quoniam contra ibid.* tum porrò faciliùs instrumentorum vires vacillant, si inter alios tantùm acta referant, & in tertij præiudicium proferantur: *c. 6. ibid. l. 2. C. eod.* iuri communi repugnent: *c. 8. ibid.* & nullam priorum instrumentorum, vnde ius producentis natum foret, habeant mentionem. *d. c. 6.* Quæ omnia si applicemus instrumentis propositis, contra parochum nouales decimas vendicantem, facilè intelligimus quantâ infirmitate omnia laborent.

Libris veteribus & exemplis scripturarum quæ fides tribuatur? iisque quæ de archiuis Ecclesiarum producuntur?

2. Vnum tamen considerationem meretur, quod & antiqua sint, & de archiuo monasterij producta. siquidem & vetustatis magna est reuerentia atque authoritas, & libri antiqui etiam probant fines parochiarum, adeoque decimarum. *c. 13. X. de probatio.* & *charta quæ profertur*

momentum vt faciat antiquitas.

profertur ex archiuo publico testimonium publicum habet, inquit Auth. charta *C. de fid. instrument. l. in fraudem. §. quoties de iur. fisc. c. ad audientiam de præscript.* sed tamen nec antiquitas per se sola probat. *vid. Couar. pract. 1. c. 21. num. 7. Tuscum & quos citat in V. Antiquitas & antiquum conclusione.* 340. & 341. nec archiui authoritas est, nisi publici. *vt d. Auth. in corpore de his qui ingred. ad appell. §. illud etiam.* vbi agit de archiuo Præfectorum: & propterea modernus Paris. *ad consuet. Paris. t. 1. §. 8. glos. 1. in V. denombrement. num.* 28. huiusmodi priuilegium restringit ad archiua supremarum curiarum; negat aliis etiam regiis. & valdè fauet c. ad *audientiam. X. de præscript.* vbi fides libri censualis oppugnatur, quod in camera Pontificis non fuisset repertus: idque Pontifex excusat, per id quod inuentus sit in camera Cardinalis, qui camerarius fuerat. Sed vt demus aliis etiam competere, multa tamen requiruntur: & singulariter quòd obseruentur in loco publico, in quo solæ reponantur authenticæ scripturæ, & sub custodia officialis publici: qui, cùm scriptura producitur, testetur eam inter authenticas inuentam, atque seruatam esse. *Modern. ibid. n. 26.* facit *d. c. 2. in verb. Ita quod appareant publica.* & Modern. *vlterius n. seq.* vt fides fiat exemplo, etiam requirit Iudicis authoritatem, & partis præsentiam: & *n.* 32. reprobat eorum sententiam, qui volunt exemplum non solemne plenè probare, quando repetitur in archiuo publico; quia *istud*, inquit, *non est verum, cum non sit ibi repositum velut scriptura authentica, sed velut exemplum, vt vult Decius, &c.* ideoque dum alij priuilegium archiui etiam ad alios transferunt, *vt videre est apud Tuscum in V. archiuum*, multas tamen restrictiones adiiciunt: & nominatim vt procedat tantùm inter subditos, neque extra territorium, neque in vtilitatem eorum, quorum sit archiuum. Quod etsi reprobet Moder. *n.* 29. explicat tamen se loqui tantùm de archiuo publico, erecto authoritate superioris, potestatem habentis: & in quo non nisi scripturæ publicæ, & imbreuiaturæ defunctorum tabellionum, & aliæ scripturæ solent reponi vt instrumenta publica, & authentica, aliàs secus. Tantùm abest, vt quæcumque scedæ in archiuum irrepserint, fidem faciant. multò minus si producantur tantum ex chartophylaciis Ecclesiarum, quæ ius archiui non habent, sed priuatæ thecæ tantùm sunt, aut si quid amplius eis tribuamus, ad modum quo monachus in causa suæ Ecclesiæ ad testimonium recipitur, *c. insuper. c. tuis X. de testib. c. 5. X. de prob.* secus quam quilibet priuatus in sua; in arbitrio Iudicis erit, an, aut qua parte alicuius gradus probationis, aut præsumptionis erit, quid apparens, quid suspectum sibi videbitur: non facilè tamen discedet à restrictionibus supradictis, & ratione *c. 1. & 2. X. de fid. instrum.* iisque quæ ibidem latè docet Panormitanus.

3. Et archiuum publicum.

4. Exemplum vt publica authoritate & parte præsente fiat.

5. Archiui requisita.

6. Quid si inter se fint

Sed qualiscumque demum probationis virtus tribuatur instrumentis G. per se consideratis; illud tamen liquidi iuris est, dum inter se contrariæ sunt scripturæ, vt ab eodem productæ fidem sibi inuicem derogant: *l. scripturæ, C. de fid. instrum.* ita dum à partibus sunt exhibitæ, statur publicæ, & digniori. *l. optimam in fin. C. de contrahend. stipul. l. si scripturas C. qui potior. in pig.* quemadmodum in conflictu testium contraria deponentium, quò quisque dignior, & omni exceptione maior est, fidem maiorem facit. cùm ergo instrumentum ex simili archiuo monasterij B. depromptum omni suspicione careat, sigillo etiam sano, & integro munitum sit, & donatio in illo contenta tribus diplomatibus Pontificiis confirmata; nihil est dubitandum quin omnibus aliis debeat anteponi.

contrariæ scripturæ?

Et verò vt daremus scripturas in sua forma esse æquales, *tunc* inquit Panormitanus, *in c. imputari X. de fid. instrum. iudicabitur contra illum, qui probare debebat, quasi nihil probarit, quia cum tanta fides vni scripturæ adhibeatur sicut alteri, nihil est probatum: & sic, si reus habebat probare, iudicabitur contra eum: idem in actore, nisi causa esset fauorabilis, iuxta ea quæ leguntur & notantur in c. ex literis de probat.* atqui hìc Prælatus G. in parochia aliena ius commune habet contrarium, probare ergo debet, prolato possessionis titulo. *c. 1. de præscript. in 6. c. 2. de restitut. spol. in 6.* vbi nec clerici spoliati decimis in aliena parochia restituuntur. additurque causa; quod manifestum sit, nisi aliud ostendatur, eas ad Ecclesiam parochialem pertinere. oneratque etiam possessores euidenti probatione, quod earum possessionem legitimè assecuti fuerint: *quia*, inquit, *eas occupasse iniustè verisimiliter præsumuntur: cum proueniant ex prædiis intra alienam parochiam constitutis.*

7. Quid si causa altera sit fauorabilis?

Vt parochi pro decimis in sua parochia litigantis?

Ita quidem vt ob causæ fauorem pro parocho quoad decimas præsertim nouales, quamuis is tantum ius commune allegaret, non etiam niteretur instrumento indubitato, non sufficeret Prælato G. etiam ordinaria probatio; sed requirit d. c. 2. euidentiam documentorum. euidens autem est, quod quæstionem pati non potest. *l. 3. §. ibid. D. ad exhiben.* vnde Spigelius *in lexico verb. euidens* citat Ciceronem perspicuitatem euidentiamque pro iisdem accipientem; & vulgatum illud *quod in euidenti est, nullâ potest tergiuersatione celari. c. euidentia. & quæ ibi traduntur. X. de appell.*

Concludendum igitur est, huiusmodi munimenta Prælati G. nihil officere parocho, quo minùs ei nouales intra fines suæ parochiæ natæ addicantur. Prælato B. iure saluo, cui per res inter alios actas, aut iudicatas nihil officitur.

De

De sentent. & re iudicata.

CONSVLTATIO I.

Brachium seculare posse inuocari non præuiis censuris, & hodie ferè debere.

AN brachium seculare demum inuocari possit cùm ecclesiastica remedia deficiunt? controuersum fuit, asseruit Oldrad. *cons.* 89. *circa finem*, *Felin. in c. significasti de offic. deleg. quos sequitur Maraut. disp.* 1. *num.*26 sed Calder. negauit. *cons.* 59. *n.* 4. *alias* 1. *de treug. & pac.* & Felin. *in d. c. significasti*, hanc dicit communem: sed *hodie cessat*, inquit Tuscus *in verbo brachium seculare concl.* 125. *hac difficultas: quia Concil. Trid. s.* 25. *c.* 3. *de reform. dat nouam formam, vt imo ecclesiasticus abstineat à censuris, & excommunicatione, sed vel exequatur per se ipsum, etiam contra laicos in casibus ad forum ecclesiasticum spectantibus, vel inuocet brachium seculare, faciendo exequi per alienos executores.* ita ille. qui etiam *num.*7. distinguit vt contra clericum non inuocetur brachium seculare, nisi post consumpta Ecclesiæ remedia; contra laicum inuocari possit indistinctè ante Tridentinum: & vlterius *n.* 10. tradit mox inuocari posse brachium seculare contra eum, qui contemnit censuras: contemnere autem censeri, dum monitus ab Ecclesia, non facit, quod debet. At verò noster hic & laicus est, & monitus, non facit, quod debet, imo excipit contra inuocationem brachij secularis, quod non priùs per censuras contra illum sit processum, vtique quia illas minoris facit, quam executionem brachij secularis; sumptum & rem familiarem animæ præiudicio præferens. Et verò nullus est canon, qui ob brachium seculare non in subsidium, sed via regia inuocatum, nullitatem inferat; aut subsidiariam inuocationem tantùm esse mandet; sed loca, quæ allegantur, specialem vbique discretionis causam insinuant; & sic ad arbitrium Iudicis tota exequendi ratio spectat ante Tridentinum. & his conformiter Concordata Brabantiæ *anno* 1541. *inter Ducem Brabantiæ & Episcopum Leodiensem* §. 1. de Iudice Ecclesiastico, inquiunt, *poterit sententiam suam exequi per censuras, vel per Iudicis secularis requisitionem*: vt id pendeat ex Iudicis arbitrio: quod hic tale esse conuenit, vt magis abstineat à censuris; præsertim contra Officiarios, vt titulus est nostri, propter edictum Caroli V. 4. *Octob.* 1540. non permittens contra Officiarios procedi per censuras. denique vsus, consuetudo, & stylus hîc passim nunc habet, vt pro executione ciuilium sententiarum imploretur brachium seculare. non autem executio fiat per censuras. & id ipsum etiam ex stylo seruat quotidiè Curia Ecclesiastica Mechliniensis. Et verò statuta *Curiarum ecclesiasticarum Prouinciæ Mechliniensis tit.* 11. *de mod. proced. ar.* 67. ita decernunt; *Contra contumaces, & soluere nolentes, sententiæ omnes mandabuntur executioni, cum inuocatione (quatenus opus est) auxilij brachij secularis, ad censuras verò non facilè procedatur.* opus autem esse brachij secularis auxilio tunc hactenus est intellectum, cum per suos proprios executores realem vel personalem executionem Curia ecclesiastica facere non potest, vt hîc: præsertim cum Iudex hic delegatus nullam vt talis habet familiam, aut executores.

1. Præsertim contra Laicos & qui censuras contemnunt, id est, moniti non optemperant.

2. Nec præposterè inuocatum nullitatem gignit.

3. Præsertim in his ditionibus.

4. Et aduersùs contumaces.

5. Cum opus, vt cum delegatus per suos non potest cogere.

CONSVLTATIO II.

An ex chirographo prouisionalis solutio indicatur in compositione Officiarij super excessibus.

OBtinuit vsu forensi vt solutio fiduciaria ex liquido chirographo indicatur; tametsi exceptio aliqua obiiciatur, quæ non æquè sit liquida, sed indaginem requirat. quemadmodum Alex. rescripsit, *in l.* 2. *D. ad leg. Cornel. de fals.* si morandæ solutionis gratia à debitore falsi crimen obiiciatur; nihilominus saluâ executione criminis debitorem ad solutionem compelli oportere. *& allegat glos. ibid. conformes l. debitoribus. D. de re iudic. & l. vlt. C. si ex fals. instrum. & l.* 2. *de vsur. & facit l.* 2. *&* 3. *C. de edict. Diui Adrian. tollen. & alia id genus.*

Seius ab Officiario criminis insimulatus, ne lite contendendo famam vulgaret, pecuniam chirographo addixit; stato die non soluens, in ius vocatus negat se debere; nullam causam chirographo insertam, adeoque inefficax illud esse ait: *l. cum de indeb.* §. *fin. D. de probat. c. si cautio. X. de fid. instrum.* deinde metu cadente in virum constantem extortum: vtpotè famæ, quæ probis vitâ carior est, periculo intentato: denique promissum causa tegendi dedecoris, causa non secuta, condici posse; quanto magis excipiendo actorem repelli, qui aduersùs promissa criminis suspicionem propalauit? Prætor sanè, quod metus causa gestum est, ratum non habet. Et Pomponius scripsit, *si quis in furto vel adulterio deprehensus, vel in alio flagitio, vel dedit aliquid, vel se obligauit, eum ad hoc edictum pertinere, & succurrendum videri*: *l.* 7. §. *proinde* 1. *D. quod met. caus. sed & si quis ne prodatur ab eo qui deprehenderit, alienauerit; succurri ei ab hoc edicto videtur, d. l.* 7. *vers. sed &.* quanto magis si proditus etiam est, & fama vulgata ei subueniendum est? minimeque indicenda fiduciaria solutio ob effrenem multorum officiariorum licentiam; aduersùs quos præsumi videtur, vt in chirographo militi dato, censuit Senatus

1. Indicitur solutio liquid moræ tantùm causa obijcitur.

2. Succurritur ei qui quid promisit ne crimen suum vulgetur.

Senatus Sabaudiæ *apud A. Fabrum C. de eo quod met. defin.* 5.

Sed verò alia causa est magistratus, à quo iure illatus metus edicto locum non facit. *l.* 3.
3. In magistratu alia consideratio. § *sed vim. D. eod.* pro quo præsumitur, eiusque actis & sententia. Quin nec infamiæ timor aut vexationis edicto sufficit, *d. l.* 7. *in princ.* nec transactio rescinditur, licet nulla causa subsit, nisi vt à lite discedatur, *l. in summa* 65. *D. de condict. indeb.* sed & ei, qui quid fecit vnde in metum meritò incidat, non suffragatur edictum: *l. si mulier D. eod.* vnde & in terminis dicit *l.* 10. *C. eod.* accusationis metu alienationem vel promissionem factam rescindi postulantis improbum esse desiderium. & propterea *in Ord. nat. Concilij Brabantiæ ar.* 485. decretum est, compositionibus officiariorum obiectas nullitatis restitutionisúe quæstiones non impedire fiduciariam solutionem. ideoque & huic Faber extra casum chirographi militaris locum facit. *per d. l.* 2. *C. de fals.* si tamen specialis circumstantia causam Officiarij suspectam nimis faceret, Concilium Brabantiæ aliquando prouisionalis causæ decisionem in principalem cognitionem reiecit.

CONSULTATIO III.

De sententia diuortij vt non transeat in rem iudicatam.

REm iudicatam ab eodem iudice non esse retractandam, siue benè siue malè functus sit officio, traditur *in l. Iudex. D. de re iud. l. ad solut. C. de re iud. c. quod bene* 6. *q.* 4. sed ab ea regula excipiuntur causæ matrimoniales, quæ
1. An vt in causa vinculi matrimonialis non trāsit sententia in rem iudicatam ita in causa diuortij quoad thorum? eapropter nunquam dicuntur transire in rem iudicatam. *c. Lator. c. consanguinei. c. tenor. X. de re iud. c. fraternitatis. X. de frigid. & malef.* sed vtrum id obtineat tantùm vbi de vinculo actum est; an etiam vbi dūtaxat de thoro? controuersum est, & aduersùs nocentem manet rei iudicatæ authoritas, etsi emendatum. *c. de illa X. de diuort.* sed tamen receptum est etiam in thori diuortio si constare poterit Ecclesiam fuisse deceptam, falsis v.g. probationibus, & condemnatum innocentem; retractari sententiam posse ex ea ratione, quæ fauet sacramenti vinculo,
2. Vt de causa ita de effectu hîc statuendum. vt, *quod Deus coniunxit homo non separet*; etiam faueat effectui vinculi; vt maneant duo in carne vna; neque separentur quoad debitam carnis seruitutem. *Sanchez de mat. l.* 10. *n.* 9. *&* 10.

Præsertim cum neque res iudicata ius innocentis perimat, quin semper possit nocentem retrahere in coniugalem seruitutem: saltem non mutato de innocentis consensu vitæ statu. *Sanchez ibid.*

Cæterùm matrimonium cum olim ob mo-
3. Hodie ob mores non fit diuortiū seu solam fornicationem. res solui posset; hodie non idem licet. *c.* 2. *X. de diuort.* ob indissolubilis vinculi authoritatem; nisi quoad thorū ex causa fornicationis, & quæ eo reduci possit: *Mat.* 19. adeò vt si Iudex citra causam eo reducibilem, & vt talem à canonibus approbatam, diuortium decreuerit; retractetur sententia. 4.

Diuertere tamen licet, si alter coniugum ante matrimonium consummatum religionem ingrediatur. *tot. tit. de conuers. coniugat.* quia nondum coniuncti sunt in vnam carnem. id enim cum factum est, non licere conuersionem altero renitente; sed locum esse Christi præcepto, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, traditum est. *c. sunt qui* 27. *q.* 2. — Soluitur tamen matrimonium non consummatum ingressu religionis.

Atque illud fauore religionis, vt Christus sponsus præferatur; corpore alteri nondum tra- 5.
dito: adeò vt neque thori diuortium approbandum sit, de mutuo consensu factum, nisi amore continentiæ cum ingressu in monasteriū. *c. si vir & vxor. c. Agatosa* 27. *q.* 2. *c.* 1. *c.* 4. *c.* 5. *& tot. tit. de conuers. coniug.* — Sine quo nec diuertere licet ex mutuo consensu.

Tametsi autem ecclesia diuortia ob sæuitiā, cui caueri non potest, aut alias admissas causas, vt dixi eo reducibiles, toleret, vt minus malum; id tamen nihil nocentem excusat: & sicut ecclesia omnes peccatores semper debet monere, 6.
vt à peccatis suis exeant, *c. nouit. de iudic.* & præsertim inimicos, vt reconcilientur; *c. placuit. c. studendum. d.* 90. *c. iniustum* 11. *q.* 3. ita nunquam in rem iudicatam transit sententia diuortij, quin Iudex ex officio nocentem nomine ecclesiæ monere possit, & sæpè debeat: vt reconcilietur, & nocens semper emendare se teneatur, & cōiugaliter volentem consortē tractare. — Sæuitia diuortio dat causam, sæuus tamen sæpè monendus vt reconcilietur.

Quoniam verò diuortia mutuo consensu facta, plerumque extorquentur per sæuitiam, tædia, & metum nequioris tractatus; sequetur semper in his Iudicem monere posse dissidentes, vt in obsequium inuicem & amicitiam redeant; cognoscere an causæ, ob quas tolerandum decreuit diuortium, adhuc durent: an duræ ceruices nondum possint inclinari: an circumstantiæ non sint mutatæ: an periculum incontinentiæ, quod prius non metuebatur, accreuerit aut magis apparuerit: nam eo casu admodum graues causæ esse debent, quę illi præponderent; præsertim in minus nocente; & ijs quos non separauit solus amor castitatis, qui etiam ipse non sine magna prudentia est admittendus. quibus illud D. Paul. 1. *ad Corint.* 7. expendendum, *nolite fraudare inuicē, nisi fortè ex cōsensu* (non simpliciter, sed) *ad tempus; vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in id ipsum: ne tentet vos Satanas.* 7.

Eoque facilius ad reuisionem Iudex descendit, quo minor causæ cognitio in ea danda interuenit, vt in voluntarijs vtrimque diuortiis, si ea Iudex tolerauerit, iuxta *l. si conuenerit. D. de re iud.* — Præsertim in diuortijs voluntarijs sine causæ graui cognitione toleratis.

In his porrò omnibus diuortijs examinandis, magis versatur officium Iudicis, quàm formula actionis partium. vnde & dissidētes reciproco consensu cogit inuitos redire ab obsequium coniugale, seu cohabitationem, excipio adulterium, in quo parti innocenti nō retractabile conceditur diuortium. *d. c. illa.* in quo cessat arbitrium Iudicis, & prompta lex est in punitionem nocentis. In his autem quæ Iudici ex officio incumbunt, non obstat res iudicata: 8. In quibus præualet officiū Iudicis. 9. Excepta causa adulterij.

non

non enim sibi iudicat, manus claudit, aut officium abdicat; neque enim potest.

10. Aliàs pro Iudicis circumspicientis arbitrio.

Et sic accipienda est formula sententiarum, quæ in huiusmodi diuortiis ferri solent, vt tolerantia sit ecclesiæ, non permissio: & formula *donec Spiritus S. gratia partes fuerint reconciliatæ* extendenda sit non in infinitum; sed ex arbitrio boni viri; adeoque Iudicis: cui nunquam officium incumbere desinit, quæ supra diximus circumspiciendi; & eum maximè ob finem inseritur, vt sciant partes rem iudicatam sibi nunquam obstare, quò minùs ad pacem & consortium redeant, si Deus auctor pacis eas conciliauerit.

Præsertim cum etiam consensus in diuortium temporis interpretationem capiat. *c. chariss. X. de conuers. coniug.* & quamuis semel alteri coniux continere permiserit, si id reuocet permittens, debet permissus ad obsequium reuerti. *c. manif. 33. q. 5.*

11. Non obstantibus transactionibus, &c.

Accedit quod si Iudex ex falsis instrumentis iudicauerit, sententia sit irrita, *C. si ex falsis instrument.* & quod transactio super qua se hic fundat diuortij sententia, & si non omni sui parte falsa, tamen non pleno Actricis consensu vera fuisse allegetur. cuius probationem admittere Iudex teneretur, si ex eo causa penderet; quod hic non ita se habet. neque verò subsecutæ transactiones & liberationes obsistunt. quoniam, vt omittamus, quod forent ortæ ex inualido primordio, vnde per *legem non dubium. C. de legib.* & quod si nullum est principale corruit quod ex eo secutum & accessorium est; constat transactiones & apochas aut priuatim factas esse, aut non coram Iudice competente. in his autem quidquid fit citra iudicium ecclesiæ, irritum est. *d. c. lator de sent. & re iud. c. de illa de diuort.*

De appellationibus.

CONSVLTATIO I.

A Vicario in spiritualibus tantùm, ad quem appellandum sit.

1. Ab Archidiacono, qui de iure vicarius est, ad Episcopum seu eius officialem.

AN à Vicario in spiritualibus tantùm appellandum sit; sicut ab Archidiaconis, qui de iure Episcopi Vicarij sunt, *c. 1. de offic. archid.* ad Episcopum, seu eius officialem appellatur: *c. Romana. §. ab archidiac. de de appel. in 6.* ad officialem, seu Episcopi generalem, tam in ecclesiasticis, quàm secularibus causis Vicarium; an verò ad metropoliticum, non sine causa dubitatur: tamen de iure Officialis & Vicarius generalis nomina sunt diuersa, res eadem: *Sanchez de matrimi lib. 7. disp. 27. n. 29.* ideò, credo; quod sic communiter constitui soleant, vt patet ex forma Vicariatus Archiep. *apud. Rebuff. in prax. benef.* sed tamen quoniam alibi & alia etiam forma constitui solent, in his deferendum est locorum consuetudini. *Rebuff. ibid. num. 24.* *Duas in prax. V. Officiali.* vbi tamen separati sunt, ex formula commissionis, & veteris vsus, vtriusque limites ponendi sunt. in Belgio ferè vbique contentiosa omnia penè Officiali; quæ autem ad voluntariam iurisdictionem pertinent Vicario generali relinquuntur: & ferè ea sunt, quæ ad spiritualia referuntur: *Rebuff. n. 18.* sed restrictiori tamen potestate. Et quamuis vtrumque requirat coniungi Rebuffus *num. 16.* vt dicatur Vicarius generalis; non tamen id obtinet; sed sufficit commissam esse causarum audiendarum generalitatē: *arg. c. Romana de appell. in 6. in princ.* & censet etiam Rebuffus *n. 26.27.* vtrumque talem esse, cui committi possint mandata apostolica; quæ non possunt foraneo. *Clem. 2. de rescrip.* an autem Vicarius in spiritualibus tantùm, talis esse, atque generalis censeatur; an verò vt foraneus sit habendus, ex vsu antiquo, & intentione constituentis *Rebuff. n. 45.* iudicari oportet. Baldus quidem *lib. 2. cons. 162. n. 11. & Franc. Marc. in decis. Delphin. p. 1. q. 419.* vt foraneum eum & subditum officiali generali existimant; mihi tamen magis probatur sententia Iac. Sbrozij; quam refert, & tacitè sequitur Sanchez *de mat. lib. 3. disp. 29. n. 11.* defendentis, esse Vicarium generalem eum, qui tantum in spiritualibus constituitur; id si ita est, quamuis Piascez. *in prax. nouiter correcta, & anno 1620. Coloniæ apud Boëtzerum edita p. 2. c. 3. de visit. sanctimon. n. 11. §. hoc eodem casu, & idem p. 2. c. 4. de perso. iud. n. 16. §. constitui autem solet* prouocandum credat à Vicario in spiritualibus tantùm ad officialem generalem; tamen dicendum puto, vbi Vicarius in spiritualibus tantùm exercet iurisdictionem contentiosam, non officialem eiusdem Episcopi; sed metropoliticum esse appellandum: quia tam Vicarius talis generalis quàm officialis per præuentionem vterque cum Episcopo idem tribunal constituit. nihil enim vetat plures esse Vicarios, sicut vnius plures procuratores, fateor quidem nobilius dicendum eum generalem, qui vt describit *c. Romana de appel. in 6.* generaliter de causis ad forum Episcopi pertinentibus eius vices supplendo cognoscit, ita vt vnum vtriusque sit auditorium: non tamen ea descriptio mox reiicit eum, qui gerit vices Ordinarij tantùm in spiritualibus, generaliter tamen; & in loco in quo consueuit Ordinarius ius dicere: quæ non competunt foraneis Vicariis. dicendum tamen est Vicarium hunc in spiritualibus tantùm perfectè non esse generalem; minus esse foraneum: ideoque sicut media ad vtrumque extremum pertinent; ita pro intentione constituentis sub hoc vel illo nomine comprehendi posse: ea vbi nullis indiciis elucet, illi extremo annumerandum ad quod magis accedit; tam amplitudine officij commissi, quàm dignitate personæ.

2. Ab alio spectatur consuetudo & circumstantia.

3. An sit censendus generalis qui in spiritualibus tantum?

CONSVLTATIO II.

Cum Ordinarius non seruat ordinem iuris, sed aliquid statuit aduersùs inauditum mox superior adiri potest.

Tametsi causæ omnes in prima instantia dumtaxat coram locorum ordinarijs cognoscendæ sint, *Concil. Trid. s.24. c.20.* adeoque Archiepiscopus de causa subditorum sui suffraganei in prima instantia cognoscere non possit; vt exstat decretum *sacræ Congregationis 16. Octob. 1600. ar. 1.* sed per appellationem dumtaxat adiri: tamen quando Episcopus non format ipse instantiam, id est, non incipit per citationem; & iuris ordinem seruat, eoque filum litis texit; sed aduersùs inauditum subditum aliquid decernit, v. g. suspensionem à diuinis, &c. adiri potest superior etiam extraiudiciali modo, per querelam libello supplice explicitam, quoniam tum sumus extra casum *d.c. 20. s.24.* & verò aut decretum huiusmodi sumendum est tanquam extraiudiciale, vel tanquam iudiciale: si hoc modo irritum est: tanquam latum aduersùs inauditum; quæ nullitas insanabilis est: quandocumque autem sententia aut quodcumque decretum iure nullum est, nullâ opus est appellatione: *l. 1. D. quæ sententiæ sine appellatione rescindantur, l. 1. 2. 4. & tot. tit. C. quando prouocare non est necesse c. cum contingat de off. deleg. Barth. in l. 1. C. quando prouocare.* si illo modo, id est, si pro extraiudiciali sumatur decretum; appellatione etiam non est opus: sed sufficit recursus extraiudicialis ad superiorem. quia vnumquodque eo modo dissoluitur, quo est colligatum; adeoque extraiudiciali recursu decretum extraiudiciale: & verò appellatio, prouocatio, & huiusmodi per libellum recursus quoad substantiam in idem recidunt, & fatalia appellationum præscripta sunt iudicialibus negotijs, causis, & litibus, non extraiudicialibus ordinationibus, quæ vim sententiarum, quæ possint per lapsum fatalium transire in rem iudicatam, non obtinent. *tot. tit. C. comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones, authoritatem rei iudicatæ non habere:* adeoque huiusmodi decretum etiam non interiectâ appellatione non transit in rem iudicatam. Et verò huiusmodi recursus ad Archiepiscopum eò magis est admittendus, quod suffraganeus coram eo conueniri possit: *tot. quæst. 4. caus. 6. c. si quis Episcopus 3. & 4 caus. 11. q. 3.* quod etsi Concil. Trid. *s.24. c.5. s.13. c.6.7.8.* in criminalibus, correxerit; nō æquè tamen in ciuilibus; in quibus Archiepiscopi iure expresso de suffraganeis, iudicant; adeoque potuit Archiepiscopus audito suffraganeo super querimonia subditi ab illo suspensi per prouisionem seu aliàs statuere, quod sibi iuris esse videretur. Et quamuis *c.1. X. de off. leg.* dicat Archiepiscopum adiri tantùm posse per appellationem, legatum etiam per querelam: tamen agit ibi id tantùm vt decidat legatum tanquam Pontificem repræsentantem, seu eius vices gerentem, & cum omni Ordinario concurrentem rectà omisso Ordinario posse adiri; non autem de querela agit aduersùs ipsum Ordinarium delata. sed & hoc c. 1. hodie exaudiendum est iuxta *c. 20. s.24. Concil. Trid.*

CONSVLTATIO III.

De priuilegio attentatorum.

1\. Nihil innouari appellatione interpositâ pridem constitutum est. *l. vnic. D. nihil innouari.* ideoque relegatus, deportatus, cœtu abstinere iussus, si appellauerit, non arcebitur prouincia, nec vincula patietur, neque vllam aliam iniuriam, & cœtum poterit participare. Integer enim status esse videtur appellatione interposita. *d. l. vnic.* atque adeò odiosus est appellationis contemptus; vt si prouocantem Iudex verberauerit, iusseritque quid fieri, de vi publica teneatur. *l. 7. D. ad leg. iul. de vi publ.* 2. *Pendente app. nihil innouand.*

Multò magis si Iudex, qui pronuntiauit, appellationem contempserit, atque aliquid ex sententia fuerit executus; id, nisi speciali casu, causaque ius executionem disertè permiserit, Iudex ad quem prouocatum est, mox irritabit. *c. ad præsentiam. c. constitutus, c. significauit cum pluribus alijs de appellat. c. signif. de nou. oper. nunciat. c. venientes de iureiurand. c. 1. vt lite pendent. in 6. c. exhibita de iudic. c. non solum de appellat. in 6.* qui textus omnium disertissimus est. 3. *Attentans de vi teneatur.* *Iudex ad quem ante omnia reuocat attentatum.*

Sed illud imprimis distinguit, an post diffinitiuam appellatum sit, an post interlocutoriam: vt priori casu attentatum, omninò ante omnia irritetur; vnico casu excepto, quo iura post sententiam prohibent appellare: posteriori reuocetur quidem; sed verificatâ demùm causâ appellationis: præterquam si Iudex appellationis ex probabili causa negotio ad se deuoluto canonicè inhibuerit priori Iudici. tunc enim ante omnia in pristinum statum reducitur quidquid fuerit innouatum. vnde hoc priuilegium reuocandorum attentatorum promptius esse rectè scribitur, quàm vel spoliatorum restitutionis beneficium, can. redintegranda 3. q. 1. vel interdictorum remedium. *Salgad. de reg. protect. p. 2. c. 12. n. 22.*

4\. Hæc ita iure vetere; nunc per Concilium Tridentinum *s. 24. c. 20.* distinctio illa vix vsuvenit, prohibitâ ab interlocutorijs appellatione, nisi vim diffinitiuæ habeant, vel per appellationem à diffinitiua reparari nequeant. Itaque canonica inhibitio à Iudice ad quem, fieri iam non potest, vel negotiū ad illū deuolui ex causa hodie probabili, nisi interlocutoria vim definitiuæ habuerit, aut per appellationem à definitiua non sit reparabilis, vt hodie non sufficiat causa, quæ olim fuerit probabilis, nec obseruatio formæ præscripta in c. *Quid hodie obtineat?*

Romana

Romana de appellat. in 6. qua tunc seruata dicebatur canonicè inhiberi.

Ideoque Tridentinum *vbi supra*, *Reg. 36. Cancellariæ*, *sanctio Clementis VIII. 16. Octob.* 1600. commissiones, & inhibitiones secus factas declarat irritas, processus ordinationesque nullius momenti. adeoque potest rectè Iudex à quo illis non obstantibus vlterius in causa progredi.

Cum itaque causæ sint admodum multæ à quibus appellatio iure remoueatur; præsertim hodie ex decretis Concilij Tridentini, illis ritè expensis, atque in propriis suis terminis consideratis, Iudex à quo nec appellationum nec inhibitionum rationem habere potest, sed dumtaxat in causis ordinario iuri relictis.

Si ergo Ordinarius v.g. visitans, aut aliàs decreuerit quædam, quæ iure communi vel Tridentino iubeantur executioni mandari; appellationem non morabitur; si autem talia ordinauerit, quæ appellationem admittant; ea interposita quamuis aliis verbis per simplicitatem voce appellationis non expressa *c. 34. c. 30. X. de appell.* quidpiam velis exequi, attentatum huiusmodi ante omnia à Iudice ad quem reuocabitur. *ex iuribus supra allegatis & nominatim d. c. non solum*, v.g. amouit aut priuauit quospiam; relegauit vel cœtu abire iussit; cum illud excedat rationem correctionis, rationemque visitationis, & ordinariæ liti reseruatum sit; *vt diximus in iur. Pont. nou. anal. de accusat. n. 9.* attentasse censebitur si quomodocumque ad vlteriora progrediatur; electionem, substitutionem, vel confirmationem faciat. *c. 1. X. de appell. latè Ioan. Andræ. in d. c. non solum.*

5. **Appellantes incarcerans vt resignent beneficia vt teneatur?**

Sed & solent aliqui Prælati, vt propositum suum consequantur, per incarcerationes & diuturnas detentiones procedere, ac per illarum tædium cogere captiuos ad resignandum beneficia, atque officia conceptis etiam verbis quasi in liberam renuntiationem: cui malo pridem occurrere voluit Clemens V. *in c. multorum de pœn. in Clem.* decernens tam resignationes esse irritas, quàm prælatos à fructibus triennio suspensos, inferiores eo ipso beneficiis priuatos.

6. **Resignatio irrita est & vt attentatum reuocatur.**

Quare si huiusmodi incarceratio, & resignationis extortio post appellationem fuerit facta; etiam in vim attentatorum illius ratio haberi non debet. quemadmodum Rebuffus *de benef. lib. 3. de resig. met. extorta n. 5.* tradit, etiam dum de beneficio redintegrando agitur, opposita resignatione, replicato probatoque metu; restituendam possessionem: vt & de dolo dixerat & vi *antecedentibus duobus capitulis.*

Quinimò Innocentius III. *in c. ad audientiam. X. de his quæ vi vel met.* disertè resignationem metu factam, quamuis iuramento roboratam, irritam declarat; & restitutionem iniungit, si cadere potuerit in virum constantem: vt est carceris vel vinculorum. *l. 7. D. quod met. caus. qui in carcerem*, inquit, *l. 22. eod. quem detrusit, vt aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est*: quamuis à Iudice metus sit incussus *l. 3. D. eod. dummodo non iure licito*, inquit, *& iure honoris, quem sustinet*, id est ex iusta causa, atque ex iuris ordine: deficiente siquidem altero per iniuriam fecisse intelligitur: ex antithesi *versic. cæterum ibid.* Sed purgatus quidem metus huiusmodi resignationem validam facit. at purgari non censetur, quàmdiu causa metus durat. *Rebuff. ibid. n. 7. post Bald. Decium, &c.* adeoque quamdiu metum passus est in carcere, aut sub potestate metum facientis. vnde metus, qui in matrimonio interuenit, purgatus non censetur, quamdiu manet metus, aut timoris causa: vt multos omninò citat Sanchez *l. 4 d. 18. n. 7. & durat*, inquit, *timoris causa dum durat subiectio timorem incutienti, vt si Iudex metum inferat, dum durat officium; si tyrannus, dum durat tyrannis; si vir; dum durat matrimonium. citat gloss. & DD. omninò multos.* quare nec actu externo facilè metus purgari censetur. *vbicumque enim*, inquit, *num. 9. potest esse alia causa, quam approbatio contractus per metum gesti, nunquam præsumitur approbatio, vt tradunt optimè Bartholus, &c.* adeoque quæcumque sint conceptiones verborum in contractibus adhibitorum, de libertate, de spontanea voluntate, & similium, nullatenùs tollunt præsumptionem metus, quam ius æstimat ex causa non ex arte verborum. rei enim veritas potius quàm scriptura perspici debet; & acta simulata veritatis substantiam mutare non possunt: neque porrò quod scriptum, sed quod gestum est inspicitur. *l. 1. 2. 3. C. plus valere quod agitur, quam quod simulatè concipitur.* adeoque huiusmodi instrumenta priuilegium attentatorum reuocandorum nullatenùs eneruabunt.

7. **De purgatione & duratione metus.**

8. **Quid si in ius vocentur exempti.**

Quin & sæpius ordinarij in ius vocant aut statuunt aliquid in exemptos, idque illi æquè promptè spernunt; vtrique perperam: nam & extra territorium aut supra iurisdictionem ius dicenti impunè non paretur: *l. fin. D. de iurisdict. om. iud.* & in exemptos multis casibus data est Ordinariis iurisdictio. vnde ad Iudicem pertinet antequam citationem emittat dispicere an sua sit iurisdictio: & tamen si quis ex aliena iurisdictione vocetur, debet venire: etiam legati, cæterique qui ius habent reuocandi domum, priuilegia allegaturi. *l. si quis. D. de iudic.* vtique (quod vtrorumque causam discriminat) cum huiusmodi priuilegia notoria non sunt, sed ignorari, aut de illis dubitari potest. *lib. 2. §. sed si dubitetur. D. de iudic. gloss. & DD. in d. l. si quis.* quare priuilegia personalia vt sunt facti, ita iustam habent ignorantiam. in nostris terminis *c. si duobus in fin. X. de appellat.* priuilegia autem ordini cuipiam concessa, præsertim fori, atque exemptionis, notoria sunt; neque ordinarij iustam habent illorum ignorantiam, qui suorum conditionem ex annua, quæ eis iniungitur, visitatione, atque aliàs nosse debent, & præsumuntur. quare & cum persona notoriè non est de ordine, allegare & probare debet *c. rr.*

9. **Si notoria est exemptio, comparere non tenentur, alioquin debent.**

 s. 24. Trid.

s. 24. Trid. in verb. de qua professione Ordinario constare debet. & alioquin Ordinariis, cum iurisdictionis intentionem habeant fundatam, multum defert c. cum personæ *de priuil. in 6.*

10. Cæterum cum ex iure communi, & Tridentino multi admodum sint casus, quibus in exemptos tribuitur Ordinariis iurisdictio; si hos in ius vocent, aut quid statuant; citationi causam inferere oportet, ex qua palam iurisdictio eo in casu innotescat, & arctet citatos, quando neque eos quos venire oportet, excusat appellatio. *c. 19. X. de appellat.* nec aliàs citantem leuis possessio aliqua contraria, dum fuit exemptio certa *Diana p. 3. tract. 2. resol. 134.*

In exemptos sæpe competit iurisdictio sed tunc causa inferenda citationi, vt arctet.

Atque ex his, & *d. c. cum persona* deducendum est, ordinario in ius vocante, aut quidpiam statuente; exempto ad superiorem prouocante, defectumque iurisdictionis allegante; an, quod vlterius actum erit, nomine attentatorum veniet reuocandum, an subsistet.

Casus 28. ex iure communi. 17. ex Tridentino cessantis exemptionis recitauimus *in inv. Pont. nou. anal. de priuileg.* & *sub finem* adiecimus alios ex constitutione Greg. XV. *incipit inscrutabili*: in his casibus, causa citatorialibus expressa, venire ad iudicium tenetur exemptus; & si quid in contumaciam ordinetur, subsistit: si extra casus exceptos fuerit quid statutum in notoriè exemptos, & appellationi, & attentatorum priuilegio locus erit.

Exempli gratia in *c. periculoso de stat. reg. in 6. innouato in Trid. de reg. c. 5.* decretum est, vt ordinarij etiam quoad exemptos authoritate apostolica curent clausuram in monasteriis monialium, etiam appellatione postposita: & *d. constit. Gregor. XV.* vt puniant circa illam delinquentes: itaque in ordinanda clausura statuere Ordinarius potest, & exequi non obstante appellatione; nec locus est attentatorum priuilegio; quoad delictum autem circa clausuram, delinquentes exemptos citare potest, eâ causâ citationi insertâ in ius venire debent citati. 11.

Vt nominatim in materia clausuræ monialium.

Iterùm monialium confessores quoad curam animarum, & sacramentorum administrationem *ex eadem Gregor. XV. constitutione* omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni etiam Ordinarij, tanquam Sedis Apostolicæ delegati subsunt; illa itaque materia expressa tam confessores quam moniales ad priuilegia sua prouocare non possunt; nec eo nomine locus est attentatis, & si quid visitando aut corrigendo decretum sit, quod non excedit causam, aut modum visitationis, aut correctionis (non enim eò pertinent omnia. *c. 1. §. sanè de censib. in 6.* de modo autem diximus *d. n. 9.*) appellatione non suspenditur, aut nomine attentatorum reuocatur. 12.

Earum confessorum quoad curam animarum, administrationem sacramentorum.

13. In quibus decreta appellatione non suspenduntur, aut cadunt in attentata.

LIBRI TERTII

TITVLVS I.

De vita & honestate clericorum.

CONSVLTATIO I.

De delatione decentiaque habitus clericalis.

1. CLEMENTINA quoniam *h. tit.* inuehitur grauibus pœnis in clericos, qui publicè sine rationabili causa vestes Ordini suo congruentes non deferunt. eam Concil. Trid. *s. 14. c. 6.* innouat, ampliat, atque etiam pœnarum varietate munit. & rursus *s. 22. c. 1.* repetit generaliter, vt clerici vitam, moresque suos ita componant; vt habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, *nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præ se ferant.* iterumque *s. 24. c. 12. versic. vestitu insuper decenti, tam in Ecclesia, quàm extra assiduè vtantur: ab illicitisq; venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusq; abstineant:* & (quod ad cathedrales magis attinet, quos ibi compellat) *eâ morum integritate polleant, vt meritò Ecclesiæ senatus dici possint.* Vetatque Clementina vestes, quas pridem vsus abrogauit, vt vix vocabulorum supersit notitia. quam tamen Weymsius *ad const. 24. à Trid. innouatas const. 8.* perbellè explicat. summa constitutionum in eo est, vt clerus decenti habitu vtatur, vtique secundùm morem regionis, *vt ibi VVeyms. n. 14.* superiorumque præscripta, ac tali qui clericos à laicis distinguat.

Habitus cleri vt sit decens, qui cum à laicis distinguat.

Pœnæ tum Concilij, tum Clementis satis graues, sed superiorum inflictione opus habet, at Sixtus V. *constitut. incip. cum sacrosanct. 5. Idus Ianua.* 1588. ipso facto irrogat priuatione beneficiorum, 2.

Pœnæ infligendæ sunt per sententiam.

3. *Sixtina non recepta.* beneficiorum, dignitatum, ac pensionum: sed eam vsus non recepit, & ipse alia consti. *incip. pastoralis pridie Kalend. Feb.* 1588. excepit clericos ex beneficijs, aut pensionibus annuè sexaginta ducatos auri de camera non habentes, & quosdam Palatio Apostolico seruientes. & 4. *Habitus publicus arguitur non domesticus,* tam Clemens quàm Tridentinum satis indicant sibi sermonem esse de vestitu continuo, & irrationabili, ac publico: vnde domi, in occulto, in musæo, aut cum ratio aliqua suadet non obtinet: v.g. causa celebrandi actus doctoralis, rectoralis, consularis, vel aliàs simili honestâ. quomodo Rectores vniuersitatum, etiam sacerdotes, magistratus insigne deferunt, mozettam purpuream, quem colorem 5. *momentaneus,* etsi Clemens damnauerit; egit tantùm de vestibus clericorum, non huiusmodi magistratuum insignibus, aut actuum academicorum, politicorumq; ornamentis. & quamuis Weymsius *n. fin.* 6. *iusta ex causa.* in momentaneis huiusmodi etiam causis dubitandi ansam sumpserit *ex d. versic. vestitu, verb. assiduè*, tamen huiusmodi rationabiles actus non sunt exclusi, quia influunt tanquam ex Clementina per Tridentinum innouata excepti, *in verb. rationabili causa cessante*, & verbum illud *assiduè* ciuili modo intelligendum est. *l. si cui. D. de seruitut.*

7. *Non vnus actus tam pœnis grauibus subiectus, sed arbitrariis ex circũstantia.* Et verò vt omni ordinis prærogatiua clericus priuetur, non sufficit vnus actus: quia Clemens ait de iis qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordini alias assumunt, & in publico portant: Tridentinum de iis, qui honorem clericalem parui pendentes vestes deferunt publicè laicales, pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus. *Vt nec priuilegio fori priuet si adsint cõditiones Tridentinæ. s. 23. c. 6.* pedum enim positio firmitatem habet, nec videtur quis abiecisse quod mox resumpturus est: vt de vxore responsum est, *diuertisse non videri, quæ mox redijt.* ideoque, dum *s. 23. c. 6.* ad cleri priuilegium requiritur habitus clericalis, & tonsuræ delatio: qui ad tempus dimisit non ideò fori priuilegium amittit, nisi ita continuet, vt pro laico habeatur. *Barbos. & ab eo citati ad d. c. 6. in Collect. Trid. n. 26. & s. 14. c. 6. n.* 8. vt perperam aucupentur Iudices aliqui seculares huiusmodi occasiones, quasi tunc in clericos iurisdictionem nacti. non nego tamen vel vnum actum, sine ratione commissum, ad arbitrium Episcoporum pro scandalo, fine, alijsque circumstantijs, puniri posse: sed non mox locum esse pœnis Clementinis, aut Tridentinis, quæ ad suspensionem, aut priuationem pertinent. atque adeò id obtinet vt clericus etiam non beneficiatus, qui inseruit alicui Ecclesiæ, si fuerit cum armis deprehensus de die, vel de nocte, absque habitu & tonsura, non careat priuilegio: vt refert Weymsius *ad const. 24. in Concil. Trid. innouatas const.* 8. *n.* 14. Interpretes respondisse anno 1586. & consonat *c. in audientia. X. de sent. excom.* si non ter moniti fuerint. quin idem Weymsius responsum refert in clerico coniugato, cuius priuilegium etiam nouauit Tridentinum, *sess. 23. c. 6.* dummodo alicui Ecclesiæ ministret, habitu clericali, & tonsurâ vtatur; & talis sit, qualem Bonifacius VIII. requirit *in c. clerici qui cum vnic. de cler. coniugat. in 6.* vt semel tantùm sit coniugatus, & cum vnica, eaque virgine, tonsuram gerat, & vestem clericalem. quibus adiungit Tridentinum, vt alicui Ecclesiæ sit adscriptus: reiectâ consuetudine etiam immemoriali, adeò vt iudices cuiusmodi diximus clericum talem apprehendentes, nisi statim dimiserint, *sententiam excommunicationis vix à se auertent, vt*, inquit Weymsius *vbi suprà.*

Talarem vestem clerici requirit *c. penult. 23. dist. & d. constitutio Sixti V.* Clemens autem vetat ita breuem, *quod vestis*, inquit, *inferior notabiliter videatur*: ibidemque supponere videtur binam vestem clericalem: vnicam tamen sufficere superiorem, quæ reliquas satis tegat, quamuis eæ quæ teguntur sint laicales, tegi autem oportet laicales ita, vt non appareant. qui Clementis sensus videtur in verb. *caligis scacatis, rubeis, aut viridibus publicè non vtantur.* dum enim id genus caligarum publicè vetat apparere, aliud permittit, sed Concilium Mechliniense *an.* 1607. *tit.* 18. *c.* 4. duplicem vestem exigit, tunicam exteriorem manicatam cum clericali bireto in oppidis, interiorem autem vt minimum etiam rure ad medium tibiarum vsque promissam. Atque vlterius omnem illum habitum declarat interdictum, pœnisque Clementinis & Tridentinis subiectum, à quo loci Episcopus abstinendum mandauerit. Nec sanè certior regula statui potest, ob quotidianas mundanæ curiositatis nouitates, à qua indies videmus quantum aliqui clerici mutuentur, facilè veteris sæpè moris etiam pertæsi, & noui, supra instituti sui rationem, amantes. 8. *Talaris vestis, vna an plures?* 9. *Omnis habitus illicitus quem Episcopus interdicit.*

Mandat etiam Trid. *d. c.* 1. *s.* 22. vt si qua ex ijs, quæ de vita, honestate clericorum, luxu, commessationibus, choræis, aleis, & quibuscumque criminibus, & secularibus negotijs fugiendis per sacros canones sancita sunt, si qua fortè in desuetudinem abierunt in vsum reuocari, consuetudinibus non obstantibus, ita vt morum correctionem nulla appellatio suspendat. correctionem, inquam, non verò punitionem per criminales pœnas priuationis, similesque. *quæ latè distinximus in iur. Pont. nou. anal. de accusat. n.* 9. 10. *Quæ de habitu & moribus decernuntur habent paratam executionem.*

De cleric. non resid.

CONSVLTATIO I.

Distributiones absentibus negandæ, & statutum contrarium nisi ex iusta causa non valet.

STatutum quod indistinctè sine requisitione specialis iustæ causæ in singulas vices per tres menses absentiã concedit Canonicis, cum lucro 1. *Statutum contra ius*

est, quod absentibus concedit distributiones, quamuis per tres menses tantùm.

lucro distributionum quotidianarum, contra ius commune & Concil. Trid. inductum esse non videtur ambigendum. *c. de cætero. X. de cler. non resident. c. licet de præb. c. vnic. de cler. non resid. in 6. Trid. s. 24. c. 12. §. distributionis s. 21. c. 3. s. 22. c. 3.* dicto enim *c. 12.* distributiones iis assignantur tantùm, qui statis horis diuinis interfuerint, & vltra tres menses à residentia absentes puniuntur amissione fructuum. præmium enim residentiæ respondens sunt fructus: inter essentiæ autem in diuinis distributiones. non autem concedit Concilium illam licentiam trium mensium; sed tolerat tantùm, vetatque excedi: iubetque minus spatium vbi consueuit seruari, in eoque à plerisque statutis differt. Ideoque resoluerunt benè Cardinales in causa Abulensis Ecclesiæ contrariam consuetudinem esse damnatam. Et benè Garzias eiusmodi vacantias sublatas docet, *de benef. p. 3. c. 2. n. 250.* & conformiter intelligendus est Moneta *tract. de distrib. p. 2. q. 12. n. 54. & Nauar. de orat. & hor. canon. c. 4. n. 20.* vt ea scilicet consuetudo à iure deuiet. Si tamen non pro solo lubitu, vt loquitur Nauar. sed ex causa iusta, & rationabili, quæ ad vnam ex tribus *in d. c. vnico* probatis reduci possit, (vt quidam sub iusta & rationabili corporali necessitate omne legitimum impedimentum comprehensum credunt) absentia cum distributionum lucro concedatur, contra ius quidem commune fit: consuetudo tamen talis confirmatur. *in d. c. vnico, adeoq; Concil. Trid. quod illud innouat.*

2. Excusatur si causa rationabilis occurrat absentiæ.

Animaduertendum tamen est non indistinctè & generatim sed in singulas absentiæ vices, iustam causam specificè requiri: ex indiuiduorum enim factis hoc ius oritur, seu potiùs iuris applicatio, quam alterum statutum non inquirit, sed indistinctè omnibus sine singulari causæ inquisitione concedit. nisi dicamus in examine condendi, retinendi, & confirmandi statuti generali inquisitione, & temporum experientiâ deprehensum esse in annos singulos à communiter accidentibus (ex quibus præsumere, & desuper statuere potest, soletque lex & statutum) iustas causas consueuisse singulis obuenire, ob quas trimestris absentia sine damno concedenda sit, præsertim in regionibus Belgicis, frigidis, flegmaticis, paludosis. vbi ad recuperandam præseruandamúe valetudinem aëris mutatione sæpe opus sit. (qua ex causa præter reliquas S. Pontifex Nicolaus *an. 1453. & Sixtus IV. 1475.* Capitulo Antuerpiensi beneficiorum pluralitatem indulserunt) sed hæc magis ad aliquam æquitatem, quàm ius ipsum (quod vt dictum non indistinctè vagatur, sed ex singularibus factis, & negotiis petendum est) spectare credenda sunt. quod tamen non est morosè ad monachalem, scholaremúe subiectionem vsque exagitandum: sed vt sit rationabile obsequium nostrum. quantisper ex ea æquitate non descenditur ad graues abusus, qui tollendi quidem; vsus tolerandi sunt. alioquin sanctissima instituta, si abusuum ratio sufficit, sæpe conuellenda forent. sed nec omnia per superiores tanquam in clero dominantes per præcepta, edicta, & leges pœnis sancitas, obtinenda sunt. quædam monitis, hortationibus, præcationibus, & exemplis superiorum relinquenda sunt. *Conc. Trid. s. 13. c. 1.* iuxta Apost. ad Titum: vbi post instructionem eiusmodi longiorem, ita concludit; *in omnibus te ipsum præbe exemplum.*

Nihilominus hæc æquitas tanta est, vt statutum super eo fundatum, illius consideratione retentum, & confirmatum per superiores iustum omninò titulum præbeat ad præscriptionem.

Cùm ergo non tantùm à condito & sæpius exagitato, sed solemniter denique anno 1571. ordinato statuto, & à Concil. Trid. hic publicato quadraginta & amplius anni lapsi sunt, per vsum nunquam tanto tempore deinceps contradictum, sed pacificè continuatum, ex tam iusto titulo legitimè præscriptum esse etiam contra dispositionem iuris & Concilij Trid. omninò est censendum. quæ præscriptio admittitur apud Azor. *inst. mor. p. 2. l. 7. c. 3. q. 4.* 3. Ex eaque præscriptum fit.

Cæterum Concil. Trid. statutis dumtaxat & consuetudinibus derogauit. vnde si qui alio iure nitantur, extra hanc causam sunt; itaque qui priuilegium Apostolicum habent, aut fundationem contrariam, huc non pertinent, *Garcias vbi supra, & Azor. inst. mor. p. 2. l. 7. c. 6. q. 3.* 4. Priuilegium aut fundatio suffragetur.

Quod ergo Paulus III. in erectione Ecclesiæ collegiatæ G. absentiam quatuor mensium sine veniæ postulatione permiserit; & vnam triginta dierum sine damno distributionum; ad dispositionem Concilij Tridentini non pertinere censendum est.

CONSVLTATIO II.

Æger absens, cui propositum fuerat residere, pro residente ad iuris effectus est habendus.

Videtur Titius Canonicus L. qui opportuno tempore in Capitulo generali ante festum S. Ioannis admitti petiit ad residentiam, atque à Capitulo saluo iure cuiuslibet admissus est, atque ægritudine deinde & morte impeditus ad residentiam non venit, pro residente habendus fuisse. *imputari enim non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum: c. imputari de reg. iur. in 6.* sicut *in c. exhibita de priuil. in extr. comm.* interpretatiuè dicitur residere, qui ex iusta causa abest. *c. ad audientiam. X. de cler. non resid. &c.* Adeoque, quamuis deinceps corporaliter non resederit, ei debetur annus gratiæ, qui residentibus debetur secundùm statuta eiusdem Capituli. *tit. 3. cap. 9.* vt scilicet mortuus ante Festum S. Andreæ habeat 1. Tempora morbi residentiæ imputantur.

habeat fructus reliquos illius anni, quamuis etiam non suppleuerit dies ægritudinis, quos conualescens frequentatione chori supplere debuisset. *l. 4. §. Stichus si haredi. D. de stat. lib.*

2. Et conditioni deseruiendi satisfaciunt. vbi seruo libertas est legata sub conditione *si vno anno heredi inseruijsset*, & ægritudo prodest ad implementũ cõditionis, & anno imputatur tempus ægritudinis. *seruire*, enim inquit Paulus, *nobis intelliguntur etiam hi quos curamus ægros, qui cupientes seruire propter aduersam valetudinem impediuntur.* Atque eapropter etiam magis in officio diuino intelligentur seruire, qui per valetudinem impediuntur. quoniam seruitus & iugum Domini magis suaue est, quàm secularium dominorum.

3. Statutis loci residentiæ tenetur. Quoniam porrò sub Iurisdictione Capituli L. beneficium obtinens ex ijsdem statutis *tit. 8. c. 1.* tenetur executorem vnum vltimæ suæ voluntatis designare ex personis eidem Capitulo subiectis, sub pœna quod alioquin quoad fructus beneficij sub Iurisdictione Capituli consistentis censebitur intestatus decessisse, & Capitulum aliquem ex clero constituet executorem &c. etiam videtur Titius quamuis physicè non residens moraliter tamen & iuris beneficio pro residente habitus, eo decreto esse comprehensus. quia verbum *quicumque*, quo vtitur statutum, vniuersaliter loquens, vniuersaliter est accipiendum. statuta enim strictè interpretanda dicuntur, prout iacent, & prout sonant: & qui dicit quemlibet, neminem dicitur omittere, & neminem excludere: comprehendet ergo quemlibet, vt loquitur statutum, sub Iurisdictione Capituli beneficium obtinentem: quod non etiam vtitur verbo residentis, aut eo articulo residentiam exprimit.

Id quod minus rigoris in Titio habere censendum est, quod iam aliàs in eadem Ecclesia residentiam fecisse proponatur, adeoque statuti notitiam habuerit, seu, quod idem est, habere debuerit; & imputare sibi debeat si leges Collegij cui se subiecit, non seruauerit, vti debuit: cum nec possit quisquam facere ne leges in suo testamento locum habeant.

4. Fructus beneficij suos facit. Ex his quæ *per d. c. imputari de reg. iur. in 6. & l. 4. §. stichus D. de stat. lib.* dicta sunt etiam consectarium est, vt Titius, lucratus fuerit non tantùm *corpus* suæ præbendæ, sed fructus omninò omnes, & emolumenta, quæ corporaliter residens, & in officijs præsens secundùm statuta lucratus fuisset. cuius rei decisio data est à Gregorio *in c. 1. X. de cler. ægrotan. in verb. latorem præsentium ad percipienda quæ consueta sunt ab Ecclesia tua, ægritudo sua non debet impedire*: & infra, *sed secundùm Ecclesiæ ordinem quæcumque ei, si sanus esset, poterant ministrari de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua præbeat ægrotanti.*

5. Et amittit ex capite quo aliàs cæteri. Per quæ solutione datâ ad 1. & 2. quæstionem cum decisum maneat Titium statuto comprehensum, vt non designato vltimæ voluntatis executore Capitulo subiecto, quoad fructus præbendæ nondum perceptos censeatur intestatus decessisse, quæsitum est 3. ad quem isti præbendæ fructus nondum percepti pertineant, an ad Capitulum, an successorem seu Ecclesiam, an alium?

Sanè præsupposito quod statutum *tit. 8. c. 1.* nihil exprimat aut indicet, quo illi fructus vertendi sint, videri posset non immeritò recurri posse ad Ordinarium, qui ea statuta præscripsit, vel confirmauit. quippe eius est legem interpretari, cuius est condere. videtur autem huic legi aliquid deesse, quod interpretatione iuuandum sit. cum enim censeri soleat in statutis nihil frustrà dici; ad quid faciet ea clausula, quod Capitulum aliquem ex clero constituet executorem? nam, si Capitulo hi fructus acquirantur, non opus est executore; sed sufficit communis quæstor. fortè mens fuit, vt Antuerpiæ, atque alijs quibusdam locis expressum est, vt executor ex clero detur, qui istos fructus colligat, & in legata à testatore relicta, præsertim pia, eroget; & ea solùm causa statuti fuisse, ne in arcana Capitulorum per huiusmodi occasiones penetrent extranei.

Sed, præsupposito quod caduci sint facti, atque in commissum ceciderint, quæritur cui debeant cedere? & sicut iuris ratio videtur exigere vt accrescant Collegio deficientium partes ex ijs quæ Collegio sunt relicta, *tot. tit. D. de iur. accresc. Trident. s. 21. c. 3. s. 24. c. 12. Riccius in prax. distribut. decis. 497. Azor. inst. moral. l. 7. c. 7. q. 8.* cui conforme esse videtur statutum eiusdem Capituli *tit. 3. c. 14.* & secundùm naturam sit, vt qui sentit onus, sentiat commodum. *l. secundùm. D. de reg. iur. c. qui sentit in 6. eod.* & quoniam beneficium datur propter officium, sic qui peregit officium ei cedit fructus beneficij: *c. significatum. X. de præbend.* ita quoniam Collegium absentis partes in officio suppleuit, æquum videtur vt partes prouentuum beneficij ei debeantur. 6. Qui cui acquirũtur.

Sed quoniam hîc agitur de fructibus, qui iam defuncto acquisiti erant, sed per culpam eius caduci sunt facti; quæstio est, cui illi tanquam ab intestato, vel ex pœna cedant. 7. Intestati iure aut ex pœna.

De iure clerici intestato morientis agit *c. 1. de success. ab intestat. c. relatum 12. X. de testam. l. si quis presbyter. C. de epis.* neque sine iuris etiam ciuilis ratione, quo, qui certis Collegijs sunt adscripti, si absque hærede moriantur, Collegiũ pro hærede habent: *tot. tit. C. de hered. decurion. nauicular.* de pœna agit *c. 2. X. de pœn.* vbi pecunia ex pœna homicidij presbyteri tribuitur Episcopo, vt pauperibus & Ecclesiæ distribuat; additurque causa; quia *nullus eius hæres proximior, quàm qui ipsum Domino sociauit.* eodemque modo *d. c. 1.* intestati clerici hæreditatem addicit altari, cui seruiuit: *omnia, inquit, perpetuò sanctificentur, & in eius ius tradantur.* ita vt iure quidem Ecclesijs ipsis seruanda bona acquirantur, non collegarum personis, in eorum vsus vertenda. 8. Ecclesiis Collegijsue non personis.

Atque in eum sensum sonant *c. fin. de offic. Ordinar. in 6. c. cum in offic. de testam. c.*

cum

cum vos. X. de offic. c. quia sæpe de elect. in 6. c. statutum. de elect. in Clem. vt etiam vacantium dignitatum beneficiorumque fructus non in rem aliquorum priuatam vertantur; sed Ecclesiæ, beneficij, seu successoris, non quidem personæ, sed successoris perpetui, id est, in infinitum; vt pleraque loca loquuntur in plurali, aut de ipso beneficio, seu Ecclesia, & in eius rem tradi bona dicuntur, & eatenus perpetuò sanctificari: *d. c. 1. de success. ab intest. Gar. de benef. p. 2. c. 1. n. 89. §. 3. principaliter.* excluduntque ea capitula, indulgentias, & priuilegia, consuetudines, constitutiones, & statuta, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate vallatâ.

Sed non vbique vigent ij canones; & fortè nec olim fuerunt vbique vsu recepti; ita vt consuetudo per tempus sufficiens in contrarium introducta, vel statutum diuturno vsu exercitum illi derogare potuerit, & aduersùs eosdem canones præscribi; sic vt aliqui suos facere fructus vacantes possint, si faueat præscripta consuetudo; præsertim si qua iusta causa subsit. *vt in §. fin. d. Clem. statutum.*

Et verò hi canones loquuntur de beneficiis & dignitatibus separatis, non collegiatis; in quibus est ius accrescendi, & fructus distributionesque deficientium accrescunt præsentibus.

9. Acquisiti. Denique quoad fructus defuncto Titio acquisitos, & caducos factos potest in vim *d. c. 2. X. de pæn.* Ordinarius partem in eleemosynam iustè dispertiri. quo referri potest vt pro refrigerio defuncti sacra officia annua, seu per totum annum, tricenaria, aliaque id genus fiant; quibus Collegium intersit; & dignas distributiones in vicem eleemosynarum singuli percipiant, quas suas faciant.

10. Acquirendi. Cæteri porrò fructus qui iam defuncto non erant acquisiti, sed post festum S. Andreæ cessuri, relinquuntur dispositioni iuris, & statutorum: vt vel collegis accrescant, officium præbendæ incumbens supplentibus; vel fabricæ, vel successori: prout respectiuè per statuta generaliter est ordinatum, vel consuetudine diuturnâ vsurpatum.

De clerico ægrotante.

CONSVLTATIO I.

De coadiutore.

1. Coadiutor illiterato datur, sed audito. Cvm decretum esset, vt ab intimatis exhiberentur acta priorum instantiarum, declarauerunt nullam instantiam fuisse, latamque sententiam per modum visitationis. Quæ tamen acta visitationis, quia petita non exhibentur, etiam nulla fuisse credendum est. *c. quoniam contra X. de prob.* & tacitâ confessione deprehenditur, vbi id licuisse *ex c. 6. sess. 21. Concil. Trid.* & sufficere sustinent, vt ex actis visitationis Episcopi informati sint de illiteratura & imperitia Pastorum, ad effectum quo illis assignent coadiutorem: quia in his summariè sit procedendum.

Verum tamen quantumuis maximè de plano procedendum sit, veritatem tamen inquiri oportet. *sic c. 14. sess. 25. Concil. Trid.* legitimæque defensiones audiendæ sunt, & paucis in scriptum redigenda acta. *Clem. sæpe de V. S.* 2. Plenè defenso.

Denique visitantes Episcopi ius & potestatem habent ad morum correctionem omnia ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur: *iuxta* tamen, inquit Concil. Trid. *sess. 24. c. 10. canonum sanctiones.* 3. Et iuxta canonum sanctiones.

Atqui nullæ canonum, legumque, imò iuris naturæ sanctiones permittunt in aliquem inauditum quippiam statui. Quare Clemens VIII. quando sustulit omnes nullitates *constitut. Litium 5. id. feb. 1592.* eas non sustulit, quæ orirentur ex defectu citationis, iurisdictionis, vel mandati: & *in c. conquerente 7. X. de restitut. spol.* disertè statuitur sine iudicio, seu ordine iudiciario spoliari, quem non debere; & secus amotum esse restituendum, saluâ in cæteris actione.

Hæc inquam Concilium Trid. non reuocauit; nisi quod summarium, & planum iudicij ordinem, quasi sine figura iudicij, & solam veritatis inspectionem induxerit; vt ea habita non beneficium auferri; sed coadiutor dari possit. nam per verba illa (*simpliciter, de plano, & sine figura iudicij*) solemnia quidem Iudiciorum remittuntur; sed non defensiones aut probationes. *ita d. Clem. sæpe. Canisius in sum. lib. 4. tit. 1. in notis.* 4. Causa summariè saltem cognita.

Quæ etiam illiteratura cognitionem, & excussionem desiderat. *Quamquam* enim inquit Innoc. III. *in c. nisi X. de renun. desideranda sit eminens scientia in Pastore; in eo tamen est competens toleranda: & imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.* 5. Examinata & illiteratura.

Et cum in approbandis ad curam animarum vel beneficia examen, examinatoresque Concilium Trid. *sess. 24. c. 18.* requirit (vbi non ipse Episcopus examinat, sed examinatores nominat) videri potest, id quod in approbandis, id in reprobandis seruandum, vt soluatur vnumquodque prout colligatur: saltem vt, siue Episcopi, siue examinatorum, examen requiratur. Sed & priuilegium Episcoporum visitantium ideò competit, vt Ecclesiæ periculosa non sit iudiciarij ordinis mora, sed mox statuere, quod expedit, possint. sed id in hac causa seruatum non est, quippe refert sententia visitationem 13. Iunij fuisse factam, & sententia lata est 14. Decemb. deinde secuti, vt interim non extraordinarium tantùm, sed etiam ordinarium iudicium talis causæ confici potuisset: gaudereque ideò non potest sententia priuilegio visitationis. vt dicitur 6. Per examinatores à Synodo statutos.

dicitur de milite testante ab expeditione domum reuerso, vt iure communi non militari gaudeat. §. *sed hactenùs Institut. de militari testamento.*

Porrò auditum esse appellantem nullibi apparet. quando autem ob Iudicis negligentiam difficultas emerserit, siue in ordinario, siue extraordinario iudicio, si Iudex publicam personam non adhibuit, actaque omnia per eum conscripsit, *pro ipsius non præsumitur processu, (vt inquit d.c.quoniam contra) nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis.*

7. Neque tamé semel examinatus iterùm fine noua causa examinatur. Prætereà qui semel examinatus, & repertus est idoneus, præsumitur semper esse talis, neque à successore de nouo examinari potest, nisi noua causa superuenerit. *sic refert censuisse Cardinales Serola p.1. V.confessores §.2. & decisum est in c.accepimus, X.de ætate & qualitate ordinand.* nouam autem illiteraturæ causam Intimati nullam designarunt, minus subfuisse probarunt. quanquam nuper Episcopis Belgicis data est authoritas olim probatos reuocandi ad examen, quando pro sua prudentia id necessarium videretur. quod accipiendum est vt arbitrio boni viri causa dubitandi de idoneitate permanente subsit. *l.11. §. reprobari & ibi glos.D.de Munerib.*

8. Coadiutoribus fructus relinquantur, pensio, aut illorum pars coadiutori. Adhæc Concilium *sess.21.c.6.* tantùm permittit coadiutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter prouidere. aliter scilicet quam partem fructuum assignando, id est iuxta *c.7.sess.7.eiusdem Concilij* cum tertiæ partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio Ordinariorum : portione etiam super re certa assignata. *verba sunt d.c.7.* agentis de Vicariis perpetuis, vel temporalibus. non potest ergo dari administratio coadiutori, quia illud Concilium non dicit : & iure priori *c.1.2.3.de cler.ægrot.c.vn.in fin.eod.in 6.* statutum est tantùm coadiutori dandum congruam portionem. & *c. cum ex eo de elect. in 6. §. fin.* studentium beneficiariorum Vicariis mandatur, vt de ipsarum Ecclesiarum prouentibus necessaria congruè ministrentur. vti

9. Congrua. generatim de Vicariis tam temporalibus quàm perpetuis, tam in iure quàm Concil. Trid. *in præcitatis locis, nec non c.5.sess.7. c.13. & c.18. sess 24.c.12.& c.16.sess.25.* definitur.

Et quamuis prædicta loca indeterminatè loquantur, & determinationem arbitrio Ordinarij relinquant; non tamen illud pro lubitu, & nuda illius voluntate, vice rationis accipiendum est : sed in arbitrio Iudicis partes

10. Pro recto Iudicis arbitrio. eæ sunt, quæ viri boni. vt, quod lex iustè definire non potuit (vt infinita sunt quæ ex facto eueniunt) tamquam viua lex definiat. *Menoch.c.5.de arbitrariis in proœm.*

Qua in re ne qui aberrarent Pius V. statuit vt congrua portio non vltra centum aureos, nec infra quinquaginta protendeketur. quin & Concilium *Mechlin.anni 1607. tit.17. c.3.* pro ipsis Ecclesiarum rectoribus infra 30. & 50. libras grossorum eam concludit, etsi mutata annonæ caritas plus etiã hodie exigat.

Nullibi autem permittitur sicubi Episcopi, Capitula, vel alij decimas habeant, vt eæ integræ parocho, vel Vicario assignentur, & pensio illis. quorum inter se non dissimilis ratio est, & coadiuti respectu coadiutoris : eademque proinde dispositio esse debet, præsertim cum coadiutus maneat beneficiarius, & coadiutor tantum vocetur tanquam auxiliaris in partem subsidiariæ solicitudinis.

De præbendis.

CONSULTATIO I.

De permutandis præbendis, per patronos non seruato turno collatis, ritè instituto, per triennium possidente.

CVm in permutationibus non sit magnum patronorum præiudicium, quia sine graui ratione permutationem impedire non possunt, *c.vnic.de rer.permut.in 6.* Ideoque patrono citra huiusmodi causam dissentiente Episcopus vices suppleat, *Rebuff. in prax. benef. lib.1. in forma signaturæ simplicis 3. part.ad verba nec non iuris patronatus n.41.* quinimò *de generali*, inquit, *n.43. consuetudine Ecclesiæ quasi omnes Episcopi tales expediunt permutationes absque patroni consensu, & vocatione patronorum*; dicere possumus per compendium Principem negotium expedire, & tam nomine suo assensum dare, quàm aliorum vices supplendo rationabilem permutationem eo ipso admittendam declarare siue admittere, qui citra turni obseruationem continuò solus permutationibus assensum authoritatemque præstat, cum olim eæ per vices admitterentur, vt & nunc per mortem vacantium collationes per turnum fiunt in Ecclesia. 1. Permutationes si nõ admittantur à patronis Episcopi supplent, imo si ne illis admittunt.

Ea tamen agendi ratio ius aliorum patronorum non tollit; quin vt olim rursus simul permutationibus authoritatem præstare possint, vel separatim, cum requiruntur, assensum præbere. quæ via iniqua dici non potest ob æquitatem regulæ, *quod quisque iuris*, &c. quæ causa suadet, vt vel iure fecisse censeatur patronus alter permutationi assentiens, vel saltem prouisus credere possit iure se præsentatum esse, aut saltem iure à Capitulo admissum, atque eatenùs iustum atque canonicum titulum habuisse. præsertim cum huiusmodi admissio spiritualem tribuat titulum, non nominatio aut præsentatio ipsa patronorum. quin etiam discordia super præsentatione inter patronos orta Episcopi, aut qui eorum vice Ecclesias ordinant, authoritatem habeant id quod Ecclesiæ vtiliùs est faciendi. *c. quoniam 3. X. de iur.patronat.* quamuis aliàs irrationabilis patroni contemptus prouisionem facit nullam seu annullandam. *c. ex insinuat. X.eod.* & propterea in regula Cancellariæ *de trien-*

triennali iuxta alios prouisionum modos pro beneficiis iuris patronatus ponuntur hæc verba, *præsentatione & institutione* coniunctim.

2. Simoniacè præsentatus sine sua culpa, rehabilitatione non habet opus sed noua collatione.

Porrò, qui citra culpam suam non rectè prouisus est, quamuis actus prouisionis per vitium tertij infectus & irritus fuerit, non incurrit inhabilitatem: quemadmodum *in c. ex insinuat. X. de simon.* vbi pater prouisi pro impetranda filio præbenda simoniam illo inscio commiserat; illaque deinde dimissa de nouo à Capitulo electus est filius, & in ea à Pontifice manere iussus. Itaque N. personæ habilitationem à Nuntio citra necessitatem impetrauit, reualidatio autem actus seu noua prouisio ei necessaria fuit.

Quod si autem in precibus Nuntio porrectis defectus (si defectum esse demus) inobseruantiæ turni, seu quod alter tantùm collator, non Princeps, assenserit permutationi, expositus fuit; vtique actus reualidatio per Delegatum à Nuntio facta hunc defectum comprehendisse, atque purgasse censenda est. Cæterùm si nec in specie, nec in genere propositus fuerit; secus erit dicendum, quoniam actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. *l. non omnis. D. si cert. pet. l. caius. §. fin. D. de legat. 2. l. Cassius. D. de solut.* quod axioma etiam procedere in collationibus, dispensationibus, & similibus actibus *post Bellam.* asserit Tuscus, *in verb. actus concl. 125.*

3. Qui per patronum prouisus est cuius non erat turnus, si per triennium titulo pacificè præbendam possedit molestari amplius non potest.

Enimuerò inobseruantia turni, quæ, vt facti alieni, probabili & innocuæ ignorantiæ ascribenda est, aut quod pridem alter patronorum solus permutationibus solet consentire, & is aditus non sit, etsi controuersiam pati posset: tamen admissio Capituli, vt supra facta, titulum tribuit saltem coloratum, atque præsertim ad effectum regulæ *de triennali possessore*, vt post triennium pacificæ possessionis amplius nequeat molestari. admissus enim est à Capitulo, ad quod ius admittendi pertinet; præsentatus etiam est à vero patrono, siue assensit permutationi verus patronus; quamuis vices eius non fuissent, aut eas omnes solus Princeps vt supra ad se traxisset. coloratus enim titulus est ad hunc effectum, qui non habet vitium in regula exceptum, scilicet symoniaci ingressus, vel intrusionis aduersùs reseruationes generales, in corpore iuris clausas, sic Gomesius *ad eandem reg. q. 27. ad effectum*, inquit, *istius regula, pone istam conclusionem pro firma, quod omnis ille dicitur habere titulum coloratum, qui non excluditur in regula. itaque soli illi discoloratos titulos habere dicuntur qui in regula ista excipiuntur.* eundemque sequitur Chokier *ad eandem reg. n. 85. & seqq.* & ideò regula defendit possessorem *ex quouis*, inquit, *titulo seu prouisione eorum ad quos beneficiorum dispositio pertinet.*

4. Quia habet titulum coloratum.

Eoque magis hæc procedunt, quod in huiusmodi iuris patronatus beneficiis, præualeat spiritualis superioris authoritas: *d. c. quoniam. c. suggestum. X. de iur. patronat. c. quod autem in fin. ibid.* & apparens ius patronatus sufficiat, etiamsi reuera non subsistit: *c. consultationibus. X. eod.* vbi præsentatus ab eo qui non erat patronus, sed tantùm erat in possessione patronatus, in beneficio manet; tametsi ius patronatus postea fuerit euictum.

5. Cum putatur patronus esse, seu eius vices esse.

Neque verò id ipsum aduersùs superius dicta retorqueri potest, quasi quia Princeps solus sit in possessione authoritatem præstandi permutationibus, ideoque sine illa prouisio fuerit irrita; quia idem c. suggestum ad finem habet hæc verba, *sic verò non possidebat, sed tantùm credebatur esse patronus, cum non esset; poterit ab eadem Ecclesia remoueri*; vnde argumento à contrario sensu, quod in iure validum est, sequitur; si reuera patronus erat, quamuis non possideret, prouisus non poterit remoueri: atqui patronus, de quo agimus, verè patronus erat: non poterit ergo prouisus remoueri: quamuis in possessione alius esset permutationibus assensum præstandi. 6.

6. Præsertim cum vel in possessione est vel proprietas eius est.

Præsertim cum ipse patronus non conqueratur, cuius etiam conniuentia, dissimulatio, aut tacitus assensus ex tanti temporis lapsu præsumi potest, quinimò ex quadrimestri post vacationem; quippe cuius lapsu præsentandi iure excidit.

Neque porrò publica actio surgit ex omissione patroni, sed priuata tantùm illi tribuitur, vt ex sui contemptu ipse prouisionem petat rescindi, & alium admitti: nemo tertius de illius iure potest experiri: adeoque nec scrupulum iniicere super nullitate in gratiam patroni dumtaxat inducta. 7.

7. Vel ipse patronus non queritur.

CONSVLTATIO II.

De Commendis.

Commendarum perantiquum in Ecclesia vsum fuisse constat. *ex c. obitum. c. catinensis d. 61. c. qui plures. c. relatio. c. illud 21. q. 1. eorumdemq́; authoribus. epistolâ D. Athanasij apud Niceph. l. 11. hist. Eccl.* sed tamen ita probatarum, vt sex menses non excederent. *c. nemo de elect. in 6.* quod spatium nec sine fraude prorogari intelligitur *c. commissa, ibid.* vt rectè olim fiduciæ, custodiæ, ac depositi nomine eiusmodi commenda notaretur. Sed res quæ olim in gratiam Ecclesiarum inuenta est (ferè vt nunc in parochialibus vacantibus statim per Episcopum constitui Vicarium iubet Concilium Trid. *s. 24. c. 18.*) quæque non nisi euidente necessitate, vel vtilitate ipsius Ecclesiæ suadente permissa fuit, *d. c. nemo.* in curatis beneficiis, (nam simplicia commendari vix solent) in gratiam transiit personarum; vt qui idonei non sunt ad beneficia in titulum possidenda, importunè ea impetrent in commendam: eamque non ad paucos hodie menses; sed vitam eorum duraturam, ac tali clausula vt non custodire tantùm fructus, sed vertere omnes in vsum suum sicut veri beneficiarij possint. vnde apud Gallos huiusmodi com-

1. Commendæ antiquæ.

2. Breues vtiles.

3. Et sæpe necessariæ.

4. Perpetuæ vsurpantur quasi titulus iustus.

commendæ pro titulo habentur, qui effectus omnes habeat, quos habent proprij beneficiorum tituli. quod meritò Doctores Itali non admittunt: *Azor. inst. moral. p.2.l.6.c.31.q.5.* quamquam Gallis accedit Piasecz. *prax. Episc. p.2.c.5. n.24. post. Nauar. & Zerol.* quoad ea tamen quæ in fructibus consistunt. quoniam iis omnimoda administratio & consumptio per tenorem literarum commissa, & permissa est, omnia ea quæ ad fructus referuntur, commendatarij possunt, quæ ipsi beneficiarij: quæ porrò neque ius permittit, neque literarum tenor, non possunt. nisi vsum in Gallia inueteratum Pontifice tacente pro indulgentia & placito accipiamus. Permittit autem ius illud exercitium & administrationem, quam exigit beneficium commendatum *d. c. nemo. d. c.* 18. *s.*24. Trid. Sed Basiliense Concilium & La-
5. Sed abrogatæ. teranense sub Leone X. *s.9.c.3. & Trid. s.25. c.21. de regul.* nec non concordata Germaniæ atque Principum nostrorum *lætus introitus ar.*
6. Præsertim in Brabantia. 56. & Caroli V. *interpretatio facta* 20. *Iunij.* 1536. commendis aduersantur: adeò quidem vt Brabantis Principes in felici inauguratione promittant, non permittendas in eo ducatu vnquam commendas; sed vsuros perpetuo iure electionis regulares conuentus. super qua re anno 1476. Sixtus IV. monasterio S. Michaëlis Antuerpiensis, ac deinde toti Ordini Præmonstratensi concessit liberam Prælatorum suorum electionem: quæ plenum sortiretur effectum, non obstante aliquâ reseruatione, commendâ, aut aliquâ prouisione Curiæ Romanæ, atque ann. 1477. cum secus quidpiam actum esset ad instantiam Procuratoris generalis per patentes Principis literas emendatum fuit: & Carolus V. quadam epistolâ etiam ne quid simile exinde fieret, vetuit, & promisit. vt neque etiam cuiquam coadiutor daretur, nisi ad petitionem & solicitationem ipsorum Abbatum. Rursus ann. 1478. Maximil. literis Buscoducis datis promisit monasteriis & Prælatis conseruare omnia papalia, Imperialia, seu ducalia priuilegia, & specialiter quod monasteria imposterum non possent commendari: quibus conformes sunt literæ Philippi Archiducis postmodum Regis Hispaniæ ann. 1504. aliæque Caroli V. an. 1516. 18. Februarij, denique anno 1480. idem Philippus sine vlla turbatione eos voluit frui omnibus priuilegiis per Pontificem aut Principes concessis. quod idem iussit Carolus V. mense Aprili 1516. etiam antè an. 1514. in sua Louanij inauguratione promisit nullo modo facere, aut pati, vt prælaturæ in commendam darentur. idemque præstitit Philip. II. an. 1549. & Albertus Pius an. 1599. ac deinde an. 1620. nomine Regis Philippi III. adeoque electionum libertas exclusis commendis similibusque prouisionibus apud nos obtinuit; vt cum Carolus V. pro omnibus suis ditionibus Hispania & Neapoli exceptis à Leone X. obtinuisset super prouisionibus prælaturarum, dignitatum Ecclesiasticarum certas bullas, per quas de iis disponendis facultatem sibi esse tributam contenderet; Abbatibus contrà allegantibus liberam electionem per eas Bullas impediri non posse; tandem res sex vtrimque arbitris commissa est, sub ea lege, vt donec ab iis pronunciatum esset, liceret monasteriis per modum prouisionis sine vllo obstaculo vti liberis suis electionibus; à quibus hactenùs non est quidpiam pronunciatum. & quæ superuenerunt turbæ atque aliæ forsitan literæ Philippo II. concessæ rem eo deduxerunt, vt electionum quidem imago maneat, nullis hactenùs commendis admissis; sed eligi non possint personæ Principi ingratæ, & ab eo propositæ pœnè debeant. proponit autem, cum desideria regularium per Commissarios eò missos, & singulorum qualitates intellexit: iisque nunc moribus vtimur. Porrò vt olim sæpius ita nouissimè à Concilio Tridentino *s.7.c.4.* reprobatæ sunt commendæ perpetuæ: ne sub earum prætextu quis plura incompatibilia beneficia possideat. quin etiam in parochialibus semestres commendæ reiectæ sunt: *s.24.c.18.* dum Vicarius constitui mox in vacantibus iubetur, qui onera subeat donec de rectore prouideatur, quod quamprimum per concursum fieri mandatur, adeoque cessat hodie eatenùs c. nemo *de elect. in 6.*

CONSULTATIO III.

An concordata Germanica obtineant in Brabantia.

PActa ea sunt inter Sedem Apostolicam & Fredericum Imperatorem, & quosdam Ecclesiasticos & seculares Principes nomine totius Nationis Germanicæ siue Alamanicæ, approbata, laudata, conclusa & acceptata; addita ad finem clausula, vt ordinatio collationum, beneficiorum ibi non reseruatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, vt omnes qui eâ gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc à kalendis Iunij currere incipiat, &c. 1. Pacta inter Papam Imperatorem & quosdam Principes, aliis facta acceptandi facultate.

Qua in re in primis occurrit annotandum, quod non solus Imperator, sed cum eo alij Principes ordinauerint, acceptauerint, & concordauerint, & quidem Principes tam Ecclesiastici quàm seculares, id est, quà Principes: nam si contraxissent quà Ecclesiastici, nominati fuissent Archiepiscopi, Episcopi, &c. E contrario verò in concordatis, quæ fecit Leo X. cum Francisco I. Rege Galliæ, solus Rex, nulli cum eo magnates ordinauerint, acceptauerint, & concordauerint. nec ad finem facultas eis acceptandi, aut voluntas gaudendi proponitur: sed Leo *statuimus*, inquit, *& ordinamus quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco Pragmatica Constitutionis infrascripta obseruentur constitutiones*: vbi absolutum mandatum pro- 2. Ecclesiastici etiam vt Principes. 3. Franciæ concordata inter Papam & Re-

gem solum cum præcisa omnium obligatione.

proponitur : & infra distribuit menses Collatoribus liberos, & graduatis affectos, quibus conferre vacantia beneficia tenentur : mox primo mense post Concordatorum illorum acceptationem & publicationem. quæ acceptatio non defertur Collatoribus vt nec publicatio, sed ipsi Regi Francisco I. prout eius Legatus ea acceptauit, vt in litteris Leonis in verb. *cum præfato Rege concordatas, & per ipsius legitimum procuratorem acceptatas, &c. apud Rebuff. super Concord.* & sic per totum regnum Galliæ ab acceptatione Regis & publicatione ligarunt, citra aliud arbitrium aut acceptationem Concordatorum; quæ in Germanicis Concordatis defertur Collatoribus. sed & ipse Rex Galliæ à Leone 17. *Kalendas Iulij* 1518. protector, defensor, & conseruator litterarum & Concordatorum constituitur, aduersùs omnes contraria attentantes.

4. Vt Imperij, & Franciæ subditi admodum differunt.

Siquidem longè distat authoritas & supremitas quam Rex Galliæ in regni sui incolas, & quam Imperator in eos, qui sub imperio comprehensi sunt, exercet. In Gallia nemo iura Regia possidet; in Imperio omnino multi: ibi nemo iudicio regio exemptus; hic multi, qui à nemine iudicantur : ibi nemo cuius iudicium à Rege eiusúe Curia per prouocationem emendari non possit; hic multi : v.g. in Bulla aurea Car. IV. disertè id traditur de Rege Bohemiæ quoad Bohemiam, & annexas prouincias; & priuilegia prætendunt, iura, & vsus Archidux Austriæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Sabaudiæ, & omninò plures, qui Constitutionibus imperialibus negant se obstringi.

Adeoque sicut alteri facta stipulatio non prodest, §. *alteri inst. de inut. stip.* nisi saltem per publicam, vt hodie vtimur, personam facta acceptetur ab eo, in cuius gratiam est facta; sic eo videtur spectare, quod Imperator, & quidam cum eo Principes nomine Nationis Alamanicæ concordauerint, & ad finem eorum Collatoribus detur facultas illa acceptandi.

5. Germaniæ concordata paciscentes & acceptantes tantùm obligant.

Errant siquidem qui illa credunt esse absolutæ obligationis, & ea verba quæ initio ponuntur *laudata, conclusa & acceptata*, ad omnes sub Nationis nomine comprehensos spectare putant, quod ab omnibus sint acceptata, quia ipse textus se explicat *à partibus*, inquit, *ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata & concordata fuerunt*, scilicet *diuersa & rationabilia Capitula & statuta*, quæ autem fuerint hinc inde partes idem textus edicit, Legatum Apostolicum sufficienti authoritate suffultum Romanæ Ecclesiæ, & Imperatorem, & nonnullos Principes Germanicæ Nationis nominibus.

6. Inita pro Natione tota, non per totam, nec per totam acceptata.

Acceptata igitur sunt pro tota Natione, non per totam Nationem. multi siquidem per Germaniam eadem concordata non acceptarunt : vt Herbipolenses, Bambergenses, aliique; qui vel ampliora priuilegia, vel sibi fortè conuenientiora obtinuerant : & tamen eâ partium acceptatione non obstante inferius acceptandi facultatem facit iis, qui vti & gaudere voluerint: quod omninò frustraneum, si prima partium acceptatio sufficeret; & planè facultati & libertati contrarium, si obligaret. Ideoque Chokier. *ad d. reg. glos.* 11. *n.* 13. particularium acceptationem rectè dicit esse necessariam; *post Nauar. conf.* 1. *de Constit. n.* 23. & congruunt verba regulæ 8. *Cancellariæ* hæc, *& per eos qui illam acceptare & obseruare debuerint, acceptatis.* Gallica præter Regem à nullo acceptari debuerunt, cuius omnibus subditis mandatur à Pontifice & Rege ea obseruare: Germanica ab iis debent acceptari, qui iis gaudere volent, vt eorum est textus *in* §. *& ad finem.*

Et sanè constat Episcopos Leodienses & Cameracenses, aliosque in eorum diœcesibus Collatores olim ea admodum non seruasse. Vnde Maximilianus Imperator 11. *Iulij* 1518. Episcopo Leodiensi, aliisque in eius diœcesi Collatoribus; Carolus verò V. Imperator 9. *Feb.* 1554. Episcopo Cameracensi aliisque in eius districtu Collatoribus mandauit, vt aduersùs eadem Concordata prouisos non admitterent.

Vt non continuò consequens sit, si quis sub Imperio sit comprehensus, minimè verò si sub nomine tantùm Nationis Germanicæ, vt Concordatis huiusmodi obligetur: tametsi in Gallia id obtinere concesserim : *cum Rebusso in pro. ad Concord. tit. de Colat.* §. *præfatiq, Ordinarij ad verbum post præsentium acceptationem, vers. & quando quis impugnat.* cuius differentiæ ratio est in diuersitate authoritatis per Regem Galliæ, & Imperatorem, vt initio diximus, exercitæ; hic totum Regnum obstrinxit, & Leo toti Regno Concordatorum obseruantiam mandauit : Imperator non item; sed & Germanis arbitrium acceptandi, & voluntas adeoque libertas gaudendi Concordatis permissa est. 7.

7. Vt illorum obligationi nō sufficiat aliquem esse sub Imperio.

Porrò Imperatorem Maximilianum scripsisse Episcopo Leodiensi vt Imperatorem, inde manifestum est; quod soluto pridem matrimonio illius cum Maria Burgundica harum ditionum hærede, & finitâ Caroli nepotis iam quindecennalis tutelâ, eoque emancipato, & hîc iam ante triennium inaugurato scripserit : sed neque alio nomine ius ei authoritasúe erat Episcopo Leodiensi imperandi, & quidem bannum imperiale comminandi : Carolus verò V. eâdem authoritate & nomine imperatorio scripsit Episcopo Cameracensi, & quidem penè iisdem verbis, stylo latino, & per scribas Imperatorios, non harum ditionum.

Vnde etiam accidit quod quamuis in iisdem Maximiliani & Caroli litteris vetentur eadem Concordata impediri per quascumque nominandi facultates, & contra eadem prouisi admitti : tamen Nominati Louanienses prouisi de beneficiis in mensibus Ordinario per Concordata concessis vacantibus indies per Concilia Regia in possessione manu tenentur.

Iam

8. Ducem Brabantiæ Concordata non fecisse vnà cum aliis.

Iam verò descendendo ad Brabantiam nostram, constat initorum Concordatorum Germanicorum tempore Ducem Brabantiæ Philippum Burgundum, quem Bonum vocant, *anno scilicet* 1448. per Annales Brabanticos Belgicosque in his egisse ditionibus, non apud Fredericum Imperatorem. Ideoque ex iis Principibus non fuisse, qui vnà cum Frederico Concordata illa pepigerint.

9. Brabantiam ab Imperio exemptam.

Brabantiam verò, tametsi olim Imperij membrum fuisse dicatur, vt ex historiis & diplomatibus constare poterit, & asserit Kinschotius *tract.1.c.2.* tamen idem *c.1.* Ducem Brabantiæ hodie negat superiorem recognoscere, vel à multis annis recognouisse, imo sæcula aliquot ait effluxisse, quibus Imperatorum authoritas per se in Brabantia nunquam spectata aut recognita fuerit; sed Duci Brabantiæ omnes Notæ Maiestatis competierint *d.c.* 1.*n.6.* quin & iam inde Bulla Car. IV. *an.* 1349. extra Brabantiā citari, aut appellare Brabanti non potuerunt, nec ad Iudicium quidem Cæsareum, seu Cameram Imperij Bulla Sigismundi 1424. vt iam olim, atque ante eadem Concordata res videantur sibi habuisse ab Imperio separatas.

10. Imperij legibus non vti.

Cuius rei nullum euidentius potest esse signum, quam cum eos iure Romano obstringi certum sit, qui sunt sub Imperio Romano: *l. fin. D. de Iurisd. omn. Iud. §. nam quod quisque Instit. de iur. nat. gent. & ibi* DD. tamen in Brabantia nullæ leges Imperiales, nullæ Constitutiones, aut decreta locum habent, publicantur, aut obligant: & vt paria habentur forū sortiri, statutisque, ac legibus subiici: *Kinschot. d. tract.* 1. *c.3.n.3.* ita statuendum est, vt ab Imperatorio Iudicio sunt exempti Brabanti, ita sint & à Constitutionibus Imperij.

11. Iam olim etiam ab anno 1312.

Quod tamen fortè nec omninò est accepto ferendum Bullis Caroli IV. & Sigismundi, cum pridem antè non sit memoria Imperialiū constitutionum hic publicatarum: & Ioannes Brabantiæ Dux in legibus Brabantiæ Cortenbergæ datis 1312. quibus ius, quo Brabanti perpetuò essent vsuri, scribitur, nullā mentionē facit constitutionum Cæsarearū, sed eam clausulam inserit, vt si quid occurreret quod ibi nō foret decisum, iudicaretur ex eo casu ibi deciso, cui proximè simile videretur. adeoq; hæc obtinent, vt inauditum hic sit constitutionem Imperialem pro iure allegari: quin imo notorium est de facto bannum etiam Imperiale in Brabantia nullius esse effectus, *Kinschot. c.7.n.2.* aliaúe præcepta, vel decreta. *n.3.*

12. Banno Imperij non subiici. Aut supremæ iurisdictioni.

Quamuis autem in omni actu & priuilegio excepta videatur suprema iurisdictio, *per leg. vlt. & ibi latè Iason D. qui satis. cog. Menoch. cons.* 156. *vol.2.* tamen respondet Kinschot. *d.c.2.* eam abdicatam diserta Bulla Sigismundi, quæ annis 24. concordata Germanica antecedit, sed & ampliori Bulla Car. V.

At vero Paulus Matthias Weshnerus *in obseruationibus suis lit. S. verb. stand. deß. reichs* cōtendit non ex exemptione à iurisdictione sequi exemptionem à superioritate, diuersa esse forum sortiri, & subditum esse; adeoque Ducem Burgundiæ & Lotharingiæ à iurisdictione Cameræ, exemptum quidem etiam transactione in Comitiis Augustanis 26. *Maij* 1548. inita, sed tamen vt alios Principes, quorum cathalogum latè ibidem recenset, comitiis interesse, honorum & onerum participes esse, assessorem in Camera Spirensi habere, onera Imperij quantum duos electores ad Rhenum, & ad expeditionem Turcicam, quantum tres contribuere;

Sed Christophorus Besoldus *Operis polit. discurs. de Burgund. Comit. Montbelgardensi, Sabaudia aliisq; in & extra Germaniam prouinciis spectantibus ad Imperium Romanū c.7.* plura alia adducit argumenta, & Belgij prouincias Imperij feuda esse contendit: Carolum vltimū Burgundiæ Ducem easdem ab Imperio recognouisse, tractatumque Augustanum, de Circulo vt vocant Burgundico (sub quo sint hæ ditiones) à Camerali Iurisdictione exempto, in controuersiam vocatum fuisse aliquando, sed subiungit ipse Besoldus Philippum II. legato Maximiliani II. Imperatoris scedula manu propria scripta respondisse electores & cæteros Imperij Principes falli, si crederent Flandriam, & reliquas prouincias sibi adiectas habere aliquid commune cū Imperio. & nos annotauimus *in Iur. pont. nou. anal. tit. de relig. dom. n.10.* Philippum II. à Carolo V. Imperatore inuestituram accepisse 7. *Martij* 1551. eiusmodi formā literarum, vt nihil interim subiectionis, aut superioritatis, aut libertatis minuatur. 13. Flandriam aliasque prouincias nihil cum Imperio habere commune.

Id quod porro maximè Brabantiam spectat, cuius ditio nō aliquo feudali diplomate Principibus nostris primùm est concessa, vt optimè Haræus *in prolog. Annal. Brabantiæ.* sed iam olim antè Imperium in Carolum Magnum translatum possessa à Pepinis, Carolomannis, Martellis &c. vt hæreditaria. 14. Brabantiam Imperij feudū non esse.

Vnde etiam Nicolaus Clericus Secretarius quondam Antuerpiensis in Chronico suo Rythmico vernaculo, vt eum citat Diuæus in Brab. *lib.1.c.2.* negat Dynastas veteris Brabantiæ alios Dominos agnoscere, quàm Deum, omnium rerum largitorem. 15. Diuini & sui Iuris esse.

Sed vt vt ea res sit; iuxta responsum Philippi II. de facto nihil commune habet Brabantia cū Imperio. quin imo literæ in supremo Brabantiæ senatu indies expeditæ Principes nostros scribunt supremos, & Souuerános indigetant. Nullus vsus est constitutionum Imperialium, Iudiciorum Cameralium, quin imo iure priuilegiatiæ Bullæ Sigismundi diserta competit à iurisdictione suprema Imperatoria exemptio. 16. Duces Brabantiæ supremos seu soueranos esse.

Quæ an iure sustulerit omnem omninò supremitatē, non est anxiè disputandum, cū constet Imperatoriā authoritatē in subditos Ducis Brabantiæ de facto nullā exerceri, & iam ante tempora concordatorum nō fuisse exercitam.

17. Brabantos quoad negotia ciuilia omnino nullatenus Imperio subiici.

Quin imo quamuis superesset aliqua supremitatis imperialis virtus respectu ipsius Ducis, ad iuuandum Imperatorem aduersus hostes Imperij, aliudúe vinculum feudale, aut Maie-

Maiestatis, quam aliqui impræscriptibilem faciunt, non tamen hæc ideò porrigerentur ad
18. ciuilia incolarum Brabantiæ negotia.

Vt Imperatoria cōcordata ad illos spectare non possint.

Adeoque quamuis Brabanti dicerentur cōprehensi sub nomine Nationis Germanicæ, quin imo sub Imperio Romano-Germanico; tamen pactio, ordinatio, acceptatio, concordatio Frederici Imperatoris cum Sede Apostolica non posset obligare Brabantos, pridem quoad ciuilia saltem emancipatos, quorum Princeps vna cum Frederico concordatis non interuenisset: nisi porrò collatores beneficiorum in Brabantia sitorum, eadem concordata acceptassent, iuxta facultatem illis in §. *& ad*
19. *finem* propositam.

Vt Maxim. Imp. literæ accipiendæ sint vt scriptæ ab Imperatore de illis seruandis.

Vnde etiam sequitur literas Maximiliani Imperatoris ad Leodienses, & Caroli V. ad Cameracenses collatores scriptas non obligare quoad beneficia in Brabantia sita, nec pœnas banni Imperialis, aliasque in iisdem comminatas in Brabantia locum habere.

Et Car. V.

Et quamuis Carolus V. Imperator, idem fuerit etiam Dux Brabantiæ, non ideò tamen magis per leges Imperatorio nomine latas præiudicare voluisse censebitur Ducali suæ supremitati, aut iuribus suorum subditorum, locumque fecisse Imperatoriis constitutionibus in Brabantia, quarum ibi per tot sæcula
20. inefficax fuisset authoritas.

Ne iuri subditorum noceant.

Quod si enim Principum literæ ita semper sint excipiendæ ne cui noceant tertio, multò maximè ita sunt exaudiendæ ne propriis subditis præiudicent, & multò minimè ne supremitati ipsius Principis, iurisdictioni, & authoritati, quam tanto zelo, animis, & armis Principes complectuntur, atque defendunt: quam ideo generalibus verbis non sunt censendi minuisse, si etiam priuatorum generalis locutio ita est exaudienda, vt non ea complectatur, quæ specialiter rogati non admisissent.

21.

Cur igitur Traiecti & Niuellis seruantur?

Quæres igitur vnde sit factum, vt Traiecti notoriè ea Concordata obseruentur, atque Niuigellæ?

Et primùm quidem procliue est credere Dominam Niuellensem olim fundationis Imperatoriæ, & Principem ipsam Imperij, Imperij concordata acceptasse, & iis conformes fecisse collationes præbendarum: Traiectum porrò fuit à Philippo II. Imp. Henrico Duci beneficiario iure concessum, & à Frederico II. & Henrico eius filio confirmatum, & à Leodiensibus variè controuersum, *vt refert Diuæus in Brab. lib. 1. c. 11. & Kinschot. tract. 1. c. 2.* vt quamuis à Carolo V. demum Brabantiæ firmiter sit annexum, non desierunt tamen Leodienses indiuisa ibi iura possidere. Vnde nec erectis nouis Belgij Episcopatibus inde est abscissum, vt mirum non sit si illa Ecclesia Cathedræ suæ mores sit imitata, cui in spiritualibus & temporalibus non desierat subesse, adeoque concordata Germanica acceptauerit.

22.

Extra has ciuitates nec

Extra has duas ciuitates communior est practicorum opinio non obtinere in Brabantia Concordata Germanica. & eam optimè stabilit Wames. *cons. 255. n. 9. & seqq.* præter Niuellam *cons. 33. n. 13.* eo quod Brabantia extra Imperium pridem sit & Nationis Alamanicæ fines & superioritatem: quamuis reliquiæ aliquæ superesse videantur. vnde neque Precibus Imperialibus in Brabantia est locus, quæ tamen per totum Imperium & Nationem dantur. quare nec priuilegio nec oneri Imperiali hic locus est, sed vtrumque suis finibus concluditur. vt nec eò extendantur Concordata quò Leodiensis diœcesis extenditur extra fines Imperij, tùm olim tum multò magis hodie: neque eò pertinent Maximiliani & Car. V. literæ Imperatorio nomine & officio, quod huc non extenditur, scriptæ, neque habent Brabanti qualitatem in concordatis adeò formaliter requisitam. Vnde limitata causa limitatum, neque extra illos fines producit effectum; tantùm abest vt in Brabantia pacificus sit vsus Concordatorum, *ita ferè VVames. d. cons. 255.*

vsus ferè est Concordatorum minus pacificus & communis.

23.

Quomodo Capitulum Antuerpiense nunquam acceptauit.

His conformiter cum Capitulum Antuerpiense concordata Germanica non acceptasset, sed quatuor mensibus relictis pridem ordinariis fuisset contentum, atque post eadem Concordata in iisdem mensibus ordinariis præbendas contulisset, idque Sixto IV. exposuissent, declarauit ille collationes ita factas & imposterum faciendas validas fuisse & fore: additis etiam clausulis priuilegiariis, quæ Concordatis insunt. ad eandemque rationem Abbatia S. 24.
Michaëlis Antuerpiæ *anno* 1476. ab eodem Sixto IV. priuilegium obtinuit, vt eidem Abbatiæ quandocumque vacanti per canonicam conuentus electionem prouideretur, non in commendam daretur. quo priuilegio nullatenùs erat opus, si hîc Concordata fuissent acceptata, quæ id ipsum concedunt, & firmiori contractus nexu, quàm priuilegio pontificiâ potestate reuocabili.

Nec Abbatia S. Michaëlis Antuerp.

Et quamuis Leoninus cons. 50. amplè asseruerit eadem Concordata Cameraci obtinere, 25.
tamen quando eius argumenta ad lapidē fundamentalem alliduntur omnia eò spectant, omnia ex eo vim habent quod Cameracensis ditio sit notorium feudum, & portio Imperij ac Nationis Germanicæ, adde cui nulla competat exemptio à iurisdictione Imperatoria, vti neque Leodiensibus. quodque Imp. pro iis vt subditis suis contraxisse, eosque obligasse censeatur.

Cur Leoninus de Cameraco aliter sentiat?

Ex eoque rursus decidendum est, quod subinde quærit Leoninus, an beneficium Concordatorum Cameracensibus suffragari debeat, quia non constat de particulari acceptatione Concordatorum?
26.

Argumentū illius conuersum pro Brabantis.

Quo argumento in contrarium verso si quis non subsit Imperio, non sit eius membrum, non subsit imperatoriæ Iurisdictioni, non sit ex iis pro quibus eius officium debeat inuigilare, de facto sit exemptus vel iure priuilegiario, saltem quoad negotia ciuilia, nec mens fuerit aut virtus Imperatoriæ conuentionis, vt eum complecteretur aut obstringeret

geret in quem ius dicere non posset, nisi acceptare volentem pacta, conuentaque nomine Nationis.

Et quoniam dum obscuræ sunt Imperiorum & subiectionum quæstiones, non solent sæpè nec audent subditi in earum præiudiciũ, quod huic vel illi ex contendentibus accedant,
27. aliquid nouare, vt cautè fecit Capitulum Antuerpiense, quod Sixto IV. in præcitatis literis indicasse narratur; quod quamuis Ecclesia Antuerpiensis de prouincia Rhenensi & Ducatu Brabantiæ existat, tamen nec pragmaticâ sanctione, nec Concordatis Germaniæ vti consueuit.

Cur Antuerpienses Cõcordata non acceptarint.

Ad eundemque modum quamuis Comes Flandriæ olim aliquâ personali obligatione astringeretur Regi Galliæ, ditionem tamen ipsam vulgò negabant Regno subiectam, præsertim vt tradit Damhoud. *prax. ciuil. pluribus locis. qua de re latiùs egimus in Hiatu Iacobi Cassani obstruct. l. 1. c. vlt. §. Flandria.* in quibus nulla erat prouocatio; tamen Gallis quamuis contra contendentibus, nunquam Flandri receperunt pragmaticam sanctionem; neque postmodum Concordata Galliæ cum Leone X. conuenta, iam antequam per Francisci I. captiuitatem Flandria solueretur quocumque vinculo supremitatis.

28. Igitur ad eandem rationem facilè est creditu, eum Brabantiæ tractum, qui Antuerpiæ vicinus est, oculos reflexisse ad eam Ecclesiam, quæ post Cameracensem dignior iis in partibus semper est habita, cui doctorum virorum in Romana etiam & Imperatoria Curia agentium insignis fuit copia, illiusque exemplum esse imitatum, ordinariisque mensibus mansisse contentum, nec quidquam nouasse, quo Imperatoris hîc authoritas videretur, inuidiòsè agnosci; cùm sui Principes magis præ se ferrent nihil sibi cum Imperio esse commune.

De Antuerpiensi territorio vt de capite sentiendum.

Præsertim si verum est, & laudari potest quod Besold. *d. c. 7. ego ipse,* inquit, *vidi quamplurima scripta à Burgundiæ fiscali Dolano producta, vbi propugnatur, Comitatum Burgundiæ ab omni superioritate liberum esse, nec vllum nisi Deum & gladium superiorem habere. Et inde in Dolana Curia Cameræ Imperialis decreto aliisq; expeditionibus ab Imperio emanatis, nullo modo defertur, etiam in iis casibus, in quibus aliis Principibus aliquid concederetur, ne illa imperium recognouisse videatur, imo verò nobilitatis Insignibus ab Imperiali maiestate donatos nobilium priuilegiis liberè frui non facilè permittere, Dolanum parlamentum relatum mihi est, quamuis nullum ab aliis Principibus ad nobilitatem euectis hac in re inferat impedimentum.* sic etiam Kinschot. *d. tract. 1. c. 7. n. 3. iudices,* inquit, *acquiescere non tenentur literis Cameræ Imperialis, quibus præcipiunt (vt aliquando accidisse vidi) non autem requirunt testium examinationem aut aliud simile ab illis fieri, quasi præceptis astringerentur imperialibus.* adeoque & hic Edictum de nobilitate & insignibus latum an. 1616. priuilegia negat iis, qui tantùm sunt nobilitati ab exteris Principibus; nec Imperatorem disertè excipit, nec verò priuilegia ab Imperatoribus concessa extra causam Iurisdictionis, aliaùe notæ maiestatis Imperatoriæ hîc de facto recipiuntur, sed neque moneta Imperatoria excipitur, cum Edicta nostratia vetant nummos exterorum Principum recipi, præter species Edictis expressas. cum tamen Christus *Matth. c. 22.* ex nummo, imagine, & inscriptione Cæsaris debitum ei concluderet.

Quæ cùm ita sint, idque factum, aut non factum esse credendum sit quod fieri aut non fieri solet: *Euerard. in loc. à commun. accident.* vt in *l. si pactum. D. de prob.* id actum intelligitur, quod plerumque soleat, & optimè statuit *Euerard. num. 30.* quod contrarium asserenti incumbat probatio, id quod argumentum d. l. *si pactum.* apertè concludit: 29.
quid ni rectè atque optimo iure dixerimus Collatores beneficiorum in Brabantia sitorum præsertim in tractu Antuerpiæ vicino ad exemplum insignis Ecclesiæ Antuerpiensis fecisse quod omnes prudentes facere sunt soliti, vt nihil nouauerint quod inuidiosum hîc esse possit, prætextu Concordatorum Germaniæ, & mandati Imperatorij, & si quis contrarium velit asserere, ei incumbere probationem?

Ideoque contrarium alicubi asserenti Concordata recepta incũbit probatio.

Præsertim si licuit non vsu, non receptione esse contentos, non ignobilibus scriptoribus; quos citat Georgius Branden *quæst. 3. & 4. super Concordatis Germaniæ.* vbi has exceptiones conatur explodere, *lex non est recepta; lex non est in vsu*: sed omis- 30.
sis iis, quæ pro & contra in generalibus terminis non indoctè adferuntur; iam supra refutauimus errorem quo *quæst. 3.* verbum *acceptata* in Concordatis positum, quod tangere diximus solos eos qui Concordata pepigerunt, traducit quasi ab omnibus Germaniæ Prælatis iam tum laudata, recepta, acceptata fuissent. quo penè eodem errore Leon. *d. cons. 50.* asserit Concordata per Romanorum Regem & alios Principes acceptata vim pacti habuisse pro Natione Germanica, vt nolentes & inuiti eis obligarentur; tantùm abest, vt opus fuerit particulari subditorum acceptatione: nam id disertè repugnat textui eorundem Concordatorum, qui in *§. & ad finem* Collatoribus congruum tempus concedit, qui eâ Ordinatione gaudere voluerint, eam acceptandi; additque tunc post acceptationem quoad Sedem Apostolicam à Kal. Iunij proximè futuris ipsa currere incipient: non antè igitur Ordinatio vires habet, non antè currere incipit: validissimo argumento à contrario sensu, & contrariorum impossibilitate, siquidem quod incipit, non præextitit.

Exceptio non sunt recepta Concordata vt hic valeat.

Cui rei fauet, quod idem Leoninus *d. cons. 50.* citat declarationem Sixti IV. pro Episcopo & clero Traiectensi anno 1473. his verbis *& nobis ligitimè,* Concordata ipsa indifferenter pro tota Natione esse inita, & omnes de eadem Natione ea acceptare volentes

illis vti posse, & gaudere debere. vbi ea acceptatio est voluntatis, & vsus possibilis arbitrij; sed acceptantes iam gaudere iis debent: quæ accuratè Pontifex distinguit.

Fatetur tandem ipse Leoninus facultatem acceptandi saltem appositam esse propter eos, qui quamuis sint de Natione Germanica, tamen tempore fortè Concordatorum Imperij superioritatem non agnoscerent: quibus ideò non conuenit argumentum, quod Rex contrahendo pacta publica, & fœdera pro Regno aut Natione subditos suos obliget.

Et verò quod Branden *q.4. super Concord. German. n.20.* ait, exceptionem non vsus locum habere non posse, quod sicubi prætenderetur, non solùm nunquam à Pontifice tacitè vel expressè probatus, sed expressè improbatus appareat, cum iam supra retulerimus Sixtum IV. declarasse validas collationes à Capitulo Antuerpiensi factas, non in alternis Concordatorum mensibus, sed quatuor antè Ordinario concessis, quibus Capitulum semper fuerat contentum, neque ea Concordata acceptauerat, aut vsum erat: eosque menses priuilegiis muniuit per literas quæ bullatæ & plumbatæ in archiuis Capituli adhuc exstant.

Nec obest aut in his loquitur Cõst. Clement. VII.

Porrò quod Branden allegat constitutionem Clementis VII. quam vocat adeo claram, atque ipse ad longum refert; si quis legat eandem, facilè animaduertet eam non agere de Concordatis propter illa ipsa; sed propter reseruationes, quas quidam Prælati ex toto contemnebant; & pœnalibus etiam mandatis vllas prouisiones Apostolicas admitti vetabant. *vt punctum* 39. *in Comitiis propositum* 1594. *Branden Not.*10. & omni mense conferre attentabant, quod ante fecerant & Galli per pragmaticam sanctionem: quo vergit etiam Oratio Cardinalis Madrutij; vt saltem Pontifici menses Concordatorum seruentur; quæ ex sua parte offert Clemens seruare; quod & primâ fronte apud omnes iustius & æquius videbitur, vt pacta conuenta cum Natione seruentur; quàm si via tantùm reseruationis Pontificiæ petatur, vbi ea in ista Natione multis locis adeò erat debilitata. nam si quis plures relinquere sponte volet Pontifici, quid est rei cur repugnet, cum ipsa Concordata tanto labore constiterint aduersùs priores Constitutiones plures menses reseruantes?

Ad eum sensum consequenter respondetur, Clementem VII. aliter prouisos dicere intrusos esse, non gaudere beneficio annalis aut triennalis possessionis, sed nec vllum fluxum temporis eos à iure aduersariorum tutari, adeoque nulla præscriptione defendi. quod Branden latius prosequitur *q.*2. vbi animaduertendum tamen est Clementem causam constitutionis sumere ex reseruationibus Apostolicis, *de beneficiis*, inquit, *nobis reseruatis*, *&c.* si quis ergo plures admittit reseruationes Apostolicas, nihil est quod Sedes Apostolica conqueratur; sed potius vt lubens admittat, & ordinarios quatuor mensibus contentos priuilegiis remuneret, vt egit Sixtus IV. cum Capitulo Antuerpiensi, alioquin quod in fauorem Sedis Apostolicæ est constitutum retorqueretur in odium; quæ non est mens legum.

An autem ex altera parte non vsus aduersùs Concordata obiici non possit, vt contendit Leoninus *d. cons.*50. eò quòd priuatorum vsus aut non vsus legi, paci, & tranquillitati publicæ pro vniuersa Natione multis operis elaboratæ aduersùs intentionem, literas, & decreta Imperatoria, habet etiam suum scrupulum.

Sed profectò cum res ipsa penitius inspicitur, aliud est dicendum: quia Concordata Germanica non sunt lex aut Constitutio; sed contractus respectu Sedis Apostolicæ, atque Imperatoris, aliorumque Principum: respectu autem Nationis Alamanicæ priuilegium continent: quo ante factæ beneficiorum reseruationes multifariam restringuntur, & Ordinariis amplior potestas tribuitur; nullum respectu Nationis obseruandi mandatum est; sed disertè, vt iam sæpius dictum est, tribuitur ea acceptandi facultas, iis gaudendi voluntas, & arbitrium: vbi ex aduerso Concordata Galliæ respectu quidẽ Sedis & regni contractus sunt; sed respectu subditorum legem & præceptum absolutum continent. tam enim Leo X. in suis literis, quàm Franciscus I. in suo edicto omnibus regni subditis ea mandat obseruare, sine vllo arbitrio acceptandi, aut vtendi subditis relicto. & ratio diuersitatis est, quoniam Rex eminenter continens subditorum consensum, & absolutam habens imperandi authoritatem, ita potuit nomine Regni contrahere, & subditis absolutam obseruantiam imperare; vt latius dissertat Leoninus *vbi supra*: at verò in Imperio neutrum ita obtinet in Imperatore: quia multi sunt sub Natione Germanica, Principes Ecclesiastici & seculares Regalia in suis terris obtinentes, Ordinationibus & legibus Imperatoriis soluti, præsertim in ciuilibus negociis: vt ab Imperio emancipati Belgæ, sed imprimis Brabanti Bullis Caroli IV. & Sigismundi à iurisdictione exempti, vnde in his eorum consensum Imperator in paciscendo eminenter non continet; nec iurisdictionem in imperando habet.

31. Non vsus Concordatorum vt obiici possit.

Ideoque diximus supra nec literas Imperatoris Maximil. ad Leodienses, nec Caroli V. ad Cameracenses Episcopos & Collatores scriptas ad Collatores Brabantos seu beneficiorum in Brabantia sitorum extendi.

Non magis quàm ad beneficia in Gallia, Hannonia, Artesia, aut Flandria, aut aliis extra Imperium locis sita, quorum prouisio cõpetit Episcopis Leodiensi aut Cameracensi, aut aliis Collatoribus sub Imperio degentibus.

Et verò leges etiam & Constitutiones Principum non vsu, & maximè contrario vsu desinere obligare, præsertim post longa tempora, omnium gentium moribus receptum est; & maximè illarum, quæ consuetudinario potius, quàm scripto iure vtuntur. 32.

Vt nihil moueat clausula decreti irritantis in Cõstitutionibus Apostolicis aut legib. Regiis adiecta, quàm valdè extollit Brandẽ, *d. c.*4. & Leo-

Nõ vsus tollit decretum irritans vt principale.

& Leoninus *d. consf.* 50. quia vt rectè Flamin. *ab eodem Branden citatus*, illud decretum tacitam conditionem habet, si recipiatur, si moribus vtentium probetur.

Quoniam, vtcumque refragetur Branden, tamen clausula irritans pars tantùm est legis, & accessio: si ergo lex non vsu, contrarioque vsu desinere potest obligare, poterit huiusmodi decretum accessorium sequi suum principale, & accidentia tolli cum suo subiecto. natura magis digni trahit minus, & accessorium; non contrà. *c. vn. de Eccl. consec. in 6.*

Natura legum est, vt quamuis legislator legi, si quis contrarium egerit, nullitatem non adiecerit, & clausulam irritantem, tamen inesse ea tacitè censeatur: *l. non dubium. C. de legib.* adeoque propter inexistentem clausulam irritantem nunquam contrario vsu abrogari lex, aut desinere posset obligare.

33. Vt non vsus tollat etiam pro vtilitate publica constituta.

Quod porrò etiam Leoninus admodum vrget Concordata continere vtilitatem publicam, cui pacto aut vsu priuato derogari non possit; plausibile quidem argumentum est in Gallia, vbi vniuersaliter huiusmodi vtilitatis obseruatio est in præcepto, à Pontifice & Rege dato; sed non eadem vtilitatis consideratio est in textu Concordatorum Germanicorum expressa, sed publica cum priuata est intermixta, ita vt priuatis liceat publicæ vtilitati adhærere, Concordata acceptando, eorumque vsu gaudendo; vel illis abstinere. *vt in c. si de terra. X. de priuileg.* V. c. dilecti. *X. de for. comp. c. nuper. X. de decim.* priuati etiam verbo vel facto priuilegium toti Ordini Cisterciensi concessum sibi minuunt, abrogantúe: tametsi aliud est in iure publico prohibitiuo, ne quis priuatus secus faxit. *vt glos. latè in c. si diligenti, verb. pact. priuat. X. de for. comp.* vbi clerico prohibito iuri stare coram laico, nòn licet priuato pacto renunciare. qualem prohibitionem non habent Concordata Germanica; licet ergo priuatis aliis moribus aut priuilegiis vti. qualia nonnulli maiora habent in Germania, alij magis suis moribus commoda: vt aliis antiquum obtinere magis placet quam nouitate vtilitatem turbare; aliis ex climate visum est plures hominum mortes incidere in Veris, Autumnique initia ob humorum pugnam, adeoque in Martium & Septembrem menses iam olim Ordinariis reseruatos cum Iunio & Decembri, quam Februarium aliosque simul alternos menses Ordinariis per Concordata concessos, atque ita sine nouatione veteres menses retinere satius fuisse, quàm sine euidenti vtilitate, quàm lex 2. *D. de legib.* in mutatione requirit, Concordata acceptando veteres mores mutare. & sic, cum Concordatis Germanicis immixta sit vtilitas priuata; permissum fuit vt eius quod omnes tangeret singulis probandi tribueretur arbitrium: atque ita facultas acceptandi Concordata, vel abstinendi & in collatiuis quidem beneficiis abstinuerunt multi, vt de Capitulo Antuerp. est dictum, & de Cameracensibus fatetur Leoninus *d. consf.* 50. *§. postremo*, tametsi in electiuis admodum contendat locum habere.

Quemadmodum literæ Maximiliani ad Leodienses datæ non admodum queruntur de mensibus malè partitis, sed de reseruationibus, exspectatiuis, coadiutoriis, nominandi facultatibus, similibusque prouisionibus aduersùs Concordata, & vetustissimos canones inuectis; taliterque prouisos vetant admitti, sub banno Imperiali, aliisque pœnis, aliam autem obseruationem Concordatorum non iniungentes.

Quam etsi literæ Caroli V. generalibus terminis præcipere videantur; referenda tamen est, & explicanda verborum generalitas ad causas præfationis, tenoremque priorum literarum.

Vt omittamus rursus eas literas ad Brabantiam non extendi; & vt extenderentur interpretandæ sunt secundùm tenorem Concordatorum, quæ libertatem faciunt eadem acceptandi, & arbitrium concedunt vtendi in collationibus; quod non idem faciunt in electionibus; in quibus proximius versatur publica vtilitas. 34. Brabantos ea non tangunt quæ de Concordatis disputatur vsu vel non vsu tollendis cum defectus sit in causa efficiente quæ eos non cōplectitur.

Et nihilominùs constat diuersas Brabantiæ abbatias fuisse contra tenorem Concordatorum datas in commendas, ac aliàs sine regularium libera electione prouisas, & nominatim abbatiam S. Michaëlis Antuerpiæ anno 1516. in commendam datam Cardinali à Marca, eandemque commendam multis Brabantiæ priuilegiis, quæ Pontificem non ligabant, fuisse oppugnatam: eoque imprimis quod anno 1476. Sixtus IV. isti abbatiæ concesserat, nullatenùs tamen allegatis Concordatis quibus ipse Pontifex vt ex contractu fuisset obstrictus, cum clausula irritante; si ea in Brabantia acceptata, vsuque recepta fuissent; plana fuisset causæ istius abbatiæ decisio. quæ tamen transacta est numeratis multis millibus: ob quæ vendita opulenta prædia non tantùm, sed & insignia dominia. sed & iam antè eadem abbatia in commendam fuerat data, atque an. 1477. Procurator generalis Abbati iunctus dictum priuilegium Sixti IV. an. 1476. eidem Abbatiæ ac toti dein Ordini Præmonst. datum vrsit; non Concordata Germanica. vnde & lætus introitus Brabantiæ & literæ Mariæ Burgund. & Maximil. & Caroli V. quibus Prælatis Brabantiæ promittitur dandam Romæ operam vt commendæ non admittantur: quâ operâ molestiâque opus non fuisset, si recepta hic Concordata fuissent, vt omittamus contraria Concordatis indulta Principibus nostris successiuè concessa, quoad abbatias dignitatesque electiuas. 35. Quare commendæ ibidem obtinuerunt seu aliis pactis tolli debuerunt cum Concordatis alioquin essent sublatæ.

Verùm enimuero vt differamus argumento in contrarium retorto, si priuatorum pacto aut facto derogari non possit vtilitati aut legi publicæ: si etiam Brabantus non possit renunciare priuilegio Bullæ aureæ Car. IV. & Sigismundi, *vt latè Kinschot. d. tract.* 1. c. 8. 9. 10. 11. quod ea contineat causam vtilitatemque publicam, & magis Principi concessa sit, quam priua-

priuatis; eademque Bulla aurea eximat Brabantos à iurisdictione Imperiali; sequitur non esse in potestate Brabantici Collatoris suscipere Concordata Germaniæ tanquam legem sibi imperantem, & se subiicere iurisdictioni à qua est exemptus ex publica causa, vtilitateque; atque priuilegio non priuato ei, sed vniuersitati in Principis gratiam, ob illiusque merita concesso: sed tantùm in vini stipulationis tanquam à tertio, seu publica persona factæ voluntariè ea acceptare iisque gaudere. Cuiusmodi priuilegio non censetur Princeps per quascumque literas suas derogatum velle, nisi clarè, liquidò & disertè id exprimat. *Kinschot. d.c.*11. quemadmodum & inhibuit Concilium Brabantiæ NN. Brabantis extra Brabantiam citatis ne ibi aduersùs priuilegium publicum comparerent, ne vel illud foris litigiosum redderent. quod vel eo iustius fecit quod non tantùm ordinatum illud sit ad iustitiam partibus administrandam, quod in Læto Introitu Brabantiæ maximè exprimitur, sed & cura reip. ei absente Principe sit demandata per literas Mariæ & Maximil. illius Concilij institutionem continentes datas, verb. *het regiment vande lande*: quæ eadem cura in hac causa est ne quod resp. aut supremitas ditionis per huiusmodi Concordatorum causam damni patiatur.

Sed dices cur ergo Car. V. edictum in Parlamento Mechliniensi registratum est *in vol.*4. *ordinationum?* non dicam fieri posse registrationem sine reflexione, neque, id ad Brabantiam non pertinere, vel plures Ordinationes registratas esse, quæ non sint Principum nostrorum vt talium: sed Cameracensium causas possessorias iam olim Mechliniæ cognitas decisasque, quia Rex ibi hæreditarius est imperij Castellanus, vnde cura ad illum pertinet, ne veniatur ad arma. Itaque Concordatorum notitia necessaria est Parlamento ad decidendas iuxta Concordata possessorias quæstiones, cum Caroli V. literæ aliter prouisos velint haberi pro intrusis quibus omnis debet possessio abiudicari. Omitto alia Imperij loca quæ Mechliniæ forsan iudicantur.

36. Cur ergo Concordata registrata sunt in Archiuis parlamenti Mechliniensis.

Quin imo ex iis quæ latè disserit Leoninus *d.cons.*50. in quæstione de non facta Concordatorum acceptatione, & altera de non vsu, eadem applicando ad ea, quæ nos hic proponimus, sequeretur, etiamsi Collatores aliqui acceptassent, aut vsi essent Concordatis propter aliorum tamen Brabantorum non acceptationem, atque non vsum integrum Brabanticæ Vniuersitati ius mansisse vtendi iure priuilegiario Car. IV. & Sigismundi toti genti in gratiam, & ob merita Ducis concesso, & sic priuatis etiamnum redire ad sua iura reiectâ acceptatione & vsu Concordatorum, per se aut antecessores facto.

37. Non vsu hic etiam priuatorum vtilitas pondus facit.

Cæterum quoniam ex iis quæ supra diximus manifestum est vtilitatem etiam priuatam Concordatis immixtam esse, verum erit licere vt diximus priuatis fauori pro se introducto & quoad se renunciare, adeoque Concordata non acceptare, & non vti, *d.c.si de terra. X. priuil. d. c. nuper. X. de decim. l. si quis in conscribendo. C. de pact.*

Multò magis si longo iam vsu magisque si pridem longissimo contrarium est consuetum licebit in eo vsu remanere, præscribeturque contrario vsu Concordatis sicut cæteris legibus, & sicut pactis liceret à Concordatis recedere, ita & non vsu imo contrario vsu & consuetudine quæ ipse Leoninus agnoscit huiusmodi in rebus æquiparari. 38.

38. Vt in priuilegiis etiam toti Ordini concessis.

Eoque magis quod Concordata hæc priuilegij instar sint respectu Collatorum, priuilegia autem amitti possunt renunciatione, *d.l.si quis*, & si priuilegiatus verbo vel facto illud abdicet, *c.si de terra X. de priuil. c. nuper. X. de dec.* sed & negligentia non vtendi per decem annos *l.*1. *D. de Nund.* deinde si Princeps qui illud concessit reuocet: *c. suggestum. X. de decim.* scienter contra illud iudicet: *c.suborta. X. de re iudic.* denique præscriptione. *c.accedentibus. X. de priuilegiis.* 39.

39. Episcopi Antuerp. vsi alternatiuâ regulæ 8. Cancellariæ Rom.

Hisce conformiter Episcopi Antuerpienses ab erecta ibi Sede non Concordata, sed tertios quosque menses obseruarunt, aut gratiam Alternatiuam Regulæ Octauæ Cancellariæ acceptarunt, & acceptationis insinuatæ & admissæ literas à Curia Romana receperunt, idque potissimum ob causam præbendarum Thurnautanarum, quarum solarum per suam diœcesim Collationem habent soli, atque iure Ordinario. Nam quod attinet ad Curata beneficia ab annis 30. in diœcesi Antuerpiensi nemo aliqua Romæ impetrauit: verisimiliter, quia solent, per concursum dari, & Nauarri aliorumque quorumdam opinio fuit quod per Concil. Trid. *s.*24. *c.*18. concursum præscribens sublata sit Curatorum parochialium reseruatio, & Collatio Romana, & ob tenuitatem pastoratuum, raritatem pastorum, non adeò libuit cuiquam Româ sibi lites procurare, beneficia verò simplicia propter suam etiam exilitatem non ita inuenerunt Venatores Romipetas. 40.

40. Quæ non tamen obtinet quo loco sunt Concordata.

Enimuerò regula Octaua Cancellariæ disertè declarat, neque illam neque gratiam Alternatiuam Prælatis residentibus in ea oblatam obtinere, vbicumque locorum aliqua sunt Concordata, vnde acceptari ibidem, & à Curia Romana admitti acceptatio non potest, sed vbi acceptatur & admittitur argumentum est irrefragibile, aut non esse ibi Concordata, aut iis esse derogatum per acceptationem & admissionem huiusmodi, Collationesque ab acceptante & admittente vicissim factas vsumque reciprocum Concordatis contrarium, præsertim non semel iterumque, sed per longissima tempora vsurpatum; cum aliàs: obseruantia autem conformis Concordatis aut difformis acceptationem eorundem infert, aut negat. *l. quædam in fin. D. de reb. dub. l.cum de interp. D.de legib.* 41.

41. Vnde in Collationibus Turn. Reg. 8. non Concorda-

Vnde in Collationibus Thurnautanis consueuerunt tam Pontifices quàm Episcopi non facere mentionem Concordatorum, sed illi reser-

torum solet mentio: reseruationum pridem factarum, ; hi iuris sui fieri mentio: Ordinarij.

42. Vnde aduersùs nouitatem iudicandum. Quæ omnia cum ita sint, iudicandum omninò est pro eo qui Collationem habet ab Ordinario, præbendæ in mense Septembri in Ecclesia T. vacantis ; non verò, qui à Pontifice, allegata ex insolito stylo Concordatorum Germanicorum viridi illic obseruantia; quæ tantùm abest à veritate, vt huiusmodi gratia, vt debet, nullatenùs iustificari possit.

43. Præsertim in possessorio. Cuius rei si penitiori opus est indagine, tamen in materia possessoriâ pro eo est pronunciandum, cui fauet possessio Collationum, tam à Pontifice quàm Ordinario antehac factarum, quæ huiusmodi Concordata ibi non agnouit ; sed reseruationes tantùm regulæ octauæ, atque ius Ordinarium vel Alternatiuam in ea regula delatam, cui tamen eadem regula locum nusquam esse declarat, vbi locus est Concordatis.

CONSVLTATIO IV.

An patroni strictè conferre beneficium, an personam offerre tantum dicendi sint ; & an nondum clericum possint.

DVo sunt quæ potissimum in controuersiam veniunt in hac beneficiali causa : formula literarum patroni, & capacitas per ætatem & characterem clericalem prouisi. formula sonat absolutam collationem cum clausula mandati ad quæstorem Principis directi, vt de fructibus prouiso respondeat : capacitas impugnatur ex eo, quod prouisus natus sit an. 1604. prouisus an. 1613. & charactere clericali demum insignitus anno 1622. à Capitulo suo pro collega non agnitus, minùs solemniter receptus ritibus & iuramentis solitis adhibitis, ante annum 1631. interea alius aliàs à successore patrono literas impetrarit an. 1629. & cum iis Capitulo se stiterit, & ab Episcopo vices Capituli recusantis canonicè supplente institutus, & illius iussu ab Archipresbytero in possessionem sit missus.

1. Institutio Ecclesiastica requiritur saluis antiquis regum prærogatiuis. Non est hodiernum patronorum vitium nimiam sibi authoritatem arrogare : bonæ leges arguunt malos mores ex quibus sint natæ. iis igitur præuiis editus est in Concilio Lateranensi canon, ne patroni neglecta Episcoporum authoritate clericos instituant ; clerici ne per laicos recipiant Ecclesias, aut beneficia, sub pœna excommunicationis : *c. præterea. c. illud. c. consuluit. c. relatum. X. de iur. patron. c. per laicos. 16. q. 7.* neque patroni bona per laicos sub eadem pœna distribuant : *d. c. praeterea. c. non placuit, c. decimas. & 1. 16. q. 7.* nominatio ergo & præsentatio à patrono fieri debet Episcopo, seu Ecclesiastico Collegio, aut alteri dignitati. *tot. tit. de iur. patron.* ac demum ab iis institutus ab Archidiacono, collegis, seu Archipresbytero in possessionem induci : *c. 7. & 9. de offic. Archid.* non mandatum dirigi ad Principum officiarios seculares : quoniam sine canonica institutione beneficium non potest obtineri : *c. 1. de reg. iur. in 6.* quæ prouisionem Ecclesiasticâ authoritate factam requirit. *Pecq. Canis. alijq. ibid.*

Id quidem verum est Reges & sublimes quosdam Principes regalia possidentes antiquo quodam vsu etiam beneficiorum nonnullorum collationem vsurpasse, tanquam patronos, non tantùm iure Regali, quo alicubi conferunt vacante Sede Episcopali beneficia etiam à maioribus suis non fundata, iure quodam supremitatis; quod Bonifacius VIII. constanter damnauit, his apud Boëtium *de regal. n. 22.* verbis ; *collatio beneficiorum spiritualis est ; secus credentes hereticos reputamus.* de qua patronorum collatione & regalia diximus *in iur. Pont. nou. anal. tit. de elect. n. 3. & tit. de iur. patronat. n. 11.* Reges ergo & sublimes Principes donandi, seu verbo conferendi vtuntur: *c. dilectus. 34. de preb. c. 40. X. de testib. c. vlt X. de concess. Eccles. non vacant. Boëtius de regal. in in princ.* & ad suos dirigunt prouisos, quod vsui & supremitati, & magnis olim meritis tribuendum est : & in eam rem citatur Dominicus *in c. 1. dist. 21. & in c. imper. dist. 10. in 2. col. & Abbas in c. cum Eccles. vulterana de elect. Arnulphus Rusæus in tract. iur. regal. p. 1. num. 7. Ioan. Paris. in tract. de stat. Eccles. tempore Bonifacij VIII. Papæ*, quasi propter superexcellentiam, fundationem, dotem, largo quodam modo huiusmodi spiritualium dispositio cadat in tales laicos. *citatur Archid. post. Hugon. in c. pia mentis. 16. q. 7.* tametsi ibidem dicatur quod patronus præter processionis aditum nihil in Ecclesiis sit proprij iuris habiturus : *& in c. decernimus ibid.* vt fundatores Ecclesiarum rectores Episcopis offerant (quod posteriores decretales dicunt, præsentent) & si alij ab Episcopo fuerint ordinati, cum oblati essent digni, ordinationem esse irritam : testes iterum huiusmodi collationis (quo nomine plena prouisio significatur, *Rebuff. in prax benef. tit. de forma vicariatus & alior. coll. n. 51. & seqq.*) à sublimibus Principibus vsitatæ citantur. *Speculator ad tit. ne Sede vacant. item nota & ibi Ioan. Andr. in addit. Henr. Bohic. in c. praeterea de iure patronor. Stephan. Aufrer. in tract. de potestat. secular. super Eccles. Rebuff. in tract. de benef. tit. de collat. nu. 9. Chopin. in sac. polit. forens. l. 1. t. 7. du Molin. ad reg. Cancel. Rom. & plures alij*, sed Azor. *instit. moral. p. 2. l. 6. c. 25.* nec in Regibus quidem hæc admittit, nisi ex priuilegiis Apostolicis, quæ citat.

Ad æmulationem Regiam nonnulli Principes minores, & vasalli simili collationum formula vti volunt ; sed perperam : nisi non sint beneficia spiritualia authoritate Episcopali in titulum Ecclesiasticum erecta, sed legata tantùm quædam perpetua, administrorum Ecclesiasticorum alimenta. *vt in l. annua. § Atia. D. de ann. legat.* muneraúe perpetua fuerint, quasi

quasi laica : *Christin.vol.1.d.71.n.25. Papa q. 187.* & plerumque scribarum inscitia tales formas gignit, quare solent Episcopi, ad quos dirigi patronorum literæ debent omnino, *Concil. Trid.s.14. c.13. s.7.c.13.* seu Archidiaconi eorum iure vtentes, vbi ita habet consuetudo, huiusmodi literas in benigniorem sensum accipere, & verba impropriare, vt actus valeant, & pro nominatione, oblatione, seu præsentatione interpretari, & si per examen digni apparuerint, ritè instituere.

2\. At verò Baro de B. patronus præbendæ controuersæ, etsi alibi sublimiores titulos habeat, hîc tamen est vasallus Ducis Brabantiæ; vt Regia illa collationum absolutarum iura sublimi illo titulo hîc ipsi non competant: vsus etiam & formula in actis probatur sæpe variata : aliæque literæ sunt exhibitæ directæ ad Decanum & Capitulum, vt prouisus reciperetur in Canonicum & confratrem, cum plenitudine iuris canonici, adhibitis solemnitatibus & iuramentis consuetis; & nominatim eæ quæ nepoti Consiliarij Principis fuere concessæ; qui canones & iura Principis propius norat. cuiusmodi in Collegium admissio, vice institutionis est : *c. vlt.de prebendis in 6.* & ab his collatio facta titulum & institutionem Ecclesiasticam tribuit. *Canisius, & alij in c.1.de reg. Iur. in 6.* scilicet cum titulus à Pontifice non proficiscitur, vel Episcopo, seu alio pleno iure conferente : quando ad Capitulum cognitio, aut tituli datio non pertinet, *Choppin.de sac.polit.l.1.t.8. in princ.* sed quando seposito patronatu ex collegarum cooptatione ius electo acquireretur, *de quo ibidem Choppin.tit.1.& 2.* quasi idem tribuatur etiam nominatò à patrono. *de quo ibid.tit.3.*

Priuatus aut eius successor, etsi sublimior simplex ius præsentandi potest tantùm habere.

Accedit quod præbendæ huius Collegij non sint fundatæ à maioribus ipsius Baronis; sed quodam Archipresbytero; qui annuente loci Ordinario decimas parochiales, & deinde cuiusdam beneficij prouentus, additis quibusdam patrimonialibus reditibus, in vnam massam conflauit; distribuendam deinceps in vndecim præbendas; quarum collatio, non ad consanguineos Archipresbyteri, sed ad Baronem eius temporis successoresque spectaret. quapropter huiusmodi Archipresbyter adeptus est tantum simplex ius patronatus; non vero sublime aliquod & Regium. & vero nisi hîc Concil. Trid. sine mutatione tamen iuris patronatus, esset receptum; ex dispositione eiusdem Concilij *s.25.c.9.* non parùm periclitaretur talis patronatus, tanquam magis ex prouentibus iam ante Ecclesiasticis, & priuilegio, quàm ex fundatione aut dotatione ortus. Id nihilominùs statuendum est, Baronem qui in ius Archipresbyteri successit,

3\. eo iure quo illum vti debere : *ex reg.is qui in ius de reg.Iur.in 6. & l. qui in ius. D.eod.* res siquidem transit cum sua causa, quæ esset futura, si apud alium mansisset : *l.alienatio.67.D.de contrah. empt.* ideoque fundus traditus *si seruus fuit*, inquit, *l.traditio.20. D. de acquir. rer. dom. cum seruitutibus transit : si liber; vti fuit :* patronatus ergo hic non liber & Regius apud Archipresbyterum, sed simplex & seruus, ad Baronem cum ea seruitute transibit: vt nominati à patrono dirigi debeant pro admissione seu institutione Ecclesiastica ad Capitulum. *l.legatum sub.D.de adim. legat.l.Gaia. D.de alim.vel cib. leg. Clem. vnic. de suppl. negl. prelat.* vbi superiores Prælati inferiorum negligentiam supplentes non aliis possint conferre, quàm quibus ipsi in quorum locum succedunt.

Patronus successor vtitur iure fundatoris duntaxat.

Neque huic rei aduersatur *c.dilectus 34. X. de prabend.c.vnic.§. verum de iur. patronat. in 6.* quia vt glossa vtrobique *in verb. ex donatione Regis & in V.semestre*, id singulare admodum est, vt naturam mutet patronatus à laico translatus in clericum; ne diuerso iure censeatur : alioquin etiam fiscus priuato succedens iure tantùm priuati vtitur. *l.2. C.ad leg. iul. de vi pub. & ibi glos.in V. tutela.* vbi plures leges conformes citat. *& vbique DD.*

Sed enim verò frustranea fuit tota hæc disputatio, cum constet D. de B. fuisse tantùm patronum Ecclesiæ parochialis, ibidem eius assensu per H. fundatas præbendas, eius iure patronatus saluo, ita illum consensisse, ita ordinarium Ecclesiam parochialem erexisse in collegiatam : & quamuis in fundatione ponuntur hæc verba; *collatio prabendarum omnium spectabit ad Dominum de B. patronum dicta Ecclesia*; tamen in literis I.de P. eiusdem loci Domini fundantis 11. *seu 12. prabendam 21. Iul.*1372. hæc verba habentur; *collationem verò, & præsentationem eiusmodi canonicatus, & prabende de nouo erecta nobis & successoribus nostris Dominis de B. perpetuò reseruamus : ita quod ad dictos Decanum & Capitulum admissio, & receptio spectabit; prout de aliis canonicatibus & prabendis dicta Ecclesia hactenùs est consuetum.* Vnde patet admissionem & receptionem, à Decano & Capitulo fieri consuetam vice institutionis, canonicum ingressum præbuisse; non laicâ tantùm authoritate quempiam canonicatum huiusmodi solitum adipisci. 4.

Admissio Capituli vice institutionis est.

Igitur ex his sequitur solis Baronis literis huiusmodi titulum Ecclesiasticum non fuisse acquisitum; nec ius, quod vocant in re, sed ad rem tantùm potuisse acquiri : benignâ interpretatione & impropriatione verborum de qua mox egimus, alioquin in rigore pro non dato est quod sic datur. *c.5. in fin. X. de iure patronat.* vbi tamen ea improprietas videtur probari, *in verb. si consensus Episcopi non accesserit*; si quidem nominatus capax fuerit.

Videamus ergo an nominatus sit capax ex causis initio propositis, nam à patronis præsentati examinari, & idonei reperiri debent. *Trid.s.7.c.13.s.14.c.13.s.24.c.18.s.25.c.9.* vbi etiam patronis cuiuscumque Ordinis aut dignitatis clericis aut Laicis prohibetur, ne prouentibus beneficiorum etiam à maioribus fundatorum, aut dotatorum vllâ occasione se ingerant. 5.

Idonei præsentari debent.

Porrò ætas olim indeterminata post infantiam fuisse videtur *ex c.ex eo in verb.in pupillari ætate.* 6.

Quæ ætate?

ætate.de pup. in 6. ad beneficium simplex imo cathedrale de quo agit *d. c. ex eo.* sed meritò
7. Trid. *s.23.c.6.* statuit vt nullus ante 14. annum beneficium possit obtinere: quia beneficium datur propter officium; & quilibet beneficiarius ad horas canonicas obligatur; quarum recitandarum vix est vt capaces esse possint, qui vix infantiam excesserunt. Et propterea in Lateranensi Concilio sub Leone X. statutum est, vt beneficiarij officium diuinum indies recitent, alioquin fructibus priuandi. & licet in Belgio iura patronatuum præseruata sint à mutatione, in receptione Concilij Tridentini; spectat tamen ea clausula tantùm ad ius & prærogatiuam patroni; non ad capacitatem præsentandi: *vt diximus in iur. Pont. nou. anal. tit. de iur. patronat.* & sic Rex respondit Concilio Frisiæ super publicatione Concilij Tridentini, *6. Iunij* 1569. de clericis infra ætatem 14. annorum illum Concilij articulum debere obseruari. Natus ergo *an.* 1604. non fuit capax collationis à patrono ei factæ *an.* 1613. eoque nomine illa notoriè corruit. quemadmodum Concilium Trid. *s. 22.c.4. nec aliis*, inquit, *imposterum fiat prouisio, nisi iis, qui iam ætatem & cæteras habilitates* (ibidem requisitas.) *integrè habere dignoscantur: aliter irrita sit prouisio.*

14.an. in simplici beneficio, & cur?

8. Nec minor est defectus clericatus. vnde Innoc. III. rescribit Mediolanensi Episcopo *in c.cum adeò. X.de rescript.* ex clausula literis inserta, *si impetrans dignus existeret*, ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum, potuisse intelligi si clericus ille non esset, qualiter illæ essent interpretandæ: indignum ergo beneficio censet non clericum; eoque literas vitiari; cum Laici vtique spiritualium rerum non sint capaces: *c.causam de præscript. c. cum contingat de ætat. & qualitat. ordinandi, & ibi. DD.* nec possunt *Laici in Canonicorum numero computari*, inquit, Eugenius *in c.2.X.de institut.*

Clerici re ipsa esse debent præsentandi.

9. Quod adeò verum est, vt nec sufficiat prouisum quamprimùm fore tonsurandum. *d. c. cum adeò. c. ex literis.X.de transact.in verb. nondum fuisse tonsuratum*, vbi ponderandum illud *nondum. Riccius prax. benefic. d.*385. *Garcias de benef.p.7.c.1.n.1.10.24. Sanchez de matr. l.7. d.24. num.14. Azor. instit. moral. p.2. c.2.q.5. Duar. de benef. lib.4. c.6. & quos plures allegat Riccius & Garcias.* cuius ratio est, quia qualitas requisita debet esse præsens. *Garcias d.p.7. c.4.in fin. Rebuff. in prax. benef.tit. de disp. cum regular.n.6.Gigas de pens.d.c.22. n.16. Flamin. de resig. l.4 c.2.n. 15.l.ex eo. D.de milit. testam.* vbi non antè quis testari potest iure militari, quàm in numeros sit relatus; nec subsistit electio facta in tempus idoneum: *c.2. de elect. in 6.* quia actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. sed collatio nouo iure, vel idoneo post tempore facta, non retrotrahitur: *c.ex insinuatione. X. de simon.* neque tractu temporis conualescit, quod ab initio non valuit: *Duarenus aliiq; vbi supra. Canisius in c. 1.& c. non firmatur. de reg.iur. in 6.* præsertim cum interim alteri ius est quæsitum: quod impedimentum extremis resistit, ne coniungantur.

Non mox tonsurandi.

Neque verò cingendus hic habetur pro cincto, quod & negat Conanus *Comment.l.9.c. 5.num.8.* generatim in milite obtinere, sed in equite dumtaxat, qui & iussus cingi, & cinctus ex iussu confestim erat. sed vt daremus præsentari posse non tonsuratum, mox tonsurandum; & etiam non incontinenti, sed ex mora pro arbitrio Iudicis; nihilominùs nullatenùs illa extendi posset vltra tempus intra quod patronus idoneum tenetur præsentare: quatuor scilicet vel sex mensium: *c.vnic.§.fin. de iur. patron.in 6.* at hîc duplo plures anni sunt lapsi inter literas præsentationis, & tonsuram, quam menses patrono sint à iure concessi.

Hîc igitur tonsuræ defectus euidenter infert nullitatem præsentationis *d.c.4.s.22.Concil.Trid.*

Omitto illiteraturam, quæ infantiæ comparatur, adeò vt alterutra laborantem Ordinans clericum, suspensionem incurrat: *c.fin. de temp. ordinat. in 6.* quæ fortè hîc causa fuit tam diu dilatæ tonsurationis post collationem, illiterato autem collatum beneficium vacat vt datum incapaci: *post Nauarrum Lessius de Iust.l.2.c.34.d.24.nu.129. Garcias de benef.p.7.c.7. Riccius disp.390.n.22.* Ordinem sacrum, quem fundatio d. Capituli requirit, cuius defectus irritam facit prouisionem: *disertè d. c.4.s.22. Trid. VVames. de iur. patron. cons.477.n.10.&* canones quos Trid. innouat: certum modum vacandi non esse expressum; certum nomen prædecessoris; aliaque quæ secundùm stylum erant exprimenda; nullitatemque ideò inferunt. *Mascard.de prob. conclus.864.n.6.*

10. Literati;

11. Ad ordinem si requiratur idonei:

Hoc tantùm videtur inquirendum, an, sicut *in c.ex insinuatione.X. de simon.* ex nouo iure repetitæ collationis Canonicus fieri quis potest, id hîc nullo tacito vel expresso actu factum sit. vt diximus benignè impropriando verba præsentationis à Capitulo recipi adhibitis ritibus consuetis potuisse; sed patet ex actis demum anno 1631. cum Capitulo prouisum concordasse, vsque ad illud tempus cum eo in possessorio litigasse super negata admissione; atque interim anno 1629. alias alterum literas obtinuisse, & institutum fuisse ab Episcopo, vices tergiuersantis, & mox contra vtrumque litigantis Capituli supplente.

12. An vitia hîc non sint sanata?

Sed an secundus hic non surrepserit patrono, non faciens mentionem literarum priori pridem concessarum, adeoque secundæ literæ & quicquid super iis fundatur non sit irritum, quasi si patronus illarum conscius fuisset has non concessisset? sed apparet patronum non inscium fuisse propter clausulam literis secundis insertam, *quantum in nobis est*, quo enim præter omnem aliarum stylum alioquin spectat? Item in literis primi dicitur prouisus esse frater dilectissimi secretarij, at ille pridem desierat dilectissimus esse: ne quid amplius

amplius dicatur,& tantùm prædecefforis fuerat fecretarius : denique hic Baro fucceffit à 9. Aprilis 1621. exfpirantibus induciis;à quo die vfque ad 10. Septembris 1622. adhuc vacauit hæc præbenda, cum prouifus vfque ad illum diem non effet clericus : poft quatuor ergo menfes deuolutum eft ius ad Epifcopum vel ad Capitulum, nam ad eum deuolui primò ad quem fpectat inftitutio tradit Wamefius *de iur.patron.conf.*472. fed hoc neque intra alios fex menfes prouidit; ergo ab hoc ad Epifcopum feu Superiorem: at Epifcopus dedit inftitutionem etiam poft tam longa tempora, vt etiam à Sede Apoftolica fit deuolutio regreffa : *iuxta c.3. de præbend. in 6.* quod tamen Franc. & Ioan. Andr. negant obtinere in aliter vacante quàm in Curia, iam anno fcilicet 1619. vt Concordata Germanica poft três menfes rurfus Ordinario manus foluunt. nec verò intentio Ecclefiæ fuit ita perpetuò ligare, dedit ergo Epifcopus inftitutionem.

13. An Epifcopus poffit fupplere in inftituendo vices Capituli exempti?

At dices Capitulum eft exemptum, ergo ad Epifcopum ius non deuoluitur per lapfum temporis, aut huiufmodi tergiuerfationem: *c.2.X.de fupplend.neglig.prælat.* fed Clem. *vnic.* §.*eod.de fupl.neglig. prælat.* etiam exemptorum conferre differentium, ac præfertim fructus fibi, vt hîc, applicantium Ordinariis, vt delegatis, fupplere negligentiam iubet: & licet d.c.2. in regularibus loquatur,illudque corrigat; tamen ex ratione feculares comprehendit: *l.12. D. de legib.* etfi gloffa *ibid. in V. reg.* fecus fentiat. Azor. *inftitut. moral. p.2.l.6. c.27. q.4.* indiftinctè Clementinam allegat, nifi priuilegium aut confuetudo refragetur. & fanè ratio fauet, quæ eft in Clem. *quia contingit de relig.dom. Trid.f.7. c.15.f.22.c.8.& 9. f.25. c.8.* item quando delegatus defes eft,& manet crimen; officio fungitur Ordinarius: *c.fignificauit de off.Ordinar.* vt hîc Capitulum, cum aliis confœderatis, habet fuos delegatos conferuatores, vifitatores, Iudices; qui officio defunt; & interim non tollitur hic exceffus,quo non admifforum fructus fibi applicat, cum continua imminutione cultus diuini,fubftractâ ex officio vnâ perfonâ,cuius prouentus interim vfurpat. quod extenditur quandocumque agitur de peccato: *Chokier de exempt.p.4. q.30.n.15.* vbi in aliis nonnihil diffidet: inhabilis officium facit, cum deficit habilis: *clem.1. de conç. preb. c.fi Epifcopus de fupplend. neg.in 6.c.eos de temp. ord.in 6. l. vbi abfunt. D. de tut.& iur. dat. ab his. c.cætera de fent. exc. c. eos eod. in 6.* Ideoque vfu & arreftis Galliæ receptum eft vt Epifcopi adeantur ad fupplendam exemptorum Capitulorum negligentiam in conferendo. *Choppin. de facr. pol.l.1.c.5.n.7. Steueneau Comment. ad ordinat. Gall.t.24.ar.1. ad verb.ne feront.*

Secundus denique 1632. à Capitulo admiffus eft,cum omnibus folemnitatibus, iuramentis, &c. vt quamuis Epifcopi inftitutio in exemptis fupplendo defectum non fubfifteret; tamen hæc Capituli receptio nullam habet controuerfiam,fi non priùs & ipfe primus à Capitulo ritè fit admiffus; quod non eft verifimile, cum is neget opus fibi fuiffe inftitutione, folâ patroni collatione tutum effe fe contendat.

Vt omittamus variare poffe patronum laicum,& fimul, vel fucceffiuè plures præfentare, & Epifcopum vtiliorem Ecclefiæ eligere. *c.24.c.5.X.de iur.patron.clem.2.eod.c.29. X.eod.* fi tamen malitia Epifcopi interuenit, primo tenetur prouidere. *d.c.29.in fin.*

Quamuis autem hic citatus fit contumax, non id fufficit vt præbenda addicatur actori: fed iuftus eius titulus probari debet: &, lite etiam non conteftatâ, teftes recipi, & caufa finiri: *c. vnic. de eo qui mittitur in poff. ca. rei feru.* etiam conclufione non factâ. *clem.fæpe de verb.fignif.in fin.clem.difp.de iud.*

CONSVLTATIO V.

De lapfu trimeftris Pontificij & collatione pòft factâ ab Ordinario in vim Concord.Germaniæ.

IN Ecclefia Niuigellana fub mediam noctem mortuo canonico, deinde exfpirante trimeftri Pontificio manè fubfequenti Collatrici infinuari curauit prouifus à Sede Apoftolica collationem fibi factam.refpondet illa iam fe alteri contuliffe, poft trimeftre notæ vacationis; ac iam ante infinuationem iuxta concordata nationis Germanicæ: quæ ita fonant: *quoties vacante aliquo beneficio de menfibus Ianuarij, Martij, Maij,Iulij, Semptembris, & Nouembris, fpecialiter Sedi Apoftolicæ refervatis, non apparuerit infra tres menfes à die notæ vacationis in loco beneficij, quod alicui de illo Apoftolica authoritate fuerit prouifum : ex tunc & non antea, Ordinarius vel alius ad quem illius difpofitio pertinebit, de illo libere difponere poterit. quod item repetitur in* §.*placet etiam nobis.* 1. Poft lapfum trimeftre Pontificium Ordinarius confert ex Concordatis Germaniæ.

In primis ftatuendum eft Concordata Germaniæ Niuigellæ obferuari. docet id Wamef. *conf.33.dixi in iur. Pontif.nou.anal.tit.de inft. n.11.* quia cum iam olim de Imperio ea vrbs fuerit, & fundatio aliquatenùs faltem imperatoria (cuius aduocatia Duci Brabantiæ data eft ab Imperatore,& quæ vrbs Brabantiæ vnita eft in læto Introitu art.40.) etiam concordata ea ibi vfu recepta fuerunt. Neque porrò ideò,quod olim ea fuerit diœcefis Leodienfis per feparationem à Leodienfi & fubiectionem factam Namurcenfi ius fuum mutauerit, *c. tranflato.X.de conftit. extrauag.Ioan.22. ad Apoftol.de concef. præb. l. 1.C.de metrop.Berityj l. 11.* nam magna pars Brabantiæ olim fub Leodienfi diœcefi fuit, nec in ea omni tamen olim recepta, nec vnquam feruata funt ea concordata, vt neque Pij PP. conceffio Epifcopo & omnibus collatoribus diœcefis Leodienfis facta *an.1458.13. Kal.Feb.* alternatiuorum 2. Ea in Brabantia aliquibus locis recepta, fed paucis.

rum similiter mensium, sed pluribus clausulis restrictior, quàm Concordata. (quamuis in districtu Buscoducensi appareant horum reliquię vt loquitur. Wames. *cons. can.* 255. aliisque aliquibus, qui itidem olim diœcesis Leodiensis fuerunt) Exstant alioquin literæ Maximiliani 11. *Iulij* 1518. quibus ea obseruari iussit per districtum Leodiensem: & Carol. V. 9. *Februarij* 1554. per Cameracensem: cum inhibitione ne aliter prouisi reciperentur, sed vt intrusi reiicerentur. Declararunt idem Pontifices diuersi pro Leodiensi, Cameracensi, & Vltraiectensi, vt refert Wames. *cons.* 35. & 255. & *Leonin. cons.* 50. Sixtus tamen IV. pro Decano & Capitulo Antuerpiensi 4. *Idus Iunij* 1479. cum ij tantùm vti consueuerint quatuor mensibus ordinariis relictis, *seu dumtaxat*, inquit, *quatuor mensibus prædictis ordinarius præfatus vt præfertur concessis contenti fuerint*, declarat collationes per eos factas & faciendas in quatuor mensibus illis validas esse, & fore. vnde nec hodie aliter vtuntur. quemadmodum hic plures alij Concordata huiusmodi non acceptarunt aut iis vsi sunt. vti tamen potuisse quidam censeant, quippe pacta sunt Concordata pro tota natione Germanica §. *vlt. illorum*, vbi & glossator asserit, vtpote Germanus neminem dubitare, quin sub iis comprehensi sint Menapij, Eburones, Brabanti, omnesque alij Inferiores Germani. quamquam de aliis extra Niuigellenses, & Traiectenses Brabantis ego dubito; ad eosque Concordata non extendi *consult.* 3. *h. t.* doceo, nisi quatenus contrarium liqueat. cum iam ante tempus Concordatorum Brabanti sub Imperio de facto esse desierant. saluo speciali Traiectensium, semi-Leodiensium, & Niuigellensium; cuius collatrix Princeps Imperij est, respectu.

3. Trimestre currit à die notitiæ in loco vacationis de momento in momentum.

Præsupposito ergo vsu Concordatorum in Ecclesia Niuigellana obseruato facienda est computatio trimestris à die notæ vacationis in loco beneficij, vt Concordata sonant. & Clementina *vnic. in fin. de concess. preb.* numerando etiam diem termini *l. 1. D. si quis cautionibus. l. 1. §. quod dicimus. C. de iur. delib. l. pater.* 30. *D. ad leg. Iuliam de adul. Tiraquel. de retract.* §. 1. *gl.* 11. *num.* 23. 24. de momento in momentum. *c. licet de suppl. negli. Prælat: l. cum prætor.* 127. *de reg. iur. Tiraquel. d. glossa* 11. *per tot.* ita tamen *quod*, inquit Garcias, *de benef. part.* 10. *c.* 2. *n.* 42. 43. *menses debent computari secundum Calendarium, & secundum quod menses occurrunt.* v. g. si beneficium vacat initio diei 8. Februarij in fine 7. Septembris finietur semestre, etiamsi annus sit bissextus. *dixi in iur. Pontif. anal. n.* 18. *de regular.* vnde rectè decisum est quod refert Ioseph. Lodouic. *decis. perus.* 116. cum beneficiarius quidam obiisset vltimâ nocte mensis ordinarij in puncto immediato ante mediam noctem, collationem ordinario competiisse, & ritè ac rectè ab eo factam.

4. Computatis tamen mensibus secundum Calendarium.

5. Punctum mediæ noctis ad quē pertineat.

Quin & si in ipso puncto mediæ noctis mors incidat, pro ordinario esse censendum. à media enim nocte, id est, post mediam seu puncto præcedente diem naturalem coniungente cum sequente transacto; alter dies incipit. *l. more Rom. D. de fer.*

Quod si ea de re dubium sit v. g. rure mors incidat, vbi ære campano horæ non indicantur, aut campanæ vicinæ sint discordes: crediderim pro ordinario pronunciandum esse; quia collationes ordinariæ sunt fauorabiles, ideoque pro iis præsumitur. *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. glos. nu.* 1. 37. & 106. vtpote cum iure ordinariis toto anno competant collationes, secundùm antiquos canones, & reseruationes inhibitiuæ ordinariæ potestatis, & impeditiuæ libertatis, contra antiqua iura inductæ sint, adeoque vt odia restringendæ. 6.

6. Et tribuatur in dubio?

Quamuis autem Gregor. XIII. *anno* 1576. terminum trimestrem dicatur prorogasse ad semestrem, id hîc acceptatum non creditur. & Concordata vtpotè contractus sine mutuo consensu solui non possunt. *Rebuf. in præfat. Concord. Franciæ.* quod ipsum textus Concordatorum §. *penult. in fine* expressè decidit, *ac durabit*, inquit, *deinceps hæc ordinatio nisi in futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.* & iterum §. *durabitq; hæc obseruantia deinceps nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.* Nisi ergo inquam consensu eorum mutuo quorum interest mutatio facta sit, aliàs subreptitia, & pro aliis facta credenda est. nam de potestate absoluta Pontificis nemo dubitat. 7.

7. Neque extensio ad semestre hîc recepta.

8. An dilatio Placiti hic obsit?

Sed enim prouisus in Belgio à Sede Apostolica Placitum à Principe obtinere debet. curat is tempestiuè ante lapsum trimestris ordinario insinuari suas litteras, vt rei iam actæ notitia ei sit, dum Placitum sollicitat, & impetrat illud, antequam Ordinario offerre possit, labitur trimestre, Ordinarius alteri confert, fundat se in temporis lapsu, negat prioris insinuationis rationem habendam, ante Placitum impetratum, vetantibus edictis omnem diplomatum beneficiariorum effectum: *Max. & Phil.* 1484. 1485. & *Phil.* 1493. 1497. *Carol.* 1541.

At vero ego illa edicta, in suis terminis restringenda puto. cum ergo beneficiaria diplomata vetent tantùm executioni mandari; non erit permissum eam prohibitionem extendere ad nudam notarialem insinuationem. quæ dirigitur tantùm ad notitiam Ordinario faciendam prouisionis Romæ factæ. non autem vt aliquid eorum quæ diplomata continent, executioni mandetur: scilicet vt per ea delegatus de narratis se informet, mandatum conferendo, & in possessionem mittendo peragat, hoc enim est exequi diplomata; Alterum eo tantùm spectat, vt Ordinarius sciat Pontificem intra suum tempus officio suo functum, & Ordinarij munus cessare. ne actum agat; & beneficium iam viuentis conferat. Cum etiam proœmialis & finalis causa edictorum in solius notitiæ ratione cesset. & si non recipimus d. extensionem Pontificiam de trimestri Con-

cordatorum, quia pactiones ab altero solo mutari non possint, sequitur nec per ea edicta Concordata potuisse mutari, adeoque nec Principum mentem eò extendi. Omitto alioquin viam etiam aperiri malis artibus, quibus in aula ob multitudinem negotiorum, ac aliàs morosa possunt Placita ad tempus retardari, motis ibi etiam litibus, ne hilo quidem subnixis, quibus qui cadunt, lapso tamen Concordatorum termino, causæ fecerint lucrum. quamquam etiam termino imputari non solet tempus impedimenti. *c. quia diuersitatem. X. de conceß. prab.*

9. An solis literis sub plumbo expeditis probandum sit intra trimestre Pontificem prouidisse?

Quoties, inquiunt Concordata, *in mensibus Apostolicis*, &c. *non apparuerit*, &c. quod alicui *Apostolicâ authoritate fuerit prouisum*. quæritur an per solas literas sub plumbo expeditas apparere possit? existimo quamcumque probationem ad fidem factæ prouisionis Iudicis arbitrio sufficientem recipi debere. neque enim Concordatorum verba, aut ratio genus probationis, qua prouisio apparere possit, ad solas literas, & expeditas quidem, restringunt.

Neque obstat, quæ obiici potest, regula Cancell. *de non iudicando iuxta formam supplicationis*, sed literarum expeditarum: quia illius lectio eam obiectionem soluit. scilicet quod ante confectionem literarum gratia sit informis & officialibus Cancellariæ illius tenores & formas restringere conuenit, & ad regulas iuris, & Cancellariæ reducere supplicationes, & *fiat*: ideoque secundùm illarum, non harum formam iudicandum decernit. scilicet quod ad ipsam gratiam spectat, seu potius illius modum, & formam, accidentiaque: non verò negat gratiam existere & concessam esse probari posse alio genere probationis, quàm productione literarum expeditarum: quo satisfactum esse constet Concordatis: negligentiamque Pontificis nullam iam esse, quæ locum faciat collationi ordinariæ. nec eo tendit regula, nec mens Pontificis, vt sibi per eam ita manus liget, & ordinario dissoluat.

Non iterùm obstat Clem. 1. *de prab. Clem. literis de probat.* neque enim dum literis expeditis credi insinuant, vel decernunt, omne aliud genus probationis, quod ius disertè recepit, excludunt.

Denique edictum perpetuum Principum nostrorum *anno* 1611. *art.* 20. 21. vetans in huiusmodi rebus probationes per testes recipi, sed tantùm per instrumenta, nihil obstat etiam: quamuis enim *articulo* 20. præcipiat in registris annotari cuiusque baptismi diem, ad ætatem postmodum probandam tam in ordinibus quàm beneficiis, aliisque; tamen *articulo* 21. expresse tantùm disponit respectu tonsurarum, & ordinum, professionum regularium, & sententiarum: de collationibus nullam ibi facit mentionem. Vnde dici potest priori iuri esse relictas. deinde nec intentio ibi fuit Principum decidere aliquid de Romæ expeditis in forma literis. de qua agit *d. regula de non iudic. iuxt. form. sup.* sed tantùm de vitanda difficultate probationum per testes: de qua præfati erant. quid enim si per instrumentum aliud authenticum ipsius Datarij, officiariorumque de officio suo testantium id probetur? quid si per auditos iam à Iudice testes idoneos, quibus nihil opponatur? denique iterùm si negamus Pontifici facultatem extendendi trimestrem terminum ad semestrem, æquo iure fas non erit concedere Principibus facultatem restringendi probationes à Concordatis permissas.

10. Lapso trimestri libertas restituitur ordinario, vt conferre possit, sed an ea impediat ne exinde Pontifex possit? vtrique per præuentionem licet. quæ tamen præuentio intra menses ordinarios nō admittitur. nam hoc Concordata statuunt, nō illud.

Concordata, lapso trimestri & prouisione Apostolicâ non apparente *ex tunc*, inquiunt, *& non ante ordinarius, vel alius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit*. liberè inquam. *ex tunc* enim significat statim à lapsu præscripti temporis, vt ordinario facultas sit collationis concessa. *D. Martha de clausulis part.* 3. *claus.* 88. Sed an ita liberè, vt Pontifex ipse excludatur, eiusque delegatus, vt nec per præuentionem Ordinarij conferre iam possit? ita enim aliqui censent, cum id licere Pontifici Concordata non exprimant: quod alioquin oportuisset, quodque exprimunt Concordata Galliæ. sicut permissa intra tempus post illud vetita censentur. *l. statum liberum §. stichum de leg.* 2. *l.* 1. *§. si mulier de liber. agnos.* & in materia beneficiaria iure semel deuoluto non se potest, qui negligens fuit, amplius immiscere. *c.* 2. *X. de supp. negl. Prælat. c.* 2. *de conceß. prab.*

Facit textus Concordatorum in verbis, *non impediemus nos, quò minùs de illis, cum vocabunt de februar. & cæteris mensibus, liberè disponatur*: & iterùm *reseruatione aliaue quauis dispositione authoritate nostrâ factis vel faciendis non obstantibus quibuscumque*. quæ verba generalia sunt, vt & videtur intentio fuisse generaliter partitis mensibus concursus, & antiperistases collationum Pontificiarum, & ordinariarum auferre, pacem & tranquillitatem perpetuo solidare, & conseruare.

Et verè, meo quidem iudicio, verba hæc euincunt in ipsis mensibus partitis non licere alteri alterum præuenire. *vt in iur. Pontif nou. anal. tit. de off. legat. in fine sensi.* verum dici potest non euincere hæc per Concordata Germaniæ cessare præuentionem Pontificiam post trimestre Pontifici reseruatum, sine collatione lapsum: quin adhuc tum ordinarium præuenire possit. vtpote cum ad plenariam quam habet Pontifex beneficiorum omnium Ecclesiasticorum dispositionem *c. licet. de prab. in* 6. abrogandam non sufficiunt verba quædam dubia, & generalia; sed clara & expressa requiruntur. quæ enim sic non mutantur, stare non prohibentur. Itaque verba Concordatorum non aptabimus hisce præuentionibus, quæ post reseruata tempora fiunt. cum iam res rediit ad eum statum in quo ante mensium reseruationem erat, quando iam Pontifex non vtitur odioso aliquo, sed ordinario iure: scilicet vacans beneficium simpliciter conferendo, quemadmodum ipse totius orbis est Ordinarius, sicut Episcopus quilibet suæ diœcesis;

cessis: sed expectatiuæ tantùm & reseruationes vacaturorum extra designatos menses sublatæ sunt verbis, & ex mente Concordatorum.

Atque ita nec obest Pontifici lapsus temporis, intra quod permissum ei erat conferre, quasi post illud non liceret; quia non ei iure aliquo ligantur manus quo post tempus sibi non liceat, quod ante illud licebat: quemadmodum de Ordinariis, quia intra tempora eis præscripta iura disponunt, mox relata: cum alioquin ordinarium in iure sit, vt moram purgare liceat, *c. vlt. X. locat.* nisi pro forma tempus præscriptum sit, vt in retractu, & similibus: vel aliàs specialiter expressum: vt in beneficiorum conferendorum deuolutione ab inferioribus ad superiores.

Sicut etiam axioma *permissum ad tempus post tempus videri probibitum* locum habet, quando id quod permittitur ad tempus aliàs est prohibitum, vt in *d. l. statu lib.* permissa erat ad tempus hæredi electio, quæ competebat legatario: *§. si in genere inst. de legat.* & in *d. l. 1. § si mulier*, quæ intra triginta dies denunciare debuit, ob contemptum senatusconsulti punitur: si tamen causam iustam adferat, auditur.

Aut sanè propius ad hanc rem respondebitur, & hîc obtinere illud ipsum axioma, vt scilicet quo modo & ratione Pontifici conferre intra trimestre concessum est, eadem post illud non liceat: concessum est autem per reseruationem, vt soli illi liceat, post illud non licet soli, sed reuoluitur ius collationis ad suam naturam: sublato impedimento reseruationis: perinde ac si ea nunquam exstitisset. vnde potest liberè conferre Ordinarius, eóque iure, quo ante inuentas, aut exercitas reseruationes: potest & Pontifex, qui non minus est Ordinarius, non reseruationis tamen iure, vt ante, sed præuentionis, quando etiam iam Concordata partitorum mensium cessant, & post ius ad ordinarium ita reuolutum casus omissus est in Concordatis, an tunc Pontifex conferre possit, atque ita ex priore iure decidendus.

Dices, ergo eodem modo Ordinarius; qui in suis mensibus, excluso Pontifice potuit conferre, poterit post deuolutionem iam factam itidem præuenire iam antequam negligentia sua suppleatur: sanè *in iur. Pontif. nou. anal. tit. ne sede vacante.* optaui aliquando ita posse sentire, sed vetuerunt textus supra citati, quales nulli præuentioni Pontificis resistunt.

CONSVLTATIO VI.

Beneficia iure situs regi, tametsi collator alio domi vtatur.

PAtrem-familias ex diuersitate patrimoniorum aliam atque aliam personam repræsentare rectè asseruit Baldus *in l. si arrogator. D. de adopt. Corn. cons. 85. lib. 3.* & iure constitutum est *in l. pupillo. D. de tutor. & curat. dat.* pupillo, qui tam Romæ, quàm in prouincia facultates habet, rerum quæ Romæ sunt; prætorem, prouincialium Præsidem tutorem dare. Princeps plurium ditionum quamuis generaliter aliquid mandatum velit, aliter tamen id atque aliter pro iure cuiusque prouinciæ recipitur, atque obligat; vel cum legibus locorum mandatum expenditur. Eodem modo generatim traditum est, cum locorum consuetudines sunt variæ, & quæ alteri præferri debeat controuertitur; inspiciendum esse an personales eæ sint, an reales. si personales; præualebit quæ obtinet in loco personæ: si reales; quæ seruatur vbi sita res est. ita vt personales per vniuersa territoria vires & effectum porrigant; reales situm rerum spectent, vt territorij limites non excedant, quia rebus ipsis sunt affixæ. *optimè Nicol. Burgund. ad consuetud. Fland. tract. 1. nu. 3. vbi citat Immolam in c. cum olim de cler. coniug. & DD. c. 1. X. de constitut. Bart. in l. 1. C. de sum. Trinit. & ibi Aret. Cald. cons. 44. Alexand. cons. 41. lib. 5.* Rectissimè Principes nostri in perpetuo edicto *anno 1611. art. 13.* decreuerunt, vt vbi diuersitas consuetudinum occurrit circa qualitates bonorum, an de iis quis disponere, quâ ætate, quâ forma, quâ solemnitate possit; sequenda sit consuetudo rei sitæ. sic & *lex si prædium. C. de præd. min.* in alienatione requirit decretum præsidis eius prouinciæ, in qua prædium minoris est situm. sic itidem Doctores *in c. per venerabilem. X. qui filij sint legit.* tradunt legitimatum ab Imperatore non succedere in bonis in Ecclesiæ territorio sitis. quod quamuis habilitata sit persona, adeptio tamen successionis sit actus realis, qui patitur leges territorij, vbi hæreditas consistit. *arg. legis contraxisse. D. de oblig.* ita quotidiè videmus Flandros atque Brabantos sui iuris per ætatem effectos, & domi rerum suarum administrationem nactos, in Hannonia tamen sita bona abdicare non posse, nisi vxorem duxerint. Enimuerò Concordata Germanica realia sunt, non personalia: continebuntur ergo terminis Germanici Imperij. Realia statuta optimè idem definit Burgund. *d. tract. n. 1.* quæ res ipsas dirigunt, à consideratione personæ abstractas: personalia, quæ dumtaxat personas, vt ab his qualitas personæ imprimatur, ab illis rei ipsi, seu modis eam administrandi: per hæc status personæ alteretur, per illa ipsius rei: per hæc de iure, conditione, seu qualitate personæ disponatur, illis propositum est dirigere res ipsas, certisque qualitatibus dominia afficere: actus, effectusque personalis est contrahere, vel obligari; sed dare, conferre, tradere, mancipare, alienare, actus est realis. Itaque quoties de iure aut libertate personæ quæritur, aut facultate ad actus personales, respondendum est secundùm conditionem personæ, quam induit in loco domicilij: contra cum de iure,

1. In realibus inspicitur situs.

2. Concordata Germaniæ realia.

seruitute, ac libertate rerum agitur, seu facultate ad actus rem spectantes exercendos; ad leges situs respicere oportet. *idem Burgund n. 9. citat. Cyn. Bart. in d. l. 1. C. de sum. Trinitat. Tiraquel. lib. 1. glos. 1. de retract. & pluribus deinde hypothesibus hanc doctrinam subtiliter examinat.* In Concordatis igitur Germanicis, nihil de iure, conditione, libertate vel seruitute personarum, collatorum transigitur, non aliter eorum mentio, quàm quatenùs collatio sine illis vt instrumentis expediri nequit, breuiter, non sunt illi in dispositione, sed tantùm in enunciatione: totus tenor Concordatorum non in collatores conceptus est; sed textus integrè in ipsa beneficia, quasi in rem scriptus. tota etiam ratio Concordatorum consistit in iure rerum, libertate, seruitute, reseruatione. in distinctione, inquam, beneficiorum quæ vacant, & mensium quibus vacant. causa denique Concordatorum realis est, quæ illis verbis legitur; pro ipsius Ecclesiæ vnione, pace & tranquillitate. inter Ecclesiam & Nationem Germanicam perpetuò solidandis. aliæ leguntur in Concordatis Galliæ, singulæ suis locis aptæ. In Alternatiua porrò Reg. Cancell. alius personarum fauor, quo illa nititur, inseritur his verbis; *insuper ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis intenta sua sanctitas ipsis liberè disponendi facultatem concessit, de omnibus & quibuscumque beneficiis*, &c. ecce fauor personalis residentium Prælatorum, nulliqùe loco adstrictus. non ita Concordata *in §. de cæteris verò non impediemus*, inquiunt, *nos, quò minùs de beneficiis in Februario, & cæteris mensibus liberè disponatur per illos, ad quos collatio pertinet.* tota rebus ipsis, & beneficiis scribuntur, nullatenùs personis, & quidem nullâ iuris concessione, sed impedimenti tantùm, reseruationisque sublatione. iure itaque vtentur Germanico collatores pro beneficiis Germanicis; iure Gallico pro sitis in Gallia, alio alibi. In quam sententiam rectissimè docet Garc. *de benef. part. 5. c. 3. n. 28. cui plures ibi citati consonant*, quod in materia collationis attenditur locus vbi situm est beneficium; & non locus, vbi est persona ad quam spectat collatio. sic suppletur negligentia collatoris, non ab ipsius superiore personæ; sed beneficij. *Clement. 1. de supplenda negligent. Prælator. vbi gloss. verbis locorum & verb. sua.* sic Episcopi diuersarum prouinciarum ab eo Archiepiscopo iudicantur, in cuius prouincia est locus rei litigiosæ. *c. sanè. X. de foro compet.* & ratione beneficij, forum legesque illius persona nanciscitur. *c. final. eod.* & legatus beneficia non confert extra prouinciam sita, ad Collatorem intra prouinciam habitantem spectantia, vel ad eum deuoluta *Garc. ibid. num. 29.* sanè Concordata Galliæ clarius localia ex ipsis verbis apparent. in regno inquiunt, *delphinatu, & comitatu, &c.* & pluribus in locis eadem verba repetunt. *volumus quoque*, inquiunt, *quod in regno Delphinatu, & comitatu prædictis de cætero non dentur aliquæ gratiæ*

3. Alternatiua fauoré personæ habet.

4. In beneficiis sitús attenditur.

5. Concordata Galliæ clarè localia.

expectatiuæ, ac speciales vel generales reseruationes ad vacatura beneficia, &c. quid si ergo horum collatio spectet ad collatores Germanicos, dabunturne ideò in hoc regno reseruationes pro alternis mensibus? nihilò magis. Igitur non aliter cum Germanis, quam cum Gallis transactum esse credendum est: sed pactum ab vtrisque pro beneficiis in vtrorumque dominatu sitis. qua in re valde notandum etiam videtur, quod Concordata Germaniæ sint inita non cum Episcopis, sed cum Romano Rege, & Ecclesiasticis, & secularibus Principibus, emphasim habet, quod Ecclesiasticos Principes, non Episcopos nominet Pontifex: significatque magis de rebus ipsis; quarum cura ad Principes videtur spectare, agi; quàm de personis, seu formula eis præscribenda. Principum qualitas intra ambitum Germaniæ terminatur, eorundem illa tanquam Episcoporum alicubi vlterius protensa: illis pacta conuenta scripta sunt; huic ius intactum extra eos fines, quod quoquo loco obtinet, relictum est.

6. Et Germaniæ pro reg. no Alamaniæ cum Imp. & Principibus inita.

Quare non obstant quæ idem Garcias tradit *d. part. 5. c. 1. num. 705.* de alternatiua reg. Canc. cuius ab alternatiua Concordatorum longa est differentia, quam supra assignauimus. personalis enim illa est, generalis, nullique loco adstricta. neque itidem obest decis. 3. *Mohed. de præb.* quia, vt inquit idem Garc. *in fin. n. 706.* decisio eius non est certa, sanè ratione non est subnixa, quam in contrarium stare iam satis supra est explicatum. A qua ratione nihil aliena sunt diplomata Pontificia, Caroli V. & aliorum Principum: generalia enim illa sunt, mandantia obseruationem Concordatorum, nihil autem de hac hypothesi decidentia. imo si & Pontifices & Principes nostri de hac rogati specialiter fuissent, respondissent procul dubio, vt in edicto anni 1611. *art.* 3. Albertum & Isabellam statuisse diximus, vt in diuersitate consuetudinum, & dum quæritur an bona aliqua (& beneficia ergo) liberæ an restrictæ sint dispositionis, sequamur leges rei sitæ. Ex his apparet cur aliud seruari debeat in membris, quàm in capite: aliud in loco Cathedræ quæ posita est in terra Imperij, aliud in beneficiis sub illius diœcesi sitis in Hannonia extra Imperium, quia alteratio procedit à rebus ipsis, in quarum administratione ius situs rei præualet iuri domicilij administrantis. apparet etiam per Concordata non esse regulam collatoribus positam; sed ipsis beneficiis infixam: id est, distinctioni eorum, quæ imposterum Sedi Apostolicæ reseruata seruirent. & eorum quæ in primigeniæ dispositionis libertate Ordinariis remanerent. Nec iterùm contra quicquam facit, quod in aliquibus locis ditionum nostrorum Principum, eadem Concordata dicantur seruari; quia hæc olim sub Imperio notoriè fuerunt: Hannoniæ autem Comitatus pluribus sæculis iam ante tempora illorum Concordatorum non agnouit Imperium. Ideoque glossator Concordatorum *in §. vlt.* asserit neminem

7. Vnde non obstant quæ de alternatiua dicuntur.

8. Per Concordata beneficiis non collatoribus regula ponitur.

minem dubitare, quia sub Germanis comprehensi sint, Menapij, Eburones, Brabanti, omnesque alij inferiores Germani, sed inter hos non numerat Hannones, qui antiquo prouerbio iactant ditionem suam *estre tenue de Dieu, & du soleil*, non alterius superioritatem agnoscere. qua de re Brontius *in libello quem de laude Hannoniæ scripsit.* sed & de Brabantia nos egimus Consult. III. *supra de præb. & de vtraque in Hiatu lib. 1. c. vlt. §. Hannonia. §. Brabantia.* exemptamque ostendimus. Itaque Archiepiscopus Cameracensis, quamuis in terris Imperij seruet Concordata Germaniæ; in Hannonia tamen iure ibi vsitato aut communi nunc regulæ Cancellariæ, vtetur, & in Gallia Concordatis Galliæ, vbi nullæ reseruationes, nulli sunt menses Pontificij. vbi si habet collationem beneficiorum, non

9. Qui in his propterea sæpe diuerso iure vtuntur. creduntur ob eam illa exempta à nominationibus graduatorum per Concordata Galliæ inductis, & similibus iuribus: nec insolens est, si hîc vnus Episcopus diuerso iure vtatur. quoniam indies videmus in nouis Episcopatibus Belgij à diuersis & contrariis localium obseruationum diœcesibus abscissis, & compositis: & in secularibus respectu rerum Ecclesiasticarum videmus similia exempla, v. g. vnum ducatum Lucemburgensem in septem Episcopatuum diuersa iura, mores, & obseruationes distractum. Et in maiori causa videmus, quàm diuersimodè ipse Pontifex Episcopatus, aliaque beneficia conferat in vrbe, in Italia, in Gallia, in Germania, in Hispania, in aliis locis: nec tamen indecens ea in re videtur, vt aliud obtineat in capite, aliud in membris. scilicet proficiscuntur hæc

10. Secundùm pacta, & mores. ab ipsis beneficiis per Concordata, pacta, mores, seu aliàs aliter atque aliter affectis. Sub diœcesi quondam Cameracensi, nec minus sub Imperio Ecclesia Antuerpiensis ad illius similitudinem vicinus ei tractus, quamuis fortè vti Concordatis Germaniæ potuissent, Martium tamen Iunium, Septemb. & Decemb. retinuerunt. Vnde Sixtus IV. pro Decano & Capitulo Antuerpiensi. 4. *Idus Iunij* 1479. cum ij tantùm vti consueuerint, quatuor mensibus ordinariis relictis, seu dumtaxat, inquit quatuor mensibus prædictis ordinariis præfatis vt præfertur concessis contenti fuerint; declarat collationes per eos factas & faciendas in quatuor illis mensibus validas esse & fore. Quod porrò allegetur consuetudo Ecclesiæ Cameracensis contraria; facti ea est: videndum, itaque quàm vniformis sit, quanto tempore præscripta, nullo actu contrario interueniente; denique id in terminis examinandum, an Episcopi Cameracenses semper contulerint beneficia Hannoniæ in mensibus per Concordata Germaniæ sibi permissis? Ad extremum an iidem Episcopi, qui sic contulerint, non acceptauerint alternatiuam Regulæ Cancellariæ Romanæ? nam, vt dictum est supra, ea generalis & ad omnia loca, & quæcumque beneficia competentia Prælatis, qui eam acceptarunt, porrigitur. quam si habuerint Episcopi, in illiusque vim in mensibus alternis vacantia contulerint, nullam faciunt Concordatorum Germaniæ interpretationem, aut iuri & supra explicatæ rationi præiudicium.

De Institutionibus.

CONSVLTATIO I.

Canonici regulares in Ecclesiis parochialibus instituti an mouibiles, ab Ordinario an Superiori corrigendi? quis defunctis succedat?

Presbyteri qui in parochialibus curis constituuntur perpetui sunt, nec à regularibus, à quibus præsentati fuerunt, amoueri possunt; sed instituere illos & destituere solis competit Episcopis; nisi regulares pleno iure seu quasi Episcopali Ecclesias illas possideant. *c. vnic. de capel. monach. in 6. c. cum & plantare. §. in Ecclesiis. X. de priuil. c. 3. X. de off. vic. c. in Lateranensi. x. de præb.* quod non tantùm in ipsis titulis beneficialibus, sed etiam in Vicariis, nisi contrarium videatur conuenire, obtinere voluit Concilium Tridentinum: vt scilicet constituantur Vicarij perpetui: *Concil. Trid. s. 7. c. 7.* erecta vtique prius ibidem Vicaria perpetua. *vt post Garcias sentit Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. d. c. 7. n. 18.* quod quidem *c. 7.* disertè etiam loquitur in vnitis monasterio, & quamuis aliqui supracitatos textus intelligant etiam in presbyteris regularibus; tamen refert Barbos. *ibid. nu. 16. ex Aldan.* decisum obtinere dumtaxat cum ipsi presbyteri Vicarij ponuntur seculares, non cum regulares: nuncupatim ait decisum Præmonstratenses ad nutum suorum superiorum esse amouibiles. I. Presbyteri parochiales perpetui. 2. An etiam regulares?

In quam rem, *in iur. Pont. nou. tit. de reg. n.* 46. citauimus duo diplomata; prius Iulij II. an. 1512. Abbati Præmonstratensi, aliisque eiusdem ordinis concessum, atque aliud Abbati Auerbodiensi; quibus facultas illis datur religiosos suos amouendi, quoties eis videbitur. memini tamen cum aliquando id nimis festinanter factum videretur, seu contra Ecclesiæ, cui addicti erant, vtilitatem, à locorum Ordinariis fuisse in officio retentos: & censuram quorundam fuisse, quando Prælati simpliciter eos præsentassent, Episcopo instituendos; videri renunciasse priuilegio ex nutu amouendi: alioquin debuisse tantùm vt Vicarios amouibiles præsentare ad obtinendam ab Episcopo curam animarum; priuilegia tamen Iulij eum sensum non videntur exigere.

Mihi igitur videtur disquirendum imprimis esse, quo iure præsententur, seu ad quales Ecclesias: nam cum Canonici regulares iure 3. Canonici regulares in Ecclesiis

fuis & secularibus, ac denique sui patronatus tantùm?

communi *c. quod Dei timorem. X. de stat. monach.* & Præmonstratenses Canonici speciali, vt aiunt, priuilegio obtinere possint Ecclesiam parochialem, etiam secularem; interesse videbitur an Ecclesia sit incorporata monasterio; & sic Prælatus sit primitiuus pastor; ab eo autem præsentatus tantùm Vicarius: an verò Ecclesia sit secularis, nec vnita; sed cuius quoquo modo ius patronatus ad Prælatum pertineat: ideoque cum beneficia secularia naturâ sint perpetua; maior videbitur ratio, vt amoueri ex nutu Prælati non possit religiosus. *vt sentit Azor. citatus à Sanchez. oper. moral. tom. 2. l. 7. c. 29. num. 120. & ipse Sanchez. 121. & Lantmetere in comment. in reg. Augustin. c. 6. n. 7. vbi plures allegat, & remittit ad VVames. tom. 1. cons. 65. fusè disputantem:* quin vt probabilem admittit sententiam *n. 8.* vt si Abbas præsentet tantùm regularem, & instituit Episcopus; vt sic, non ille destituere possit: etsi alteram probabiliorem autumet. quare rectè inspiciendæ erunt tabulæ vnionis, tituliúe, quo Prælatus nititur: & ius sequendum, vbi priuilegium illud disertè non mutat. loquitur autem Iulius II. in Ecclesiis *per regulares teneri solitis*, vt verba literarum sonant, vel vt loquitur diploma Auerbod. *ad monasterium pertinentibus.*

4. Quis illis, dum vacant, prouisionalē Vicarium mittat?

Non minùs si Ecclesia fuerit secularis, & Prælato competat tantùm ius patronatus, ea vacante vel non ritè amoto parocho, ad Episcopum pertinebit, idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione constituere, donec ei de rectore prouideatur in vim *c. 18. s. 24. de reformat. Concil. Trid.* in vnitis autem Vicarij constitutio ad Prælatum pertinet, non ad Ordinarium. *etiam ex declaratione Pij V. constit. incip. ad exequendam 1567. quam citat Barbos. ad d. c. 7.* quod accipiendum videtur etiam in eo qui prouisionaliter tantùm constituitur: cum *d. c. 18.* in vnitis non loquatur; adeoque maneat iuris communis, & vnionum dispositio, vt is deputet temporalem, qui perpetuum. *argumento L. quâ de tota. D. de rei vind. Euerard. in loc. à toto ad partem.*

5. Quis fructus colligat?

Iterùm vacantibus huiusmodi pastoratibus, fructus si fuerint seculares, sequuntur communem consuetudinem: si regularibus mensis incorporati, vacantium fructus ex tenore vnionum, aut aliàs etiam vel vsu atque consuetudine saltem in his locis recepta cedunt monasterio; sicut secularium Episcopo: etsi contra communes iuris regulas. *c. præsenti de off. ordinar. in 6. Clem. vnic. §. in quibus de supplend. neglig. Prælat. in Clem.*

6. Quis in peculium succedit?

Rursum mortuis in pastoratibus vnitis dicendum videtur succedere monasterium: quia peculium acquisitum sit tam ex pastoratu monasterij, quàm opera religiosi: si autem pastoratus fuerit secularis, distinguenda erunt acquisita ex opera ab acquisitis ex beneficio seculari; vt in illis Prælatus; in his Episcopus succedat. *c. statutum. 18. q. 1. & diximus in anal. vbi sup. de apost. num. 10.* verisimili portione; vt in simili dicitur *in c. 12. X. de testam.* & vlterius infertur ex iis quæ traduntur de seruis: à quibus ad monachos sumptum argumentum validum est, nominatim etiam in materia acquirendi. *Euerard. in loc. legal. à seruo ad monach. num. 10. Thom. à IESV in comm. c. non dicatis p. 1. c. 5. & in nostris terminis Azor. Inst. mor. p. 1. l. 12. c. 10.* sed priuilegium Iulij II. Ordini Præmonstratensi concessum omninò monasteriis tribuit ex asse peculium mortuorum religiosorum; sed loquitur de acquisitis in Ecclesiis *per regulares teneri solitis*, vt diximus.

7. Seruanda Concordata.

Quamquam inter Ordinarios aliquos & Prælatos Præmonstratenses dicuntur antiqua quædam esse Concordata, quæ pro redemptione successionis certum nummum præscribant Ordinariis soluendum, quædam etiam vniones cum ab Ordinariis vel factæ vel admissæ sint aliquam recognitionem reseruarunt Ordinariis, aut aliàs conuenerunt: quare exhibendæ iterùm inspiciendæque essent vnionum vel admissionum tabulæ. quod autem Lantmeter *in comment. ad reg. S. Augustin. c. 1. num. 9. in fin.* ait eiusmodi Concordata talibus sæculis gesta esse, quando nimis multa contra priuatam & publicam disciplinam irrepserant; quasi eorum ratio nulla sit hodie habenda; recipi non potest. *vt itidem in simili diximus in tur. Pont. nou. anal. de sepult. n. 5.* vnde ad casum quem tractat *ibid.* Lantmeter, & spectat ad examen Clem. *vnic. de sup. neg. prælat.* ne fructus beneficij regularis aut pars eorum mensæ Prælati applicetur, aut pensiones nouæ imponantur, quamquam aliud id sit, quàm administrationis modum præscribere, aut eius rationem exigere; tamen, vt fatendum est hoc posse Prælatos quoad fructus à subditis iam receptos; ita dicendum non posse tamen quoad bona ipsa, vnde fructus colliguntur: & hoc est quod diximus *vbi supra de reg. n. 46.* non posse beneficia ipsa denudari, fructuúmúe partem auferri, & mensæ Prælatorum applicari. *d. Clem. vnic. §. eadem.* vti decisum est generalius constitutam semel Vicario parochiali competentiam non posse minui, *d. c. 3. X. de off. vic. c. auaritia. X. de prabend.* nam alioquin si non satis congrua & liberalis portio Vicariis parochis relinquatur à Prælatis, præstantiores viri munia huiusmodi non ambiunt, animarum cura detrimentum capit, & ne id fiat populi interest, atque Ordinarij præcauere tenentur.

8. Beneficiorū curatorum regularium fructus non sunt commutandi percepti à regularibus, per superiores possunt auferri, si affluant.

9. Parochos regulares Ordinarius an superior Ordinis visitet, & corrigat, extra curam & administrationem sacramentorum?

Nunc quod attinet ad subiectionem, correctionem, & punitionem huiusmodi parochorum, præsertim Præmonstratensium, Lantmeter *vbi sup. c. 6. n. 7.* existimat in pastoratibus secularibus institutos pleno iure transire in potestatem Episcopi: vnde sequeretur ad hunc solùm non ad Prælatum spectare illorum correctionem: idemque *n. 8.* in institutis ab Episcopis, præsentatis à Prælatis ad pastoratus non vnitos, sed ad quos alio iure spectet præsentare probabile esse, sed oppositum probabilius: in vnitis autem *num. 9.* plenam manere

nere Prælatis authoritatem. at verò Iul. II. in literis speciatim Abbati Auerbodiensi *anu.* 1512. instar priuilegij concessit, non tantùm vt subditos suos à Parochiis in quibus essent instituti possent amouere, & ad cœnobium reuocare; sed etiam in parochiis degentes corrigere, ac punire: per ea tamen ait se nolle iuribus Episcopalibus, nec non Archidiaconalibus, aliorumúe quorumlibet aliàs in aliquo derogare. porrò priuilegia ordinis habere videntur, vt quoad curam animarum, & administrationem sacramentorum subsint Ordinariis; & quoad obseruantias regulares, atque aliàs Prælatis regularibus: & referuntur in eum sensum respondisse Cardinales Concilij Tridentini Interpretes, eaque de re satis egimus *in iur. Pont. nou. anal. de priuil. & excess. priuil. num.* 3. *&* 4. *de Apost. num.* 10. & in hanc sententiam ea priuilegia, & Cardinalium declarationes accipiendæ omninò videntur, vt si regulares procul à conuentu suo curam animarum gerant, locum habeat dispositio, *c.* 3. *ſ.* 6. *Conc. Trid.* vt generaliter & indistinctè regularis extra cœnobium degens, si deliquerit, ab Ordinario etiam tanquam delegato puniatur: sin autem in conuentu degentes subeant pastorales functiones ipsi Ecclesiæ conuentuali simul & parochiali incumbentes; quatenùs eas functiones attinet, subsint Ordinario; in aliis, Prælato regulari: qui est proprius casus *c.* 11. *ſ.* 25. *de regular. Concil. Trid.* quemadmodum exemptus ratione officij coram Ordinario tamen conuenitur, *vt ibidem latius probauimus.* & c. quoniam 21. *X. de priuil.* exemptionem dicit intelligendam de monachis vel clericis in ipso monasterio permanentibus, vel ad Ecclesias destinatis vtroque iure sibi subiectas. quod alij pleno iure dicunt, in spiritualibus scilicet & temporalibus, quod ibi glossa: quæ & alia conformia citat. atque ex d. c. 11. defluxisse videtur iam dicta Cardinalium interpretatio, & constitutio Greg. XV. quam *vbi supra de priuil. n.* 19. excussimus: veruntamen *vt diximus ibid. nu.* 4. praxis nostra hîc habet, vt parochi regulares foris degentes in communibus etiam criminibus, extra obseruantias regulares, ab Ordinariis puniantur: eamque natam existimem ex veriori intellectu *d. c.* 3. *ſ.* 6. *Concil. Trid.* cui aliqui ex nostratibus Episcopis interfuerant, vt nullus exemptus foris degens cuiusuis priuilegij personalis, vel regularis sui ordinis prætextu tutus censeatur, *quo minus*, inquit Trident. *si deliquerit ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* neque generalitati decreti repugnat *d. c.* 11. *ſ.* 25. *de regular.* casum proponens tantùm illius curæ animarum, quæ monasterio sit coniuncta, non foris procul à monasterio existat. eaque praxis eò magis hîc est retinenda, quod cura animarum pastoris doctrinam non secus requirat in opere & vitæ exemplo, quàm sermone. *Vide plenius in Responsis nostris de priuil. r.* 3.

CONSVLTATIO II.

De possessore triennali.

Regula, quæ vetat triennalem possessorem pacificum molestari, omne genus molestiæ excludit, tam in petitorio, quàm in possessorio. generalis enim negatiua omnia excludit. quamquam hæreat nonnihil Chokier, & quos allegat. cui rei non posset dari melior ratio, quàm ipse textus Concilij Basiliensis, fontis atque originis regulæ Cancellariæ. *non possit*, inquit, *postea in petitorio, vel possessorio à quoquam etiam ratione iuris nouiter impetrati molestari.* 1. *Regula de triennali nō suffragatur aduersùs proprium cuiusque factum, quin permutatio v. g. irritari vel suppleri debeat.*

Cæterum agit tam Concilium quàm regula Cancellariæ de litigantibus per concursum aduersarum collationum Pontificalium v. g. & ordinariarum inter se commissis.

Id quod significat forma loquendi regulæ *molestari nequeant*, nec non *impetrationes* (scilicet per aduersarios) *de sic possessis inanes decernit.* & verba Concilij Basil. etiam *ratione iuris nouiter impetrati*, & quod Ordinariis iniungat vt diligenter inquirant, ne qui sine titulo canonico beneficium possideant. Quamquam etiam Nauar. *cons.* 30. *de præbend.* post plurium annorum hæsitationem, de non titulo fieri titulum, & beneficium suum facere possessorem triennalem pacificum contendat.

Et verò cur irritæ erunt & inanes impetrationes aduersùs triennales factæ, quod ait regula, nisi Ecclesia illos velit iure præscriptionis huiusmodi sua fecisse beneficia? quæ, vt nec in incerto semper esse vult, ita nec vacare vltra præscriptos iure terminos; & tamen non vult impetrari; ea repugnantia sanè facit, vt velit etiam ea fieri possessorum, adeoque iam fieri titulum à regula approbatum. *l. vbi pugnantia. D. de reg. iur.* iustè porrò possidet, qui iure, vel Iudice authore possidet, dummodo non intrusus, non simoniacus, sed bonæ fidei sit, eoque Episcopo etiam post triennium exigenti, est titulus exhibendus.

Enimuerò si quis permutationem iniit cum alio, & dolo eum decepit, asserens capellaniam permutatam liberam esse à certis oneribus, quæ v. g. à multis annis non erant exacta, post annos septem pacificæ possessionis Episcopus visitans declarat oneribus subiectam, quare ob dolum petit rescindi permutationem, seu nullam declarari, & sibi ad pristinum beneficium permitti regressum: opponit alter Regulam de triennali: negat hic eam obtinere, atque esse extra casum regulæ, quæ de aduersariis agit ex diuersis collationibus, non de actionibus competentibus partibus ex suo ipsarum facto, quæ sunt perpetuæ.

Benè itaque Rebuffus *praxi benef. l.* 3. *de caus. resig. irritant.* refert dolum primo loco inter 2. *Dolo inductus regressum habet.*

inter causas irritantes, & *n.9.* inquit, *non inuadabitur ergo dolo promissus decreto de pacificis possessoribus, vt scripsi n.155. per tex. in c.1.15.q.6. &c.* Itaque qui dolo est inductus ad resignandum, regressum habet ad pristinum beneficium. *Vt ibidem n.11.12.*

Quod si autem non dolo inductus sum vt resignarem, sed paratus permutare, inductus vt tecum, seu cum tuo beneficio id facerem, quod asserebas liberum; tunc dolus non dat causam actui; sed tantùm interuenit circa onus annexum negatum, vel dolo vel per ignorantiam etiam subticitum: non ergo ratio est vt tota permutatio rescindatur; quæ tota dolo

3. Si permutationi dolus dumtaxat interuenit præstatur indemnitas.

inita non est; sed per formam actionis, quæ de euictione competit, præstetur indemnitas. sic actio in factum vel de dolo datur pro indemnitate: *l.rei.33. D. de dolo*, pro eo quod interest: *l.18. §.1.ibid. l.1.ibid.* prætor subuenit, ne *vel illis*, inquit, *malitia sua sit lucrosa, vel illis simplicitas damnosa*: non ergo vlterius: atqui hic resignans non habet quod accuset quàm subticitum onus. sed neque redhibitoria actio ob quodlibet vitium competit *l.1.§. proinde.l.4. in fin.l.49. D. de adil. edict. l.4. C. eod. l.13. in prin. D. de act. empt.*

4. Impedimentum etiam à Reg. excipitur.

Quo in casu etiam animaduertendum est Concil. Basil. excipere legitimum impedimentum à præscriptione triennali, atqui hic non potuit agere ante Episcopi inquisitionem, qui antè non molestabatur, nec de oneribus sciebat, vnde ab eo tempore curreret tantùm ei triennium.

5. Cui debetur tamen indemnitas agẽs ad rescissionem nõ reijcitur sed temperatur petitio.

Sed egit hic actor simpliciter ad rescissionem, & regressum, non ad indemnitatem, an ob talem conclusionem reiicietur? Sane *l.5. 10.11. C. de rescind. vendit.* indicare videtur actum ipsum dolosum rescindi, sed quasi per exceptionem vlterius rescissionem temperari æstimandum est, pro ea parte, qua dolus nocuit: itaque non malè instituta actio videtur, sed exceptione temperanda, quæ est etiam æquitas.

6. Etsi tantùm culpa subfuit.

Quod si autem non dolus probatur, sed culpa tantùm vel excusabilis etiam ignorantia; tunc minus quidem institutæ actionis formula quadrat, sed tamen æquitas læso fauet.

Itaque pronuntiandum crederem absolui quidem à formula actionis reum, quatenus egit ad simplicem rescissionem, & admissionem denuò ad renunciatum beneficium: sed tamen simplicem permutationem redigendam ad compensatoriam, sub authoritate legitima, subiciti oneris, & eatenùs & non vlteriùs rescindendum actum. Et maximè hæc, quia versamur in causa beneficiali; In qua de plano, sine figura iudicij proceditur. *Clem. dispendiosas de iud.* & in quali valde officium Iudicis, & æquitas præualet: *Clem. sape.§. interrogabit. de verb. signif.* vt supplere possit omissam clausulam salutarem, eò causam per interrogationem ducendo.

7. Neque ob id à forma petitionis deuiat forma pronuntiationis.

Quamuis autem eadem Clem. *sape*, ait, *iuxta petitionis formam pronuntiationem sequi debere*, id tamen idem est tantum, quod ait *c. licet X. de simon. vt iuxta iudicij formam, sententia quoque forma dictetur*, vt (quod ibi agitur) alia forma pronunciationis sit, cum ex denuntiatione, alia cum ex inquisitione, alia cum ex accusatione proceditur: non verò vt ea verbotenùs inuicem respondere debeant. Quare eadem Clem. *sapè* iunctim ita repetit, *sententiam proferat etiam conclusione non factâ, prout ex petitione* (non sola sed) *& probatione, & aliis actitatis in causa fuerit faciendum.*

Sed & Paulus I C. *in l. bouem. §. aliquando. D. de adil. edict.* valde æquè *aliquando*, inquit, *etiam redhiberi mancipium debebit, licet astimatoria, id est, quantò minoris agamus* (idem vice versa dicendum vt hic) &; *licet æstimatoria actum sit; officio tamen Iudicis continebitur, vt reddito mancipio pretium recipiatur. vbi & glos. in verb. officio similia citat.* 8.

8. Idque obtinet in æstimatoria & redhibitoria.

CONSULTATIO III.

Beneficium irritè obtentum canonicè permutatum & alteri ritè collatum, an reuocatur?

1. Collatio beneficij ordinem actu requirentis facta illum non habenti Irrita est.

Collatio beneficij requirentis ordinem subdiaconatus ex fundatione præuium, quamuis fundator non adiecerit pœnam nullitatis, quamuis via permutationis fiat, irrita fuit aut saltem irritanda, quæ facta fuit illum ordinem non habenti. *ex Concil. Trid. s.7.c.3. s.25.c.5. & decretalibus ab eo citatis*: *VVanies. cons.18. Azor. inst. moral. part.2. l.6.c.5. & seqq. & alij passim.*

Cæterùm si ignorans ille fuerit incapax, adeoque deceptus à compermutante, debebatur ei regressus ad beneficium suum, cum alterius per ordinem & ætatem non erat capax.

Cum verò Capitulum seu collator, qui conditiones sui beneficij nosse debet, inhabili contulit, qui deinde cum alio habili permutauit conferente ei rursus Capitulo, non est cur idem Capitulum aliquid possit queri; sed imo poterat incidere in pœnas. *d.c.3. & c. graue ibi citati*, ex priori quidem collatione, in secunda autem habili conferendo nihil peccauit.

Et collatio beneficij, quod inhabilis possidebat, facta habili, etiam ex causa permutationis omnino subsistit. Vitium enim inhabilis permutantis personale est, & beneficium non afficit, quod habili ritè iam & rectè collatum est. qui queri de qualitate beneficij non potest, cum eam ipse habuerit, eiusque tamen solius querela foret; *Rebuff. in prax. benef. de permutatione n.14.* dummodo non fuerit fraudulenta, & beneficij de pertica permutatio, qualem Pius IV. reprobauit *constitutione quam refert P. Matthaus in Sept. decretal. lib.1. t.15. c.5.*

2. Dummodo culpa absit: Dummodo etiam hæc permutatio vltima, & collatio habili facta præcesserit collationem Romanam. nam si secus acciderit, & beneficium apud inhabilem existens Pontifex tanquam de iure, quamuis non de facto, vacans contulerit, aut in vim *d.c.3. d.c.graue* non carebit res difficultate.

3. Per ignorantiam non culpabilem. Quod si sine culpa ignorata fuerit ea qualitas ab vtroque primo permutantę, contendi posset ex ratione & mente *c. vnic.de permut. in 6.* non fuisse locum collationi Pontificiæ, quod actus agentium non operentur vltra eorum intentionem; quæ fuerit, vt alter alterius assequeretur beneficium, nec aliter, aliàs, nec alio modo resignaretur: & solent etiam ea verba in instrumentis permutationum expressè poni, & *d.c.vn.* effectum permutationes sortiri omnes vult, quæ citra fraudem initæ sunt. sed abesse culpa vix præsumetur, nisi ex contraria fundationi possessione aut quod literæ fundationis alicubi delituerint, aut inspici non potuerint, similiúe ex causa. cum quisque scire debeat conditionem eius cum quo contrahit, multò magis rei super qua contrahit.

4. Quæ etiam collatorem excusat. Quali casu etiam Capitulum excusare se posset quoad primam collationem, vt extra culpam & pœnam *d.c.3. & d. c. graue* esse videatur, & sic in secunda collatione posita è contrario in possessore inhabili culpa, & scientia qualitatis, quam non habebat, & beneficium exigebat; videri posset non ipsum Capitulum arctasse conceptam à partibus permutationem, ideoque cum in necessitate nemo præsumatur esse liberalis, aut donare; faciendo collationem, quam putabat necessariam, non excidisse iure collationis liberæ, quam habebat ad conferendum alteri cui luberet: dummodo à die scientiæ non sit lapsum tantum tempus, vt deuolutioni locus factus fuerit. dummodo etiam Pontifex non contulerit iure præuentionis. sed iterum non præsumetur Capitulum ignorasse qualitatem sui beneficij, nisi præclaram suæ ignorantiæ causam probet. ante quam probationem neutri collationi à se factæ contradicere posse credetur: vt nec poterit, quod dictum est, compermutans qualificatus, cui nihil est ex ea qualitate incommodi; sola itaque difficultas est à Romano prouiso: grauis quidem si obtinuerit collationem à Pontifice ante vltimam à Capitulo factam habili.

De his quæ fiunt à maiori parte Capituli.

CONSULTATIO I.

De Regularibus in communi administratione malè versantibus.

1. Regulares in communi rerum administratione malè versantes, vt suspecti suffragio impostèrum priuari possunt, & administratione, voce actiua & passiua ad biennium in rem suam quid vertentes, aliisque pœnis.

Quidam regulares canonici vbi ex more cœnobij bona communibus suffragiis administrantur, cum agricola pacti sunt se curaturos vt prædium ei locaretur, si extra rationes monasterij ipsis in rem suam certa summa daretur; qui eam addixit Prælato inscio, & soluit; iique in vsus suos verterunt: quæritur quid de his iure sit statuendum?

Duo vitia in hunc actum concurrunt: alterum infidelis administrationis; alterum transgressionis votiuæ paupertatis.

Itaque cum administratores rerum Ecclesiæ tutoribus & curatoribus comparentur, & Ecclesia minorenni, ad illiusque modum debeat seruari illæsa; *c.1.X de in integ.restit.*

Leges autem suspectum tutorem, non ex fide gerentem, fraudulenter in rebus pupillaribus versantem, eas in vsus suos vertentem, puniunt dupliciter, ciuiliter, & criminaliter: ciuiliter: vt præter restitutionem eius quod in rem suam vertit, seu quomodocumque pupillo damnum dedit, *l.in princ. l.1.§.fin.l.2.§.fin. D.de tut.& rat distrah.l.quicquid.7. C.arb. tut.* remoueatur ab officio: *§. nouissimè instit. de suspect. tutor. l. tutor. §. nunc videamus. D. eod.* criminaliter autem; vt ob fraudes à Iudice grauiter puniatur: *l.1.§ si quis.D. eod.§. libertus instit. eod.* quod autem dicit *d.§.si quis* grauiter, propius exprimit lex *nisi C. de administ. tutor.* vt sit arbitrio præsidis puniendus; adeoque expensis omnibus circumstantiis, & præsertim rei in vsum suum versæ, & damni dati quantitate ponderatâ.

Ad eandem rationem administratores Ecclesiastici in officio malè versantes omnimodo sunt puniendi. *c.quicumque.12. q.4.c.2. 12. q.2.l.iubemus.§. œconomos. C.de sacrosanct. Eccl.* adeò vt & superior fraudulenter, & prodigè administrans, etiam Abbas, ab administratione amoueatur. *c.ea quæ. X.de stat.monach.c. in singulis ibid.* quæ cc. etiam in regularibus Canonicis obtinent. *d.c.in singulis.§.hoc ipsum.* atque ita remoueri etiam possunt regulares hi fraudulenti impostèrum, vt suspecti tutores; si soli vt œconomi, gerant negotia, ab officio: sed si communiter; à communibus deliberationibus super rebus cœnobij administrandis, & elocandis, vt in iis suffragium deinceps ferre non possint.

Super 2. actus consideratione dicendum est in omnibus religiosis affectatam proprietatem esse punibilem; *c. non dicatis. 12. q.1.c. monachi. c.cum ad monasterium. X. de statu monach.* etiam in canonico regulari: *c. super quodam. X. eod. d. c.monachi vers. quod etiam de vniuersis religiosis præcipimus obseruari.* quod tam rigidè aliquorum Ordinum instituta accipiunt, vt sicut D. Augustinus *in d. c. non dicatis, certum est*, inquit, *nostræ congregationis fratres nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere*; & D. Benedictus *in reg.c.33. ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omninò rem, codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò*: vt etiam votum paupertatis offendatur re quamuis exiguâ, in proprietatem sumptâ, sed tamen ex quan-

2. Et pecunia corrupti tanquam proprietarij puniti.

ex quantitate surgit veniale tantùm, secundùm benigniorem sententiam; aut mortale peccatum: illud ex exigua; hoc ex notabili. atque hanc quidam ad aureos vnum vel duos saltem extendunt; eam summam omnium censura præstare grauem materiam mortali peccato tradit Thomas à Iesu *in comment. de statu monach. p.3.c.6.* vbi *ad fin.* etiam resoluit in mortale incidere plures etiam religiosos simul notabilem quantitatem sibi sumentes, quę diuisa singulis non esset notabilis quantitas: quia singuli ita peccant, ac si totam sibi solis sumerent. cui accedit, quod fraus singulos fraudulenter agentes, vt generatim delicta, obligat in solidum. & refutat excusationem reorum, quod res conuentus sint communes; quia negat ita esse communes, vt inde quis sibi sumere possit, cui, & prout lubet; sed tantùm prout Superiori placuerit distribuere. *ex d.c.non dicatis in fin.*

De pœnis eorum qui vitium proprietatis committunt ne multis dicamus: eas persequitur idem Thomas à Iesu *in comment. vbi supra, p.2.c.2.* & imprimis ex D. Augustino *ibid. & p.1.c.vlt. in fin.* ea citat verba ex regula, quæ desunt in Decreto, *in d. c. non dicatis. si quis*, inquit, *rem sibi collatam celauerit, tanquam fur erit iudicandus.* quæ verba *d.c.2.* sic transfert; *furti iudicio condemnetur*: sicut lex 1.§.*pen. D. de tut. & rat. distrah.* dicitur tutorem, qui intercepit pecuniam pupillarem, furti teneri. adeoque vt in fure pro quantitate furti exarcerbantur pœnæ; sic & in hoc casu statuendum est. 2. ab altari & sepultura remouet huiusmodi reos *d.c. monachi*, & Canonicos etiam regulares *d.c. super quodam.* & 3. *d.c. cum ad monasterium*, monasterio expelli, nec nisi pœnitentes secundùm monasticam disciplinam recipi mandat, & mortuos itidem à sacra sepultura arceri, & refert D. Gregorium in Dialogis ita fecisse: scilicet *c.55.* vt citat Thomas *à Iesu d.c.2.* illiusque verba refert, ex quibus constat ob tres solùm aureos monachum ab eo in sterquilinio sepultum. additque ex *Nauarro* apud Carthusianos idem fieri ob duodecim denarios: apud Discalceatos insuper abdi viuos in carcerem duorum mensium. & ex concessione Sixt. V. Greg. XIII. Clem. VIII. reorum expulsionem, si non emendentur: conformiter ad *d.c. cum ad monasterium.* Tandem Concil. *Trid. s.24 de regular. c.2.* priuat per biennium voce actiuâ & passiuâ religiosos proprietarios, atque insuper mandat iuxta suæ Regulæ, & Ordinis constitutiones puniri.

3. Et vt fures.

4. Pro furti quantitate.

5. Ab altari & sepultura arceri.

6. Monasterio expelli.

7. Ob quam quantitatẽ?

8. Proprietarios Tridẽt. suffragio priuat per biennium.

9. An vlterius possint?

Quod porrò quæritur an huiusmodi vocis priuatio fieri possit perpetua, aut ad diuturnius saltem tempus? respondendum est, 1. si regulæ aut Ordinis constitutiones id insuper permittant statui in huiusmodi proprietarios; id fieri posse: sin minùs; ex capite infidelis administrationis remoueri, vt tutorem suspectum, perpetuò posse ab administratione; vt de œconomis & Abbatibus supra diximus; non autem generatim perpetuò priuari voce actiuâ & passiuâ; vt ex capite proprietatis priuat Trident. *d.c.2.* ad biennium, quia communis regula traditur per Iudicem pœnam priuationis non posse imponi, vbi in iure expressè non imponitur; sed quoad deliberationes communis administrationis rerum Ecclesiasticarum per suffragia dirigi consuetæ, priuari possunt perpetuò, vel ad plures annos, vt de tutore suspecto iure expressum est.

10. Aut tanquã coniunctis curator eis dari.

Nisi fortè superiori benignè placeat considerare, quod dicitur in *l. si tutor. D. de suspect. tutor.* vt si aliquo vinculo necessitudinis tutor pupillo coniunctus sit, curator ei potius adiungatur, quam notatâ fide & existimatione remoueatur: adeoque cum religiosi quilibet eâ necessitudine monasterio coniuncti habeantur, ac si essent filij; potius benè increpiti, ac aliàs correcti, aliquem prudentem ac seniorem habeant, qui in huiusmodi deliberationibus instar curatoris eis adiungatur, cum eoque deliberationes, & suffragia sua communicent.

11. Et emendari recipi?

Præsertim si dolentes pœnituerint, & secundùm disciplinam regularem emendari voluerint. quo casu *d. c. cum ad monasterium.* & excommunicatos, & expulsos in gratiam recipit.

De rebus Ecclesiæ non alienand.

CONSVLTATIO. I.

De bonis minorum quibuscum Ecclesia comparatur non alienandis.

1. Prohibita cum sit alienatio ritè factam possessor debet probare.

CVm de genere prohibitorum sit per Orationem Imp. Seueri (cuius substantia exstat *in l.1. D. de reb. eor.*) minorum prædia vendi; ad possessorem, qui in exceptione se fundat, spectat probatio rationum ob quas velit astruere legitimam esse alienationem. *l. 16. in verb. emptor. si probare potuerit. C. de præd. min. l.13. vers. qui à pupillo emit, probare debet tutore authore, lege non prohibente se emisse. D. de publ. in rem act.*

Licitum verò demùm est distrahi prædia minorum his tribus legitimè concurrentibus; necessitate, Iudicis decreto, & authoritate tutorum. Quæ deinceps examinanda sunt, an in alienatione de qua agitur, interuenerint. Nam de læsione nihil attinet dicere, quia *superuacuum est*, inquit, *l.11. C. de præd. min. de vili pretio tractare, cum Sc^ti. authoritas retento dominio alienandi viam obstruxerit.*

2. Examinãda necessitas.

Necessitate comprehenditur æs alienum, quod solui debet, & aliter non potest. *Ob æs*, inquit, *l.12. C. de præd. & aliis reb. minor. alienum tantùm causâ cognitâ Præsidiali decreto, prædium rusticum* (de eo enim Oratio egit, interpretatione, postea ad vrbanum extensa *l.22. & vlt. C. de adm. tut.*) minoris distrahi permittitur

titur *d.l.1.§ si as*, *Pretori enim non liberum arbitrium datum est distrahendi res pupillares*, *sed ita demum si Vrgeat as alienum.D.de reb.eor.*

Æs alienum requirit Oratio: & tantum, vt ex rebus cæteris non possit exolui. Pupillare debitum hîc non fuit, ideò quod Actorum mater nata, & coniugata fuerit Antuerpiæ, adeoque huius vrbis iure ipsa hæredesque ipsius mariti seu familiæ debitis non obligabantur; sed repetere integram dotem, præferrique creditoribus poterant, prout non hic tantùm; sed & in Parlamento Mechliniensi, & in Concilio Brabantiæ iudicatum est sæpius.

Tantum autem esse æs alienum, vt ex cæteris rebus solui non possit, sciri non potest, nisi confecto statu, & bonorum inuentario; in quo ad bilancem bonorum expendantur onera, debita ad nomina, & credita: & quorum momenta præponderent; quorum nihil hic factum est.

Neque id necessarium nòn esse probatur per *l.magis puto. §. imprimis. D. de reb. eor.* in verbis; requirat *ergo necessarios pupilli, vel parentes vel libertos aliquos fideles, vel quem alium qui notitiam rerum pupillarium habeat, aut si nemo inueniatur aut suspecti sint qui inueniuntur, iubere debet edi rationes*; quasi non aliter rationes sint edendæ, quàm si aliunde instructio haberi nequeat.

3. Facto inuentario, exhibito, &c. Sed aliud dicit lex, aliud intenditur: non dicit lex non aliter edendas rationes; minus dicit quod intenditur confectas non esse debere rationes, synopsin, repertorium, seu inuentarium: quippe omnimodo illud tutoribus præcipitur; alioquin in dolo esse dicuntur, & contra eos in litem iuratur. *l.tutor. qui D.de administratione tutor.* vbi & illud omninò inculcatur, *nihil itaque*, inquit lex, *gerere* (minimè omnium ergo ad alienandum decreta postulare) *ante inuentarium factum, eum oportet, nisi id quod dilationem nec modicam expectare possit.*

Procul dubio ergo confectum erat in casu istius legis inuentarium, & à tutoribus Prætori exhibitum.sed cur ergo iubet prætor edi? ratio in verbis his est; *requirere debet qui se instruat de fortunis pupilli, nec nimium tutoribus vel curatoribus credere, qui nonnumquam lucri sui gratia asseuerare pratori solent necesse esse distrahi possessiones, vel obligari.* Prætor ergo necessarios pupilli, aliosque qui notitiam rerum pupillarium habent, examinat super fide tutorum qui æs alienum allegant, nec eis mox super eo, quamuis titulo tenus allegato, *vt ait d.l.5.§. ne tamen*, & in inuentarium relato, credit, sed disquirit, per eos, qui notitiam habent, aut si tales non inueniuntur, *iubere debet*, inquit lex, *edi rationes, itemq; synopsin bonorum pupillarium* (quo fine? sequitur;) *aduocatumq; pupillo dare, qui instruere possit Pratoris religionem; an assentire venditioni debeat.* antea ergo tutores apud Prætorem rationes, & bonorum synopsin proposuerunt: sed edi eas Prætor aduocato pupilli iubet; qui examinet, tanquam à Prætore constitutus tutorum in hac causa aduersarius.

Edere enim est aduersario copiam facere: *l.2.l.6.§.edi.D.l.3. C. de edendo.* Nihil ergo hæc lex astruit eius rei, ad quam ea diuertitur; sed ratum illud manet, sine statu & bonorum inuentario sciri non posse constitutionem domus mortuariæ; credita, debita, expendi quæ exuperent; an alienationem requirant. Prætori ergo constare de iis non potest, quæ sciri sine inuentario non possunt.

Itaque (quod ad secundum requisitum pertinet) causæ cognitio accedere, & præcedere decretum debet. quod latè & variè Vlpianus discutit *in d.l.5.§.si pupillus. §. quærere. §. idem Prætor. §. sed si. §. imprimis. §. requirat. §. ne tamen §. si as. D.de reb. eorum*, vbi ea in re Prætoris vigilantiam iterùm atque iterùm, & sæpius inculcat, & speciatim, *nec non*, inquit, *illud vigilanter obseruare debebit, ne plus accipiatur sub obligatione prædiorum fœnoris, quam quod opus sit ad soluendum as alienum, aut distrahendum arbitrabitur: ne propter modicum as alienum magna possessio distrahatur.* 4. Post causæ cognitionem decreto opus.

5. Aliàs manet pupillis dominium & vindicatio. Oratio etiam Seueri addit salutarem pupillis hanc clausulam: *manente pupillo actione, si postea potuerit probari obreptum esse Pratori.* quam Vlpianus *d.l.5.§. manet*: sic explicat; *sed videndum est vtrum in rem, an in personam dabimus ei actionem; & magis est vt in rem detur, non tantùm in personam aduersùs tutores siue curatores.*

In signum euidentis nullitatis ex omissa causæ cognitione, & dominij à pupillis in emptores non translati: sine quo non procedit rei vendicatio, quæ hic pupillis conceditur. *d.l.5.§. ne passim. Senatusconsulti authoritas*, inquit, *l.11.C.de prad.minor. retento dominio alienandi viam obstruxit l.16.eod. l.5. C. eod.l. cum hi.§.si Prætor. D.de transi. si Prætor*, inquit, *aditus citra causa cognitionem transigi permiserit, transactio nullius erit momenti. Pratori enim ea res quærenda commissa est non negligenda nec donanda.Sed etsi non de omnibus inquisierit qua oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, de personis transigentium, dicendum est, quamuis de quibusdam quæsierit, transactionem esse irritam.*

6. Nullitas ex præscripto Iudicis omisso, & causæ cognitione. Quæ nullitas multò magis procedit, si non contra ius tantùm, sed & iussum Iudicis processum sit. *l.7.D.de reb eor.§.si prator* in verbis, *& mea fert opinio eum, qui aliud fecit, quam quod à Prætore decretum est, nihil egisse. c.cum dilecta de rescript.*

Porrò in hac causa nulla causæ cognitio adhibita est, sed ad solùm libellum permissa vendi quadraginta sex bonaria siluarum, pascuorum, & aruorum, siue terrarum arabilium, nullo præuio, vt dictum est, statu aut inuentario, cum etiam nullum debitum pupillare existeret sed paternum dumtaxat. & quamuis fuisset pupillare (quod non) quoad quantitatem debiti obreptum esse, vel solus effectus docet, cum statim atque maiorennis factus est eorum frater N. & cepit ipse negotia excutere, & dignoscere, impediuit alienationem destinatam, & in eodem prætenso decreto, cuius

vigore distractum est prædium controuersum, permissam duodecim circiter bonariorum, quæ ab alienatione, & interitu, seu iactura præseruauit. Vnde liquet quam contra *totam d.l.5. & specialiter contra d. versic. nec non illud vigilanter*, processum sit. Causæ autem cognitio, non in allegatione & auditione, sed inquisitione & probatione consistit. quare *l.6. C.de præd.minor.* inquit, *venditio delato ad præsidem prouinciæ libello fieri non potuit, cum ea res confici aliter non possit nisi apud acta causis probatis*, quæ venditionis necessitatem inferant, & decretum solemniter interponatur, hic autem nihil apud acta probatum est.

Processum etiam est contra formam specialem per sententiam Concilij Brabantiæ datam 24. Septembris 1604. præscriptam, vt scilicet prætensi tutores post factam diligentem informationem super statu & constitutione hæreditatis, tractarent prout minoribus vtilissimum foret, ideoque statu non confecto, bonorumque repertorio, rerum debitarum, & nominum inuentario, subsequitur nullitas, de qua *d.l.7.§ si prætor versic.& mea fert opinio d.c. cum dilecta. X.de rescript.*

7. Omissa excussione mobilium.

Accedit quod Oratio Seueri, tunc demùm prædia distrahi permittit, cum æs alienum tantùm erit vt ex rebus cæteris non possit exsolui. *d.l.1. vers. Quod si fortè.* & in hoc negotio omninò è contrario actum est, nam omnia mobilia, omnia credita, nominaque actiua & immobilia acquisita prius ante omnia soluendis debitis impendi debebant, & tum demùm auita prædia.

8. Vt vltimo ad immobilia deueniatur, & inter hæc ad auita.

In auita enim cadit affectio *l.lex 21. C.de admi. tut.§. nec verò.* ob quam plerisque locorum consuetudinibus retractus gentilitius inductus est. & in *c. constitutus. X. de in int. restitut.* probatus, & ex sacris literis deductus, *quas citat Tiraquell. in præfat. ad retract. gentilitium. n.7.* vbi etiam *post Lucam de Penna ex D.Hieronymo* docet, antiqui testamenti tabulis illicitam fuisse patrimonialium bonorum alienationem. Adeoque quando ineuitabilis necessitas vrget, saltem non nisi vltimo loco ad ea deueniendum est. Vnde & multis in locis per consuetudines, sicut feuda, in subsidium tantùm, ad soluenda debita tenentur, cum mobilia, credita, & conquæstus non sufficiunt.

9. Probatione causarum nō leui informatione opus.

Friuolum autem est quod contenditur informationem præcessisse, quia in libello prætensorum tutorum narretur scabinos esse informatos, & super eo quasi ab illis agnito, securum sit prætensum decretum: quia dicit *d.l.5.§.imprimis.11. non oportere nimium tutoribus vel curatoribus credere.* quin nec narratiua verba probant. adeò vt Pontifex in *Clem. literis de prob.* de iis mandet narratiuis suarum literarum tantùm credi, quæ coram ipso gesta scribuntur. quod nec ipsum quidem in Gallia seruari tradit Bugnion *des loix abrogées l.2. sec.144.*

10. Nō alienandum ad pretiū bene collocandum.

Nec hæc iustificat quod cauerint scabini, vt id benè collocaretur, quod superforet: quia eo in casu dicit *d.l.5.§. si æs alienum non interueniat, tutores tamen allegent, expedire, hæc prædia vendi, vel alia comparari, vel certè istis carere, videndum est an Prætor eis debeat permittere, & magis est ne possit: Prætori enim non liberum arbitrium datum est distrahendi res pupillares, sed ita demum, si æs alienum immineat,* Quamquam in casu præsenti, vt in casu *d.§.* nulla erat vtilitas, quæ suaderet vendi prædium auitum; vt ex pretio residuo compararetur nouum periculis euictionum, aliisque obnoxium.

Malè etiam argumentatio procedit ex *l. sciendum de verb. obligat.* quod generaliter inquit Vlpianus, si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solemniter acta. *l. sciendum de verb. obligat.* & dum dicitur promisit Titius Sempronio, præsumitur quod promissionem præcesserit interrogatio: ergo etiam ad interpositionem decreti Iudicis instructio. 11. Non præsumi solemnitates.

Quia hæc solùm procedunt cum natura contractus id infert: & hoc est quod Doctores dicunt solemnitatem intrinsecam præsumi, non autem extrinsecam. Intrinseca autem est, quàm prolatorum verborum natura necessario comprehendit, & sine qua verificari non potest verbi significatio, quæ latè examinat Menoch. *de præsump. lib.3. præsumpt.132. vbi, & n.28. & sequentib.* extrinsecas solemnitates non præsumi docet: & nominatim non interuenisse præsumi in alienationibus prædiorum minorum, vel Ecclesiæ, probaturque per *l.quacumque.§. vlt.de publiciana in rem act.l. si ita stipulatus. § Chrysogonus. D. de verb. obligat*: & fauet ratio, quod solemnitas extrinseca sit quid facti; & facta non præsumantur. quam præsumptionem, nec cursu quidem 40. annorum induci cum de alterius præiudicio agitur, & pars altera negat interuenisse, voluit Villagut. *de reb.Eccl.mal.alien.lib.2.c.5. n.71. & sequentib.Menoch.vbi supra.* 12.

Quod porrò spectat ad alteram partem secundi requisiti, decreti scilicet; exigitur magistratus ille, ad quem spectat de alienatione prædij minoris decernere. Opus decreto magistratus.

Sed hîc à magistratu competenti interpositum non est decretum; adeoque tanquam à non magistratu, à non Iudice factum nullius momenti est, quod actum est. *l.1.2.3.4.C.si à non competente Iudice.* 13. Competentis.

Tertium requisitum est vt accedat veri tutoris authoritas. *VVesemb latè & multos allegans in paratitlis n.5. eod. vnde qui neque* inquit, *l.8. D. de reb.* eorum, *tutores sunt ipso iure, neque curatores, sed pro tutore negotia gerunt, vel pro curatore; eos non posse distrahere res pupillorum vel adolescentium, nulla dubitatio est.* 14. Tutoris authoritate.

Huc pertinet statutum B. vt bona minorum immobilia alienari non possint, nisi cum interuentu septem tutorum iuratorum, qui iurent minoribus satius esse prædia distrahi.

Quod quidem statutum summam rationem habet vt cautè procedatur in prædiis minorum distrahendis; fundamentum verò, atque originem fortè *in d.l.5.§. requirat ergo necessarios pupilli. D.de reb.eor.* sed preciliorem obseruantiæ necessitatem statutum iuri adiungit. affir-

affirmatiuè enim tantùm ius commune procedit, requirat necessarios pupilli, &c. statutum negatiuè, non aliter prædia minorum alienari possint; quàm septem tutoribus interuenientibus, &c.

15. Statuti stricta obseruantia.

Quæ forma statuti præsertim negatiuè concepta, si precisè non obseruetur, cum sit esse rei, inficit atque nullum reddit omne negotium quod secus gestum erit. *quæ est vulgaris DD. conclusio in & per l. non dubium. C. de legib.* ex eademque lege generalius deducitur, & specialius infertur *ex l. 11. C. de præd. minor. l. 16. l. 5. C. eod.*

Et quia forma statuto, vel Principum edicto ad malignitates euitandas requisita, substantialis est: si ad amussim non seruetur, actus corruit; eiusque omissio in qualibet etiam minima parte actum reddit nullum. *l. Iulianus. §. si quis. D. ad exhib. ibi Bald. in l. comparationes. C. de fid. instrum. & in l. humanum. C. de legib. Decius consil. 455. n. 4. Paris. Consil. 19. vol. 2. Rolandus à Valle cons. 30. vol. 3. n. 1. & seqq.* estque ita indiuidua, vt eius diuisio actum corrumpat. *Bald. in l. si seruus. D. si quis cautio.*

16. Quamuis contradictorio iudicio non firmati.

Quod autem contenditur *per l. 34. D. de legib.* ad inducendam consuetudinem requiri, vt contradicto aliquando iudicio firmata sit, valde erratur. neque enim id dicit lex requiri, sed per id firmari: quod firmatur, præexistit: & reuera sententia declarat potius consuetudinem quæ est; quam faciat eam, quæ non est. *bene Busius ad l. 32. n. 5. post Barth. & Iason. ibid. Gail. lib. 2. obseruat. 31. n. 8. Mynsing. lib. 6. obseruat. 41. n. 15.*

17. Nec emologati.

Emologatio autem Principis nullo iure requiritur; sed sufficit populi consensus. *d. l. 32. D. de legib. l. 3. C. de longa consuet.* quare & in perpetuo edicto *anni 1611. articulo 1.* omnes locorum consuetudines mandantur Curiæ transmitti, vt post examen emologentur. non quia non obligent; sed, vt dicit edictum, vt probationum sumptus vitentur: quod autem probandum indicitur, vtique, si probatum erit, vires habet.

Omittimus plura alia, quæ DD. sub pœna nullitatis in huiusmodi alienationibus requirunt. qualia octo recenset Afflictus *decis. 249. ex vniformi conclusione Concilij. cui etiam consonat decisio 87.* quæ hîc non interuenisse, ex causæ deductione patet.

Sed illud ante omnia requiritur, vt alienationem necessitas, inquisitio, & decretum magistratus, & quæ eo spectant, præcedant. *d. l. 1. D. de reb. eor. in verbis. Tunc prætor adeatur qui pro sua religione æstimet. d. l. cum hi. §. si Prætor. D. de transact. l. lex quæ tutores. C. de administrat. tutor. in verbis; ne liceat vendere nisi fortè hac necessitate, & lege*, & infra; scilicet, per inquisitionem Iudicis, & probationem causæ, interpositionemque decreti.

Et infra; *iam ergo venditio tutoris nulla sit sine interpositione decreti. l. si pupillor. §. 1. D. eod. & notatur in l. cum lex D. de fideiussoribus. & in d. l. ob æs. Afflict. in d. decis. 249. ad fin.* sed & præuia hæc sint oportet. *§. tutor. institut. de author. tutor. in verb. post tempus verò vel per Epistolam interposita tutoris authoritas nihil agit.* è contrario hæc venditio prædij controuersi inquisitionem, & Iudicis decretum præcessit.

Reliquum est vt paucis soluantur obiecta.

Prima obiectio est illa, quod bona minoribus cum maioribus communia alienari possint, & prouocante maiore debeant.

18. Bonorū minorum diuisio permissa sed nō in alios alienatio.

Ad necessitatem quidem alienandi spectat diuisio bonorum communium. *l. 1. §. si com. l. 5. §. fin. l. si pupillor. D. de reb. eor. omnes. l. 17. C. de prædiis & aliis rebus minor.*

Sed Seueri Oratio *in d. l. 1.* id non simpliciter permittit; sed his tantùm verbis vtitur; *si communis res erit, & socius ad diuisionem prouocet, nihil nouandum censeo*, id est, nihil noui iuris statuo, non nouo iure vtetur minor, sed communi, quod est in *l. fin. C. communi diuidundo* ne quis inuitus in societate, vel communione detineatur.

Diuisio hæc alienationem continet eatenus, vt cum duo v.g. prædium integrum vtrique indiuisum possident, diuisione factâ singuli medium in solidum possideant, alienato iure, & in socium translato, quod in altera media minor possidebat, prout vice versa minori altera pars obuenit.

Vlterior vel in tertium alienatio nullibi permittitur. & hoc est quod dicit. *§. final l. 5. D. de reb. eorum. commun:a*, inquit, *prædia accipere debemus si pro indiuiso communia sint* (vt scilicet obtineat d. §. si communis) *cæterum si pro diuiso communia sint cessante oratione* (scilicet illius parte quæ est in §. si communis) *decreto locus erit*, id est, Prætor adiri debebit, vt decernat iuxta priorem partem Orationis. nam quod *excepit Oratio*, inquit, *l. 8. D. de reb. eor. ad hoc tantùm pertinet, vt permutatur communio.*

19. Minor autē ad diuisionē non potest prouocare.

Quod si autem factâ à maiori prouocatione, res non erit diuisibilis; non est aliud ius pro minoribus quàm pro maioribus constitutum: sed aut seruare oportebit l. sancimus §. *ne autem. C. de donat.* aut quod *post Baldum & Iasonem* tradit Wesenbecius *in paratit. ff. communi diuidundo. n. 5.* vt scilicet aut vni addicatur res, & alteri pretium; aut distrahatur, ad maiorem vtriusque vtilitatem: prædium porrò hoc satis erat diuiduum; si ad diuisionem prouocati minores fuissent, nec prædium commune erat, nisi inter minores.

Si pupillorum, inquit, *d. l. 7.* sint communia *prædia, qui diuersos tutores habent, videamus an alienatio locum habere possit, & cum prouocatio necessaria sit, puto alienationem impediri: neuter enim poterit prouocare; sed ambo prouocationem expectare. Item si eosdem tutores habeant, multò magis quis impeditam alienationem dicet.*

20. Traditio à maiore facta rei à minore venditæ an præiudicet?

Quod autem eorum aliquis maior factus emptorem inuestiuerit, non prodest, ob rationem *d. l. non dubium. versic. sed & si quid fuerit subsecutum C. de leg.* & propter calliditatem aduersarij *l. 3. §. si quis versic. Celsus igitur. D. de minor.*

Denique quia gesta in consequentiam præceden-

cedentium actuum non inducunt ratificationem; sed initium inspiciendum est, *d.l.3.§. scio.& ibi Cuiac.* quod duobus notabilibus arrestis in simili casu iudicatum esse refert Papon. *arrest.l.16.tit.1.arrest.5.* & docet Costal. *in aduersariis ad d.l.3.* ex contractu in minore ætate inito, & traditione in maiori ætate secuta, restitutionem non impediri; quia per eam ratificatio inducta non sit.

21. Euictionis promissio restringitur ad singulorum ratam. Malè autem dicitur, euictionis promissionem maiorem vim habere, quàm contractus ex se habeat; quasi id doceat Oldendorp. *class. 4.act.1.fol.485.* verba eius sic habent; *vigilabit emptor, vt paciscatur cum venditore addiq; faciat instrumento; teneri cum de euictione tam proprietatis quàm possessionis, cum aliaquin non nisi de euicta proprietate conueniri posset.l.2.§.vacua.ff.de actio.emp.*

Æquè à iure deuiat quod plures euictionis promissores amplius quam pro rata rei venditæ contendantur obligari. id enim est contra *l.2.§.ex his D.de verb.oblig.l.4.§.Cato.§.16 qui. eod.l.2.C.de act.heredit.l.pacto.26.Cod.de pactis.* tot enim sunt stipulationes, quot personæ, quæ faciunt partes.

Et porrò quia in contractu nullo omnia concidunt, quæ in eo fundantur; ex venditione non ritè facta, sed quam leges irritam habent, nulla euictio debetur, etiam stipulatione de euictione interueniente, *l.non dubium. §.sed etsi.§. secundum. C.de legib. Fab. de mont. in tract.empt.& vend.6.q.pr. n.53. Modest. Pist. consil.46.n.3.p.2.* si tamen tutor rem suam obligarit, pignus tenet. *l.9.C.de præd.min.*

22. Restitutio intra quadriennium petenda. Tertia denique obiectio est quod restitutio in integrum peti debeat intra quadriennium post maiorem ætatem, & quod per lapsum quinquennij inducatur tacita ratificatio alienationis sine decreto factæ.

23. Non tamen cum contractus nullus est. Quod ad restitutionem quidem attinet, eâ opus non est, quando contractus ipso iure nulli sunt; sed tum demum quando mero iure subsistunt, sed rescindi petuntur. *l. si 11. C. de præd.minor.* moribus quidem nostris peti solet, ad abundantiorem cautelam.

Cum ergo non satis diu superatâ ætate alteri vllatenus non possit opponi lex *vlt. C. si maior factus lib.5.* sequitur propter nullitatem restitutione in integrum opus non habere, illiusque tempora ei non esse lapsa.

24. Sed aduersùs quadriennii lapsum datur restitutio. Quod verò attinet ad P. alterum Actorum, ingenuè fassus is est se ætatem superasse, sed hodie tempora restitutionis in integrum non seruari constat, per ea quæ tradit Mynsing. *obseruat. l.1. obseruat.51. Philibert. Bugnion. des loix abrogées lib.1.satyr.38. quod & Curiæ Paris. probatum est die 19. Martij anni 1594. vt refert ille.* vt & in Conciliorum formulari restitutionum in integrum solet semper etiam poni lapsus temporum. vnde nec valde interest an verè tempora restitutionum currant, & obseruentur, an ex formula ordinaria restitutio detur. nam effectus coincidit, & literę restitutionis Actorum id disertè continent, quatenùs narrata sint vera.

Quin imò cum alter militiæ adscriptus fuerit, tempora restitutionis in eo fuerunt continuata vsque ad missionem. *l.1. C.de tempor.in integ.rest.* adeoque ei adhuc durant. 25. Militi tempora continuantur.

26. Milites hodierni iure militiæ gaudent, & tanquam reip. causa absentes restituuntur. Neque quod obiicitur quicquam mouet, quamuis enim milites hodierni non parum absint à veteris disciplinæ obseruantia: conuenit tamen inter DD. etiam milites nostros priuilegia militum habere. *Corset. in cap.Tolos. q.141. Spigelius in Lexic. verb. miles.post Oldendorpium Viglius inst.de milit. testam. in princ.Pet. Oudelin.Com.iur.nouiss. l.5.c.21.nu.27.* præsertim cum nec hodierni milites discedere à signis possint, adeoque reipublicæ causa abesse intelligantur. *l.penult. ex quibus causis maior.* & plura à iure militibus concessa priuilegia hodiernos milites vsurpare videmus. & per Principum nostrorum edicta aliis donati sunt. & qui in Belgio militant priuilegia ferè militiæ sacræ habent. vti refertur Pium V. morientibus Indulgentiam plenariam fecisse, quemadmodum Nicephorus Phocas Imp. Const. militantes contra Saracenos, & eo bello morientes inter Martyres referri, & vt tales coli iussit. lapsâ quidem diu & ante ipsum militiæ Romanæ disciplinâ. sed & nupera extat interpretatio Principum solutos esse milites in expeditione testantes solemnitate edicti *anni 1611.* sed non eos, qui sunt in firmis præsidiis.

Sed neque obstat edictum anni 1611. *ar. 19.* quia futuris dat formam negotiis non præteritis. Sed neque tempus decennij computandum nisi à tempore publicationis, quia sic præterita complecteretur. quin & ipsum edictum decennium præscriptum computat à cessatione impedimenti iuris, aut facti. quod in minoribus durat vsque ad ætatem maiorem, ante enim agere iure impediuntur, neque personam standi in iudicio habent.

Quod porrò spectat *ad l. vlt.C.si maior factus lib.5.d.l.vlt.* asserit Imbert. *lib.1.inst.for.c. 34. in glos.1.* hodie per quinquennium non ratificari tacitè alienationes immobilium minorum. eaque lex de iure non obtinet in casu ignorantiæ: se autem actores ignorasse asserunt nullitates huius venditionis ex defectibus suprà memoratis, qui in facto consistunt. cuius ignorantia probabilis est, & præsumitur; & nemini ad suum amittendum nocet; prout etiam ignorasse se statutum de adhibendis septem tutoribus, quod etiam in facto consistit; cuius ignorantia vel ideo præsumitur in Actoribus, quod etiam reperiatur in famosis causidicis. 27. Ratificatio per quinquennij lapsum post maiorem ætatem vt non obtineat in ignorante.

Cum autem sicut antè sub titulo *si maior factus ratum habuerit* statutum esset, minorem rescindere non posse, qui maior factus ratificasset: ita *d.l.vlt.* docetur quanto tempore ratificatio inducatur, si illa aliter non sit expressa, vel per alium actum tacitè inducta.

Itaque qui expressè ratificare non potest, non potest etiam tacitè. ignorans autem & non cogitans nullitatem eam ratificare non potest expressè, quia consentire quis non potest

test in id quod nescit, aut in quo errat, quia consensui contrarius est error, & magis ignorantia: non ergo poterit errans, ignorans, aut non cogitans ratificare tacitè, quia nihil volitum, nisi sit præcognitum. Quemadmodum rectè docet Sanchez *de mat. lib.1.d.16. nu.7.* vt censeatur aliquis ratificare sponsalia, quæ impubes aut nulliter quis contraxit, requiri, vt & contracta esse sciat; & esse nulla. Itemque in professione nulla vt tacitè ratificetur; requiri scientiam nullitatis: alioqui per quoscumque actus non induci ratificationem; sed pristinum tantùm factum firmari. Quod & tradit Azor. *institut. moral. lib.12. c.4.§.7. post Nauarrum, Caietanum, & alios authores vtrobique citatos.* Eodemque modo ad ratificandam controuersam venditionem non sufficit actores sciuisse venditum fuisse prædium, sed requiritur vt sciuerint, nulliter esse venditum.

Quo faciunt verba *d.l.vlt.longo silentio, diuturno silentio, nihil conquestus, ad talem confirmationem*, silentium enim & querelæ omissio præsupponunt loquendi & querendi potestatem, sicut priuatio habitum, & confirmatio: quid autem loqui, quid queri, quid confirmare possit, qui ignorat id de quo loqui, de quo queri, quod confirmare possit?

Et in terminis docuit Corne. *cons.207. per totum vol.3. in litera f. post Bartholum, Baldum, & Salicet. per eum allegatos*, quod qui non habuit notitiam venditionis minùs solemniter factæ, ita quod potuit credere illam esse solemniter factam; non censeatur tacendo consentire, vel ratificare. *arg.l.is qui putat cum duabus seq.ff.de acquirenda hæredit.*

28. Quadriennium an currat ignoranti?

Ad eundem modum tempus quadriennij petendis restitutionibus præscriptum, cum debeat esse vtile, & non continuum; *l.final.C. de temporib.in integ. restit.* non habet locum in casum ignorantiæ. *Villalobos com.concl.ad verbum restitutio. Capyc. decis.4.nu.25.* sed demum incipit currere & computari à die scientiæ: *Tessau. decis.134. num.4.* non minoribus tantùm; sed & maioribus, ex alia quàm ætatis causa restitutionem petentibus. *VVesenbec. paratit. C.de temp. in integ. restitut. per glos. l. si partem 19. §. si per fund. l.si sic 7. ibi Castr. quem ser. amitt. & glos. vlt. l.2. vbi DD. C. de iure emphyt. idem VVesenbec.cons.42.n.38.*

Quæ adeo obtinent vt non pauci tradant quod licet labantur quadraginta anni, quantisper à die scientiæ non fuerint lapsi quatuor, adhuc possit in integrum restitutio peti. *Menoch.lib.1.præsumpt.c.71.nu.2. Sarmiento select. Interp. lib.2. c.10. num.1.* quod ad centum annos extendunt Tessau.*decis.133.n.4.* & Boër. *q.39.n.4.*

Quin etiam extra quadriennij quæstionem ex capite ignorantiæ contra triginta annorum lapsum restitutionem dari tenuit Afflict. *decis. 57.& 329. Magon.decis.Lucensi 31. n.22. & in addit. in litera C. & decis.77.n.23. vbi testatur de magis communi.DD.in l.2.ex quibus causis maior l.3.ff. communia vtriusq; iudic. l.2. C. de resc. vendit. VVesenbec.in œconomia.C.l.2.n.54.multa allegans.*

Iure igitur omni in hac causa lapsum non esse dicemus quadriennium Actoribus, qui præter iuris præsumptionem etiam iuramento obtulerunt probare ignorantiam defectuum commissorum, & statuti, de quibus actum est.

Et dispositio *d.l.vlt. C. si maior factus lib.5.* in Actorum casu locum non habet, per eandem causam ignorantiæ. quamquam & quoad alterum Actorum quinquennium expletum non fuit; etsi curreret ignoranti: & in altero continuata per militiam tempora. *d.l.1. C. de temp.in integ.rest.*

Quamquam etiam *d. l. vlt.si maior factus* locum non habeat, quando alienatio irrita est, ex alio defectu quam omissione decreti. *Curt. iun.cons.50.& 51.* atque ita iudicatum dicitur in suprema Curia feudali Brabantiæ. cuius ratio in promptu est, quia omnis actio, adeoque rei nulliter alienatæ vendicatio durat ad annos triginta, à qua regula generali *d. l. vlt. C.si maior factus* exceptionem inducit in minore, qui rem à se sine decreto alienatam, intra quinquennium postquam factus est maior, non vendicauit. quæ lex tanquam prioris iuris correctoria intra proprios terminos retinenda est, neque extendi potest ad ea, quæ verbis illius non sunt expressa: quod enim non mutatur, cur stare prohibeatur?

Quibus omnibus cessantibus, & posito quod quadriennium præscriptum lapsum esset Actoribus, & quinquennium post maiorem ætatem *per d.l.vlt. C.si maior factus* inductum, tamen aduersùs præsumptiuam ratificationem & quinquennij lapsum, per quem maior factus læsus esset, intra quadriennium computandum à tempore expleti quinquennij daretur restitutio, sicut contra perfectam vsucapionem, aut præscriptionem, & contra omnem actum, quo quis læsus est à tempore læsionis, vsucapionis, & præscriptionis perfectæ computando, intra quadriennium, si qua iusta causa Prætori videatur, datur restitutio. quod quadriennium alteri Actorum vixdum ceperat labi; alteri verò nondum ceperat, vtpote cui, vt dictum est, nondùm expletum erat quinquennium post maiorem ætatem tempore impetratarum literarum, & institutæ litis. 29. Datur restitutio.

Quod quidem procedit iuxta tempora à iure præscripta. posito quod tempora restitutionum hodie obseruarentur, quod non, vt supra demonstratum est.

30. Vel ideo solùm quod bona auita sunt.

Nunc verò nec de eo disputandum est cum literis Principum, quatenus opus sit generaliter contra lapsum temporis restituti sint, seu restitui iussi. quatenus dicunt literæ si res vt narratæ sunt se habeant, & vt dicit Citata, si rationes sufficiant; prout satis superque sufficere, imo abundare demonstratum est; & propterea optimè dicitur id pendere ab arbitrio Iudicis: ex clausula edicti Prætoris generali, *si qua mihi iusta causa videbitur*, quod idem est, arbitra-

bor. neque enim numerari iustæ omnes causæ possunt. vt pluribus in rebus accidit, vt legem Iudex suppleat. Restituit ergo Prætor quoties æquitas aliqua suggerit. *l.sed etsi.26. §.fin.D.ex quib. caus.maior.* dummodo lex non prohibeat. *l.28.§. quoad eius. D. eod.* id quod Prætor ait, *quoad per leges licebit* : non prohibente ergo lege, si qua æquitas suadeat, Prætor restituit; si quam iustam causam arbitretur. quid ni autem arbitretur pro iis, qui alioquin pro se habent rationes omnes supra deductas, qui suum amissuri, qui auito prædio carituri essent; contra eos, qui alienum habituri, qui solutum pretium recipere sine damno oblatum & ab offerentibus indebitum nolunt: vt in lucro sint ex bonis pupillorum, quorum cupiditati non fauebunt Iudices; quando Elias adeo increpat Achab. *Regum lib. 3.c.21.* quamuis eius & Naboth hæc sermocinatio referatur: *Da mihi vineam tuam vt faciam mihi hortum olerum; quia vicina est, & propè domum meam, daboq; tibi pro ea vineam meliorem, aut si commodius tibi putas argenti pretium quantum digna est. Cui respondit Naboth: propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi.* Cui modo non hæc iusta causa videbitur? quando etiam *Leuit. c.25.* diuinis legibus constitutum fuerit, vt possessionem auitam restituto pretio recuperare quis semper posset; & anno Iubilæo gratis ad venditorem reuerteretur? quare optimè Menoch. præsumpt. *l.3.p.83.* *post plures omnino alios* esse & huius affectionis causa considerabilem læsionem docet: & vel ob eam solam restitutionem in integrum dari expressè tradit *l. si in emptione.35. D.de minor.*

Atque ita videtur pronuntiandum iuxta Actores, quoad partes eos tangentes (nisi malit Citata à toto contractu discedere, si partes fortè non emptura fuisset, quod ei licet *l. tutor.§.curator.D.de minor.*) scilicet duas tertias prædij, fructusque inde perceptos. *iuxta legem vtere. 14. l. si prædium. 16. C. de præd. minor.*

CONSVLTATIO II.

De multiplici alienationum nullitate.

Nullitas triplex.

IN triplici genere consistunt nullitates quæ arguuntur in alienatione bonorum inter Abbatem V. actorem & Ioan. reum controuersorum incidisse.

Prioris generis sunt quæ ex iure communi;

Secundi, quæ ex priuato Ordinis Cisterciensis per constitutionem Benedicti XII. super forma alienandi bona illius Ordinis inducto;

Tertij verò, quæ ex neglecta forma decreti per superiores illius Ordinis, & rescripti per S. Pontificem inter has partes eorumúe antecessores concessi desumuntur. 1.

Nullitas surgit non seruata forma præscripti.

De his vltimis rectè inquit Vlpianus *in l.7. §.si tutor. D.de reb. eor. qui sub tutel. mea sert opinio eum, qui aliud fecit, quàm quod à Prætore decretum est, nihil egisse. c.cum dilecta de rescript.*

Multa in huius alienationis negotio aliter gesta, quàm à superioribus vel Pontifice permissa sunt.

Imprimis excepta sunt in facultate alienandi ea bona, quæ forent de fundatione; vt ea sunt quæ controuertuntur, aut saltem iis quæ talia erant per permutationẽ cum Marchione Namurcensi initam subrogata, in quorũ naturam succedunt. *Tuscus V. subrogatus, conclusione 757.* 2.

Constituenda dos monasteriis ædificandis.

Qua in re exaudienda sunt verba Iustiniani *in Authent. vt nullus fabricet oratorij domos c.1.* deinde *non aliter*, inquit, *quempiam Ecclesiam de nouo ædificare, priusquam loquatur, ad Deo amabilem Episcopum, & definiat mensuram quam deputat ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendæ domus custodiam, & obseruantium alimenta.*

Conformiter iis statuit Concil. Trid. *s.25. c.3. de regular. is tantum*, inquit, *numerus constituatur, ac imposterum conseruetur qui vel ex reditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis Eleemosinis commodè possit sustentari, nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi licentia prius obtenta.*

Sic & Clemens VIII. *in constitutione incipi quoniam.23.Iulij 1603.* statuit Episcopos antequam eam dent licentiã, cognoscere debere an & noua monasteria simul & antiqua commodè poterunt sustentari: eamque constitutionem literis ad Episcopos Belgicæ datis obseruari iussit Paulus V. *anno* 1618.

Eodem modo loquitur Bonifacius VIII. *in c.periculoso.§.sanè de stat. regular. in 6. inhibemus*, inquit, *ne in monasteriis Ordinum non mendicantium, aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis siue prouentibus absque penuria sustentari, si secus actum fuerit, irritum decernentes.*

Ad quem modum sicut de Ecclesiis & monasteriis sine dote non ædificandis, ita & de personis non ordinandis, nisi de beneficio, aut patrimonio, quod sibi ad victum honestè sufficiat, prouisum eis sit, decretũ est: *c. 2. s.21. Conc. Trid.* alioquin ordinans de suo eas alere tenetur: *c.cum secundum. X. de præbend.* & fundator, qui Ecclesiam consecrari impetrauerit, congruè dotare cogitur. *c.sicut. X. de ædif. eccles.*

Id verò, inquit Concil. *d.c.2. beneficium resignare non possit, nisi factâ mentione quod ad illius beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde viuere commodè possit, & aliter facta resignatio nulla sit*, adeo vt nec resignatio talis beneficij etiam ex causa permutationis subsistat, & resignanti competat regressus. *Gonsales ad reg.8. Cancel.glos.5.§.10. num.35.*

Quæ alienari non debet. 3.

Atque ita comparando res personis, & vice versa (quod argumentum cum eadẽ est ratio ab ipsis Iureconsultis vsurpatum est; *vt notat Euerard.*

rard. in loc. legal. à perf. ad res) & resumendo quod principio dictũ est, quod non aliter permissum sit fundare de nouo Ecclesiã; nisi prouideatur de necessariis ad luminaria, ad ministerium, ad domus custodiam, ad ministrantiũ alimenta; sequitur cõuentibus regularibus prouisum ita esse debere, vt nõ tantum sine penuria, sed & vt commodè, vt loquitur Concil. Trid. *d. c.* 3. sustentari possint, & quod sibi ad victum honestè sufficiant quæ data sunt, neq; aliter fundatos satis dotatosque dici posse, neq; quæ in eam rem data sunt, nisi factã, vt loquitur Concil. mentione quod ad illius beneficij titulum sit promotus clericus, & (ex simili) Ecclesia ædificata, fundata, vel dotata abdicari posse.

Id quod in Ecclesiis, monasteriis, seu conuentibus, vel ideo magis obtinet, quàm in personis clericorum secularium (præterquã quod ratio quam præfatur Conc. *c.* 2. æquè in vtrisque obtineat, quod scilicet non deceat eos, qui diuino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere) ne auertantur à sacris donationibus qui viderint à se, aut maioribus relicta aliò diuerti. vnde nec possunt quæ taliter atque ad certum vsum relicta sunt, nisi ex certa scientia, à Sede Apostolica de plenitudine potestatis in alium vsum conuerti. *Clem. quia contingit de relig. domib.*

Quæ monasteriorum necessitates ex arbitrio iudicantis definiendæ sunt, vt pro numero collegij, qualitate Ordinis, situ loci, & moribus prouinciæ, onere hospitum; fine atque instituto Ordinis æstimet. *l.* 43. 44. 234. *& vbiq; Alc. D. de verb. signif. l. fin. D. de alim. leg.*

4. Et Arbitrio Iudicis est æstimanda quæ illa sit.

Erit ergo iudicium curiæ quintos reditus admittat, & exigat antequam negari possit id quod supercrescit esse de fundatione, seu dotatione monasterij V. quod S. Bernardus primum instituit in his locis; quod deinde seminarium Ordinis sui in Belgica esse posset, & vnde in sacras colonias, vt paulò post in Grande-pratum, locum S. Bernardi ad Scaldim, atque aliò duci religiosi aliqui possent: ad imitationem ipsius S. Bernardi, qui è matrice monasterio Clarauallensi suos in V. atque aliò miserat, & egregium numerum in Claraualle semper habebat: vt tempore mortis eius ibi fuisse referantur septingenti religiosi. *Ita scribit B. Guilielmus S. Theodorici Abbas vita sancti Bernardi l.* 3. *c.* 1.

Pergendo ad ea quæ aliter à superioribus decreta sunt, aliter à venditoribus gesta; adiecta est decreto Superiorum, & resolutioni conuentus ea lex atque conditio, vt rei à Cõcilio Brabantiæ iudicatæ, & extinctioni redituum ibi relatorum pretium impenderetur, quod tamen ab alienatoribus non est factum; sed à Prælato successore ea extinctio aliunde facta est: vnde cum mandati fines diligenter sint obseruandi, & prætergressi arguant nullitatem. *l. diligenter, D. mandati c. cum olim. X. de offic. deleg.* nec valeat quod actum est: *d. l.* 7. alia insuper emergit ratio nullitatis, quod scilicet causa necessitatis, quę conuentui, superioribus, & Pontifici allegata fuit, non ita subfuerit. causa cessante cessarit effectus; & decretum ex causa datum, ea causâ non secutâ.

5. Quomodo necessitas alienandi aut euidens vtilitas expendenda.

Quod & clarius in literis apostolicis exigitur, *si per infamationem*, inquiunt, *alienationem in euidentem & vrgentem necessitatem factam reperetis, &c.* non euidens hic, non vrgens fuit, quando tot demum pòst annis solutum id fuit, ob quod alienari permissum. *tum*, inquit Vlp. *in l.* 5. *D. de reb. eor. permittet* (prætor) *distrahi, si modo vrgeat creditor*, & iterum, *in eadem l.* §. *nõ enim passim*, quare cum in alienationibus huiusmodi numeratarum pecuniarum diuersiones sæpius fieri soleant, prudenter impetrantibus iniunxit Sixtus V. in suis literis vt pretium alienatorum bonorum penes ædem sacrã deponeretur, donec in rem verti posset, ob quam alienandi facultas concessa fuit, qua forma rescripti etiam omissa actum suum vitiarunt. *ne tamen*, inquit Vlp. *d. l.* 5. *titulo tenus ære alieno allegato pecuniâ abutantur, quàm mutuam acceperunt; oportebit prætorem curare, vt pecunia acceptâ creditoribus soluatur, & de hoc decernere, dareq; viatorem qui ei renuntiet pecuniam istam ad hoc conuersam, propter quod desiderata est alienatio vel obligatio.*

Rursus conditionem apponit Pontifex, *si alienationem pro minori*, inquit, *vt præfertur dicti monasterij dispendio factam esse reperetis*, &c.

6. Quæ ante immobilia excutiendæ?

Appositè iterùm Vlpian. *in d. l. prætoris officio*, inquit, *imprimis conuenit hoc excutere, an aliunde poßit pecunia ad extenuandum æs alienum expediri. & quæ ibi prosequitur.*

Vt *præfertur*, inquit Pontifex; præfertur autem ad aliquam bonorum ex minus damnosis venditionem deueniendum fuisse, & prędia hic controuersa à dicto monasterio remotiora, eique parum vtilia: optimè iterùm Vlp. *si igitur deprehenderit non poße aliunde exsolui, quam ex prædiorum distractione, tunc permittet distrahi*, nihil hic probatum de mobilibus distractis, nihil de nominibus, fructibus, aliisque quæ Vlpian. *in d. l.* 7. excutienda docet, cum mobilia etiam sacra ante immobilium attactum vendi iubeantur. *c. ea.* §. *præterea* 10. *q.* 2. 7. Mobilia etiã sacra.

8. Reditus.

Inter quæ & reditus redimibiles reponendi sunt. optimo sanè iure in hac materia, cum, quandocumque debitori lubitum est, alienari eos atque extingui potius, vel inuitus creditor pati debet; minoris igitur volatiles hi æstimandi sunt; quorum arbitrium penes alios est, quàm prædia, quæ nemo inuitus vendere cogitur.

8. Omnia hic;

Id quod maxime in iis locis consideratione eget, vbi ecclesia per edicta Principum bona immobilia comparare vetatur, prædiaque semel emancipata postliminio carent.

Ideoque quamcumque demum conditionem subire his in locis satius est, quàm prædia ecclesiastica distrahere, atque ita non excutiendum tantum fuit an vllos reditus monasterium haberet eiusmodi, qui prædiorum

rum distractioni præmitterentur, sed etiam haberi posset pecunia vlla sub vsuris, reditibus, censibus, quibus prædia supponerentur potius, quàm distraherentur: si idem Vlp. in *d.l.7.* recte ita scripserit, *idem prætor æstimare debebit vtrum vendere potius, an obligare permittet.*

9. Oppignoranda potius quàm distrahenda. Vnde prudenter Abbas Camberonensis in literis suis facultati alienandi licentiam præmisit oppignorandi, denario quamuis etiam decimo quarto: prudentius etiam facturus, si & quemuis grauiorem addidisset: tum ob præfata edicta, & vetitum distractorum postliminium, tum etiam quod tempore feruentissimi belli, pestis, atque vastationis vilissimæ erant possessiones, & pecuniæ valor valde intensus.

Prudentissimè ergo facturus erat D. Abbas Camberonensis si non Abbatis & Conuentus V. arbitrio permisisset oppignorationem vel alienationem: sed ipse illam præ hac præscripsisset. *Sciamus*, inquit Vlpian. *in l.7. supr. prætorem non recte partibus suis functum, debuit enim ipse statuere & eligere vtrum magis obligare an vendere permittat.* Verum Iustin. *in d. Auth. hoc ius porrectum* in bonis Ecclesiasticis non deliberatiuè, sed præcisè iussit ita; *primò res immobiles specialiter dentur pignori.*

Deficit ergo conditio adscripta Pontificio rescripto, si minori dispendio monasterij hæc alienatio facta reperiretur, aliudque actum est quam decretum.

10. Dein minus damnosa. Neque iterum verum est quod prædium ex minus damnosis sit, minus vtilibus, & magis remotis: in quibus qualitatibus minus dispendium præferebatur, id in actis satis explicatum. quam vtilia, & necessitatibus œconomicis præ aliis fuerint hæc prædia oportuna, vt ob eas nunc conductis vti debeant.

Iterum vt de minori dispendio & minus damnosis bonis deliberetur, *si sit*, inquit Vlpian. *in d.l.5. alia possessio minor, vel minus vtilis pupillo, magis eam iubeat distrahi quàm maiorem & vtiliorem:* & præcisius Iustin. *in d. Auth. hoc ius porrectum. si tamen ea res*, inquit, *mediocris inter cæteras inspecta ipsius qualitate, & quantitate, & onere*: nihil hic docetur de minoribus aliis bonis distrahendis deliberatum, per quæ magna hæc possessio 400. bonariorum seruari posset; illud sane minori dispendio factum fuisset, minus illorum alienatio fuisset damnosa.

11. Diligenter omnia examinanda. Tandem & illud consequitur, vt quia œconomi Ecclesiastici *meliora debent prospicere*, vt inquit Leo Papa, *in c. sine exceptione 12. q.2.* & *id eligere, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ*, expendendo omnes bonorum circumstantias, & Ecclesiæ statum, iuxta prædicta Vlp. *l.5. & iust. Auth. latius relata in d. c. ea* præsertim cum de patrimonio Christi agitur, cuius serui ex eo ali debent, vel à diuinis laudibus dimitti, deficientibus temporalibus subsidiis. fidelem seruum & prudentem requirit Christus, quem constituat super familiam suam.

12. Postulantiũ preces non credendæ. Rectius longè fuisset processum si superiores viam eam ingressi fuissent quam iterum præscribit Vlpian. *in d.l.5. requirere*, inquit, *debet, eum qui se instruat de fortunis pupilli, nec nimium tutoribus vel curatoribus credere qui nonnunquam lucri sui gratia asseuerare prætori solent necesse esse distrahi possessiones vel obligari, iubere debet edi rationes itemque synopsim bonorum pupillarium, aduocatumque pupillo dare, qui instruere possit prætoris religionem, an assentire venditioni vel obligationi debeat.*

13. Solemnitates non præsumendæ. Vbi & illud per transennam animaduertendum est quæcumque in literis instrumentisque postulantium alienationem narrantur, nihil facere fidei aduersus Ecclesiam, & pro ea hos actores, qui causam Ecclesiæ hic agunt, prout in eorum defectum posset etiam quilibet de populo, non his illorum dicta aut confessiones monasterio nocuerunt, quia donare administratores non possunt. *l. contra iur. reg. §. vlt. de pact. l. filiusfamil. D. de donat. atque ita l. Lucius. 46. § tutela. D. de administ. tut.* ita demum apochæ tutoris pupillo nocent, si debitores soluissent. *Optimè Villagut. de reb. Eccles. alienand. l.2. c.5. nu.81. vbi refert Cacheran. post Iason. in l. omnium. n.1. C. de testam.* docentem, quod quando actus non dependet à potestate agentium, sed ab aliqua solemnitate, tunc assertio contrahentium per quæcumque verba non probat eam interuenisse: eum denique Cacheran. decis. Pedemont. 172. 165. sub finem referre, fuisse conclusum verbis enuntiatiuis positis in instrumentis alienationum bonorum feudalium non credi, sed emptorem necessariò teneri probare solemnitates requisitas interuenisse. nihil ea exonerare reum à probationibus, iisque omnibus, quæ iure ei incumberent, si causa Ecclesiæ impersonaliter vel ab aliis personis ageretur. *Prædia*, inquit Leo & Antemius *in l. Iubemus C. de sacros. Eccles. ab ipsis clericis & temporalibus œconomis vendicentur, & tanquam penitus à nullo empta vel vendita teneantur, quia ea quæ contra legem fiunt pro infectis habenda sunt.* quæ animaduersio per totam litem serpit, & in ea sæpe reus cæcutit.

Causas igitur alienandi iure permissas, decretis superiorum, & rescripto Pontificis insertas, solemnitates à iure communi, & Ordinis, decreto atque rescripto præscriptas obseruatas, atque pretium bene versum probare reus debuit. *l.13. §. qui à pupillo. D. de publ. in rem. act.*

14. Omnes emptori probandæ incumbunt. Quippe de genere est prohibitorum Ecclesiæ prædia vendi, ideoque ad emptorem, qui in exceptione, quod in casu suo licuerit, se fundare debet, spectat probatio rationum, ob quas velit astruere legitimam esse alienationem. *l. ii C. de præd. minor. in V. emptor autem si probare potuerit & c. l. vtere in verb. precium ob eorum debitum solutũ probans, optime glos. in l. præd. in V. constiterit in fin. in verb. vel planius*, inquit, *aut non tenet scilicet contractus & probat emptor vt hic*

vt hic & infra eodem l. vtere & l. si prædium aut tenet, & tunc minor.: vt D. de iureiur. l. nam & postea §. si tunc minor. vbi Vlp. *p*... *erem*, inquit, *debere cognoscere an captus sit & sic in integrum restituere, nec enim vtique qui minor est statim & circumscriptum se docuit. cui consonat lex verum. §. item non restituetur l. quod si minor. §. non semper D. de minor.* vbi minor vel contrahendo, vel alia agendo, quæ ei iure permissa sunt; si restitui petit, læsum se probare debet: vtpote subsistente contractu à iure ei permisso. idque obtinet, in gratiam ipsorum minorum: *d. §. non semper. ne magno*, inquit, *incommodo huius ætatis homines afficiantur, nemine cum his contrahente, & quodammodo commercio eis interdicatur.* vbi è contrario quoad res immobiles commercio eis interdictum est; *tit. de reb. eor. qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienan.* & quidem rerum Ecclesiasticarũ commercio adeo interdictum est, vt *d. l. iubemus. §. sanè* œconomum vendentem priuet administratione, & damni reparatione oneret, emptorem vero pretij, nummorumque datorum amissione puniat. Ius verò canonicum illicitè vendentem simul & ementem excommunicatione plectat: *extrau. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. in commun. & similibus.* & specialiter in alienationibus Ecclesiasticis emptori probatio etiam iniungitur, *d. Auth. hoc ius. in fin. in verb. qui quod cred. dis probat, &c.*

15. Constitutio Bened. XII. quæ exigat in alienationibus Ordinis Benedictini.

Videamus nunc de Constitutione Benedictina, & secundi generis nullitatibus ex ea surgentibus.

Vetat ea alienari quippiam sine consensu Sedis Apostolicæ, non Generalis aut Capituli generalis dumtaxat, ad quod alioquin antiquitus iam ann. 1107. ea facultas spectabat, iuxta statuta Ordinis.

2. Mandat fieri discussionem super alienatione per duos Abbates vicinos, per Capitulum generale deputatos.

3. Hi deputati in præsentia Conuentus præstare debent iuramentum; quod fideliter & sine dolo & affectione inordinata se habebunt in examinanda necessitate alienationis.

4. Acta gestorum à se sub chirographo suo referre debent Capitulo generali proximo, insertis causis alienandi, an eæ veræ sint, & an solemnitates requisitæ fuerint obseruatæ.

Quæ omnia & singula in hoc negotio sunt omissa: adiicit tamen Benedictina pœnam nullitatis, quæ etiam alioquin inest, dum certa forma præscribitur, ea non seruata.

Ea constitutio ita clara est; vt nullâ tergiuersatione nullitates ex ea promanantes celari possint.

Et verò attendendum esse vel specialem alicuius Ecclesiæ consuetudinem in alienationibus est decretum: *in c. cæterum de donat. glos. in can. Abbat. 12. q. 2.* & forma obseruanda: *c. dudum de reb. Eccles. non alienand. in 6.* alioquin irritat actum *d. c. cæterum.* quanto magis apostolica constitutio?

Neque verò sufficit allegasse reum; eam constitutionem vsu non seruari.

Cum præterquam quod constitutiones non vsu non tolluntur, sed vsu contrario, scientibus & tolerantibus superioribus; facti est ea allegatio, quæ non dici tantùm, sed probari debuisset.

Quando ex aduerso actores probassent non publicatam eam iam olim dumtaxat, sed iam à sæculo; atque deinceps pluries typis eam impressam, atque diuulgatam fuisse, libro speciali Ordinis Cisterciensis priuilegia omnia complectente.

Deinde in pluribus Ordinis Capitulis eam obseruari iussam; non tantùm 9. *Maij* 1605. & antè paulò; & circa tempus alienationis controuersæ, & secus gesta, nulla & cassa esse declarata.

Tertiò in chartis vt vocant visitationum indictam illius obseruantiam, vt est specialiter Acta Nicolai Boucherat Abbatis Cisterciensis *de anno* 1575. *vlt. August.* quoad Actorum monasterium, & alienationum secus factarum rescissionem.

Denique præstare publicè Iuramentum Abbates singulos etiamnum, & Abbatissas in consecratione sua seu benedictione nihil, se alienaturos sine formæ in Benedictina præscriptæ obseruatione.

Vnde consequitur primo publicatam satis intelligi eam constitutionem; cùm non aliter publicentur constitutiones Ecclesiæ generales, quam primùm in Concilio œcumenico, deinde prouinciali, denique diœcesano, & visitationibus. *c. decernimus. 18. d. Conc. Trid. s. 23. c. 1. in fin. s. 25. c. 2.*

Consequitur secundò satis constare dissentire superiores neglectui, si quis alicubi sit obseruantiæ eiusdem constitutionis: ideoque per illum nihil illi potuisse derogari, etiamsi non constaret actus aliquos citra eius obseruantiam celebratos rescissos esse, quia per eos priuilegio non censetur renunciatum. *Villagut. de reb. Eccles. mal. alienan. l. 1. c. 4. n. 2.* quin & superior, & quilibet, imo extraneus præiudicio Ecclesiæ occurrere nihilominus posset: *idem ibid.* neque renuntiare vel expressè posset quis ei constitutioni, quæ non priuati priuilegium, gratiam aut fauorem, sed publici iuris & bonorum Ecclesiæ regimen, & conseruationem continet, non magis quàm è populo quilibet qhomodolibet facere; ne leges in actibus suis locum habeant. 16.

Et maximè hæc obtinent ob decretum irritans; in constitutione appositum, quod formam inducit; & à multis creditur tollere consuetudinem contrariam præteritam, & futuram, omnemque præscriptionem. *Gabriel. & ab eo citati commun. conclus. lib. 6. de clausulis concl. 3. n. 39. Gonsales ad reg. 8. Cancel. in verb. Decernentes irritum.*

Et verò minimè obseruantia aut consuetudo contraria inducta censeri potest; quando formam aliqui seruassent aliqui neglexissent: difformitas enim actuum consuetudinem impedit. *Mynsing. obs. lib. 6. obs. 42.*

Denique consequitur non posse conqueri

reum,

reum, qui conditionem eius scire debet cum quo contrahit, de ignorantia constitutionis eius, quando non tantùm in regularibus conuentibus, ità publicata in Abbatum benedictionibus ità palam coram populo iurata, & typis toties impressa, atque vulgo edita fuit. quomodo neque obiectio efficit, vt specialis consuetudo (quæ est facti & facta ignorare quis permittitur & præsumitur, *c.2. de const. in 6.*) non irritet eiusmodi alienationes. *d.c. ceterum.*

Minus Benedictinæ obstat, quod dicitur regio Placito in his ditionibus admissam non esse: cum ea antiquior sit edictis, quæ placita exigunt pro beneficialibus rescriptis: sed & extat priuilegium Mariæ Burgundicæ, quo omnibus Prælatis Brabantiæ facultatem facit vtendi omnibus suis priuilegiis à Principibus, ac Pontificibus concessis.

Atque hæc de Benedictina, superiorum Ordinis decretis & Pontificis rescripto.

In quo tamen obiter animaduertendum non sanari ab hoc illorum vitia atque defectus, ne quidem per clausulam *non obstantibus, &c.* quia non extenditur ad constitutiones iuratas: *Vitalis de Cambanis in tract. clausularum in claus. non obstantibus constitutionib.* necessaria erat illius Benedict. specifica mentio, & derogatio, *Macerat. var. res. l.1. res.5.* neque extenditur ad gratias, ordinationesque Papæ particulares, vt hæc est. *Felin. in c.1. n.3. de rescript. Alexand. cons.122. n.14. vol.4.* generalis siquidem concessio non ea comprehendit, quæ quis in specie rogatus non esset concessurus.

Neque iuuat alia clausula; *supplentes omnes & singulos iuris & facti defectus*, quia non extenditur ad ignoratos, & non narratos; sicut transactio, etsi generalis, non extenditur ad ea de quibus non fuit mentio. *l. si de re certa. C. de transact.* hic autem non est facta mentio de Benedictinæ formæ omissione.

16. Nunc porrò quod attinet ad defectus qui ex iure communi desumuntur, necessarium est in genere deliberari solemniter, & diligenter, sub pœna nullitatis *c.1. de reb. Eccles. non alienand. in 6.* de necessitate alienandi, deinde & in specie de his, vel illis bonis; & denique vt aliqui de collegio assumptis viris eiusmodi rerum intelligentibus ad ea loca proficiscantur, agrorum fertilitatem, vel sterilitatem, situm & commoditatem, vel incommoditatem inspiciant, vt de iis referant. *eleganter Papon. lib. arrest. 1. tit. 13. arrest. 3.* id enim spectat ad diligentiam tractatus, neque aliter satis fieri potest præscripto Leonis Papæ *in d. c. fine exceptione*, & sciri, an alienando *meliora prospicientur, & id eligetur, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ.* non enim ex elocationibus id sciri potest; plerumque enim iuxta verum pretium bona non elocantur, Prælati sæpe nimium boni, & astutia rusticorum decepti, dum ipsi ex se alios metiuntur, & quod ex Regula D. Benedicti, sub qua militant Cistercienses, quibusdam videtur deduci, non

Iure communi requisita si desint nullitatem gignunt, id est diligens tractatus præuius.

esse rigidum pretium in elocationibus exigendum.

Deinde, ad deliberandum & consentiendum, vt requirit Leo, non interuenit totius cleri tractatus, atque assensus; sed nouem ex religiosis neglecti, non vocati, non astipulati fuerunt alienationi, quin imò statim atque notitiam habuerunt, dissenserunt, de nullitate & conseruatione iuris monasterij sui protestati sunt. 17.

Conuocatio cleri & consensus.

Quod ad læsionem attinet, alterum litis caput; ea multipliciter consideratur & diuersimodè hic accidit, scilicet aut in ipso pretio, quod iniquum sit; aut si æquum, in eo solo quod alienatum sit, quod incongruo tempore, loco, & modo. 18.

Læsio.

Enimuerò cum Ecclesia iure minoris debeat semper illæsa seruari, *vt ait Alexan. III. in c.1. de in integ. rest.* & iure notorium sit non requiri in minoribus læsis excessum dupli, qui *ex l.2. C. de res. vendit.* in maioribus exigitur, in eoque à maioribus distingui expeditum etiam sit, vt in minoribus ita & in Ecclesia sufficere eam læsionem quæ cognitione & arbitrio Iudicis digna sit. *Menoch. de arbit. l.2. cas.74.75. & Couuar. var. res. lib.1. cap.3. n.11.* 19.

Ex facti circumstantiis cōsideranda.

Quæ quidem læsio, vt optimè inquit Innoc. *in c. Apostolica. X. de reb. Eccles. non alienand.* magis potest ex ostensione facti, quàm expressione alicuius statuti cognosci; atque ita non potest constitui in certa rei quota, aut summa: sicut Villagut. *de reb. Eccles. mal. alienand. l.2. c.5. n.1.* refert. *Aug. Bero. in c.1. n.85. de in integ. rest. multis authoritatibus.* stabilire læsionem duorum aureorum esse sufficientem, ideoque ex facto in hac causa satis est ostensa læsio cognitione, arbitrio Curiæ, atque restitutione digna: præsertim cum *d. c. fine exceptione* requirat, vt id quod eligitur non sit dubium ecclesiæ profuturum: dubium autem est incertum, atque ambiguum, quodque non apparet liquido; & canones requirunt euidentem vtilitatem; *c. dudum de reb. Eccles. non alienand. in 6.* euidentia autem ea est, quæ nullâ tergiuersatione celari potest: *l. ea quæ. D. de contrah. emp. c. euident. de accus.* non opinione & iudicio intelligentium controuerti: in dubio autem incunda ratio, quæ pro religione facit, & pro Ecclesia, certante non de lucro, sed damno vitando.

Et quia in factis iudicia hominum varia esse possunt, & tamen Iudex manum aliquando de tabula mouere debet, & in hanc vel illam partem resoluere, motumque animi sui inclinare, atque rerum æstimatio sub sensum visus non cadit, atque ita testibus non ex numero, sed pondere rationum atque experientiæ credendum est; sanè debuit Curia inire viam quam præscribit edictum *an. 1611. art. 22.* & quam non refugit ipse reus in suis scriptis, atque etiamnum eâ ratione hoc punctum decidendum foret, si pro Ecclesia ex iam productis decidi non possit. 20.

Ex pretio.

Atque hæc quidem quoad pretium, atque illud quidem quod fuit tempore contractus, quod

quod procul dubio semper considerandum est, quando contractus iure quamuis rigido subsistit: cæterum si non subsistit; sed vel est nullus, vel est in pendenti, vt postmodum substantiam nancisci possit, tunc, in casu nullitatis scilicet, *superuacuum est de pretio tractare: l.11.C.de præd. minor.* altero autem casu consideratur pretium temporis quo contractus subsistentiam nanciscitur, vbi itidem subsumendum est, contractum inter partes initum (quo casu nihil aliud ei opponi posset) demum subsistentiam nancisci potuisse ex tem-
21. Cuius temporis? pore beneplaciti seu legitimi consensus Pontificij interuentu.

Etiam initus fuit sub beneplacito Sedis Apostolicæ simpliciter, non ad abundantiorem cautelam dumtaxat, vt fassi sunt ipsi contrahentes in narratiua literarum Clem. VIII. insertarum in literis Octauij Nuntij Apostolici, sic vt ante illius beneplaciti interuentum nulla fuerit contractus energia, non tantùm ex iure communi, & Benedictino; sed etiam partium conuentione disertis verbis expressa.

Igitur contractus, seu voluntaria condemnatio, est de data 22. Sept. 1584. Bulla Sixti Non. April. 1587. & ob huius notoriam subreptionem subsecuta Clem. VIII. Bulla 9. Kal. April. 1593. atque huius prætensa executio per literas Octauij Nuntij 14. April. 1594. adeoque tota rerum gestarum vis, energia, atque substantia dependet ex authoritate literarum Clem. VIII. ibi demùm seposita subreptione valere inciperet, subsistere, atque obligationem contractus habere, eiúsque igitur temporis spectandus esset valor bonorum venditorum, ex eoque dignoscendum an euidentem vtilitatem adferat alienatio.

Enimuerò notorius status illius anni 1593. & regionis, in qua sita sunt bona litigiosa, reum deterruit, ne in probationibus suis eo reflecteret, sed eas direxit ad annum 1584. calamitosissimum nostri æui: & actores non secus maximè ad eum probationes suas reduxerunt, vt conuicta ex valore illius anni læsio argumentum daret à maiori; per quod multò magis clarescerct respectu anni 1593. quo res non illic tantùm, sed hic passim erant in melius mutatæ. & in probationibus quidem enormissima læsio manifestè conuincitur, si ad hunc annum referatur.

22. Læsio quod bona antiqua distraxerint. Adhæc læsio quæ monasterio vel in eo contigit quod bona antiqua & primigenia abscesserint, atque alienata sint, causam habent, restitutionis, vti in minore responsum est ab Hermogen. *in l.35. D. de minor.* qui licitando superari se passus erat, & à Pontifice in neglecto retractu gentilitio. *in. c.constitutus de rest. in integ.*

Si eius, inquit Hermog. *interesse emptam ab eo rem fuisse approbetur, veluti quod maiorum eius fuisset.* cui admodum consonat Constantini constitutio *in l.lex qua tutores.§. ne verò. C. de administ. tutor. ne verò*, inquit, *domum vendere liceat in qua pater defecit, minor creuit, in qua maiorum imagines aut non videre fixas, aut reuulsas satu lugubre est.*

Alia capita sunt læsionis, quod si necessitas alienationem postulabat, quod eo tempore facta sit, quod eo loco & non bona alibi sita, pristinum valorem adhuc retinentia, alienata sint: quod non prius mobilia, reditus redimibiles præsertim, pecuniæ in tales reditus sumptæ, res oppignoratæ, bona minora, non tam vtilia, aut necessaria, vt hæc superius latius deducta sunt. 23. Incommodo tempore.

Cuiusmodi omnium circumstantiarum considerationem habendam esse declarat Innoc. III. *in. d.c. apostolici*, vt iudicetur læsio Ecclesiæ, & damnum illatum, si alicuius momenti fuerit *in quantalibet portione constiterit, poterit*, inquit, *legitimè reuocari.* nam *etsi*, inquit, *primâ facie præsumatur quod graue non inferat detrimentum, tamen ex variis circumstantiis deprehendi potest interdum valde damnosum.*

Sanè hæ circumstantiæ si omnes irretortis oculis circumspiciantur, clarè demonstrant alienationem huiusmodi bonorum monasterio V. fuisse valdè damnosam.

Quibus & illa læsio atque iactura loco coronidis accedat, quod 400. illa bonaria iam olim mortificata fuerint, & in his locis iam prohibitum sit, ne Ecclesiæ res immobiles acquirant, & si venia acquirendi postuletur, exigere pro ea soleant Finantiæ quintam, quartam, imò tertiam aliquando partem pretij, nisi Princeps pietatis & donationis ergo ea iura remittat. quod sæpius solet. 24.

Vnde sequitur, quod graue admodum damnum hodie sit, Ecclesiarum bona immobilia alienare; cum alienata ad eam non reuertantur, neque alia, nisi fortè aliquando ex Principis indulgentia, quæ inter impossibilia refertur. *l. continuus. §. cum quis. D. de verb. oblig. l.40. §. constat. D. de leg. 1. l. inter stipulantem. §. sacram. D. de verb. obligat.* adeoque hodie omnia extrema Ecclesiis sunt tentanda, antequam ad immobilium distractionem deueniant: si secus factum erit, Ecclesia enormissimè vel eo solo læsa intelligitur: si rectè vllæ circumstantiæ Innocentio III. sufficerint, *in d.c. Apostolica.* ad graue detrimentum Ecclesiæ reputandum. Atque immobilia in quibus perpetua læsio est in Belgio ob edicta quæ vetant talia recuperari.

Sed quoniam sine legitimo decreto venditores prædia controuersa venundederunt; *superuacaneum est de vili pretio aliisq́; læsionum generibus atque in integrum restitutione tractare, cum canonum authoritas retento dominio alienandi viam obstruxerit.* vti ratiocinatur *l.11. C. de præd. minor.*

CONSULTATIO III.

De alienatione facta Sede vacante.

CONtrouersia quæ est inter Episcopum A. vti Prælatum monasterij S.B. actorem;

rem, & B.R.Reas, facilis est decisionis ex solo titulo in lite exhibito, in quo partes conueniunt, & quo se reæ defendunt.

Namque is vitia sua euidenter prodit. Ædes enim controuersas Capitulum Sede vacante siue vicarij vendidisse in eo narrantur.

Qua in re plures simul defectus concurrunt eorum, quæ à iure requiruntur in alienandi rebus Ecclesiasticis.

1. Capitulum res Episcopales alienare nō potest, sed administrare dumtaxat.

Imprimis Capitulum seu Vicarij alienant, cum eis ista potestas in iure data non sit. datur Sede vacante potestas statuendi œconomum vnum, vel plures, fideles, ac diligentes, qui rerum Ecclesiasticarum, & prouentuum curam gerant, quorum rationem ei ad quem pertinebit, sint reddituri. *ita Concil. Trid. sess. 21. c. 16.* cura ergo (quam significanter admodum custodiam vocat. *c. 48. non liceat. 12. q. 2.*) percipiendorum prouentuum, & administratio œconomis seu Capitulo conceditur, non alienandi facultas: nec illa libera quidem, sed obligata ad ratiocinia: & taliter quidem, vt quamuis redditis rationibus à Capitulo fuerint absoluti, exigi tamen rursus, & puniri possint ab Episcopo postmodum ad vacantem Ecclesiam promoto. *d. c. 16. in fin.* Porrò qui administrat, curat, gerit negotium alicuius, alienare nequaquam potest. *c. casellas. 10. q. 2. nemo*, inquit, *l. 6. C. de reb. alien. non alien. res ad te pertinentes, non obligatas sibi, nec ex officio vendendi potestatem habens, distrahendo quidquam tibi nocere potest.* idem sonat *l. qui neque. D. de reb. eorum.* non ergo Capitulum, Vicarij, aut œconomi, quibus ex officio vendendi potestas non competiit, ædes distrahendo non suas, sed monasterij S.B. quidquam ei nocere potuerunt.

2. Vbi ei tamē cura percipiendorum fructuum incumbit.

Accedit quod & nihilominùs Concil. Trid. egregiè dispositionem suam limitat, his verbis: *Capitulum Sede vacante, vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit*, scilicet non vbique id iuris habet: non habet autem specialiter, vbi cathedræ Episcopali aliquod monasterium est vnitum. *vt est casus c. 1. X. ne Sede vacant.*

3. Quod non obtinet in prouentibus monasterij Episcopatui vniti.

vbi Innocentius III. Sede vacante Episcopatus, cui monasterium erat vnitum, non Capitulum cathedrale res monasterij administrare iussit, *sed interim*, inquit, *sub cura Prioris idem monasterium gubernetur.* quod suadet & communio bonorum, & ius accrescendi. nisi literæ vnionis aliud iusserint. quod & eò magis obtinet hic, quod Bulla Clementis... mandat vt in ordine Cisterciensi vacantem Abbatiam administret Conuentus.

4. Sed vacante nulla alienatio vllatenus licita.

Deinde ædes vendidit Capitulum Sede vacante. quæ altera insanabilis est nullitas. *tot. tit. X. ne Sede vacante.* vbi *in c. 1.* in casu monasterij Episcopatui vniti Innocentius III. Sede vacante nihil voluit innouare, quamuis rogaretur à clero vacantis Ecclesiæ, & Ecclesiæ vnitæ; Rege, & Magnatibus regni, Episcopis pluribus, & Abbatibus. Vnde apparet quàm enixa sit prohibitio Ecclesiæ, quæ tot tantisque intercessoribus non potuit relaxari.

5. Cum nec Episcopus posset, minus ex eius iure Cap.

Insuper quidquid Capitulum posset Sede vacante, eo posset, quia succedit in authoritatem & Iurisdictionem Episcopi defuncti: atqui nec Episcopus ipse, sine summi Pontificis licentia, res immobiles alienare potest. *c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6.* non ergo Capitulum eius authoritate vtens.

Et nominatim Episcopus per Bullam incorporationis monasterij S. B. iuramentum præstat, de bonis monasterij non alienandis inconsulto Romano Pontifice: non ergo ampliores habet fimbrias Capitulum Sede vacante, quàm Episcopus, in cuius authoritatem succedit. is qui in ius succedit alterius eo iure, quo ille, vti debet. *c. is qui de reg. iur. in 6.* quamquam neque Capitulum omnino in ius Episcopi succedit Sede vacante, nec omnia illa potest, quæ Episcopus. quæ huc non pertinent: satis est in vnitis per alienationes Sede vacante nihil innouare posse, sed exspectare debere, donec Ecclesia legitimum habuerit defensorem. *d. c. 1. X. ne Sede vacant. c. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6.* 6.

Nec Archiepiscopi assensus iuuat.

Sed neque vicem Apostolici consensus supplere potuit Metropolitanus: vt hic frustra aditus sit Archiepiscopus. *c. non liceat. 12. q. 2.* qui locus disertè etiam vetat, ne Archiepiscopi rebus Ecclesiæ Episcopalis suffraganeæ vacantis se immisceant: sed illius clero, custodiam illarum rerum relinquant. *si verò*, inquit, *clerici in Ecclesia non fuerint, tunc Metropolitanus illibata omnia Episcopo, qui ibi ordinabitur, reddat.* 7.

Qui in prouincia nihil potest nisi iure sit concessum.

Generatim insuper receptum est Archiepiscopum, in sui suffraganei diœcesi nihil omnino præstare posse, quod ei expressè à iure non est concessum *Quarant. in sum. verb. Archiep. authorit. n. 10. n. 16. vbi textus & Doctores plures citat.* Et super qua doctrina se fundat c. duo *de off. ord. & Celest. in c. sicut vnire. X. de excess. prælat.* vnionis à Metropolitano factam confirmationem nullius esse momenti declarans: *quia*, inquit, *Metropolitanus in diœcesi sui suffraganei non debet aliquid contra constitutiones canonicas attentare.* vnio autem species est alienationis, adeoque ex ea de reliquis idem surgit iudicium, cum in nulla canonicæ sanctiones Archiepiscopo illam confirmandi authoritatem concedant. 8.

Vbi potius alienatio vetita.

Eò autem magis Archiepiscopo hic censebitur non concessum alienandi facultatem dare, aut confirmare, quod monasterium S.B. ex priuilegio Ordinis Cisterciensis notoriè exemptum sit, quoad personas, & bona ab omni ordinaria authoritate, mediata, & immediata, & Bulla Clementis in eo ordine iuber, vt vacantem Abbatiam administret Conuentus. *vt diximus.* 9.

Præsertim in ordine Cisterciensi.

10. Ab Ordinariis mediatis & immediatis exempto.

Adeoque idem Archiepiscopus in illud, eiusque bona nihil potuit decernere, aut permittere. Vnde accidit, vt in literis eius inserta sit clausula; *quantum in nobis est.* quâ etiam vtuntur Vicarij in iis literis, per quas probant Reæ venditionem ædium, à suis mandatariis factam: eaque frequens esse solet apud eos, qui sentiunt ea, quæ ab eis petuntur,

tur, non esse suæ facultatis: sed vt petitoribus satisfaciant', annuunt quantum eos spectare potest, vt valeat assensus, quantum valere potest.

11. Maximè vbi testator alienationem prohibuit.

Tandem multo minimè Archiepiscopi authoritas hic Apostolicum consensum supplere potuit, quod præter hæc omnia ædes controuersæ non tantùm habeant prohibitionem legis, ne alienentur; sed etiam prohibitionem testatoris, seu donatoris ædes controuersas offerentis, cum fundo, & attinentiis suis in eleemosinam ad opus Conuentus S. B. nec liberè quidem, sed iure mansionis dumtaxat gauisuri. quæ porro mansionatici iuris sunt, dominij liberi nullatenus sunt. *Rageau in ind. iur. Regal. in verb. mansionier.* Ideoque se explicat donator ita; *quas ædes vendere, alienare, grauare vel locare, eis non licebit; sed eas conseruare ad proprios vsus tenebuntur*, scilicet ne, cum negotia & rerum opportunitates eos ad oppidum vocarent, magna indecentia ad publica hospitia diuertere religiosi tenerentur. quali conditioni ne extra religiosam familiam res alienentur, omnino parendum est. & secus facta venditio nulla est. *l. 114. D. de legat. 1. l. cum Pater. 77. §. libert. D. de legat. 2. l. peto. 69. §. fratre. D. eod.* quare si neque ipsi Abbati, & Conuentui vendere, etiam cæteris requisitis interuenientibus non licet, multo minùs rem alienam administrantibus.

Quam etiam testatoris voluntatem immutare Archiepiscopus non potuit, cum ea quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (saluâ quidem Sedis Apostolicæ authoritate) conuerti. *Clement. quia contigit de religios. dom.*

Quod si verum est, vbi testator bona reliquit in hunc v.g. vsum, vt nemo infra Papam possit vertere in alium, quamuis æquè bonum aut fortè meliorem: multò magis obtineat necesse est, vbi testator disertè vetuit alium vsum, imo extinctionem omnis vsus per venditionem, alienationem, locationem.

Quam prohibitionem, si sciuisset Archiepiscopus, ne quidem *quantum in se est* consentire voluisset in venditionem controuersam: gnarus quod etim casu maximè fauorabili redemptionis captiuorum (quo non permittuntur tantum, sed præcipiuntur res Ecclesiæ immobiles alienari) semper tamen sit exclusus casus, quo sub hac conditione possessionis aliqui Ecclesiæ dederint, vt nullo modo has alienet. ita loquitur Auth. *de alienat. & emphyteut. §. sanctissimis. Riccius in prax. alien. decisione 45. vbi plures citat.*

12. Quod & vitiat consensum Apostolicum.

Vnde liquidum euadit, quamuis ipse Pontifex alienationem admisisset, tamen ea testatoris prohibitione non explicatâ subreptitium censeretur eius rescriptum, quia ea expressa illud non dedisset. *c. super literis. X. de rescript.* fortè nec ipsi Vicarij illius gnari ad venditionem processissent, sed ea ignorantia vitium non sanat. *d. c. super.* quare & confirmationem seu assensum Apostolicum reddi huiusmodi taciturnitate subreptitium, in terminis decidit Rota. *vt notat & probat idem Ricc. d. decis. 45.*

Aiunt Vicarij; *communicato priùs consilio cum D. Priore & conuentu*: absurda actio: requiritur enim consensus, præhabitus tractatus, instrumento desuper per tabellionem confecto, & subscriptionibus confirmato. *c. non liceat. c. sine except. 12. q. 2. c. 1. de reb. eccl. non alien. in 6. c. tua de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Capitul. in verb. cum totius Ecclesia tractatu atque consensu*: *irrita*, inquit, *c. 1. ibidem, erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque collaudatione & subscriptione clericorum.* non his satisfit per communicationem consilij; irrita ergo erit venditio. 13. Vti & omissus tractatus & consensus monachorũ.

Persentiscebat hoc D. M. tum Vicarius, qui in literis inuestituræ venditionem se fecisse narrat; in vim mandati sibi dati à Vicariatu non tantùm; sed & in vim procuratorij à Priore & religiosis anno 1588. Episcopo T. datij; sed nihil emplastrum illud malo medetur, nam ei datum mandatum non erat, sed eidem Episcopo T. cuius industria electa erat, quæ personæ cohæret. *l. vnic. §. ne autem. C. de caduc. tollend.* Ideoque meritò morte illius re integra mandatum extinctum erat. *l. si quis. §. pen. D. mand.*

Quemadmodum & morte mandantium. *l. si verò. 12. D. mand.* obierant enim Prior & pleriq; ex mandantibus instrumento inscripti: & mutatus rerum erat status, adeoque voluntas mandantium. quomodo & mandatum finitur. *d. l. 12. §. penult. & illa* semper accipitur *rebus sic stantibus.*

Sed & mandatum vitiabatur, quia non totius conuentus illud erat, neque cum conuentu toto tractatum fuerat, minimè totus consenserat; quin & aliqui re cognitâ disertè dissenserunt: atque in contrarium sunt protestati. tam autem vnius neglectus actũ vitiat. *c. bona mem. de elect.* quàm protestatio, sanioris quamuis minoris partis ius Ecclesię conseruat. *c. vlt. & pen. X. de appel. Tuscus verb. protestatio. conclus. 938.* 14. Ita vt hoc casu vel vnius protestatio contraria rem Ecclesiæ conseruet.

Imo mirabiliter vnius dissensus in alienatione rei à testatore alienari prohibitæ integrã conseruat. *l. cum pater. 77. §. libertis. D. de legat. 2. l. filius. 114. §. diui. D. leg. 1. l. peto §. fratre. D. de legat. 2. libertis,* inquit, *prædium reliquit, ac petiit, ne id alienarent, vtque in familia libertorum retinerent. si, excepto vno, cæteri partes vendiderint, qui non vendidit cæterorum partes, quibus non dedit alienandi potestatem, integras petet.* testator hic conuentui ædes dedit, vt ne extra familiam religiosam alienarent, vel locarent, cæteris ergo alienantibus, etiam vnicus sibi, ac Ecclesiæ suæ integras conseruabit.

Quemadmodum & *ex superiùs dictis* patet rectè Cardinales ad postulationem Episcopi A. respondisse omnes alienationes bonorum episcopatus, seu monasterij sui citra assensum Apostolicum, & formulam iuramenti Episcopalis quomodocumque factas, cassas, & nullas esse.

Ideoque ex vi iuramenti teneri ipsum ad eorumdem recuperationem incumbere.

K De

De Emptione & Venditione.

CONSVLTATIO I.

Vſuras pretij rei venditæ deberi.

EX actis cauſæ reperitur, quod Henricus vendidit Ioanni nouemdecim iugera ex maiori prædio multis annuis reditibus grauato, eo inter cætera pacto, quod pro rata pretij emptor ad indemnitatem venditoris eos reditus quotannis ſolueret, à natalitio tunc proximo, quos ei venditor deſignaret, & ad feſtum S. Ioannis inde ſecuturam certam partem eiuſdem pretij. Multis deinde diuerſiſque vicibus diuerſæ ſolutiones ſunt factæ. Vigeſimo ſeptimo poſt anno, nunc facienda eſt computatio. & contendit venditor in rationibus ineundis à d. feſto natalitio ſoluendas eſſe vſuras, & in eas continuò imputandas ſolutiones ſubſequenter factas: quatenus verò eæ vſuras ſuperent, eatenùs imminuendam eſſe ſortem, ſiue pretium emptionis. è contrario emptor neque vſuras ſoluere ſe debere contendit, neque eo ordine; ſed omnes ſolutiones in ſortem imputare, & ſi quid reſiduum eſt pretij, illius demum vſuras, ſi ad vllas teneatur, pendere.

Rationes emptor has adfert: primò negat
1. ex ea conuentione ſe ad reditum aut vſuras
An debeantur vſuræ nō deſignatis reditibus deſignari conuentis? teneri; cum hactenus neget deſignatos eſſe reditus à venditore quos ad illius indemnitatem emptor deinceps penderet, ſed tantùm continuò ex delegationibus creditorum venditoris fuiſſe ſolutum, vt partem pretij longè ſuperauerit, quæ ſolui ad D. Ioannis promiſſa fuit, & vlterius ſtabilis reditus ab emptore agnoſci non potuerit. quin imo intentio ſoluentis fuiſſe coniiciatur ex ſcriptis ipſius computibus ſoluere in diminutionem ſortis.

2. An ante moram?
Secundo ex iure ſe ad vſuras non teneri, qui non fecerit moram, nec iuridicè fuerit interpellatus; nullaque mora eſſe intelligatur, vbi nulla eſt petitio.

3. Ante traditionem & inueſtiturā.
Tertiò, quod emptor aliquot poſt emptionem annis demum coram magiſtratu loci fuerit inueſtitus: ideoque non antè cenſeatur venditor iuxta mores noſtros feciſſe traditionem: ei autem qui nondum impleuit, quod debet, nō competere actionem. *l. Iulian. D. de act. empt.*

4. Ante traditos titulos.
Quartò, quod venditor non tradiderit emptori munimenta ad rem venditam ſpectantia, quibus ea impoſterum defendi poſſet. vti tenetur. *ex l. Titius 48. l. creditor. 52. D. de act. empt.*

5. Ante cautionem de euictione.
Quintò, quod multæ emptori factæ fuerint difficultates, ob prætenſos cenſus, reditus, ſimiliaque onera, de quibus non eſt à venditore præſtita cautio. cum autem imminet periculū euictionis, non tenetur emptor ſoluere pretium; ideoque nec vſuras nū datā d. cautione. *l. ſi poſt perfectam. C. de euict. ita pulchrè leg. cur a bu. C. de vſur. limitare Baldum.*

Sextò, quod quantiſper debitum non eſt liquidum, non eſt debitor improbus tergiuerſator, qui neſcit quantum ſoluere debet. quare nec in mora eſſe cenſetur. *Bald. in l. acceptam in 2. oppoſit. C. de vſur. Alex. conſ. 4). lib. 2. Afflict. deciſ. 205.* 6. Ante liquidationem.

Septimò, quo caſu deberentur vſuræ ob æquitatem *d. legis curabit.* eæ tantùm eſſent compenſatoriæ fructuum, quos emptor adeptus poſſeſſionem perciperet, adeoque ſolui tantùm deberent pro eorum quantitate. *Couar. reſ. l. 3. c. 4.* exigui autem illi fuerint, & longè minores petitis vſuris. atque hæc adeo obtinent, vt re vendita non fructificante non teneatur ad vſuras pretij. *Gabr. com. concl. l. 3. conc. 4. nu. 18. 19. Couar. vbi ſup. & quos allegat.* 7. An maiores quàm ſint fructus?

Venditor verò è contrario intentionem ſuam plus ſatis fundatam eſſe contendit, in contractu ſupra relato, cuius verba ſine manifeſto cauillo non poſſint in alium ſenſum transferri.

Ad primam obiectionem dicit emptor ſe reditus deſignaſſe, & quamuis nō deſignaſſet, debere venditorem ſaltem in genere reditus; & ita quidem vt ab initio contractus conuentum ſit, vt ij currerent à proximis natalitiis, vt ſonant verba eiuſdem cōtractus, in quo deſignatio eorumdem redituum emptori datur; non quidem eo fine, vt ſi non deſignaſſet liberaretur emptor: neque enim modus ille vllibi agnoſcitur tollendæ obligationis; ſed vt optio venditori ſit eum reditum, quo magis carere velit, emptori imponendi. quod igitur in ſuum fauorem ſtipulatus eſt, non debet in odium eiuſdem retorqueri. debuit ergo reditum emptor à proximis natalitiis; neque exoneratus eſt etiam poſitâ deſignationis omiſſione, quæ in omnem euentum non tollere obligationem, ſed ſolutionem differre potuit. Sed neque frequens creditorum delegatio à venditore facta, obligatione ceſſorum iam ante canonum exemit emptorem; ſed dumtaxat, dum ille non eſt refragatus, loco ſtabilis reditus, alia nomina ſubrogari potuerunt: quorum ſolutio eatenus continuò emptorem à præſtatione alterius reditus, neque vlterius, liberauit: cui partiales ſolutiones & ſortis redemptiones commodo potius ſunt, quàm incommodo. & ob id habet non quod queratur, ſed quod ſibi gratuletur potius: cui præterea nihil deceſſit: quàm vt, ſicut redituum deſignandorum canones ſoluere continuò debuiſſet; ita ad eam ratam reſidui pretij præſtet dumtaxat vſuras: in quas ſolutiones ſemper imputentur, ac deinde quod ſupereſt in ſortis imminutioné. Ita enim ratio exigit, vt quæcumque ſolutiones fiunt à ſortis ſimul & vſurarum debitore, prius in ſortem cedant, niſi tunc cum ſoluitur, ſecus, à ſoluente diſertè exprimatur. *l. 1. in fin. 2. 3. D. de ſolut.* vbi declaratio non ſufficit facta ex interuallo. Præſumptio autem eſt, quod ſoluens iuri ſe conformauerit, diſertè in hac materia inducta, adeoque efficax, vt verba etiam

8. Deſignatio omiſſa non ſiſtit curſum vſurarum.

9. Et ſolutio imputanda in vſuras ſi ſtatim non aliter declaratur.

etiam aliter prolata iuxta eam conuertantur, & potius ex iure sumitur, quod agi videtur; vt loquitur. *l. in his. §. vlt. D. de solut.* moltò minus ea præsumptio per scripturas & computus pòst concinnatos conuellitur. *d. l. 1. in fin. 2. 3. D. de sol. Si incontinenti*, ait *l. vsuras. C. de vsur. non designasti propter quod debitum solutionem feceras, habuit creditor in vsuras tibi accepto ferenda solutæ quantitatis facultatem.*

10. Vsuræ ex æquitate ante moram etiam debentur venditori.

Ad secundum respondeo æquitatis ratione præstare emptorem vsuras pretij non soluti cogi. *l. 2. C. de vsur.* nam cum emptor re fruatur, æquissimum est, eum vsuras pretij dependere. *l. Iulian. §. ex vendito. D. de action. empt. l. vlt. D. de fundo dotal.* Vsuras enim fructuum ratio licet nulla mora intercesserit, generat *l. curabit. C. de act. empt. Molin. de contract. q. 74. num. 559. Couar. Var. res. lib. 3. c. 4. num. 2.* nihil enim iniquius, quàm emptorem rem & pretium, seu in totum, seu in partem habere, & post longum tempus de meo mihi soluere.

Tametsi post diem traditionis vsuræ pretij debeantur, quasi traditio emptorem in mora constituat. *d. l. Iul. §. ex vendito in verb. item vsuræ.* prꝛterquam quod vsuræ hîc seu redituũ canones potius ex pacto contractui emptionis inserto petantur, quàm ex mora iuxta leg. initio. *C. de pact. int. empt.*

11. Ante inuestituram dummodo re emptor fruatur.

Ad refutationem tertiæ obiectionis sufficit quod dicit Vlp. *in d. l. Iulian. §. ex empto.* nam possessionem, inquit, *traditam accipere debemus, etsi precaria sit possessio, hoc enim*, inquit, *iterum solum spectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi.* vbi solam precariam possessionem ad effectum vsurarum sufficere constat. quantò magis sufficiet ea, quæ est secundùm naturam, & leges transferendo etiam dominio idonea, quamuis consuetudinariæ aliquæ ceremoniæ desint? quæ nihil impediunt eam æquitatem, quæ vsurarum præstationem inducit. præsertim dum per venditorem non stat, quo minus eæ ceremoniæ suppleantur, sed alias ob causas omissæ sunt ad tempus.

12. Emptori copiæ titulorũ sufficiunt.

Quarta obiectio facilem ex eo solutionem habet, quod non teneatur venditor authographa munimenta emptori dare, sed sufficiant authentica exempla. *vt iudicatum refert Papon. ar. lib. 11. tit. 4. arrest. 1.* quod maximè vt tum obtineat suadet ratio, quando partem bonorum, de quibus munimenta agunt, retinuit venditor. neque contrarium decidunt suprà citatæ leges.

13. Non debetur cautio non mora quæstione.

Quintò, nunquam hic rei venundatæ mota fuit quæstio, vt loquitur *d. l. si post perfectam.* multò minus in ipso limine contractus (vt eadem requirit, & docet Faber *in Cod. suo de vsur. & mor. defin. 35. n. 6.*) imminuit euictionis periculum; sed census quidam exigui momenti petiti sunt. sed neque defectus fideiussorum de euictione, etsi à venditore promissorum (vt non sunt promissi hic) impedit decisionem *d. l. curabit*: nam adhuc, inquit Couar. *d. l. n. 6. vers. 12. emptor ob dilatam solutionem pretij, tenebitur soluere vsuras pretij non soluti.*

14. In ipso limine?

15. Sed & debita non præstita non sistit vsuras.

iuxta fructuum quantitatem cum defectus fideiussoris de euictione non impediat fructuũ perceptionem: quamuis appareat instare euictio. idem tenent *Bald. & Paul. in l. 2. C. de vsur. Decius consil. 119. vol. 2. vers. 6. & rursus col. vlt. Paris. cons. 60. l. 1. nu. 26. quorum opinio communis est secundùm Caignol. in d. l. curabit col. 4.* nã verè emptor habet rem & pretium, etsi aliqua difficultas moueatur, quantisper se per consignationem non exonerat.

Insuper requiritur (quod hic non accidit) vt venditor monitus fuerit, & noluerit satisdare. *quia*, vt inquit Gail. *lib. 2. obs. 46. n. 9. vbi cautio præstari debet, intelligitur si petita sit, sufficitq́, quod petenti cautionem moram non fecerit venditor. per l. 2. §. quod ait prætor. D. quorum leg. text. not. in l. 1. §. non exigit prætor. D. vt in possess. legat. in l. si quis filium. §. stipulatio. D. de collat. bono. imputet ergo*, inquit, *sibi quod cautionem non exegerit.* 16. & nõ petita.

17. Illiquidi rationabiliter.

Ad sextum; vt ob illiquidas rationes excusetur emptor, non sufficit temeraria aliqua pretensio; non parua aduersùs magnum debitũ; non quæsita, sed vera, rationabilis, æqua requiritur. *l. 22. 24. D. de vsur.* quare & Afflictus *d. decis. 205.* doctrinam suam specificat in conductore non soluente integram mercedem ob sterilitatem, aut guerram, vt antequam liquidatum sit, quanta facienda sit remissio, non teneatur ad residuũ valorem quanti plurimi.

18. Non valor quanti plurimi.

Qui valor cum infligatur ob culpam morosi debitoris, adeoque huiusmodi iuris dispositio ob odium moræ locum habeat, imponaturq́ue; vsuræ autem, quæ ob traditam possessionem facultatemq́ue percipiendorum fructuum præstantur, ex æquitate deberi dicantur, *in l. 2. C. de vsur. & d. l. curabit*, non est cur vnius casus decisio ad alium trahi possit. Aliis enim regulis constat præstatio quanti plurimi, aliis obligatio vsurarum.

19. Sed vsuræ nisi pretium consignetur.

Quin imo etiam stante illiquido debito debet fieri oblatio, *vt ibidem Afflictus post Bald. & Alex.* sine qua præuia, etiamsi deposita habeatur, non liberat ab vsuris: *l. 2. C. de vsur.* in iusta etiam causa emptorem non liberat citra oblationem, quò minùs eius quantitatis, cuius tandem verus debitor reperietur, vsuras præstare debeat; licet non potuerit certò scire, quam quantitatem soluere deberet: Ei namq́ue potest imputari, cur saltem eam summam quam putabat se debere non obtulerit, & recusante venditore consignauerit. ne eodẽ tempore & rem & pretium habuisse dici possit. *Faber d. decis. 35. 34.* sistendo equidem cursui vsurarum non sufficit verbalis oblatio, sed realis requiritur, & consignatio. *l. obsignatione. C. de solut. l. receptam. C. de vsur.* tametsi l. 2. *C. ibid.* oblationis tantum faciat mentionem, & lex Iulian. §. offerri. *D. de act. empt.*

20. Cessante cõuentione an pro quantitate fructuũ vsuræ cõsiderentur.

Quod attinet ad septimum; cum vsuras sola fructuum ratio sine mora extorquet, illorum quantitas posset considerari, sed tamen d. l. curabit quamuis solum faciat mentionem fructuum, non tamen eius decisio in eis solis fundamentum habet, vt iis cessantibus cessare debeat;

tentur dumtaxar. beat; sed (vt pleræque leges Codicis instar rescriptorum sunt) ad casum propositum solum respondet. quod inde liquet, quod & mentionem faciat minoris ætatis, cum decisio etiam in bonis maiorum venditis obtineat: ex generalioribus iuris decisionibus & anterioribus *l. Iulian.* § *ex vendito.* §. *ex empto.* D. *de act. empt.* *l.* 2. *C. de vsur.* considerat autem *d.* § *ex vendito.* § *ex empto.* maximè quod ritè traditio facta, & exinde mora contracta sit, & possessio, & facultas percipiendi fructus habeatur. *in verb. post diem traditionis, & an habeat facultatem fructus percipiendi, &c.* itaque dicta *l. curabit* per ea verba *fructuum ratio*, alia generalia iura non limitat vel restringit, quæ vsuras à die traditionis, habitæque possessionis, & facultatis percipiendi fructus, iniungunt. non magis quàm ea verba d. l. curabit *minoris ætatis fauor*, dispositionem in causis maiorū excludunt. atque ita sentiunt multi à Couar. aliisque citati. Si ergo non in solis fructibus fundatur decisio, ergo neque ad fructuum quantitatem vsuræ restringuntur. & certè nullis legibus exigitur vsurarum proportio ad ratam fructuum. neque ita loquitur Iustin. *in l. eos C. de vsur.* sed ex aliis considerationibus vsurarum quantitatem determinat. neque legum intentio est adeo litibus excitandis ansam dare, vt in singulis casibus inire oporteat rationem singularem fructuum; sed ex ordinum gradibus regulam decernere, quæ in foro seruari debeat. Quod si autem verè venditoris alicuius non aliter intersit quam quod fructus sibi absint; (cum ob id iustè alias percipiat, *Couuar. vbi sup. post D. Thomam*) tum pro ratione & foro conscientiæ suæ, quod à foro legum latè distinguitur, ille se gerat: &, si id omninò constiterit, Iudex per canones fortè vsuras adiudicare non debet. *tot. tit. X. & Clem. vnic. de vsur.* alioquin interesse præsumitur facilius à communiter accidentibus vbi reditus emptitij quotidie se offerunt. *Griuel. decis.* 92. ea tamen spei æstimatio videtur nonnihil infra rem esse debere. & sic non 6. in 100. vt ipse reditus; aut saltem aliquid defalcandum esse temporis quod in sumptum fuisset quærendo reditui. sed hac de re alibi. sed in casu nostro aliter interest venditoris, scilicet quod reditus ab emptore soluendos ipse luit, agitque solum de damno vitando, non de lucro vsurarum. Sed vt vt hæc sint, huc accedit conuentio partium *iuxta L. initio C. de pact. inter emp.* determinantium quantitatem ad nummum decimum sextum, idque pro indemnitate venditoris ad soluendos reditus integro prædio, cuius pars vendita est, impositos. quantum ergo abfuit, decessitque venditori, per omissam ab emptore & à venditore exactam redituum solutionem; vt tantum nunc venditori reponat, iustissimum æquissimumque est: si vnquam id quod interest, vsuræque cōpensatoriæ peti possint. vel ideo maximè, cum hic venditor ideo vendidit, vt ab eiusmodi reditibus exoneraretur: neque conuentio hæc & pactum quasi vsurarum lucratoriarum accusari possit; adeoque seruari debeat.

21. An sola traditio eas creet.

22. Nisi pro portione.

23. Solutiones in vsuras imputandæ.

Vsuræ ergo cum debeantur, siue canones, solutiones promiscuè factas non expressâ discretè, causa in quam fierent, imputari oportet in illas primum, deinde in sortem: *l.* 1. *C. de solut.* in verb. *prius in vsuras id quod soluitur, deinde in sortem accepto feretur. l. creditor.* §. *cum de sorte. D. eod.* à contrario sensu verborum, respondi, *si, qui dabat in sortem se dare dixisset, vsuras non debere proficere. l. in his.* § *vlt. D. de solut. in verb. sed ego non dubito quin hac cautio in sortem & vsuras, prius vsuras admittat, tunc deinde si quid superfuerit in sortem cedat. nec enim*, inquit, *l.* 6. *eod. ordo scripturæ spectatur: sed potius ex iure sumitur id, quod agi videtur. l. si. non sortem.* 26. *D. de condict. indeb.*

Facit ad hanc causam alia ratio *l.* 103. *D. de solut. in verb. cùm ex pluribus causis debitor pecuniam soluit, Iulian. elegantissimè putat ex ea causa eum soluisse videri debere, ex qua tunc, cum soluebat, compelli poterat ad solutionem*: atqui hic emptor cum soluebat compelli poterat ad solutionem lapsorum canonum; solutiones ergo eius in eos imputabuntur.

Itaque concludendum est emptorem venditori vsuras soluere teneri ad conuentam ratam nummi decimi sexti, pro quantitate residui pretij: in cuius diminutionem demum imputandum est, quicquid vltra vsuras debitas ex soluta singulis vicibus summa superfuit.

Vide etiam quæ dicimus *infra de Vsur. consf.* 1.

CONSVLTATIO II.

Reditus pecuniâ empti sunt redimibiles, alij secus: inter priuatos illi, in causa pia secus præsumuntur.

Reditus frumentarius, de quo agitur, priuatorum pactione constitutus est, ideoque hîc ad edictum regium 5. *Martij* 1571. pertinet, non verò originariè ecclesiæ relictus (quo casu edictum regium cessat, & iuri communi locus est, *vt in eodem dicitur*) eo edicto decernitur, vt omnes pecuniâ empti eadem redimi possint; si quidem ex literis quanta ea fuerit, constiterit: sin minus; quanti venisse frumentum eo triennio quo empti sunt, ex publicis libris constiterit. Vt constet de quantitate numeratorum nummorum, & facultate redimendi iubet edictū edi literas, quibus constitutus est reditus: si creditor iuratus neget eas se habere, declarauit aliàs 26. *Octob.* 1573. Concilium secretum, pro clero contra nobilitatem, & ciuitates comitatus Namurcensis, ad debitorē spectare probationem facultatis redimendi. quippe ex qualitate possessorum & causa consueta possessionis, præsumuntur originariè Ecclesiæ, ac piæ causæ dati legatiuè cum eis debentur; vel dominicales, dum dominis locorum. & Conc. Brabant. 28. *Iulij* 1626. iudicauit

dicauit pro Abbate Postulano contra Hubertum Ianssen de Mispel reditum siligineum super bonis suis à testatore pro officio perpetuo relictum, redimibilem non esse. E diuerso pleræque horum locorum consuetudines, & statuta etiam à Principibus decreta, vel vsu inueterato firmata declarant reditus, de quorum origine non constat (priuatis quidem, non autem Ecclesiæ ab origine vel fundiariis Dominis debitos) redimibiles esse, quando nec erit pro teste vetustas, vt, quia antiqui sunt, irredimibiles habeantur. Quibus fauet quod in obscuris ac dubiis interpretatio facienda est pro eo, quod est verisimilius, quod minus est, quod benignius est, denique quod libertati fauet. ex quibus causis Lud. Charon. *resp. lib. 2. resp.* 84. omnem eum reditum, quem actor non probat esse fundiarium, seu proprietarium, aut reseruatiuum, docet reputari redimibilem; vt debitor libertatem habeat se exonerandi: & Couuar. *tom. 2. Var. lib. 3. c. 10. nu.* 5. cui generali thesi valdè suffragantur pro præsenti controuersia literæ, quibus cedens hunc reditum pio loco, declarat eum se acquisiuisse ab E. super fundo M. *vercregen*, verbum hoc dubium, atque generale sumendum est, prout in communi sermone, vti & pro eo genere contractus quo plerumque acquirere solemus. *l. labeo. 7. in verb. ex communi vsu nomina exaudiri oportere. D. de supell. legat. l. vt Alphenus.* 87. *verb. ex consuetudine quotidiana posse intelligi. D. de verb. oblig. l. librorum. §. quod tamen Cassius. D. de leg.* 3. & quod communiter fieri solet factum esse præsumitur. *latè Euerard. in loc. leg. A. communiter accidentib* ita quod contrarium afferenti incumbat probatio, cuius onus in eum ob iuris præsumptionem transfertur. *Euer. ibid. n.* 30. & peculialiter cum dubitatur quis contractus sit initus, is deciditur interuenisse, qui communiter solet. *l. certi conditio. §. si nummos. D. si certum petatur*, atqui solemus emendo maximè acquirere priuati à priuatis: vti Ecclesia, piæque causæ solent ex vltimis voluntatibus, & super bonis à testantibus relictis: stabit ergo hic analogum *vercregen* pro principali suo significato. vnde solemus in acquisitionibus, si alij tituli interuenerint, in literis explicare v. g. ex dono, successione, permutatione, &c. Vnum est quod difficultatem mouere potest, verbum *een veertel erffpacht corens*, quod sonat perpetuam locationem. Wames. *cons.* 506. *de cens.* qualis reditus vtpotè dominij reseruatiuus est irredimibilis. Sed animaduertendum est contextum sermonis repugnare perpetuæ locationi. locator enim reseruat mercedem perpetuam, & dominium directum super fundo locato: hic autem dicit quod eum acquisiuerit P. ab E. super fundo de M. quod pignus sonat, atque alienum. Quomodo ergo hæc contraria sic copulantur? Existimem (si non titubarit rusticani graphæi stylus) antiquitati literarum id imputandum, quando non sic innotuerat vocabulum *rente* Burgundicum, & post aduentum Burgundionum Principum à practicis nostris, vt videtur, primum vsurpatum. neque binæ extrauagantes communes *Regimini* editæ erant. quarum prior est Martini V. qui assumptus fuit anno 1417. & altera successoris Calixti III. in quibus reditus annui pecunia empti approbantur, & census vocantur, qui tamen ibi redimibiles sunt. Ante quas extrauagantes hic vsus fuisse ex antiquis chartis deprehenditur constituendorum redituum; Petrus quanta pecunia solùm egebat fundum suum vendebat Paulo, decuplo quamuis pluris valentem, qui eodem actu retrocedebat Petro, reseruabatque annuum reditum frumentarium vel pecuniarium, vocabatur hic reditus *erffpacht.* quædam literæ vtrumque hunc actum longo sermone referunt: quædam breuitatis causa vltimum dumtaxat: sic tamen vt ex toto sermonis contextu deprehendi vterque possit. quo casu pugnantia sæpe verba intercurrere solent, & obtinere illud Horatij *breuis esse laboro, obscurus fio.* quod casu hic controuerso accidit. vidi & aliàs literas & nominatim *datas anno* 1388. vbi sine ambagibus constituebatur numerata pecunia, reditus siligineus, qui tamen ibi nominabatur *erffpacht*, nondum agnito aut vernaculo vsu recepto vocabulo *rente.* quandocumque autem deprehendi potest, siue breui manu, siue per ambages reditum pecunia constitutum esse, ex proposito edicti statuendum est; reditum redimibilem esse: *vt initio dictum est*, cum ergo id in controuersia præsenti manu penè tangamus, pro libertate & redimendi facultate respondendum est. Alioquin vbi pugnantia instrumentorum verba, aut circumstantiæ non reperientur, sed simpliciter reditus inscribentur *erffpacht*, erunt irredimibiles: nam perpetua locatio non rescinditur, aut redimitur.

CONSULTATIO III.

De redituum redemptione.

REdituum natura ab omnibus ad emptionum & venditionum contractum refertur, quo distinguantur à mutuo & vsuris: ideoque illius regulis & legibus censenda est. consequenter reditus omnes natura irredimibiles essent, nisi quod inesse censeretur pactum de retrouendendo; & constitutiones Pontificum 1. *&* 2. *in Extrauag. de empt.* & Principum secus statuerent. *Euerard. conf.* 150. *n.* 31. 32 *& per totum*: præsertim si iusto pretio, non vili sint empti. *Molin. de contract. vsur. q.* 19. *&* 20. *q.* 5. *num.* 128. *optimè q.* 65. *ar.* 448. vnde reditus per alios contractus constituti, per emphyteusim, perpetuam locationem, hæreditatis diuisionem, & similes notoriè pro irredimibilibus habentur. *Couuar. var. resol. l.* 3. *c.* 10. *num.* 5. *versic. primum: in nouis Consuet. Antuerp. ar.* 2. *p.* 3. *t.* 8. *& in Notis ad illas, in impressi*

1. Reditus natura irredimibilis.

2. Pactis & constitutionibus redimibilis empticius.

3. Non aliis contractibus constitutus.

sis ar.9.& 10.h.t.van renten. quin & per alios contractus & stipulationem constitui. *l. si Stichus. § stipulatio de verb. oblig.* stipulatio annua vna est, & perpetua. *& in l.veteres. C.de contrahend.stipul.l.si pactum. D.de probation.*

4. Quia contractus non sunt distracti. Atque horum ratio est, quod nullæ constitutiones Pontificum, nullæ Principum, reditus aliter quàm pecunia constitutos redimi posse decreuerint: quodque contractuum natura non sit, quod constitutum est destruere; quod contractum est distrahere: vt in emptione redituum, in qua redemptionem, seu retrouenditionem constitutiones tam Pontificum quàm Principum permittunt. idque magna etiam ex ratione diuersitatis: quoniam huiusmodi emptitij reditus similes quodamodo & succedanei sunt mutuo sub vsuris dato. & speciem quandam huiusmodi proponit Nouell. 160. vbi pecunia ita collocatur, vt, quam diu penes susceptores esset, pensionem aliquam illi singulis annis soluerent: quam multi reditum esse censent, & ita sonat textus: sed Cuiac. *in Nouell.ad No.* 160. verè iudicantibus vult esse vsuram: in aliis autem contractibus non est ea mutui similitudo, nec eadem cum emptitiis reditibus ratio. *bene VVames.t.2.resp.iur.pont.de cens.cons.*503.*n.*2.*&* 10.

5. Frumentarij etiam reditus empti edicto redimibiles. Vnde & Philippus II. 5. *Martij* 1571. post longam super huiusmodi ratione præfationem produxit reducendi adeoque redimendi facultatem ad reditus etiam frumentarios pecuniâ emptos, non autem aliis contractibus constitutos. non sunt hi onerosi & odiosi vt illi: iustitia & æqualitas sine fraude (de quibus multa in eadem præfatione) magis in his quàm in illis obtinet: & in ipsa redemptione plus liquidò apparet æquitatis, cum redditur quantum acceptum est: in reditibus fundiariis, censibus, emphyteusibus, & similibus rem ipsam olim datam reddere oporteret, non pecuniam.

Statuamus igitur 1. reditus in pecunia soluendos, pecuniâ emptos, pecuniâ redimibiles esse: ex iis quæ dicta sunt initio. 2. pecuniâ emptos in speciebus soluendos, etiam pecuniâ redimibiles esse: non iure quidem, quo contrarium est decisum; *l. oleo.C.de vsur.l.frumenti eodem.* sed epikeiâ quâdam, quàm Rex considerauit: & admodum vrget d. præfatione edicti 1571. 3. reditus aliis contractibus constitutos, esse irredimibiles: vt etiam initio diximus: re datâ in censum, emphyteusim, perpetuam locationem, per stipulationem, diuisionem hereditariam, &c.

6. Legatus ex fundo testatoris irredimibilis si ecclesię causæque perpetuæ est relictus. Videamus de dato, nunc legatoque. Igitur legatum annuum menstruumúe ad vitam eius cui relictum est debetur, & cum necessitate alimentorum extinguitur: *tot. tit. D. de ann. legat.* & vt demus priuato relictum etiam citra alimentorum rationem, quod testator in hæredes transire voluerit, redimi posse; tamen ecclesię relictum perpetuum est. *l.annua.*20.*D. eod. quisquis mihi*, inquit, *hares erit, fidei eius committo, vt det ex reditu cœnaculi mei, & horrei post obitum sacerdoti, & libertis, qui in illo tempore erunt, denaria decem, die nundinarum, quos ibi posui: quæro vtrum is dumtaxat qui eo tempore, quo legabatur in rebus humanis, & in eo officio fuerint, debitum sit, an etiam his, qui in locum eorum successerunt? respondit, secundùm ea quæ proponerentur, ministerium nominatorum designatum, cæterum datum templo: Item quæro vtrum vno dumtaxat anno decem fideicommissi nomine debeantur, an etiam in perpetuum decem annua præstanda sint? respondit in perpetuum.*

7. Ex fine ac mente. Vbi Scæuola iuris prudentissimus quamuis ethnicus sacerdoti relictum, seu eius ministerio, ac templo, quoniam hoc perpetuum est, etiam legatum perpetuum esse respondit: quoniam is finis, ea mens, atque intentio defuncti, & coniectura voluntatis sit: tametsi aduersùs regulam, qua annua legata vita legatarij finiuntur. *vt optimè VVames. tom.* 2. *resp. iur. pont. tit. de cens. cons.* 498. 505. *numer.*5.

Idem respondit Martianus *l.*32. *eod. cum quidam*, inquit, *decurionibus diuisiones dari voluisset die natalis sui: Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt non esse verisimile testatorem de vno anno sensisse, sed de perpetuo legato:* vbi Imperatores ex verisimilitudine voluntatis legatum perpetuum esse rescribunt, die natali decurionibus diuidendum: vbi glossa natalem etiam, qua testator ad meliorem vitam decessit, intelligit. adeoque quod relictum est in anniuersaria defunctorum, perpetuum atque irredimibile est.

Rursus idem Martianus *in lege ibidem sequente* refert eosdem Imperatores rescripsisse, cum erat certa pecunia relicta per quadrienniũ certaminis Chrysantiani, perpetuam pensitationẽ videri reliquisse testatorẽ per quadriennium, non in primum quadriennium: idem in pecunia in ludos ciuitati relicta. Modest. *in l.* 6. *D.eod.* rursus, inquam, ex coniectura voluntatis elicitur huiusmodi decisio pro perpetuitate legati: idemque in infinitum obtinet in annalibus legatis, quæ non certæ personæ, seu ad eius vitam, præstari iussa sunt: *l. in annalibus. C. de legat.* quidni ergo eodem ex fonte decidatur legata testatorum in sacra ministeria 8.
anniuersaria, ac res alias diuinas, relicta esse perpetua? adeoque vt perpetua sint, votum est piè morientium. sic sunt perpetua etiam in pauperes relicta; quos testamentũ Christi nos semper habituros nobiscum spopondit: semper illi egebunt, semper alendi erunt; semper manebit Christi promissio; quod vni ex illis fecistis, mihi fecistis: semper comminatio pœnæ, & promissio præmij; quam Christus in vniuersali iudicio sententiæ singulorum inferet, esuriui & dedistis, vel non dedistis mihi edere; sitiui, & dedistis, vel non dedistis mihi bibere; & illud æternum, *ite*; vel, *venite.* Id testatores pij animo intuentes perpetuas fundationes esse volunt, quas in has causas relinquunt, quæ perpetuæ sunt; vt correspondeant ad dicta præmia perpetua; vt qui in perpetuum pauperibus bene fecerit, veniat perpetuò beneficij vices accepturus. ad quas voluntates

An anniuersaria perpetua; seruitia diuina, &c.

tates interuertendas, cui scrupulus non ingeratur ex illo, ite?

Sanè religiosius Philippus Bonus, quamuis in feudis, quæ nec iure prout lubitum est semper pro anima dare, legare licet; *tamen edicto* 18.*Nouemb*.1466.*ar*.10. statuit, vt reditus super feudis, si non forent amortizati, ad principales fundationes, anniuersaria, speciales missas, aut eleemosinas dati seu legati qui ad manus mortuas iam tum venerant, aut deinceps venirent, pecuniarij redimi possent nummo vigesimo: frumentarij prout aliquot annis antè ac pòst valuisset frumentum: eaque pecunia in fundos aliosúe reditus non feudales collocari deberet: in eumque finem annum vnum ante redemptionem pecuniam consignari.

Vnde patet totam eam constitutionem conceptam esse, in causam feudorum, in quorum imminutione Princeps & resp. patitur ob seruitia feudalia graue dispendium, & voluisse propterea sortem huiusmodi redituum in allodiales seu censuales fundos impendi, ne damnum patiantur communes fundationes; & tamen ipsas speciales excipit, & super feudis retineri permittit.

Et, quoniam vna lex aliam debet explicare, ad hunc sensum est excipienda etiam Constitutio Caroli V. 19. *Octob*.1520. de reditibus super feudis constitutis, vt ex eo tempore imposterum irredimibiles feudis imponi non possint: ante impositi secundùm d. Constitutionem Philippi Boni regulentur. vterque autem Princeps cum tam studiosè de feudis cauet, & adhuc sub tot exceptionibus; satis declarat datos, legatos reditus super fundis alaudialibus, & censualibus, esse irredimibiles: & præsertim Philippus Bonus cum super talibus iubet collocari. & Philippus II. *edict*.1571. expresè excipit à reductione & redemptione ibi decreta reditus originariè ecclesiæ relictos. vt supra est dictum.

9. Quid cum origo non apparet?

His præmissis, cum non apparet de origine reditus, quæritur an emptitius sit censendus, an alio contractu constitutus; consequenter an redimibilis, an irredimibilis? & quidem Couuar. Var. *l*.3.*c*.10.*n*.5. plures in genere citra considerationem causarum piarum adfert distinctiones, sed in fine optimè Iudicem hac de causa cogniturum debere omnino quamlibet qualitatem, legem, & contractus conditionem, atque omnes coniecturas exactè rimari: quo facilius iudicare valeat, sitne præsumenda annua præstatio perpetua, an temporalis, & redimibilis? sanè maximè attendendum est, quod communiter fit; id enim factum esse intelligitur. *Euerard, in top. loc. à communiter accidentibus*, sic si legato quantitas adiecta non sit, ex eo quod testator solitus erat, aut ex dignitate, statuitur. *l*.14. *D. de ann. legat. l. seruus plurium*.§.*fin*.*D. de leg*.1. vbi ante omnia quæritur, quæ sit patrisf. quæ regionis consuetudo. & nominatim decisum habemus in *l. certi condictio*.§.*si nummos*. *D. si certum petatur*, cum censeri contractum interuenisse, qui communiter solet: *nec dubitari*, inquit, *quin si meam pecuniam tuo nomine, meâ voluntate, dedero, tibi acquiratur obligatio: cum quotidie* (nota) *credituri pecuniam mutuam ab aliquo alio poscamus, vt nostro nomine creditor numeret futuro nostro debitori*. hic Iason *post Ioan. Fab. in l*. 2. *C. de iur. emphyteut*. in dubio contractum potius emphyteuticum censendum tradit, quàm censualem; nisi hic frequentior esset: vbi tota ratio decisionis à frequentiori agendi, contrahendiúe consuetudine sumitur. & *in l. si pactum*. *D. de probation*. id actum intelligitur quod plerumque solet. cuiusmodi argumentum assumit ipse Rex *in edicto* 1571. quando iubet valorem pecuniæ æstimari iuxta edictum, creationem reditus proximè præcedens: rationem allegans, quia verisimile sit contrahentes iuxta illud se gessisse: ergo dum apud Regem hoc argumentum in hac materia redituum valet ad constituendum; etiam in hoc casu sufficiet ad præsumendum in constituto. Vnde optimè statuit *ibidem Euerard*. *num*.30. quod contrarium asserenti incumbat probatio: cuius onus in eum ob iuris præsumptionem transferatur. Id quod disertissimè probat *d. lex si pactum*. *quamuis*, inquit, *verum sit quod, qui excipit, probare debeat, quod excipitur; attamen de ipso dumtaxat ac non de herede eius quoque conuenisse petitor, non qui excipit probare debet: quia* (nota) *plerumque tam heredibus nostris, quàm nobismet ipsis cauemus*: vbi quia plerumque sic contrahimus, aduersarius aliter contractum esse probare debet.

10. Ex circumstantiis & communiter accidentibus Iudex arbitrabitur.

11. Ideo præsumitur reditus inter priuatos emptitius.

Cum igitur inter priuatos de reditu agitur, præsumendum est emptione esse constitutum: quoniam ea contractus species frequentissima est inter priuatos: ideo inuentus nummus, vt difficultatibus aliorum contractuum subueniret.

12. In Ecclesia donatus legatus &c.

Cęterùm reditus ab Ecclesia possessi in eandem causam non cadunt: non negotiatur, non commercatur Ecclesia; vetantur clerici negotiis secularibus se immiscere; ab origine Ecclesiæ Christianæ quotquot possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem cuique, prout opus erat. *in Act. Apost. c*.4. postmodum Ecclesia ipsas possessiones, & reditus non vendere cępit, sed retinere, & annuos prouentus diuidere: *c. videntes*.12.*q*.1. *ipsa*, inquit, Vrbanus, *res in ditione singularum parochiarum Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus: è quibus Episcopi & fideles dispensatores eorum ministrare cunctis necessaria debent*: quod & sonant canones Apostolorum: *c. præcipimus ibid. aliaq. cc. eadem q*. neque aliud est quod magis manu tangatur, quàm ecclesiasticos prouentus, præsertim nonnihil antiquos, & ante Lutheri, & ex eo hæretorum seculum, quo refrixit charitas, in Deum pietas, in Ecclesiam liberalitas, ab Ecclesia possessos frequentissimè liberalitate Christi fidelium in eam fuisse deriuatos, non pecuniâ

ab illa emptos. Consequenter præsumendum est non redimibiles, sed in natura aliorum actuum & contractuum, à constitutionibus pontificiis & principalibus relictos: qui, vt dictum est, naturâ suâ redemptionem non admittunt, nisi contrarium pactum sit adiectum, quod non præsumitur; & in eo se fundanti incumbit probatio: *d. l. plerumque Euerard. d. num.* 30. atque adeo Wames. *tom.* 2. *resp. iur. pont. tit. de cens. cons.* 506. 507. in dubio reditus Ecclesiæ & piæ causæ debitos, præsertim antiquos, omnino censendos esse irredimibiles tradit; contrariamque opinionem erroneam vocat: præsertim, inquam, in antiquis Ecclesiarum reditibus hæc obtinent: quia tunc reditus pecuniarij adhuc infrequenter maximè ab ecclesiasticis, & quibus tenera erat conscientia, emebantur: & multi reditus ætatem superant Martini V. qui anno demum 1422. primus eos approbauit, nec adhuc omnium scrupulos exemit; vt & Calixtum III. anno 1455. manum admouere oportuerit. tantum abest vt secus actum aut contractum censeatur quam pij mores ecclesiasticorum eius ætatis ferebant.

13. Adeoque nec redimibilis.

Quibus ex causis pro hac sententia sæpissimè fuit iudicatum tam in supremo Concilio Mechliniensi; *vt refert Christineus. d.* 303. *nu.* 19. *& aliis vol.* 1. *&* 6. *Februarij* 1598. *idem ad Consuet. Mechl. tit. de cens. ar.* 5. *in fin.* quàm in in Concilio Brabantiæ. *pro fabrica de Cortenbeke contra Dominum de Gempe anno* 1545. *vt annotauit consiliarius insignis qui interfuit.* & nuper 28. *Iulij* 1626. *pro Abbate Postulano contra Hubertum Ianssen de Misscle. & à Magistratu Antuerpiensi* 29. *Iulij* 1528. *inter capellanos S. VValburgis & Ioannem Bot.* 24. *Decembris* 1620. *inter Franciscum Perez receptorem Xenodochij, & Capellanos B. Virginis.* Idemque Brabantiæ Concilium, aliaque sæpius aliàs ita iudicarunt. vt quamuis etiam aliæ sententiæ in contrarium citentur, credere tamen oporteat in illis causis aliqua indicia fuisse detecta, quibus pecuniam interuenisse appareret.

Præsertim attentâ solemni sententiâ à Concilio priuato latâ 16. *Octob.* 1573. pro clero totius comitatus Namurcensis, Interpretationem edicti 1571. postulante aduersus nobilitatem & communitatem eiusdem ciuitatis. ea enim sententia, interpretando idem edictum 1571. declarauit omnes reditus frumentarios ab Ecclesiastica manu possessos, de quorum origine non constaret, habendos esse irreducibiles, adeoque irredimibiles, nisi debitor pecuniam interuenisse probaret: eosque solos esse redimibiles. Quæ ea propter ex interpretantis Principis voluntate pro lege recipienda, & seruanda est.

Quibus conformiter in consuetudinibus Mechliniensibus à Car. V. emologatis habito consilio Parlamenti Mechlinensis. *tit. van Chynsen renten*, quamuis *ar.* 1. super domibus intra vrbem principaliter constitutis reditus redimibiles statuisset; excepit relictos ad fundationes, beneficia, anniuersaria, distributiones, panem, & vinum sacris necessarium.

Quos iam antea etiam à simili facultate redimendi exceperat edictum 21. *Feb.* 1528. generatim relictos ad cultum diuinum, & pauperes alendos.

Meritò: tam ex iis, quas diximus, causis, quàm certa voluntatis testantium coniectura: qui, vt suprà diximus, si diuinum aliquod officium instituant, perpetuum esse velint, & irredimibile. *d. l.* 6. *l.* 20. 23. 24. *D. de an legat. l. in annalibus. C. de legat.* siquidem omnino censentur velle talem esse censum, qualem sumptum: si ergo perpetuum sumptum; perpetuum censum: qui finem præcipit intendit media; censetur velle id sine quo ad eum perueniri non potest. *& quæ alia habet Euerard. in top loc. à fin.*

Vnde qui relinquunt ad perpetua seruitia sacra, perpetua pauperum alimenta, perpetuos eos census esse volunt, & inalienabiles, adeoque nec redimibiles. *l. orphanotrophos. C. de epis. & cler. l. illud. C. de sacrosanct. eccles. Molin. cons.* 9.

Et verò si data, si legata, si testamento res relicta est, si reditus impositus à testatore rebus suis, quomodo redimi poterit qui nunquam est emptus, quomodo retrouendi, qui nunquam venditus, quo pretio, de quo nunquam conuentum est? quod nec statui potest nisi fortè cōsiderando quanta pars prouentus rei fuerit, cui fuit impositus; & tanta ex re pars decidatur, quanta tunc fuit prouentuum: quomodo nec dominicales, nec emphyteutici canones nummariam recipiunt æstimationem, quamuis in nummis præstentur; adeoque nec extingui possunt inuito Domino, nummis quamuis mille oblatis. atque ita hanc sententiam sequuntur *Ioannes Pirrhus Consuet. Aurel. c.* 32. *tit. de retrab. vend. Rebuff. ad Ord. reg. tit. de constitut. redit. glos.* 17. *Molin. d. cons.* 9. *VVames. vbi supra cons.* 506. 507.

Qui etiam Molinæus, quamuis fidei & Ecclesiæ inimicissimus, tamen tantum detulit veritati, vt non tantùm huiusmodi reditus irredimibiles haberet, sed etiā, vt quamuis Princeps irredimibiles redimi posse velit, & hoc lege latâ sanciat, ad reditus in pium vsum relictos, aut comparatos non extendatur. ita enim refert Pecq. *de amort. c.* 35. & sic etiam scriptū consiliarij Cancellariæ Brabantiæ, de quo mox, rei ibidem iudicatæ rationem annotans dicit, quod consuetudo Louaniensis reditus, de quorum origine non constat, pro redimibilibus habens, locum tantùm habet in iis, quæ sub eorum iurisdictione sunt sita: adeoque ad reditus expressè amortizatos, aut pro talibus propter immemorialem temporis lapsum habendos, ab ea esse exemptos; neque comprehendi. & sic à generali edicto, quo reditus super domibus intra vrbem, aut suburbium Parisiense sitis hypothecati redimibiles omnes declarabantur, alio edicto *vlt. August.* 1569. *de quo Choppin. de sacr. polit. l.* 3. *t.* 6. *n.* 4. sunt exempti.

14. Qui nec legibus generaliter redemptionem permittentibus comprehenduntur.

Facit

Facit rursus quod in dubio iusta interpretatio est, quę pro religione facit: *l. sunt. 63. D. de relig.* quæ pro alimentis: *l. Mela & ibi. DD. de aliment. & cibar.* præsertim pauperum: *c. sicut. distinct. 46.* adeoque quamuis indebitum allegans probare teneatur; tamen minores; quibus comparatur Ecclesia, aliæque priuilegiatæ personæ, non tenentur: *l. cum de indebito. §. sin autem. D. de probation.* quantò magis cum de debito constat, nō tenebitur probare fieri posse indebitum, & extingui? quod effectu ipso dicit qui reditum Ecclesiæ contendit redimere.

15. Nec obstat fauor libertatis? Nec quicquam facit, qui solet obiici, fauor libertatis. vnde consequentem faciunt redimendi & exonerandi facultatem: quia priuilegiatus aduersùs æquè priuilegiatum non vtitur priuilegio: non ergo libertas contra Ecclesiam. quamquam nec hic est æqualitas, quia summa est, inquit, *d. l. 63. D. de relig. & sumpt. fun.* ratio, quæ pro religione facit; non æqualis, cum aliis priuilegiatis causis; sed summa.

Et verò generalis pręsumptio, quà res libera creditur non seruituti obnoxia, facilè aliâ speciali coniecturâ concurrente perimitur: v. g. libertas altius tollendi cuius naturaliter competit: *l. altius. C. de seruitut.* si tamen vel antiqua forma, vel status antiquorum ædificiorum aliud videatur suadere, mox à præsumpta libertate receditur. *l. qui luminibus. D. de seruitut. Vrban. prædior.* quod maximè hodie obtinet per consuetudines. cuius rei aliud testimonium exigi non oportet, quam prolixos inter consuetudines ferè vbique tractatus de seruitutibus; quàm infinitis illæ, & quàm exiguis indiciis seruitutes firmant aduersùs libertatem naturalem?

At verò in hisce terminis non quæritur, an res seruiat; sed seruire certum esse, & reditum debere præsupponitur; neque enim versamur in gratuita præstatione aliquot annis factâ, *de qua in l. si certis annis. C. de pact. & in c. peruenit. X. de cens.* quod *census ignorantiæ*, quem vocant, nec diuinis nec humanis legibus inuenitur: sed debitum esse registris, manualibus, computibus præsupponitur. quo in genere non paucæ consuetudines eum, qui decem annis reditum soluit, vt debitum, imposterum soluere compellunt. *arg. l. litibus. C. de agric. & cens. l. 11. DD. in d. l. si certis.* Igitur de modo debiti tantum quæritur; fundiarius reditus sit, an pecuniâ emptus? quo in genere cum de seruitute constat, de genere tamen seruitutis quęritur, arbiter sumendus est, qui dicat *d. l. qui luminibus. §. si inter.* arbiter hic sumptus, si religiosus erit, spectabit eam rationem, summamque esse credet, quæ pro religione facit: reditum ergo Ecclesiæ, clero, sorti domini, pauperibus, membris Christi debitum, non pecuniâ emptum atque redimibilem; sed per emphyteusim, perpetuam locationem, per legatum rebus testatoris impositum, atque irredimibilem existimabit.

16. Nec quod seruitus Verùm obiicitur, seruitus non est naturalis, sed aduentitia; ergo est pretio seruitus redituum rebus imposita: sed nulla est hæc consequentia ad generis non distributi certam speciem ducta: plures enim aduentitiæ huiusmodi seruitutis sunt species, pecuniâ, donatione, legato, rebus in censum, libellum, emphyteusim, feudum, perpetuam locationem (quæ olim frequentissima Ecclesia fundis abundante, & per se non colente, *VVames. vbi supra consil. 507.*) atque aliter datis: sed quæritur quæ ex his speciebus, cum nulla certo apparet, interuenisse censenda sit? in quo non ea species mox sumenda, quæ Ecclesiæ maximè sit nociua; *VVames. vbi supra*, minus quæ tam vehemens credatur præsumptio, vt sit pro probatione plena, & ob quam pro Actore sit iudicandum, quo aliàs non probante reus iure sit absoluendus. censeatur aduentitia.

Et propterea Grimaudet. *tract. de vsur. c. 16. n. 6. in fin.* negat sufficere præsumptionem aliquam, vt reditus decidatur redimibilis tanquam pecunia emptus.

Molin. etiam *ad Consuet. Paris. §. 84. nu. 64.* nec crebriorem contingentiam sufficere ad priuandum aliquem iure suo, via actionis: & sic nec ex illa reditum pro actore aliter non probante definiri posse esse redimibilem: ideo quia multi sunt modi constituendi reditum præter pecuniam. *idem in tract. commerc. seu de vsur. q. 16. n. 213.*

Denique obiicitur, quod hi reditus sunt succedanei vsurarum, & hi contractus simbolizent cum mutuo: & propterea iisdem regulis consistant. Imo ipse Pontifex *in extrauag. regim.* decisiones formet ex regulis mutui: sed non est mirum quosdam contractus aliquam habere inuicem affinitatem: *institut. de locat. §. 1. institut. de empt. §. nam in cæteris. l. 1. C. de iure emphyteut.* cæterùm argumentum hoc inuoluit id ipsum quod est in quæstione: nam *d. extrauag. regimini* agit de reditibus originaliter emptis, non de aliis: illis redemptionem concedimus; his negamus: sed cum non apparet an versemur in his, vel in illis; quærimus hic qualis sit præsumendus, quibus regulis tractandus? non hoc eo argumento deciditur. sed & illud vno verbo dicendum, optimè Molin. eiusque sequaces reprehensos esse vel ab ipso Busio *l. 1. de redit. c. 5. n. 14. & alibi*, quod decisiones suas *in tractatu de vsuris* super reditibus nimis solitus sit elicere ex legibus de mutuo disponentibus; & definire ex iis, quæ de lucro pecuniæ creditæ veteres Iurisconsulti tradiderunt. adeoque ipse Busius *d. l. 1. c. 2.* rectè docuit ad praeueniendos huiusmodi errores, quantum differant reditus à cæteris rebus similibus. nec sanè verum est quod Extrauag. *regim.* decisionem deducat ex regulis mutui; sed propria redituum natura. quam & Busius examinat *d. c. 2.* & ex facto Pontifici proposito, *in d. extrauag. regim.* quæ & ideo & sequens posita est sub titulo de vēditione. prout reditus seu ius annuę pensitationis percipiēdę in emptione merx est; & numeratâ ob illam pecuniâ, illius pretiū: ita 17. Nec quod reditus succedanei vsurarum.

quod

quod Pontifex ex regulis emptionis non mutui (in quo res eodem numero, pondere, aut mensura datur, & recipitur) propositam ibi quæstionem definiat, emptionem & venditionem vocet, contrahentes emptores & venditores: pacta emptioni tantùm adiecta examinat, an ad vsuras inclinent: sicut *in c. in ciuit. X. de vsur.* emptio communium mercium, ob dilatam solutionem pretij, pluris venditarum examinatur, an pactum veræ emptioni adie-
18. ctum sit vsurarium; & alia alibi.

Nec quod in obscuris minimum sequendum.

Sed rursus obiicitur in obscuris id quod minimum est præstandum esse, etiam Ecclesiæ: *l. titia §. fin. D. de auro & argento legato.* sanè ea lex aliquos ita torsit, vt pro sua quisque sententia lectionem mutaret: etiam Ti-
19. raquel. *in tract. priuil. pia causa p. 25.* vt quamuis pro pia causa in obscuro quod maius est deberi sentiat, tamen in specie *d. l. titia* ab eo recedatur: sed ratio non permittit, vt pro lubitu suo quisque, & suæ opinionis argumento, à recepta lectione recedat: præsertim hac, quam castigationibus Haloandri & Pandectis Florentinis conformem asserit Couuar. *in c. iudicante. 4. de testam. & Meno: h. præsumpt. libro 4. p. 106. num. 33.* vbi eâ lectione retentâ Ecclesiæ legatum, si obscurum sit, deberi quod est maius, vterque rectè docet, & communem esse tradit.

Ecclesiæ in dubio debetur quod est maius.

Igitur *in d. §. fin.* in eo templo non nisi aut ærea, aut argentea erant dona, & decidit Scæuola deberi argentum; & sic maius quidem, hac lectione retentâ: minus autem; si leges, aurea vel argentea: qui hanc lectionem sumunt, quærunt cur Scæuola alioquin rogasset vtrum ex argento an ex auro signum, an æreum ponendum esset? sed debile hoc argumentum est, nam si aurea legas, aut argentea; quæram eodem argumento cur Scæuola mentionem facit æris, si in illo templo non nisi aurea aut argentea erant dona? Itaque Scæuola, cum in eo templo tantùm essent ærea vel argentea, in quo testator signum Dei fieri iusserat; auget quæstionem, & tertiam speciem ei adiungit, an ex argento, ære, vel auro fieri deberet, vt vnâ responsione duas quæstiones solueret: scilicet ex iis, quæ in eo templo erant, ærea scilicet vel argentea, præstandum respondet id quod est maius; scilicet argentum: innectit alteram quæstionem, si fauore templi præstandum est quod est maius, an non signum Dei statuendum sit ex auro? & hoc negat; sed ex argento: & ratio est, quia ea præsumptio, quæ facit in dubio præstari Ecclesiæ, quod est maius, vincitur ab alia præsumptione concurrente, quod, cum in eo templo dona non essent nisi ærea, aut argentea; testator loci consuetudinem sequi voluerit: *iuxta l. seruum plurium. §. fin. D. de legat. 1. ante omnia,* inquit, Iul. *patrisf. consuetudo, deinde regionis inquirenda est:* ante omnia ergo consuetudo huius templi in obscuro coniecturam voluntatis facit; censeturque testator fecisse legatum iuxta conditionem templi. *l. sed etsi susceperit. §. si libertis. D. de iudiciis.* manet itaque resolutum *ex d. §. fin.* in obscuro præstandum esse Ecclesiæ, quod est maius: ita tamen, vt illud non extendatur ad insolita; sed intra consueta coërceatur. adeoque ad rem nostram in reditibus piæ causæ debitis credendum est in obscuro non esse eos redimibiles; sed (quod est maius) irredimibiles esse habendos: siue per legata olim à testantibus rebus suis imposita ad perpetua Ecclesiastica seruitia, vel perpetua pauperum alimenta, in quibus hi tituli sunt frequentiores, adeoque pro ea consuetudine præsumendum est ante omnia. *d. § fin.* quam ideo iuuat coniectura, quam Iulian. *in d. l. si seruum. §. fin.* ita extendit, sed *& mens*, inquit, *patrisfamilias, & legatarij dignitas, vel charitas, & necessitudo exquirenda est*: de mente testantium quis aliter dixerit? de legatarij dignitate, ecclesiæ, ministrorum Dei, pauperum Christi membrorum, de charitate vel necessitudine, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* quis hic arbiter sumptus, *iuxta d. l. qui luminibus. §. si inter D. de seruit. vrban præd.* reditus his debitos non ex mente testatoris, dignitate legatarij, charitate & necessitudine, consuetudine & fine testantium, non dicet esse irredimibiles? præsertim cum Menoch. *d. præs. 106.* ex singulis his causis tradiderit in obscuris deberi id quod est maius. sed & maximè expendit *n.* 14. 20. aliis præstandum semper esse quod est maius, quando alioquin corrueret mens testatoris, aut in partem minueretur: vt infinitæ testantium voluntates, religiosæ & piæ fundationes, missæ, sacra ministeria intereant oportet, si reditus omnes censeantur redimibiles, non apparentibus titulis: horum bellorum iniuria magna parte deperditis; insolentia militum conscissis, igne vnà cum templis atque arcis, in quibus seruari solebant, absumptis.

Et vero his circumstantiis, *quas expendit Iulian. in d. l. seruum. §. fin. D. de auro legat.* applicitis & consideratis in reditibus, vt mox fecimus, non remanemus in obscuro in quo minimum sequendum sit; sed res potius lucida est habenda; in qua tot sunt pro causa pia præsumptiones iuris. Nam probatio etiam est quæ fit per præsumptiones. *tot. tit. X. de præsumpt.*

Sed rursus in eandem rem obiicitur *c. ex parte. X. de cens.* vbi qui vota soluunt in minori mensura, non sunt cogendi soluere in maiori: sed verè non id dicit Pontifex ibi indistinctè, sed rationem sequitur *d. l. si seruum. §. fin. D. de legat. 1. ante omnia*, inquit Iulian. *ipsius patrisf. consuetudo, deinde regionis exquirenda est*: Pontifex d. c. *ex parte* sic inquit; *cum ergo non constat ad quam mensuram antecessores eorũ prædicta vota persoluerint*: ecce cessat patrisf. consuetudo: pergit ergo Pontifex; *credimus distinguendum, vtrum habitatores regionis ipsius, qui ea continuò persoluerunt, ad vnam & eandem mensuram huiusmodi vota persoluerint, an ad varias & diuersas.* Ecce inquirit Pontifex consuetudinem regionis persoluentium; 20.

Vota in minori an maiori mensura sint soluenda?

& ex

& ex ea decidit primo casu ad vniformem mensuram esse cogendos; in difformi autem soluentium consuetudine, cum & in minori & in maiori mensura soluendi essent consuetudine, non esse cogendos ad maiorem, qui ex consuetudine in minori satisfaciendi præsumebantur esse possessione, quam per exactionem maioris non debere interturbari decidit ibi Pontifex; & addit causam etiam casui ibi proposito singularem: *quoniam*, inquit, *cum huiusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à viris ecclesiasticis exigenda; ne tanquam exactores videantur temporalibus lucris inhiare*: duo ergo considerat ibi Pontifex: primò vota huiusmodi gratuita fuisse ab initio: 2. Ecclesiasticos viros non debere in iis versari vt exactores: vota enim huiusmodi Compostellana, de quibus ibi agitur, certò ibi constat ab initio fuisse gratuita; adeoque magis vouentium conscientiæ relicta, quàm rigidæ exactioni: quæ etiam ibi non deceat, quo minus alij vouentium auertantur. *potest*, inquit, *Couuar. in d. c. indicante. nu. 6. capitulum illud intelligi ex benigna interpretatione Romani Pontificis, ne videantur personæ Ecclesiasticæ inhiare lucris temporalibus tanquam exactores, cum illud votum factum fuerit ab initio gratuitò.* eandemque rationem probat Menoch. *d. præs.* 106. *num.* 33: adeoque non tam ea ratio sumpta est ex iure partium, de quo in quæstione nostra quærimus, quam ex pia sacræ politiæ ratione: vt in votis Compostellanis nullus sit rigor exactionis, in viris Ecclesiasticis, aduersus pios peregrinos, itinerum aliisque molestiis afflictos, in materia votorum, quæ ab initio constat fuisse gratuita. omitto alias *d. c. ex parte* rationes à Panormitano ibi deductas, ob quas vocat illius Capituli casum mirabilem.

21. Sed in contractibus nō eadem ratio.

Non hic versamur in iisdem terminis, sed in reditibus antiquis, qui debiti quidem inueniuntur per registra &c. sed nescitur qua ex causa sint debiti; an quia pecunia data est ab Ecclesia in emptionem, an res ex quibus debentur in emphyteusim, in censum, in perpetuam locationem; an quia testatores rebus suis imposuerint, vt ex iis sumptus soluerentur ministeriorum sacrorum, aut pauperum alendorum ab ipsis præscripti: si priori casu; redimibiles sunt ex constitutionibus Pontificum, & Principum reditus emptos redimendi perpetuò facultatem dantibus: posterioribus autem casibus nullæ Pontificum aut Principum constitutiones redimendi facultatem faciunt; nec natura contractuum; nec mens aut consuetudo testatorum ad perpetua ministeria relinquentium.

Quæ in his locis, vel ideo magis iuuatur, quod edicto 1571. non tantùm redemptio permissa fuit redituum pecunia originaliter emptorum; quod & priores Pontificum & Principum constitutiones concesserant; sed etiam reductio ad annuam præstationem pecuniariam eorum redituum, qui pecunia empti fuerant, in speciebus annonariis soluendi. in vim cuius edicti infiniti mox huiusmodi reditus fuerunt ad annuam præstationem pecuniariam reducti, in quibus poterat esse probatio pecuniæ numeratæ, & propterea per lapsum tanti temporis, post tantas bellorum iniurias minus credendum est amissis nunc titulis, reditus piarum causarum esse redimibiles; sed antecessores qui tempore edicti fuerunt, habuisse notitiam titulorum, causarumque ob quas non essent redimibiles, ideoque non redemisse: quodque alioquin non præsumerentur, voluisse tot annis suum iactare, non petendo reductionem ad præstationem pecuniariam annuam, multò benigniorem, quàm præstationem annonariam singulis annis in speciebus, aut pretio pro variatione fori factam.

22. Consuetudo in specie soluendi longo tēpore præsumptionem facit pro irredimibilitate.

Quod si Iasoni *in l. 2. C. de iur. emphyteut.* visum fuerit ex solutione canonis quadragenaria præsumi censum esse emphyteuticum; quod si etiam visum Innoc. *d. c. ex parte* non obtinere quando pia causa possidet, & quod antiqua possessio pro constituto sit, & perpetua habenda: *VVames. resp. iur. pont. tom. 2 cons.* 507. *num.* 4. sane talis præstatio in speciebus vel pretio pro fori variatione dissimili tot nunc annis post beneficium illius edicti 1571. facta possessionem tribuit piæ causæ, vt reditus huiusmodi censeantur irredimibiles: quæ possessio transfert onus probandi in aduersarium; quamuis piæ causæ illud incumberet prout ex aduerso incumbere debitori (qui etiam postulans ad redemptionem admitti fieri debet actor; & asserere reditum esse redimibilem, quem ea propter allegata probare oportet. *l.* 51. *D. de probat.*) interpretatione edicti pro clero Namurcensi facta anno 1573. à secreto Regis Concilio declaratum est, vt supra est dictum, prout etiam edictum 1571. expressè faciendæ reductionis, inquisitionis sumptu debitorem onerat tanquam actorem; & ad quem probatio pertinet *VVames. 1. 2. resp. iur. pont. tit. de cens. conf.* 507. *latè.*

23. Præsertim post d. edictum regiū.

Eò magis in diœcesi Antuerpiensi hæc obtinere debent, quod *ann.* 1610. *in synodo diœcesana tit.* 21. *de conseruatione & recta administratione bonorum ecclesiasticorum ar.* 21. eadem sententia pro clero Namurcensi lata, & ad calcem Synodi subiuncta, pro interpretatione legitima edicti 1571. est promulgata, & pro iure obseruari mandata; declaratumque ex ea ecclesiasticorum redituum debitoribus incumbere demonstrare in originaria eorum acquisitione interuenisse pecuniam, eosque solos in quibus pecunia originaliter interuenit esse redimibiles, & reducibiles.

24. Et interpretationem. Maximè vbi innotuit.

25. Et pro lege longissimo tempore proposita & seruata fuit.

Quod synodi diœcesanæ decretum in administratione ecclesiasticorum bonorum deinceps per diœcesim passim est obseruatum: ita, vt quamuis olim hic credita fuisset aliqua esse consuetudo contraria; tamen cum res facilè redeat ad naturam suam, facilè tentatæ consuetudines ad ius scriptum com-

commune, vel Principum edicta, vel consuetudines etiam vsu vniformi vtentium non interrupto, non per vtentes variato consistere debeant; sequitur eam quæ in conceptis consuetudinibus proponitur, si qua vnquam fuerit, sic interruptam, sic variatam euanuisse, & reditum esse ad terminos iuris, edicti, & interpretationis regiæ.

Itaque manendo in interpretatione à Rege in Concilio priuato datâ *26. Octob.* 1573. pro clero Namurcensi, statuendum est 1. omnes reditus ab Ecclesia pridem possessos, tam in pecunia, quàm speciebus soluendos, de quorum origine non constat, pro irredimibilibus esse habendos, donec debitor pecuniâ emptum, adeoque redimibilem esse doceat, atque tunc grauiori nummo, & in annonariis iuxta valorem intrinsicum & extrinsicum, qui fuit tempore contractus. *iuxta edictum* 1571.

2. Omnes reditus alioquin irredimibiles ad pias causas translatos vsque ad edictum Car. V. 1520. extra dubium pro irredimibilibus habendos: controuersiam tantùm pati acquisitos post annum 1520. & possessos à piis causis nunc per annos 70. vel 80. qui iuxta Concordata per tanti temporis lapsum prætenduntur amortizati, ideoque non redimibiles, si tales sunt, alioquin ex sua origine.

3. Omnes reditus olim à donatoribus, aut testatoribus rebus suis impositos, & piis causis datos, legatos, habendos perpetuos, nisi donatores, aut testatores contrarium adiecerint.

CONSVLTATIO IV.

An soluta per multos annos pro reditu frumentario, aliaue certa summa, maior non possit deinceps exigi?

NOn ideo quod debitor passus sit 30. annis pro mensura frumenti certam summam, aut pro certa specie pecuniæ maioris minorem solui, imposterum eâdem debet esse contentus.

Siquidem inuito creditori aliud pro alio solui non potest: quod autem ex beneficio edicti 1571. reditus annonarij sint ad pecuniariam pensitationem reducibiles, ita est temperandum, vt illud beneficium secundùm omnia sua præscripta obtineat: videlicet vt calculus ineatur ex pretio trium antecedentium annorum, & trium subsequentium tempus contractus, & valoris nummi intrinsici atque extrinsici, qui tunc fuit. neque enim sola præstatio de præterito inducit obligationem de futuro. causa siquidem & titulus, bona fides, & continua possessio requiritur, & quidem per annos quadraginta, si de Ecclesia agitur (quam excipere à communi etiam regula oporteret; vt in huiusmodi materia diserté statuit *c. olim.* 20. *X. de cens.*) hic autem vbi constat ex legato reditum frumentarium deberi, vel certam speciem pecuniæ maioris, solutiones in contrarium factæ, & receptæ precario & per beneplacitum creditoris aliud pro alio recipientis transeunt sine obligatione. Quamuis enim *d. c. olim* resolutionem suam desumat ex defectu quadraginta annorum, ad præscriptionem necessariorum, id quidem facit, quia illa erat promptissima, euidentissima, & quæ manu tangi poterat solutio; non tamen ideo negat Pontifex alio etiam ex capite præscriptionem infirmari posse: defectu causæ, tituli, bonæ fidei, quæ aliis legibus & canonibus requiruntur. neque semper sunt omnia repetenda, nec in vno quoque canone semper omnia dici possunt, neque procedere potest argumentum ab authoritate canonis, aut legis negatiua, non id dicit ea lex, ergo non id iuris est.

Sola præstatio de præterito non inducit obligationem de futuro.

Rursus non obest *lex qui semisses* 13. *D. de vsur.* & similes, vbi creditor per multos annos minores vsuras recipiens postea maiores petens exceptione repellitur: quia in odiosa illa vsurarum materia facilis est remissionis præsumptio: imo non tantùm ex minorum receptione maiorum remissio: *vt d. l. qui*, sed & ex aliquorum annorum omissione totalis liberatio: *l. cum quidam. §. diuus. D. de vsur.* non sunt in eadem causa reditus, sed alio iure, atque emptionum regulis consistunt. quinimo cum hoc in casu apocha quotannis datur, professio fit, solutum esse reditum frumentarium, qui est in obligatione, donec beneficio edicti 1571. reductus sit per modum, quo supra dictum est, ad annuam pecuniariam pensitationem, atque ita illius pretium volenti creditori pro re solutum est, cuiusmodi in re solutio vnius pro altero in annua præstatione numquam præiudicat. *vt latè tradit VVames. tom. 2. resp. iur. pont. tit. de cens. cons.* 482. *& cons.* 489. vbi *numer.* 8. vt ex præstatione annua sine causa facta obligatio inducatur in futurum, requirit tempus memoriam hominis excedens, & ex huiusmodi, qualem diximus, apocha, solutionibus multo tempore factis, negat Kinschotius *resp.* 52. *nu.* 15. exceptionem tacitæ remissionis obiici vllam posse.

Et meritò: quandoquidem *nuda præstatio, & receptio imposterum obligare non potest*, vt inquit lex *si certis annis. C. de pact.* quam etsi aliqui in obligatione inducenda, non verò in remissione locum habere credant; tamen ratio legis etiam in hac locum habet, quæ in illa: hoc enim quærit lex, an præstatio præterita sine sufficienti titulo trahat sequelam in futurum? quæ eiusdem considerationis est in obligando ac remittendo, si redituarium dicamus amittere ius imposterum pleni debiti exigendi ideo, quia in præterito non exegit plenè: præsertim cum in reditibus

tibus singuli canones, singula sunt debita; secus quam in vsuris accidat; quæ accessoriè dependent à sorte principali. Et verò donatio vel remissio de præterito non potest inducere obligationem donandi vel remittendi in futurum; si verum est actus agentium non operari vltra eorum intentionem, siquidem nemo ita iactare suum præsumitur, vt non tantùm donet quod minus recipit de præsenti, aut præterito, sed & se obstringat de futuro vt remittere & donare similiter teneatur. solutiones huiusmodi acceptæ præsumptionem potius precarij, vitandi calculi intricati, ignorantiæ veteris monetæ, aut inaduertentiæ, quam huiusmodi obligationis inducendæ præbent in redituario: præsertim in beneficiatis, & bonorum ecclesiasticorum administratoribus: qui etiamsi velint quod suum est donare, non possunt tamen quod beneficij est, aut piæ causæ: cuius sunt futuri canones, quorum solutionem imposterum minuere est alienare: quod ipsis sine graui peccato non licet: non ergo sumenda ea præsumptio, quæ peccatum inuoluit, & propterea, quodque reditus dissimiles sint vsuris, harum restrictio, aut imminutio, facilius præsumatur odio vsurarum, quod in reditibus non æquè obtinet; credi potest Pontifex *in d. c. olim* nullam fecisse mentionem tacitæ remissionis, quæ in vsuris vtique obtineret factâ solutione vniformi 36. annorum, quæ ibi accidit: sed decisionem ex præscriptione deduxit, & nullâ habitâ ratione præsumptæ remissionis, imo ea nullatenus admissa, sed tacitè reiectâ, omnino condemnat debitores ad præstationem imposterum pecuniæ maioris, ob præscriptionem 40. annis non completam: procul dubio Pontifex si rogatus fuisset, an cum mala fide, & sine titulo, præscriptio eo in casu obtineret, respondisset negatiuè: *ex reg. 2. de reg. iur. in 6.* quod possessor malæ fidei vllo tempore non præscribat; quod præscriptio nulla, nisi immemorialis sine titulo procedat, multò minus aduersùs proprios titulos. vt omittamus quod tradit Kintschotius *d. resp. 52. n. 11.* quod cum maioris monetæ petitio ac receptio minoris, sit facultatis; contra eam nulla cadat præscriptio nisi debitores super maiori moneta conuenti recusassent, ac deinde legitimum tempus effluxisset: ad quod 30. vel 40. anni non sufficerent. vnde etiam indies videmus regios & dominicales census passim per tempora augeri; quamuis pro speciebus annonariis animalium, & certorum antiquorum nummorum longissimo tempore vniformiter minor solutio fuerit facta. Vide in Brabantia art. 11. *Addit. 2. ad latum introitum. et generalius Menoch. præs. l. 3. p. 131. n. 59.*

CONSVLTATIO V.

An filiis hæredibus competat ius retractus rebus à patre venditis.

Retractus gentilitius omnibus generatim consanguineis venditoris à consuetudine ferè vbique gentium vsurpatâ conceditur, sed proximis ante alios, quasi in ordinem edicti successorij. & est beneficium legis consuetudinariæ familiarum conseruandarum fauori tributum. lege etiã sacrâ olim concessum. *Leuit. c. 25.* quapropter dubitari non potest, quin filiis rerum à patre venditarum primo gradu *vnde liberi* retractus dandus sit. *vt clarè probat c. constitut. X. de in integ. rest.*

Si filiis, ergo filiis hæredibus: nisi hæc qualitas contradictionem inuoluat, quæ illud legis beneficium excludat. quale non est quod filius hæres eadem cum patre sit persona, contra eius factum venire non possit, præstare illud teneatur, melioris quàm ille conditionis esse nequeat, &c. siquidem si retractus patris factum oppugnaret, hæredem, qui illud præstare deberet, quemque de euictione teneret actio, multo magis agentem repelleret exceptio. 1. Competit, nisi quid aliud obsit.

Verùm retractus factum patris, non oppugnat, sed validum fuisse significat. nam inualidi, vt non entis, nullus est retractus, nullæ qualitates, nullus iuris effectus. 2. Retractus factum patris non oppugnat.

Rursus non implicat contradictionem retractus, filij hæredis, siquidem filius patris factum non calumniatur, non iure dominij rem vendicat; quin imo patrem dominum fuisse contestatur, ex patris venditione lex ei retractum vt consanguineo concedit; non patri: tametsi lex sacra *Leuit. d. c. 25.* etiam ipsi venditori concesserit, adeoque nulla hic euictio intentatur, nulla in ipsum venditorem de euictione ob retractum datur actio, quamuis venditor stipulatus fuerit sibi habere licere: omnia enim hæc, non alicuius iure priuato, sed beneficio legis publicæ fiunt: quod per retractum emptionem ipsam in retrahentem transfert, adeoque nec habet emptor, quod filio hæredi opponat, cum actio omnis ex empto sit in filium à lege translata, mox ac is retrahere se velle ritè declarauit, adeoque iam emptori dici potest tibi efficax actio, exceptioue non competit, sed est omnis in retrahentem tibi à lege subrogatum transfusa; vt rursus omittatur, quod emptori de euictione aduersùs ipsum venditorem ob retractum, actio non detur, adeoque eadem nec obsit hæredi. quippe illius ratio est, quod retractus nihil aduersetur obligationibus ex empto, aut vendito, sed alio iure detur, illasúe in retrahentem transferat, actiuè & passiuè, in emptore sepeliat, donec fortè retrahens deficiat offi- 3. Nec contradictione implicat. 4. Nec beneficium hoc publicum ad euictionis causam spectat.

 cio

cio non satisfaciens, quando in emptore quasi reuiuiscunt.

Atque in hanc rem facit *d. c. constitut. X. de in integ. rest.* vbi filij tanquam proximiores
5. venditoris patris consanguinei ad retractum admittuntur, & quidem defuncti patris, quod ibi significat vox *quondam*: cuius hæredes illos fuisse præsumptio est iuris, ex D. Paul. *ad Galat. c. 4. quod si filius*, inquit, *& hæres.* & hanc sententiam latè examinat Tyraquel. *de retract. gentil.* §. 1. *glos.* 9. *n.* 47. *& seqq.* & affirmatiuam tenet, vt filius hæres admittatur ad retractum, aliosque plures eiusdem sententiæ auctores laudat, & suprà obiectis aliisque latè respondet. *Gutier. pract. qq. l. 2. q. 148.* & pro hærede retrahente iudicatum fuisse refert à Cur. Mechl. Christin. *v. 1. d.* 239.

Filio hæredi competit retractus.

Specialis difficultas oritur ex consuetudinibus, quæ retractum concedunt, cum ea semper
6. restrictione, dummodo consanguineus in venditionem non consenserit: atqui hæres adeundo hæreditatem videtur consensu suo defuncti voluntatem confirmasse, factumque illius, vt tenetur, habere ratum, adeoque excludi: Enimuero Tiraquellus eandem sibi argumentationem obiicit, & tamen in affirmatiuam descendit, & præter alias solutiones, qualitates filij consanguinei & filij hæredis ita disparatæ sunt, vt in quantum hæres faciat quidquid hæres facere tenetur: in quantum
7. consanguineus, non impediatur ab obligatione hæredis. ipse defunctus impedire quamuis posset, nullatenus retractum impedire tenebatur, nulla ex empto obligatio ad id astringebat, non ergo strictius hæredem obligatum reliquit. ex empto obligatio omnis est, vt vel dominium transferatur, vel ita habere liceat, vt si res euincatur, euictionem venditor eiusue hæres præstare teneatur: at hic nulla est dominij aut possessionis euictio, quin imo causam illius approbat quisquis retrahit: venditorem enim dominum fuisse eo ipso asserit fundi familiaris, quo in ius illius succedere contendit. prædonum enim & iniustorum possessorum legitima successio non est, neque in id beneficia legum aut consuetudinum inuenta sunt.

Quid si filius consensit venditioni?

Si vt hæres non ei obest, si vt consanguineus secus vbi consensus retractum impedit.

8. Sed & consuetudinum verba accipienda sunt strictè, & in propriis terminis verborum, in vero casu, & non ficto, vt est communis omnium doctrina: mores enim & consuetudines non fictis actibus inducuntur, sed veris: adeoque sumenda de eo qui positiuo actu in venditionem consenserit: cui quod semel placuit, displicere amplius non potest, cuius consensu emptorem fortè aliàs non empturum decipi non oportet. At verò quæ dicta sunt de hærede, quod eadem cum defuncto persona, factum ipsum fecisse, adeundo hæreditatem confirmasse ratum habuisse videri, & teneri censeatur; iuris fictiones sunt; at in veritate personæ, & actus diuersi sunt; neque verò ac positiuo actu hæres tenetur consentire aut ratum habere, sed obligatio re ipsâ non alia à iure producitur; quam vt venditor eiusue hæres ad dominium transferendum teneatur, vel ad euictionem. Quæ obligatio nullam habet incompatibilitatem cum iure retractus: quòd beneficium est legis consuetudinariæ: non ad irritandam, aut oppugnandam venditionem inuentum; sed ex ea deductum ad transferendam illam in consanguineum.

Consuetudo de consensu loquens de consensu accipienda est, qui exprimitur aliter, quàm per hæreditatis aditionem quæ iuris fictio est.

Accedit quod retractus non iuris ciuilis sit, 9.
vt illæ fictiones, sed ex consuetudine quamuis generali inductus, & à iure canonico *in d. c. constitut.* receptus: atque ita per actus non fictos, sed veros passim inductus: adeoque fictiones illæ iuris ciuilis ad eum transferri non possint; sed vera & realia esse oporteat ea, quibus inducatur, aut impediatur: aut alioquin si placet hærere in fictionibus, eâdem ratione quâ hæres & defunctus censetur 10.
eadem persona, ideo quod hæres in vniuersum ius defuncti succedat, recipienda erit & in retractu fictio, quod retrahens & emptor sit eadem persona, quod in huius vniuersum ius ille successerit, & iure consuetudinario in eius locum sit subrogatus, atque ita emptor personam non habeat quam amplius in hac scena agat.

Retractus ad actus veros non fictos pertinet.

Alioquin etiam per retractum euanescit emptoris persona.

CONSULTATIO VI.

De retractu bonorum quorum inuestiturâ factâ à consortibus, an ratificatione eodem ritu nondum factâ competat?

Plerorumque locorum hîc consuetudine 1.
atque edicto *anni* 1611. *art.* 37. retractus gentilitius admittitur, intra annum post inuestituram in emptionibus voluntariis, aut decretum in subhastationibus iudiciariis. Iterum generali consuetudine, *de qua testatur Christinaeus vol.* 1. *decis.* 379. & secundùm edicta 22. *Ian.* 1518. *quod citat ibidem Christin. &* 10. *Maij* 1529. *quod refert Curia Hollandiæ decis.* 32. *&* 6. *Decemb.* 1586. *quod edictum* 1611. *art.* 15. *obseruari iubet*, receptum est, vt inuestituræ, ad modum scotationis *de qua in c.* 2. *X. de consuet.* fieri debeant coram proprio loci magistratu; sub pœna nullitatis. Petrus fundum cum sorore communem vendidit, & coram proprio magistratu emptorem inuestiuit, *fortem se faciens*, vt vernaculum vocabulum sonat, *pro sorore.* ea venditionem coram notario ratam habuit, sed ea ratificatio coram magistratu fundi nunquam recognita est. lapsis aliquot pòst annis Titius consanguineus fundum vult retrahere, obsistit emptor. Titius negat sororis partem ritè inuestitam, affirmat emptor. Titium sanè iure potiorem facit ratio quod id, quod nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest. *l.* 11. *D. de reg. iur.* traditio eius, qui dominus non est, nihil transfert. *l. traditio. D. de*

Retractus hîc locum habet intra annum ab inuestitura coram lege loci.

D. de acq. rer. dom. qui rem communem tradit, alienas partes transferre non potest. *l.* 1. 2. 3. 4. *C. de com. rer. alien.*

2\. Itaq; partis sororiæ inuestitura à fratre facta irrita est. quia sine consensu sororis facta: ratificatio sororis ad effectus reales irrita quantisper coram fundi magistratu non est recognita, secundùm formam edictalem, adeoque non vlterius valet fratris inuestitura, quàm sororis ratificatio. quia vt tradunt Philosophi *propter quod vnumquodque tale, & ipsum magis.* ratificatio autem extra præsentiam magistratus facta nullum ius transferre potest, adeoque nec validare reali effectu inuestituram; sine qua non excluditur retractus: valor ergo inuestituræ ab actu fratris non potuit incipere, & retrotractio locum non habet, cum extrema sunt inhabilia. *l. si is qui pro emptore, & ibi DD. de vsucap.* aut impedimentum in medio positum est, aut ius interim tertio partum. *l. potior in princ. & §. 1. D. qui pot. in pign. l. si partem. §. vlt. D. quemad. seru. amit. l. 1. §. si quis filium. D. si tab. testam. null. ext.*

Seu ratificatione coram eadem.

Sed & actus à principio nullus ob defectum consensus, postea accedente consensu incipit valere prout ex nunc: *iuxta Glos. receptam in reg. non firmatur de reg. iur. in 6. verb. sed nouo ibi valeant ergo.* at verò hæc inuestitura per ratificationem non valet prout ex nunc, deficiente in eadem ratificatione formâ edictali: nec valet prout ex tunc; ob mandati defectum qui pro tempore inuestituræ erat. Vnde traditum est, quæ quis non potest ab initio facere sine certa solemnitate, non posse sine eadem ratificare. *Innoc. & Zabarella in c. cum dilecti. X. de empt. & vend. Tusc. ver. ratificatio conclus.* 20. *n.* 7. *Tiraq. de retract. gentil. §.* 1. *glos.* 10. *n.* 90. *arg. l. si vt proponis la 2. C. de nupt. l. nuptiæ. D. de rit. nupt. citat Roman. Decium, Barthol. Socin. &c.* Vnde in casu *d. c. cum dilecti,* sicut sine solemnitate venditio rei ecclesiasticæ fieri non potest, ita neque ratificatio. & Tiraq. *d. glos.* 10. *n.* 87. *& seq.* ex ea doctrina ibi decidit, quod sicut retrahens intra annum debet retrahere, ita & ratificans retractum suo nomine ab alio factum intra annum ratificare *n.* 91. 92. 93. Itaque sicut inuestitura non potest fieri sine solemnitate edictali, ita neque poterit fieri illius ratificatio sine eadem, id est, non aliter quàm coram magistratu rei sitæ.

Eademque solemnitate factâ quâ fieri debet inuestitura.

Præsertim cum ratificans dicatur auctor facti, perindeac si ab initio fecisset. *l. si pupilli. §. item quæritur in verbis, sed ratificatio tuum fecit negotium. & iterum in §. seq. D. de neg. gest.* adeo vt sicut primitus incipiendo aliquis auctor esse non potest sine legalis formæ obseruatione, ita neque ratificando.

Quin imo magis, locus, modus, tempus, forma, valor inspicitur ratificationis, quàm primi actus. *Tiraquel. vbi supra. num.* 66. 67. 68.

3\. Sic Charond. *respons. lib. 2. R. 76. sub fin.* venditionem negat perfectam, nisi à die ratificationis, vel annum priùs incipere retractui præscriptum, atque ita ait iudicatum 1560. 1595. *& iterum lib. 7. respons. 36. Papon. arrest. l.* 11. *T.* 7. *de retraict. lig. art.* 33. *Choppin. ad consuet. And. l.* 1. *c.* 81. vbi aliud arrestum citat. 1578. optimè Annæus Robertus *rer. ind. l.* 3. *c.* 17. atqui ita ratificatio exclusiua retractus talis esse debet, qualis actus ratificatus: qui, cum requirit ex edicto præsentiam magistratus, eandem requirit ratificatio. quod sentit Christinæus *ad consuetudines Mechlinienses in comment. tit. de retract. art.* 9. *n.* 10. *verb. daer naer niet,* excipiens pactum retrouendendi, & casum ratificationis, vt post inuestituram retrahens admittatur exemplificans in marito venditore, vt ratificante muliere (vtique post inuestituram; vt exceptio sit de regula) agnatus admittatur.

A tempore ratificationis currit annus.

Accedit quod tam ratificationi quàm venditioni ratio edictorum conueniat, & verba. 4.
ratio quidem; quia fraudes & incommoda, quæ causantur edicta, tam in ratificationibus obtinent, quàm in ipsis contractibus. Verba quidem; quia ratificatio non est particularis aliquis contractus, nominatus, aut innominatus, sed ipsa species negotij, quod ratificatur. ratificatio emptionis, venditionis, permutationis, emptio, venditio, permutatio: ratificans, emptor, venditor, permutator, ratificans auctor actus censetur, *ratificatio tuum constituit negotium,* inquit, *d. l. si pupilli,* consequenter ratificata venditio, emptio, permutatio, non interpretatiuè tantùm, sed disertè comprehensa est sub dispositione edictorum, requiritque edictalem formam, vt inuestitura ratificata præsentiâ magistratus munita sit, vt operari possit exclusionem retractus. quia quod nullum est, nullum producit iuris effectum: non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum; adeoque neque inuestitura, quam ius seu edicta pro illegitima, pro nulla habent.

Edicta, vt traditiones immobilium fiant coram magistratu, tam obtinent in ratificatione quàm actu.

Quod obiicitur Petrum in inuestitura fundi communis se pro sorore fortem fecisse, & 5.
eiusmodi inuestituram à praxi quotidiana probari, adeoque eam retractus exclusiuam esse, ideo recipi non potest; quia consuetudines & edicta, dum quippiam exigunt, ratum id & efficax non irritum esse volunt. *l. nomen.* 164. *D. de verb. signif. l. aliud. D. eod.* capere cum effectu accipitur. sicut peruenisse propriè illud dicitur quod est remansurum. *l. stip. de verb. signif.* sic in iure versum non dicitur, nisi quod durat. *l. si pro parte. §. versum. D. de in rem vers.* non satisdatum, nisi effectus maneat. *l.* 1. *§. quod aut. D. quorum legat.* non possessum, nisi stabilis sit possessio. *l. non videtur. D. de acq. poss.* non diuertisse, nisi quæ emansit. *l. plerique D. de rit. nupt.* sic quod nullum est sub nomine actus requisiti non comprehenditur. neque requisitus per actum nullum satisfacit. condemnatum accipere debemus, inquit Vlp. *in l. 4. §. condemnatum de iud.* eum, qui ritè condemnatus est, vt sententia valeat: cæterùm si aliquâ ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est condemnationis

Qui emptorem rei communis pro altero inuenit se fortè faciens pro domino non excludit retractum, qui vera & legitima tantùm inuestitura excluditur.

 verbum

verbum non tenere: & idem in *l. non putaui. §. non quæuis. D. de bon. poss. cont. tab.* non quæuis exhæredatio submouet filium à contra tabulas bonorum possessione, sed quæ ritè facta est.

Vtique ergo consuetudines, atque edicta ad exclusionem retractus requirentia inuestituram, accipienda sunt cum effectu de valida & efficace: illam, quæ nulla est, dicendum inuestituræ verbum non tenere: non quamcumque inuestituram submouere agnatum à retractu; sed eam quæ ritè secundùm leges & edicta est facta. atqui huiusmodi inuestitura, quam frater pro sorore facit non est efficax: quia soror eam reprobando effectu destituere potest: neque ratificando sine magistratu reddit validam; nisi quantum attinet ad personam ipsius, adeo vt mutato arbitrio alium coram magistratu inuestiens, in hunc ius reale demum transferret, atque is alteri præferretur. *iuxta l. quoties C. de rei vend. Christin. d. decis.* 370. *n.* 23. *vol.* 1. in rem vires nön habet ratificatio sine magistratu facta, non ergo inuestituram reali effectu validam facit. non potest illi plus virium tribuere, quàm ipsa

6\. Obligat ille se quidé de euictione rem non afficit.

habet. ergo illa verba *fortem se faciens*, id operantur quidem, vt promittens de euictione se obliget: sed rem sic venditam aut eius dominum non afficit. eoque sensu praxis recipit taliter factas inuestituras, quasi de præsumpto absentium consensu. nam, si inuitis illis fierent, furtum, aut stellionatus non abessent, sed nihilominus reprobationem non impediunt. adeoque quoad rem ipsam inefficaces sunt.

7\. Qui parté habet excludit consanguineũ, dummodo ex alio priori titulo quam vnde retractus intenditur.

Sed neque quippiam consanguineo officit obiecta alia consuetudo, vt qui partem in re vendita habet, excludat consanguineum retrahentem: quia agit consuetudo de iis, qui partes habent, quæ iam antè alio præuio titulo possidentur: non ex eo titulo, qui ipse in retractum reuocatur. præferuntur, inquit consuetudo, qui partes in rebus venditis habent, vtique ante venditionem tempore istius contractus. *l. Rutilia.* 89. *D. de contrah. empt. in verb. locum venisse quatenus tunc fuit, & circa eum decem pedes qui tunc fuerunt: l. 2. §. 1. verb. tempus quo venditio fit: D. de hered. vel act. vend. l. sed qua loca, verb. tunc cum ea fieret cessio: D. de seruit. rust. præd.* non enim quæ pòst obueniunt considerantur. *l. in lege* 77. *D. de contrah. empt.* quod ipsum etiam textus consuetudinis aliâ parte firmat, vbi excipit, nisi, qui partes habent, consenserint in venditionem. agit enim ea exceptio de iis qui iam partes habebant. exceptio porrò cætera non excepta declarat esse de regula, & eo genere, vnde illud excipitur.

8\. Retrahens debet totam emptionem retrahere, etsi ius tantum ex parte natum sit.

Insuper nihil mouet, quod consanguineus præsentauerit se ad retractum totius emptionis, quia id disertè in retractu partis exigit consuetudo B. situs fundi in causa reali seruanda. & ratio est, quia non est æquum vt teneatur venditor partem vnam emptæ rei retinere, alteram retrahenti permittere. an autem totam teneatur dimittere ob partem retractui obnoxiam consuetudines variant. *Tiraq. de retract. consang. §. 23. gl. 2. n. 6. 7. 8. 9. 10. & alibi passim*, & matrix quidem consuetudo Mechliniensis *tit. de retract. art.* 21. ad eum sensum videtur loqui, vt retrahere cum effectu liceat totum; quamuis pars tantum naturâ suâ retractui subsit: neque nisi totum possit inuito emptore, nisi in casum redimendæ seruitutis, fauore libertatis. *ibid. art.* 26. neque dici potest petitionem retractus totius ad partem non extendi, quia strictè in his sit versandum: siquidem dici non potest aliqua hîc esse extensio: naturâ enim suâ & appellatione rei, *vt ait. l. appell.* 72. *D. de verb. signif.* pars etiam continetur; & sub totum venit: vt hoc petito, hæc debeatur. præsertim cum narrata libelli conclusionem explicant. quamquam nec hîc odiosus censeri possit retractus ob fauorem conseruandarum familiarum adeo receptum, vt & sacris literis sit approbatus. *Leuit. c.* 25. & iure canonico. *c. constitutus. X. de in integrum restitut.* & generali ferè orbis consuetudine, & tabulis legum Brabantiæ *den landt chaertre* 1312. fauente etiam edicto an. 1611. vt hæc hodie nec odiosa esse, nec stricti iuris, vt statuta, dici possint, sed ius patrium commune. dictantibus iis tabulis, casum ibi omissum non decidendum ex iure scripto Romanorum, sed ex alio aliquo ibi deciso, cui maximè similis sit. qualia non admittuntur in iis, quæ stricti iuris sunt.

9\. An venditor teneatur totam dimittere?

10\. An retractus sit stricti iuris?

11\. An omissa denuntiatio venditori, non facta retrahenti noceat, & de forma sit?

Denique nihil emptorem iuuat, quod retractus denuntiatus non sit venditori: perpetuum enim in iure est, quod nemini de iure tertij excipere liceat, aut agere: quin semper obstet exceptio, *tua non interest, tibi non competit actio, quoad te liberas ædes habeo: l. vti frui. D. vsuf. quemad. pet. in verb. de suo enim non de alieno iure quem agere oportet:* adeoque excipere, quia excipiendo reus fit actor. Præterquam quod consuetudo impersonaliter loquitur, nec retrahentem obligat, sed intelligenda sit secundùm matricem consuetudinem Mechliniensem, quæ *tit. de retract. art.* 2. hoc facit officij Ammanni, seu clerici. sed neque consuetudo tempus faciendæ denuntiationis præscribit, adeoque officiarius tempestiuè eam facturus esset, quando decretum erit retractui locum esse, & vocandus venditor ad iurandum cum emptore de vero pretio. id quod iuuat etiam textus consuetudinis, *emptori & venditori petitio retrahentis renuncietur, vt in oppositionem veniant, aut agant prout iuris.* quibus verbis se ipsam explicat, cur fiat denuntiatio. nam oppositio solum emptorem respicit, venditoris quippe nihil interest à quo pretium accipiat: sed eo præambulo deciso ad vtrumq; pertinet altera præscriptæ denuntiationis clausula, *facere id quod iuris erit*, emptorem se non opponentem bonâ fide, retractũ agnoscere; eoque agnito super vera pretij quantitate cum venditore iurare. nam ante nullas partes, quas agat, habet venditor.

Vnde

12. Denunciatio non ad formam actus spectat, sed ad finem quem?

Vnde liquet denuntiationem ab ea consuetudine requisitam non esse pro forma actus, quæ foret indiuidua; sed pro causa finali; quæ diuiditur pro fine cuiusque: & propter quem, vel venditor, vel emptor vocari debeat. adeoque eius omissio non potest actum vitiare, sed tantùm subseruit fini respectiuè vtriusque, & sic applicatur tanquam medium tunc & quando ad huius vel illius finem tenditur: id est, ad finem emptoris, statim, vt sciat, an agnoscere & admittere retractum velit; atque emptis bonis cedere: an diffiteri, & se opponere: ad venditorem porro; postquam retractui locum fecerit voluntas emptoris, vel sententia Iudicis; vt veniat iuraturus super veritate pretij. ipsa certè consuetudo causam finalem expressè proponendo declarat manifestè nihil eam denuntiationem spectare ad formam actus, dum denuntiandum statuit respectiuè, vt supra, iam vtique in esse & forma sua perfectum.

CONSVLTATIO VII.

In cambio vsura censetur & punitur cùm exceditur precium iustum ipsius traiectus.

CAmbium quod contractum est Francofurti inter Petrum & Ioannem arguitur vsuræ, ex eo quod excesserit longè cambiorum æstimationem tunc temporis currentem. Ad vsuræ probationem porro iubet Clem. *vn. de vsur.* libros accusatorum edi, quia vt *plurimum*, inquit, *sic contractus vsurarios occultè*

1. Vsuræ accusari edunt libros quia occultè solent contrahi.

ineunt & dolosè, quod vix conuinci possint de vsuraria prauitate. & sic hodie cambia scribuntur, vt simul vna summa comprehendant pecuniam numeratam, & pretium traiectus: quantumcumque campsores parum numerent, & multum stipulentur; quod vsurarijs admodum commodè accidit.

2. Et pretium hodie in instrumentis est exprimendum.

Ob similem porro praxim in emptionibus redituum accidentem vetuit Philippus II. sub pœna nullitatis, ne literæ talium emptionum scriberentur, nisi disertè expressa summa capitali. *edicto an.* 1571.

3. Inquiritur de vsura etiam aduersus heredes quoad restitutionem.

Ideoque rectè inquiritur, iussis edi libris, quid supra communem mercatorum timoratorum vsum factum sit, tam rei respectu, quam hæredum. nam non magis iniustum lucrum penes eos, quàm defunctum hærere potest. *c. tua. 9. X. de vsur. ex ratione c. non dimittitur de reg. iur. in 6. c. 5. de vsur.*

4. Vsura propriè non est in cambio.

Neque obstat, quod cambium non ad mutuum spectat, sed ad emptionem; & ex parte campsoris emptio est, ex parte accipientis cambium venditio: *Caietan. tom. 6. part. 1. tract. de camb. c. 7. disp. 7. n. 2. 3. & 4.* vsura etiam non committatur, nisi in mutuo: *Nauar. in manuali c. 17. de vsur. circa mutuum. n. 206. Soto de Iust. lib. 6. q. 1. art. 1.* ideoque quamuis illicitè ementes peccatum contrahant, non tamen pœnis vsurariorum subiiciantur: *Tiraquel. de pœn. temp. caus. 42. n. 8. Lessius de Iust. l. 2. c. 20. de mutuo & vsuris.* in cambio licitum est stipulari amplius lucrum, quàm in mutuo: *Lessius supra dubit. 13. Azor. Inst. moral. p. 3. lib. 5. c. 6. q. 1.* vt nec actiones dentur, nisi cùm excessum est dimidium iusti precij: *ex l. 2. C. de rescin. vend. & ibi DD. Lessius vbi supra lib. 2. c. 21. num. 20.* potest enim pecunia emi, vendi, locari; crescit eius æstimatio & decrescit; vna altera melior est materia, vsu, cursu: huic illi, hoc vel illo loco; mutari hæc cùm illa potest, precio æstimari, hæc maiori quàm illa vendi; ergo potest pecunia hæc hoc loco, pro illa quæ illo loco dabitur emi, seu cambiri. in hac ergo emptione si est excessus, argui in iudicio non potest, nisi dimidium valoris excesserit.

5. In excessu cambij consideratur pretium traiectus ipsius.

Respondendum etenim est, vt hæc omnia ita esse concedantur, dimidium valoris excedi, non cum ad numeratæ pecuniæ duplum ascenditur, sed cum ad ipsius æstimationis traiectus duplum, seu eius quod hæc pecunia hoc loco præ illa illo loco valet, hoc est formalis cambij valor duplo exceditur, non vero materiæ sub cambio comprehensæ, quæ longè differunt.

6. In eo virtuale mutuum & vsura impropriè, eaque per canones punibilis.

Enimuero canones animaduertunt sub nomine licitorum contractuum dolosos mutui contractus celebrari: *d. Clem. vn. & alibi passim.* ideoque & virtuale mutuum considerant, & in eo excessum puniunt; & in eo in verborum simplicitate vsuram vocant: *vt egregiè Alexan. III. in c. in ciuitate 6. Vrban. III. c. consuluit. 10. Greg. in c. vlt. Innocen. III. in c. salubriter 16. Alexan. III. in c. 12. X. de vsur.*

7. Prouisionalis solutio indicitur ex contractibus de vsura accusatis.

Quamquam tamen pro vsu emporij, & cursu commerciorum in lite inter contrahentes excitata, rectè prouisionalis consignatio à iudice indicta fuerit, ex vi chyrographi, quod statutaria lege consignationem secum defert; quæ non peremit vllas exceptiones, multo minus quæstionem vsuræ, quam nec definitiua extingueret, quamdiu de ipsa vsura quæsitum non est. *l. 1. C. si ex falsis instrumentis.* Papon. *lib. 12. arrest. tit. 7. de contract. vsuraires arrest. 23.*

8. Saluâ pleniori indagine.

Neque aduersatur *d. Clem. vn.* quatenus damnat statuta etiam iurata, quæ vsuras solui iubent, & ex libris publicis ea eradi mandat, & sub pœna excommunicationis secundùm ea prohibet pronunciari: quia intelligitur ea Clem. cum de vsuris constat, non quamdiu de illis quæritur, & de contractu licitus an illicitus sit disputatur: liquet id ex verbo *vsurariam quodammodo approbantes prauitatem, &c.* quo non facit statutum chyrographi vim & mercimoniorum cursum conseruans, & prouisionalem dumtaxat consignationem indicens; saluâ omnis exceptionis penitiori inquisitione: nam alioquin censeretur eiusmodi consignatio etiam lædere iustitiam, cum v. g. indicitur cum peremptoria aliqua exceptio

 obiicitur,

obiicitur, cuius prompta probatio non simul adfertur: quod cum dici vetet publica vtilitas in illo casu, etiam defendit ea præsentem.

De Locato.

CONSVLTATIO I.

In lignis cædi promissis mens contrahentium & annuæ cretiones spectandæ.

ELocata est villa in annos decem mense Martio 1598. tunc vt sonat instrumentum, deserta, & quæ per multos annos inculta iacuerat; eâ lege; vt conductor ligna debitè, suo tempore, quinto quoquo anno cædere teneatur, excepta vi maiori castrensi (non tamen infra mensuram vndecim digitorum) & siluescentem agrum ad culturam reducere, eradicatis stirpibus in agro natis. initio conductionis, conductor ligna cæcidit, atque iterum in Octobri 1602. iterumque id intendit anno 1607. sub finem, vetat locator, negatque debitè id fieri, & suo tempore, & post quinquennium, conductoremque, qui bis intra annos decem cæcidit, tertiam vicem numerare non posse; cum intra illud spatium duo quinquennia tantum numerentur: conductor instrumentum pro se citat, in verbis suprascriptis, atque alijs quæ in casum venditionis ante finem decennij ei certam summam addicunt, in vicem lignorum, quæ *in fine*, inquit, *conductionis decennalis ei competiissent.*

1. Mens contrahentium vnde noscatur? Semper in stipulationibus cæterisque contractibus id sequimur, quod actum est: *L. semper* 34. *D. de reg. iur.* idque si non euidenter appareat, ex verbis connexis, antecedentibus & consequentibus, & ratione intellectus rei sententiæue obscuræ formandus est: *l. hæredes.* 21. §. *sed etsi. D. qui testam. fac. poss. verb. vtique placeret coniectionem fieri eius quod reliquit ex vicinis scripturis. l. si quis.* §. *si initium. D. de edendo l. qui non militabit.* 28. §. *filijs vers. tunc enim D. de hæred. instit. l. inciuile.* 24. *l. non est nouum cum seqq. D. de legib. l. si seruus plurium* 50. §. *fin. D. de leg.* 1. *l. capienda* 128. §. quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cuiusque *capit interpretationem. vbi Ioannes Ferr. mont. D. de reg. iur. Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præs.* 54. *n.* 24.

2. ex verbis.

3. & ration. Memoria repetit instrumentum rerum statum illius temporis, cum tota hæc regio penè inhabitata, inculta, & siluescens iaceret; quare ex verbis contractus annexis, antecedentibus, & consequentibus, & pacti conuenti ratione, seu causa finali interpretationem eiusdem instrumenti, mentisque quæ fuit contrahentium, sumere oportet. & vt (hısteron, proteron) à ratione incipiamus, ex pacto tenetur conductor intra singulos quinque annos ligna cædere. quare? ne rursum fundi illi siluescerent, & sentibus vepribusque meliores arbores ligna que vtilia obsiderentur, sed situ obsitæ purgarentur; & quasi somno, ac veterno semisepultæ frequenti cæsurâ ad vitam accretionemque excitatæ validius se efferrent. vt obseruatione rusticâ notum est siluas longâ quiete emasculatas, frequenti cæsurâ emendatas, vberius crescere. quod & notat Ludouic. Charon. *resp. lib.* 4. *r.* 28. igitur oportet conductorem, seruatâ mensurâ quidem vndecim digitorum, & idoneâ anni tempestate, non pati ligna venire ad maiorem ætatem quinquennali, oportuit illum initio, quod & fecit, cædere, quæ iam tunc erant maiora; oportuit idem præstare deinde post quinquennium; oportet & nunc lapso alio quinquennio in Octobri 1607. quod oportet; licet tempore contractus vilia erant ligna, nec tantæ operæ pretium. ideo stipulanti locatori spondet conductor se cæsorum, tempore litis cariora sunt, non ideo minus, quod olim promittere debuit conductor, permittere nunc debet locator. neque enim stipulationis status ex post facto mutatur *l. Insulam* 124. *D. de verb. oblig. l.* 1. *D. ad reg. Caton. l. quod ab initio D. c. factum. c. non firmatur. de reg. Iur. in* 6.

Contendit conductorem in secunda cæsura anno integro præuenisse, igitur quod præsumpsit per anticipationem, in fine habere non debere. 1. respondeo non præuenisse; vt patebit ex computu annorum, quem mox instituam. sed nunc demus, præuenerit; nemo nescit eum, qui in diem promisit dare aut facere, diem præuenire posse, certaque die promissum statim dari posse. *l. stipulatio* 38. §. *inter D. de verb. oblig.* totum enim medium tempus ad soluendum promissori liberum relinquitur. *l. liber homo.* §. *decem. D. eod.* tempus enim promissoris gratia adijcitur. *l. cum tempus* 17. *D. de reg. Iur. l. cum qui* 41. *D. de verb. oblig.* ideoque non debet duriore interpretatione contra ipsius commodum produci ad seueritatem. *l.* 25. *D. de leg.* vel in eius odium retorqueri *c. quod ob gratiam de reg. iur. in* 6. 4. Qui ad diem facere promittit, diem præuenire potest.

Sed esto, insuper non licuerit præuenire, præuentum tamen sit: nihil id tamen mutarit pactum de vltima cæsura conductori debita, neque enim corrumpi, aut mutari, quod rectè transactum est, superueniente delicto potest. *l.* 2. *D. de itinere actuq. priuato d. l. insulam. D. de V. O. d. l.* 1. *ad reg. Caton.* separatum est hoc ius à delicto, ex separatis nihil infertur. *Euerard. in loco à separat.* vtile ab inutili non vitiatur. hoc & ipsum confirmat lex & *hæc distinctio* §. *cum fundum D. locati l. si absens.* §. *fin. de vsufructu Molin. ad consuet. Par. tit.* 1. §. 1. *glos.* 8. *n.* 32. 33. 34. 35. nam vbique dicitur si intempestiuè fructus colligantur fraudulento consilio ad alterius ius interuertendum, colligentem eos cum interesse quantitatis teneri restituere. de fructibus autem maturis 5. Qui in fructibus immaturis præuenit, non ideo à maturis arcetur.

turis

turis insequentibus propterea in commissum trahendis ne verbum quidem. quin imo *d. n.* 34. sic ait sanè *intelligitur quando vsusfructus erat duraturus, & durauit vsque ad inclusionem temporis illorum fructuum: quia cum tunc non intersit proprietarij, potest fructuarius ante tempus vel immaturos fructus colligere & pro libito disponere.* quare cum an. 1602. nihil interfuerit locatoris immatura ligna cædi, dummodo anni tempestas, & modus non excederetur; & ea de quibus agitur nunc matura sint, ad quinquennalem ætatem, & iustæ collectionis tempus peruenerint; non aliud locator impedire potest, quam ne modus & anni tempestas negligatur, quando conductor præsertim decennalis instar domini sit, etiam ad locatoris exclusionem. *l. 2. D. locati l. 1. & 2. D. si ager vect. Conan. in comment. in princ. & fin. n. 1. eod. tit.* igitur, sicut dominus, pro suo arbitrio *l. in re mandata. C. mandat.* quo ad fructus v. g. qui in syluis cæduis consistunt, quod lubet, potest; quatenus lege aut conuentione non prohibetur.

Deberi autem vltimam cæsuram ex supradictis constat, quia conductor singulis quinque annis cædere debet, admissa sola exceptione vis maioris castrensis: exempla autem declarant regulam: *Authent. de non alienandis aut permutandis rebus ecclesiæ. §. vt autem vbi glos. col. 2. & bene glos. in l. 1. D. de reg. iur.* vbi verbum *firmat* bene exponit, *declarat*; exceptio autem hæc est à regula quinquennalem cæsuram præcipiente; stultam facies, si à permittente dicas. Itaque præuenire, non differre vltra quinquennium cæsuram potest conductor. quæ obligationem habent, facultatem habent. omne enim necessarium possibile est. Iure pactoúe necessarium, iure pactoúe possibile. Verba etiam alterius pacti de soluenda certa summa in casum venditionis intra decennium in vicem cæsuræ lignorum, quæ in fine conductionis competiissent, omne effugium, latebrasque præcludunt; vt herbam præbere teneatur locator, etsi enim conditio venditionis non euenerit, tamen narratiua verba, *quæ in fine competiisset*, intentionem contrahentium declarant.

6. Maturi initio conductionis conductori competunt.

Sed &, vt non præuenisse constet, nunc supputemus annos. ante conductionem villa per multos annos deserta iacuerat, ligna quinquennalia, decennalia, & maioris ætatis erant, competebat conductori ea cædere. *l. diuortium alias. l. fructus. §. Papinianus vers. neque enim vindemiæ tempore, & § non solum in verb. si maritus propè partum oues doti acceperit, item proximas tonsura, post partum & tonsas oues protinus diuortio facto, &c.* vbi maritus ex fundo dotali vindemiæ tempore in dotem accepto statim fructus colligit, & partus ouium accipit, & tondet, lanamque suam facit.

7. Cretionum lignorum computatio.

Fieri ergo potuit, & quia ligna supra quinquennium non cæsa manere vetabantur, debuit. & facta est prima cæsura statim initio conductionis, id est, Martio 1598. eam secuta est stirpium cæsarum cretio vsque ad hyemem 1598. 1599. 1600. 1601. 1602. ecce anni, & accretiones quinque, vsque ad hyemem 1602. hac hyeme facta est secunda cæsura post quinque accretiones; ab hac cæsura quinque iterum accretiones numera 1603. 1604. 1605. 1606. 1607. hyeme ergo 1607. cædi potest vsque ad Martium 1608. quo finitur conductio. quamuis ergo præuenire tempus quinquenniorum frequenti cæsurâ in bonum prædij syluescentis non licuisset, sed post singulos demum quinque annos lapsos cædere, tamen quinque nunc anni sunt, vt fuerunt anno 1602.

8. Cretionum numerus annorum numerum facit.

Porrò in his annorum computationes faciendas esse pro numero accretionum euadit ex eo manifestum, quod cum anni ciuilis, naturalis, continui, & vtilis variæ sint computationes, *vt latè habet Tiraquel. de Retract. gentil. §. 1. glos. 10. dedans l'an in princ. & multis num. seqq. An Rob. rer. iud. lib. 3. cap. 3.* adeo vt propter vtilitatem aliquando octodecim menses comprehendat: *l. 1. §. deinde ait Prætor in verb. propter hoc si æstate interdicatur nonnumquam annum & sex menses continere,* (scilicet interdictum quod, vti prætorio iure introductum, annuum est.) *D. de aqua quotid. & æst.*; idcirco rectissimè in annorum computu faciendo iura inspici voluerunt mentem contrahentium, morem vsumque *l. nec semel. § si in habitatione, vel in disciplina legetur. sic annua vel quotannis, quibus diebus pensio debetur habitationis, vel mercedis disciplinarum eisdem intelliguur legatum esse ictum, coniectura voluntatis facta. D. quando dies leg. l. firmio, 26. §. fin. D. quando dies leg. verbis pater annua. l. ex vsu. D. de vino, frum. & oleo leg. l. item queritur. §. fin. & ibi glos. in verb. prout in fine. D. locati. d. l. diuortio. §. ob donationem. D. sol. matr. Caualcan. pulchrè p. 1. in decis. de Cont. decis. 43. n. 54. vbi plurimos citat.* Porrò nunc quæ fuerit mens contrahentium in obscuro non est, propter dispositionem contractus in articulo proximè præcedenti allegatam; ex qua constat hunc annorum computum non faciendum de puncto ad punctum temporis; sed de accretione in accretionem, æstate in æstatem. sic vbi in rebus ecclesiasticis vetitum est fundos vltra triennium elocare, si illi singulis tantùm bienniis fructificent, biennia pro annis numerantur.

Alioquin si hîc non cretiones numerandæ, sed de puncto ad punctum temporis facienda foret computatio; non bis cedi ligna, sed semel dumtaxat intra decennium possent: nam finem quinti anni statim excipit initium sexti, & cæsura in puncto absolui non potest.

9. Præsertim cum à principio sic vsurpatum fuit.

Iuuat, quod locator cædentem vidit conductorem initio, & anno 1602. & tacuit: quod si non pro consensu est *ex c. is qui de reg. iur. in 6. l. item quæritur. §. fin. vbi glos. ad verb. consensisse. D. locat.* saltem vbi de conuentionis obscuræ interpretatione disceptatur, ex huiusmodi taciturnitate, quis contrahentium

trahentium fuerit animus demonstratur: *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præs.* 35. *num.* 33. à facto enim subsecuto declaratur præcedens animus. *l. sed Iulia.* §. *proinde ibi, intelligendum ab initio sit accepisse. D. ad Maced. ita Menoch. ibid à num.* 23. *vsque ad finem, vbi citat. Crauet. consil.* 226. *n.* 6. qui docet ex subsecuto actu mentem dubiam disponentis declarari. *Socin. Iun. in cons.* 6. *n.* 37. *lib.* 2. ex subsecuto facto declarari, qua de re intellexerint contrahentes: *Paris. cons.* 20. *num.* 16. *lib.* 1. verba dubia Principis qui aliquid concessit ab euentu facto, & obseruantiâ subsecutâ declarari.

10. Neque locator legem apertius dixit. Denique contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda est interpretatio: *cap.* 57. *de reg. iur. in* 6. & ambigua pactio venditori, &, qui locauit, nocet: *l. veteribus.* 29. *D. de pact.* & non conductori; qui certat de damno vitando: *l. non debet.* 42. §. *in re obscura. vbi Ioan. Ferrar. D. de reg. iur.* & iactura fructuum, lignorumúe cæduorum intra spatium suæ conductionis, quo vicem domini gessit, & mercedem locatori soluit; natorum, quam simul & ligna ipsa, seu fructûs locator lucro habere contendit: nihil autem iniquius est, quàm rem simul & pretium petere.

CONSVLTATIO II.

Emphyteutam cessantem propriâ authoritate repelli quando admittendum?

GRauis est controuersia, & inter communes contra communes relata à Ceuallos *quæst.* 14. & tùm à theoricis, tùm practicis in diuersas sententias distracta, vtrum emphyteuta propter canonem non solutum propriâ authoritate expelli possit à domino? Sanè si absque præiudicata opinione res examinetur ad rationis trutinam, in affirmantem opinionem grauia momenta inclinabunt.

1. Emphyteusis natura alijs similis. Igitur examinanda est natura contractus emphyteuseos, quæ tantùm habet similitudinem cum locatione, & conductione, emptione, & venditione, vt iam olim alij huic, alij, illi annumerauerint. Et quamquam Zeno propriam ei naturam esse declarauerit; *l.* 1. *C. de iur. emphyteut.* tamen similitudinem, quam cum vtrisque habet non sustulit.

2. Locationi. Cum locatione & conductione similitudinem habet, quod emphyteutæ, quamuis perpetui, non efficiantur domini, quamuis eis competat in rem actio: *l.* 1. & 3. *D. si ager vectigal.* cum venditione; 3. Emptioni; quod emphyteuta, vt emptor, sentit periculum, damnumque, quod non totam aufert rei substantiam, adeoque dominium concedentis. *l.* 1. *C. de iur. emphyteut.*

Ex his sequitur, quod sicut locatori permissum est conductorem finitâ locatione, aliisque casibus expellere: *l. æde. C. locati. l. quæro.* §. *inter. D. eod.* ita etiam liceat domino finitâ emphyteusi emphyteutam expellere. &, si verum amamus, non aliter accipi possint verba *l.* 2. *C. de iur. emphyt. volenti ei licere eum à prædiis emphyteuticariis repellere*; item *omnimodo eo si dominus voluerit repellendo*; item *dominis facultas oriatur emphyteutas suos repellere*; item minimè *deiectionis timere periculum*; item *c. poterit X. locati verb. iustè potuisset repelli.* 4. In locato permissa expulsio.

Iterum quemadmodum in locato durante conductione conductori in rem actio datur aduersùs quemuis possessorem, ita & emphyteutæ: *d. l.* 1. & 3. *D. si ager vect.* etiam aduersùs ipsum dominum; *ibidem*: sed non simpliciter, at *ita tamen*, inquit *l.* 2. *sed si vectigal soluant*, quod si ergo non soluant, actio aduersùs dominum non datur. à contrario sensu, quod argumentum in iure est validissimum, si disertè contrarium decisum non sit, vt hoc in casu nullibi reperitur. (nam quæ obiiciuntur generalia sunt, & per similitudinem adducta, quæ facilè soluuntur) & omnino contrarium decisum est. *in d.* §. *inter.* expulsum conductorem, qui pensionibus satis non fecit, à locatore doli exceptione repelli. Adeoque vt in locatione, si quid circa expulsionem conuentum est, seruari debet: *d.* §. *inter.* ita & in emphyteusi, si quid conuenit de reiectione eius, qui emphyteusin suscepit, si solitam pensionem non præstiterit. *d. l.* 2. *C. de iur. emphyt.* 5. In rem datur actio, etiam aduersùs dominum, quando?

Itaque ex natura emphyteusis patet dominium rei remanere penes concedentem, vt in locatore: ingredi fundum suum posse vt locatorem: emphyteutam pelli posse, vt conductorem: actionem aduersùs dominum neutrum habere pulsum, pensionibus non solutis; sed exceptione doli repelli, fundum emphyteuticum, vel conductum repetentem.

Neque verò quidquam mouet lex *non est singulis. D. de reg. iur. & tit. C. ne quis in sua causa iudicet. &c.* quia idem obtinet omnino in re cuiusque propria, ne quis vi eam inuadat. *l. si quis in tantam C. vnde vi*; sed sicut dominus vi rem possessam defendere potest, ita & concedens emphyteuticam, si eam citra vim ingressus fuerit: & sicut prædo spoliatus etiam aduersùs notorium dominum restituitur; ita etiam si emphyteutâ fuerit spoliatus, in statum reponendus est. sed vice versâ, quo casu licet domino rem suam propriâ authoritate vindicare, ita etiam licebit concedenti emphyteusin. vnde sequitur constare debere citra controuersiam emphyteutâ iure suo excidisse: nam si id emphyteuta sub aliqua iuris specie neget; oportebit ministerium Iudicis interuenire, & commissum declarari. alioquin si huiusmodi controuersia non intercedat, sola domini declaratio sufficit. *d. l.* 2. *C.* 6. Seclusa vi dominus ingredi potest fundum emphyteuticũ.

l. 2. *C. de iur. emphyt. in verb. volenti ei* (domino) *et, si dominus voluerit.* sicut cum dominium alicuius negatur, vis possidenti inferri nulla potest. alioquin citra vim domino & emphyteusin concedenti fundum ingredi, & pensionibus non solutis conductorem, & emphyteutam reiicere licet: *d. l.* 2. *D. si ager vect. d. l.* 2. *C. de iur. emphyt. d. c. potuit. X. locati. d. l. quero.* §. *inter. D. eod.* In quo §. *inter.* sine vllo Iudicis ministerio locator conductorem, cui ea in re emphyteutam comparat *d. l.* 3. *D. si ager vect.* expulerat; & rem conductam repetentem non restituit, tanquam spoliato; sed doli exceptione repellit. Quæ iuris ratio, & priuatorum diserta conuentio, nullam ex iurisdictione publica partem vsurpat; sed ad œconomicam tantùm & herilem authoritatem pertinet, & dominicam cuiusque fundi priuatam; quâ cuique rem suam tutari licet, ingredi, alium ingressu arcere, & inuadentem pellere.

Itaque quidquid dici potest hac in re, quo minus domino propriâ authoritate emphyteutam expellere liceat; idem potest de quocumque domino, ne rei suæ possessorem deiicere liceat. idque non dominij, iurisque defectu; sed publica ex causa, ne vi priuatæ publicæue, &, quæ ex ea timentur incommodis locus detur.

7. Mulier fundum solum dotalem vt non potest ingredi:

Qua eadem ex causa, & mulier soluto matrimonio ingrediendi possessionem rerum dotalium inuitis hæredibus mariti citra competentis Iudicis iudicium nullam habet facultatem. *l. dotis C. soluto matrim.* sic & legatarius, quamuis legatæ rei dominus sit, ab hærede tamen eam petere, non authoritate suâ inuadere debet. *l.* 1. *D. quor. legat.* æquissimum enim visum est, vnumquemque non sibi ipsi ius dicere, occupatis legatis, sed ab hærede petere.

8. Nec legatarius sibi legatum.

Et quamuis creditorem citra conuentionem, vel præsidialem iussionem res debitoris auferre non posse rescriptum sit; *l. pignoris. C. de pig. act.* atque inde ex conuentione, vt præsidiali iussione possit consectarium sit; *Gothofred. ad l.* 3. *C. de pig. vt l.* 11. *in fin. C. de pign. act. l.* 9. *C. de sol. l.* 36. *D. de contrah. empt. Molin. ad consuet. Paris.* §. 1. *glos.* 4. *n.* 11. *non opus est*, inquit, *Iudice, nisi quatenus deest potestas, vel resistentia timetur.* Argentr. *ad consuet. Britan. ar.* 265. *cap.* 4. *num.* 23. neque vim facere videntur, qui conuentionis legem, ingressi possessionem, exercent. *l.* 3. *C. de pignor.* tamen authoritate Præsidis possessionem adipisci debent. *d. l.* 3. ex *vrbanitate*, inquit ibi glos. at melius tum, cum resistitur, & debitores inuiti sunt. *iuxta d. l. dotis*, ne quid incommodi ex rixa, & vi oriatur. agitque *d. l.* 3. de adipiscenda possessione, quam creditores nunquam habuerant: & *d. l. dotis* de ea quam mulier pridem habere desierat: & sic *l.* 1. *D. quod vi aut clam* ablatum restitui iubet: & *parui*, inquit, *refert an ius habuerit faciendi, an non; tueri enim ius suum debuit, non iniuriam comminisci.* & in adipiscendis legatis *d. l.* 1. redigit ad hæredes interdictum ea, quæ legatorum nomine possidentur, vnde perinde eos legatarij possent conuenire.

9. Nec creditor ex conuentione.

10. Si resistitur.

Non tamen hæ leges negant, si citra violentiam mulier soluto matrimonio, aut creditores ex conuentione obtinuerint dotaliũ, & oppignoratarum rerum possessionem; si mariti hæredes aut debitores eam repetierint, doli mali exceptione repelli posse. quod disertè statuit *d.* §. *inter.* quare & glos. *in verb. redigit. d. l.* 1. *quor. leg.* eam occupanti restitutionem demum obtinere censet, cum hæredis intersit ad supputandam & detrahendam falcidiam. in quam admodum idoneè allegat. *l.* 1. *C. quor. leg.* quæ eundem casum format, & restitutionem statuit, vt retentione competenti vtatur. alioquin dolo facit, qui petit, quod mox eum restituere oportet. sed & adiungit *d. l.* 1. satisdationem, *quam præstari*, inquit, *oportet.* præsertim post annale, & longius tempus, cum & pericula, & incommoda illa non timentur, & quidquid fortè vitij esse potuit, anni lapsu, ac longiori purgatum est. cum & interdicta omnia annalia sint. Et quamuis. *c. redintegranda.* 3. *q.* 1. hodie producant ad perpetuum tempus; non id tamen fit ex causa vitij, circa apprehensionem possessionis commissi, & in illius pœnam; sed loquitur de eiectis & spoliatis per quascumque iniustas causas: ita vt non modum apprehensionis, sed iniustitiam causæ respiciat; aut saltem commodum possessionis, & proprietatis periculum. vt diligenter Concilium generale explicat *in cap. sepe X. de rest. spol.* quæ cessant quando non controuertitur, quin res in emphyteusin datæ acceptæque olim sint, & an ex mora ceciderint in commissum, & dominus vacuam, & incultam pridem, non obsistente emphyteutâ, ante plures annos apprehendit, sine vllo metu armorum, eaque nunc petitorio iudicio repetita est.

11. Pulsum sine vi non redintegrari.

12. Quomodo accipiendum c. redintegranda 3. q. 1.

Porrò, cum emptione emphyteusis id commune habet, vt periculum sicut ad emptorem, ita ad emphyteutam pertineat. *vt diximus.* Cæterùm vt emptor totum rei dominium quærit, ita totum ei perit: emphyteuta dominium non acquirit, sed vtilitatem; canone tamen & vectigali domino præstando: itaque si particulare, vel aliud leue contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus lædatur substantia, hoc luit emphyteuta; sentitque incommodum, vt quærebat commodum: sed si tanta emerserit clades, quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ per emphyteusin data est, facit interitum; rei domino imputatur: cum vtique id ei accidisset, nullo interueniente contractu. *d. l.* 1. *C. de iur. emphyt.*

13. Rei interitus ad quem pertineat?

Sed duæ motæ sunt exinde quæstiones: prima; fundo ab hostibus occupato, seu potius vastato, vtrum remittenda sit emphyteutæ pensio? secunda; cum magna debetur pensio, neque res tota deperit, sed magnum damnum

14. Ad quem fructuum & belli casus?

damnum obtingit, an difpofitio *d. l. 1.* obtineat? vtramque excutit Fachin. *controuer. l. 1. c.* 89. *&* 90. & quidem vltimam rigidè fatis *ex dict. l. 1.* decidit, cum tota rei fubftantia non pereat, ad emphyteutam omne damnum fpectare; etiamfi magna fit penfio conuenta: quæ nomen & naturam emphyteufis non mutat. §. *quia verò leuis in authent. de non alien. reb. ecclef. d. l. 1.* etiam cum diminutione dumtaxat fextæ partis mercedis iuftæ. §. *lex itaque in authent. perpetua. C. de facrof. ecclef.* nimis molliter illi, qui vt conductori, ita & emphyteutæ ob fterilitatem, fimilemúe caufam remiffionem faciunt. nimis id pugnat cum d. l. 1. quæ emphyteutam tunc abfoluit, cum ei *nihil*, inquit, *reliquum permanfit*; non verò cum damnum contigerit, ex quo non ipfa rei penitus læditur fubftantia: fed verò verba illa *particulare vel aliud leue contigerit damnum*, atque ipfa æquitas faciunt, vt arbitrium Iudicis requiri poffit, ne commodo omni orbatus, de fuo addere teneatur, comparatis tamen felicibus inter fe & infelicibus annis. Priorem controuerfiam Fachinæus affirmatiuè refoluit; quia cum propter latronum potentiam non poteft poffideri, rectè dicitur non effe quod poffideatur. *l. cum. D. de bonis author. Iudicis poffidend.* adeoque videri totam rei fubftantiam periiffe: verùm non malè hæc dici poffunt, vt fundus ab hoftibus occupatus periiffe, vt ciuis ab hoftibus captus mortuus cenfetur: fed cum vaftitur tantùm excurfionibus hoftium, & cum periculo colitur, non interitus cenferi poteft, fed fortuitus belli cafus, & particulare damnum. *Azor. Inftit. mor. lib. 10. cap. 6. q. 3. vbi plures citat.*

At verò duæ hæ quæftiones apud nos minus ex iure difputari pridem debuerunt, quum haberemus edictum Philippi II. latum anno 1587. *vlt. Octob.* quod æquiffimum, & per plures diftinctiones cafus remiffionum moderatur. & quidem belli incommoda moderationi fufficere voluit, etiam in emphyteufibus, non tantùm magnâ, fed & paruâ penfione, inftar recognitionis grauatis. qualem reputat, quæ non excedat feptimam partem prouentus; qui fit non tempore belli, aut primæ conceffionis fuerit, fed tempore quod proximè turbas anteceffit: cuius non remiffionem, vt magnæ, pro ratione quâ cultura impedita fuit: fed moderationem facit, vt duplicetur canon, in annos fingulos, vfque ad plenam fatisfactionem: in neutrarum tamen caufam creditores eorum bona corripere, aut fubhaftare permittit, pro reditibus & canonibus tum lapfis, nifi moderatione remiffioneúe præuiâ. Remiffionem tamen ac moderationem reftringit ad annos, quibus reuerà fundi coli non potuerint. *art.* 17. ibidemque declarat nolle fe negligentiæ conductorum emphyteutarumque fauere, fed eos oneribus fubiici, fi, quod alij vicini faciunt, ipfi omiferunt. Porrò *art.* 18. futuros exinde cafus, & reditus canonesque, fi fundi coli, aliique ex rebus fructus percipi poterunt; ad arbitrium Iudicis reiicit, iudicaturi prout ius & cafuum circumftantiæ exegerint.

Itaque quibus in locis exinde hic licuit cultura aliquatenus, & fi foluto lytro annuo, ac tributo, vt vulgus hic vocat, reditur ad diftinctionem. *d. l. 1.* fed qui à 9. *April.* 1609. quo hîc induciæ publicatæ funt, culturam emphyteuticarum rerum neglexerunt, nulla excufatione palliare negligentiam fuam poffunt, quin canone non foluto per triennium rebus iis omnino excidant.

Neque verò excufat, quod nemo conducere expetiit; non enim ideo in emphyteufin datur, vt tertius colat, fed ipfe fumptibus fuis emphyteuta, & non expectet alium: cum etiam dominus poffet molliter exfpectare tertium conductorem. quod adeo obtinet, vt doctores in controuerfiam vocauerint, an liceat emphyteutæ locare rem emphyteuticam, neque permittant nifi ad modicum tempus.

Huic negligentiæ. *d. edictum art.* 17. difertè aduerfatur, & *art.* 18. futuros cafus ad ius reiicit. & aliud edictum latum *anno* 1586. 12. *Iunij* incultos fundos cuilibet facultatem apprehendendi, & colendi facit. 15. Deferta ab emphyteuta dominus rectè apprehendit.

Quin & lex 8. *C. de omni agro defert.* C. *l.* 11. cuicumque extero permittit agrum defertum ingredi, & colere non tantùm; fed & cum priuilegio, vt nifi dominus intra biennium repetens, fumptus offerat, omni iure cadat, & cultor faciat fuum. quanto magis licebit domino rem emphyteuticam ingredi, colere, locare, fuum facere, emphyteutam omni iure reiicere? tantum abeft, vt vitium huius ingreffus accufari poffit.

Edictum quidem illud *anni* 1586. permittit dominis, quin & conductoribus regreffum ad huiufmodi bona poft fructus demeffos, cultori relictos in gratiam folius culturæ: vel cultura tantum cepta reftituto duplo fumptuum in eam factorum: fed hic regreffus an Iudicis authoritate, an priuatâ fieri poffit, non dicitur: qui priuatâ dicet; vtique eandem admittere debebit in domino, canonem emphyteuta non foluente: qui Iudicis; admittere debebit, vt idem cognofcat de caufa domini, an rem emphyteuticam non iuftè retinere poffit, vti ante commiffam non foluto canone; an reftitui iubenda fit, ex alia iufta caufa. v. g. quod hæres fit primi emphyteutæ, qui claufulam commiffi comminatoriam iuftè ignorauerit; vel minorennis, qui beneficio ætatis gaudere poffit. (de quo vtroque mox paucis) fiquidem non poterit iudex, nifi causâ cognitâ, reftitui iubere. 16. Neque reftituuntur nifi causâ plenè cognita. quippe ingreffus fundi fic inculti edicto regio, & iure fcripto permiffus, nullum fpolium vocari poteft. quia qui facit quod fibi lex permittit, qui iure fuo vtitur, nemini facit iniuriam aut fpolium: vt non fit hic fpoliatus ante omnia reftituendus; fed in difquifitionem vocari debeat, an emphyteuta iure fuo exciderit,

exciderit, vel antè ob non solutum canonem rem emphyteuticam neglectam, atque non cultam, vel per biennale post apprehensam à domino, silentium, quo iuxta *d. l.* 8. *C. de omni agro desert.* (de quo tam diuturno silentio edictum non disponit, adeoque decisioni iuris communis relinquit) quilibet rei dominus irreuocabiliter amittit. hæc inquam cognoscenda à Iudice prius sunt declaranda, & pronuntianda; præsertim adito instituta rei vendicatione; non autem interdicto possessorio. quod nec apud nos, apud quemuis Iudicem proponi, sed à solo Principe impetrari potest; & apud eius Concilium priuatiuè cognosci. Vnde sequitur, quod nulli inferiores Iudices possint, sine literis Principis, ex aliquo possessorio beneficio, quod ius concederet, rem restitui iubere, aut quidpiam simile pronuntiare; sed manere in simplicibus terminis iudicij petitorij. in quo omne vtriusque partis ius discuti, & super eo pronuntiari debet. & si inferiores hos terminos egressi fuerint; Concilia confirmare pronunciatum non possint.

Igitur Iudex petitorio aditus, si à domino, qui rem vacuam apprehendit, asseratur res in commissum cecidisse, ab emphyteuta negetur: de eo cognoscere, antequam restitui iubeat, & pronunciare debebit. quamquam enim, vt diximus, emphyteuta ipso iure, seu eo solo quod dominus voluerit, excidat iure suo; *per ea quæ mox supra diximus; & latius excutit Fachin. controu. l. 1. c. 93.* tamen cum ea res in controuersiam trahitur, pronunciat Iudex, non quidem irrogando priuationem; sed declarando, ex facto à iure irrogatam iam esse: *l. lex vectig.* 31. *D. de pignor.* vbi cum in exolutione vectigalis, tam debitor quàm creditor cessarunt, & propterea pronunciatum fundum secundùm legem domini esse: *propterea*, inquit lex, *fundum domini esse*, non autem Iudicem fundum domino addixisse, possessorem priuasse. pronuntiat ergo Iudex de iure domino competenti: & pronunciare quidem debet de controuersia coram se mota. nam de quo cognouit, de eo Iudex pronunciare debet, iudiciumque vbi cœptum est finiri.

17. An detur in integrum restitutio ignoranti ac minori?

Si igitur & causam alleget emphyteuta, cur rem in commissum cecidisse neget, v. g. si hæredem se esse emphyteutæ, comminatoriæ clausulæ ignorantem, adeoque ob iustam causam excusandum? at vero eiusmodi ignorantia non facit, vt qui in ius succedit alterius, alio iure vtatur. *l. qui in ius. D. Reg. iur. d. l. lex.* vbi fundus vectigalis pignori datus, non minus à creditore, qui debitoris iure vtitur, res commissa est; quàm à debitore, neque constat creditorem in ea lege gnarum fuisse clausulæ commissoriæ. & in seruitute legata amittenda, per non vsum ignorantia nihil releuat. *in l. si partem.* §. *hæc sunt verb. ignorauerit eam non vtendo. D. quemadmodum seruitus amitt. & quæ alia habet Fachin. iuris loca controuers. l. 1. c. 69.* & in contractibus fidem statuit. *l. ad* 49. §. *in fac. D. de verb. oblig. verb. quamuis absit & ignorer.* atque hanc quidem sententiam tenet Ioannes Ferrarius *Montanus in enarratione ad tit. C. de iur. emph. ad d. l.* 2. §. *ne autem. propter*, inquit, *constitutionis tenorem, quæ strictum ius parit.* & in hoc contractu voluit solam depositionem moræ excusandæ opem præbere, & à priuationis periculo eximere: vtpotè quæ ad illud vitandum non aliud medium adfert, quàm his verbis comprehensum, *licentiam concedimus attestatione præmissâ pecunias offerre, iisq; obsignatis, & secundùm legem depositis nullũ deiectionis timere periculum.*

Et quamquam Fachin. *d. c.* 69. multis ostendit ignorantiam, quamuis facti probabilem, ne iustam quidem esse causam aduersùs præscriptionem petendæ restitutionis in integrum; tamen Ferrarius eam admittit in hærede emphyteutæ, mero iure ob non solutum canonem rebus lapso: adeo vt vnicum Cynum & Petrum antiquum interpretem contrarium sustinere asserat: tamen si à Prætore (nunc à Principe) solemnibus literis restitutio petita non sit, & à tempore scientiæ, non celeri satisfactione moram hæres purgauerit pecuniam soluendo, vel *iuxta d. l.* 2. deponendo; non est ratio dubitandi, quin contra hæredem pronunciandum sit, huiusmodi literis non donatum (quamuis Papon. *lib.* 12. *art. de pactions resolutoires ar.* 1. *&* 2. aliter videatur sentire pronunciatum, sed à summa Curia quæ gratiam restitutionis facere potest.) deinde iis licet impetratis iuuari nullatenus posse, si à tempore scientiæ non statim præterita soluerit, deposueritúe; sed & lapsos exinde canones non ipse quotannis exactè soluerit; sed ipse contumace lite dominum fatigare maluerit; quin etsi partem rerum adhuc possederit non ex eis canonem debitè soluerit: ita vt ex mora iam sua non tantùm, quas adhuc possidet, res in commissum ceciderint, sed & quas dominus pridem arripuit, non purgarit; sed sua ipsius mora adeo infecerit, vt omni repetitioni noua impedimenta posuerit, dolique exceptiones auxerit.

Quod porrò attinet ad minorem ætatem; neque ea vim contractus cum maiori initi eneruat. siquidem ex persona hæredis conditio obligationis non mutatur. *l. stipulat.* 2. §. *ex his D. de verb. obligat. l.* 5. §. *pupilli. D. de rebus. eor. l.* 3. *ſ.* §. *si ius emphyteuticum ibid.* vbi vsusfructus à pupillo non vtendo amittitur, & restaurari debet. nam perquam iniquum est, eum, qui nihil cum pupillo contraxit, impediri ab eius minori ætate. *l.* 3. §. *Marcel. D. quibus ex causis in possessionem eat.* ideoque re ex patris contractu obligatâ, & per creditorem venditâ læsus non restituitur. *l.* 2. *C. si aduersus vendit. pignor.* sed tutores conueniendi sunt. quamquam gloss. *in d. l. cum* §. *in hac in verb. stetisset* tradat, si quid facere hæres, vel non facere debuit, ex contractu defuncti, mero iure etiam pupillus, teneatur; pœnam & legem commissoriam incurrat. quod Molin. *ad cons. Paris. in antiqua*

qua edit. §. 30. *q.* 14. *num.* 59. etiam in ecclesiis, & causis piis tradit; tamen ope vult restitutionis iuuari. *d. l.* 3. §. *si ius emphyteuticum verb. cum etiam restaurari & ibi glos.*& sicut in omissione minor ad retractum restituitur, *in c. constitut. X. de integ. rest.* atque in faciendo, magis in omissione: si in lucro, ergo in damno vitando: nihilominus quærendum est, an per ætatem lapsus sit, an aliqua eius sit contumacia: nam in delictis non cadit restitutio: an adueniente ætate mox re ipsa, & obsequiosè moram purgauerit: nam ætati beneficium datur, nullum contumaciæ. sed & rursus Iudicem in petitorio cognoscentem de mero iure pronunciare oportet, & gratiam restitutionis, nisi Prætor, nunc Princeps, solemnibus literis impertitus fuerit, non concedere. Quod si etiam, dum commissum

18. An moram purgare possit? negatur, emphyteuta moram purgare velit, de eo etiam cognoscere Iudex, & decidere debet, an possit. Equidem quod ad ius ciuile attinet, satis pro explorata ea sententia habetur ne possit: *per ea quæ tradit Fachin. controu. iur. l.* 1. *c.* 98. iure canonico decisum est, vt possit emphyteuta moram purgare: *in c. potuit. X. locati.* ex quo loco, qui casum in emphyteuta ecclesiæ format, multi argumentum duxerunt ad emphyteusin priuati: quod non tantùm multis locis praxis obtinuit; sed & vt emphyteuses ad rationem censualium bonorum redigerentur. *Charond. le Charon. sur le tit. de censiues & droicts seig. in princ. de ses annot. coustum. de Paris.* ita vt ob non solutum canonem res non cadat in commissum: sed ad canonum tantùm solutionem agendum sit. nisi quod multis itidem locis, ob canonem quotannis non solutum duplum exigant. sicut in iure quædam ob inficiationem duplantur. aliis locis certa pœna incurritur, cuius metu annua solutio non procrastinetur. ob quem morem alij disertâ conuentione commissoriam legem contractibus inserunt. quæ hominis prouisio, tollit prouisionem legis; & consuetudinem: & seruanda est. *iuxta d. l.* 2. *C. de iur. emphyt.* saluo, *vt diximus*, si œconomica & herilis authoritas non sufficiat; magistratus iurisdictio imploranda sit: ne veniatur ad arma. quo sensu practici excipiendi sunt, qui eiusmodi conuentiones inefficaces putant, astruendæ propriæ domini authoritatis, ad rem commissam recipiendam. *Imbert. in Enchyrid. Charond. resp. l.* 3. *resp.* 28. *Papon. Arr. l.* 10. *t.* 3. *art.* 6.

Sed addit *d. c. potuit* lapso biennio tunc demum non repelli emphyteutam cum celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuit. ea celeritas non consistit in puncto temporis indiuisibili, sed Iudicis arbitrio: *Menoch. de arbit. l.* 1. *cas.* 7. secundùm materiam subiectam regulato, id est, respectu habito ad biennium, ad eiusque proportionem: *glos. in d. c. placuit. X. locati*, id saltem est bimestre tempus, plus minus vt indulgeri possit. vt ipsi domino cui cum emphyteuseos alienandæ pretium denunciatur ad retractum bimestre solum conceditur; non verò annus; bienniumúe totum concedendum est emphyteutæ, minus duplari illud, aut triplari potest: adeoque non poterit Iudex purgationem admittendam statuere, quæ in huiusmodi tempora excurrat; quæ non celerem satisfactionem, sed diuturnam tergiuersationem ostentant. vbi etiam aduertendum est *in d. c. potuit*, textum post biennium purgationem admittere; celerem quidem, sed non quocumque tempore; sed antequam iam re emphyteuticâ pulsus foret: *emphyteutam*, inquit, *cessando in solutione canonis per biennium, nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset, ipsè potuisse repelli.* itaque illa satisfactio admittitur antequam iam repelleretur; non verò postquam iam pulsus esset, atque res ab Ecclesia apprehensa. multo magis, si non incontinenti post apprehensionem, sed post plura temporum spatia, eaque primigenio termino longiora.

De Pignoribus.

CONSVLTATIO I.

De creditorum ordine.

QVæ C. promeritus est famulando A. mercatori, qui postmodum factus est non soluendo, ex iure Antuerpiensi consequitur per prælationem. quod etiam extendendum puto quoad ea, quæ promeritus est, postquam idem A. factus est non soluendo, quantisper debitoris, & creditorum interfuit eiusdem operam & industriam rebus A. interuenire. quia autem pacta non est certa merces, ea statuenda est ex arbitrio mercatorum, eius rei intelligentium, iuxta edictum perpetuum anni 1611. art. 22. 1. Prælationẽ hic habet merces famulorum.

Porro quæ idem C. pro eodem A. expendit diuersæ sunt considerationis. nam ea quidem iure prælationis repetit, quæ in præseruationem bonorum erogata sunt: *l. qui in nauem.* §. *quod quis. D. de priuil. credit.* vel ex voluntate creditorum: *l.* 10. § *per hanc vers. idemque. D. quæ in fraudem*, vel curatorum seu alterutrius eorum, si plures fuerint: *l.* 2. §. *si plures. l.* 3. *D. de curat. bonis dando*, vel demum quatenus ipsius C. pecunia alij creditores dimissi sunt; *l.* 10. §. *ita tamen*, quatenus eidem creditores priuilegiati sint: & immediatè pecunia ad illos peruenit, aut saltem per manum debitoris sine interuallo. *l.* 9. §. *eorum. D. de priuileg. credit.* 2. Erogata in conseruationem bonorũ. 3. Mandatoue creditorum. 4. Vel quatenus alij creditores priuilegiati eâ pecuniâ sunt dimissi.

Enimuero iure scripto debitor talis contrahere non prohibetur; sed in fraudem contrahere. *l.* 22. *D. quæ in fraud.* neque creditoribus soluere; dummodo non per gratificationem, aut extorsionẽ: *l.* 24. *eod.* adeoq; generatim traditũ est requiri in onerosis consilio, & re ipsâ fraudẽ factam esse: in lucrosis euentum sufficere. 5. Debitor iure non vetatur contrahere sed in fraudẽ tantum.

sufficere. *tot. tit. quæ in fraudem.* Ex moribus autem Antuerpiensibus *tit. de fugit. art. 5. & 9. ad fin.* illi, qui soluendo non est, interdicta est bonorum administratio : vt nec pignus cuiquam dare possit : sed illud referendum sit ad manum iudicis, aut curatorum : quamuis bonâ fide quis contraxerit *d. art. 9.* quod prius & edictum Caroli V. statuit quoad fugitiuos, & dolosos debitores. 4. Oct. 1540. & redditur *articulo* 10. ratio, quia debitoris bona generatim omnia creditoribus oppignorata sunt: saluo singulorum nominum priuilegio : qui nexus sine illis solui nequit, id quod amplius ex eo statuto quàm iure creditoribus tribuitur.

6. Hic Antuerpiæ contra si palam est nō soluendo.

7. Et in Belgio generatim si fugitiuus est aut dolosus.

Adeo vt quidquid vlterius C. pro eodem A. expenderit, eundem quidem A. obligatum habeat, sed illius bona priores creditores iure pignoris sibi auferant.

8. Si vtiliter erogata ab alio euentu felicem successum non habent, non amittunt primordiale priuilegium v.g. si propter pactum commissorium res ab alio aufetantur.

Quæ autem idem C. in id dedit, quo creditorum causa salua, aut melior futura prudenter credebatur, quamuis consilio citra illius culpam non responderit euentus; propter adiectam legem commissoriam, *si cætera statutis temporibus non soluerentur*, recuperari tamen à C. possunt : quia rerum primordia sunt inspicienda, non euentus. quemadmodum minor, qui vtiliter contrahit, quamuis successus non respondeat, non tamen restituitur. *l. verum. 11. §. sciendum, si locupleti. D. de minorib.* & verò dum aliud C. imputari non potest, quàm periculum legis commissoriæ contractui ad iectæ, non est quod censeatur non vtiliter pecuniam collocasse in res illi periculo subiectas seruandas. quippe pecunia in emphyteusin, aut feudum collocata vtiliter censetur impensa, quamuis per biennium in ecclesiasticis, aut trienniũ in sæcularibus, non soluto canone res in commissum cadat, aut feuda amittantur, vt pluribus causis amittuntur. *vt in vsibus feud.*

9. Re restitutâ cessat reuocatoria.

Sed & iure cessat reuocatoria, si quis rem restituerit. *l. 25. §. si à socero. D. qui in fraudem,* quia ex edicto Prætoris actio rei restituendæ gratia non pœnæ nomine datur. sed apud nos edictum Caroli V. *de quo mox diximus,* ipsos fugitiuos dolosos debitores foro cedentes capite punit : eos autem qui bona eorum celant, ad omnium debitorum solutionem obligat : vt & Iudices conniuentes. quod prius & consuetudo Antuerpiensis *d. ar. 9.* recipit, sed hæc in fugitiuis atque improbis : si quis autem citra dolum malum ab eo, qui soluendo non est, quidquam recipit, excusatur pignus acceptum pro verò debito. *vt supra diximus.*

10. Fugitiui & dolosi hic capite puniuntur.

11. Bona celantes tenentur ad solutionē omnium debitorum.

CONSVLTATIO II.

Antichresis quando licita?

IVre ciuili, vt legitimæ vsuræ, ita & antichresis permissa est, vt in vicem vsurarum fructus pignoris cedant. *l. si ea lege. l. oleo. l. si eâ pactione. C. de vsur. Mynf. cen. 6. obs. 71.* adeo quidem, vt quamuis fructus legitimas vsuras excedant, tamen quia incertus eorum est euentus, & poterunt nulli nasci, permissa ea pactio, vt nec in excessu illicitum fœnus sit. *d. l. si eâ lege. d. l. si eâ pactione*, sed vilius emptum, conductum, contractumúe censebitur. *d. l. si eâ pactione in fin.* ius canonum vt vsuras, ita & hanc pactionem damnat. *c. 1. 2. c. 8. conquestus. X. de vsur.* quando ipsi fructus domini pignoris esse debeant, non vero creditoris, qui in illud præter causam securitatis ius non habet. Quia tamen pignus accedere tantùm aliis contractibus soleat, si ex illis vsuræ haberi possint, 1.
ex antichresi poterunt. Quare cum quis alteri pecuniam dat, vt fundum recipiat, fructus illius suos facturus, donec alteri lubitum fuerit pecuniam restituere ; ad eamque restitutionem cogere non possit, sed maneat semper eius arbitrium penes accipientem ; incidit is contractus in naturam reditus annui, determinatis vsuris incertitudine fructuum suffectâ. quæ dum retinetur intra rationabilem aleæ æstimationem, tantum habet iustitiæ, quantum reditus annuus, & quibus ille causis defendi, vel impugnari potest, poterit & iste planâ viâ : alij emptionem cum pacto de retrouendendo, alij alias cautiones iustificatorias quærunt ; sed hæc aperta, & iusta est, quæ sortem alienat, & incertitudinem iustâ æstimatione certis lucris subrogat. quando autem in certum tempus antichresis initur cum facultate repetendæ pecuniæ erogatæ; non est canonibus probata ea pactio, vt pignoris fructus lucretur creditor. Duo tamen casus sunt excepti, primus ab Innocentio III. *in c. 1. de feud.* & Alexandro III. *in c. conquestus de vsuris*, vt fructus feudi domino directo oppignorati ei cedant. quod idem obseruat Lessius *de Iust. & iure, l. 2. c. 20. d. 16. nnmer. 139.* quasi sit illa efficacia dominij directi penes creditorem existentis : alter est ab eodem Innocentio III. exceptus *in c. salubriter. X. de vsur.* vt gener non solutâ dote lucretur fructus dati pignoris, donec dos soluatur. quod c. septem illationibus declarat Mald. *de iust. tract. 5. c. 3. d. 16.* nec malè examinauit Couuar. *Var. resol. t. 2. l. 3. c. 1. num. 3.* cuius c. ratio si communicetur aliis contractibus, eosdem iustificabit. quod huic dotis dationi à natura inest ; si ab extrinsico aliis antichresibus adueniat, onus scilicet aliquod, damnum datum, vel lucrum impeditum vsuræ labem absterget. si autem originariè reditus annuus constituatur, & in vicem annui iuris pecuniarij fructus prædij à debitore cedantur, si aleæ æstimationem non excedunt, non erit iniusta pactio, sed ob vsuræ periculũ interdicetur imposterum. *Griuel. Dol. decis. 83.* pretij autem æstimatio à natura rei magnam latitudinem habet, quando d. extrauag. eas pactiones non damnant, quæ ex 100. annuè decem reddunt. sed pecuniæ æstimatio ex ratione locorum & temporum, quibus carior aut vilior est, sumi

1. Cum nec sors à creditore repeti, sed à debitore lui potest, & fructus legitimum reditum non excedunt, æstimatâ aleâ, vt in iactu retis.

poteſt ; vbi Edicta aut conſuetudines certam non determinarunt , quam tunc excedere non licet.

De Donationibus.

CONSVLTATIO I.

Quod in Donatione reſiduum intelligatur, & damnum vi maiori acceptum quomodo ferendum?

EX donatione Ioannæ Duciſſæ Brabantiæ conſtat pro diſtributione chori Eccleſiæ T. decimas illius eſſe relictas , quæ ſuperſunt deductis oneribus redituum ſiligineorum, in alias cauſas pias ab illa , & Maria ſorore ipſius relictorum ibidem expreſſis , & quæ iam antè per alias literas ſingulatim erant impoſita.

Neque id dubitationem habere poteſt tùm ex ratione , tùm ex verbis donationis. ratio non permittit , vt iam antè data legata reuocentur, auferantur, aut minuantur: non poteſt præſumi ea Principum voluntas , quam non comitatur poteſtas.

Verba autem donationis hæc clara ſunt; *quod ſupereſt*, inquit, *quod reſiduum eſt, die ouerbaie geheelijck vande thienden, bouen dat Wy in andere malen ghegeuen hebben, &c.*

1\. Reſiduum quod onere deducto ſupereſt.

Bona intelliguntur, inquit Paulus , *in l.ſubſignatum. D. de verb. ſignif.quæ deducto ære alieno ſuperſunt* : reliquum dicitur quod ſupereſt, maiori ſummâ detractâ : *l.reſcriptum in fin. D. de his quæ vt indignis. reliquorum*, inquit Alciat. *in l. poteſt.95. D.de verb.ſignif. appellatio propriè ad partem reſtantem refertur, à qua ſermonis proprietate in dubio nunquam recedimus* : & infra, *recedimus tamen quandoq; à proprietate ſermonis, vt quia hoc materia ſuadeat , vel narrantis intentio: vt in l.2. C.de hæred.inſt.* quare, *ſi Titius ex aſſe ſit inſtitutus, Sempronius in reſiduo , ſi nihil ſuperſit, nihil huic debebitur.l.item quod. §. ſed ſi l.qui non. D.de hæred.inſtit.l.ſi ita legatum de legat.1.*

2\. Ipſius rei non pretij.

Enimuero donatio Duciſſæ ad decimas ipſas ; non valorem pretium, aut annuos fructus ſpectat : *l. cum ſtipulantur.97. D. de verb. ſignif.* & quidem quales tunc erant : *Alciat. in d.l.poteſt.§. ſed & teſtator.* & verba ipſa donationis ſunt clara, *die ouerbate*, inquit, *vande thiende die onſe ſuſter beſeten heeft*, quod ſpectat ad ius ipſum decimarum , earumque quantitatem deductis reditibus, ſeu ære alieno, reſiduam; non vero attinet ad elocationum pretia pòſt futurarum, aut fructuum per militũ inſolentiam, aut alios caſus imminutionem.

Sed eius rei deciſio aliunde eſt petenda, ijs ſcilicet legibus, quæ dicant, quid, ſi ex prædio, vnde reditus debetur , natum non erit quod debetur, aut caſu ſublatum, ſit ſtatuendum?

Siquidem Capitulum & canonicos, quibus reſiduum dictarum decimarum relictum eſt, conſiderare debemus tanquam qui ſucceſſerint in ius Donatricis, vt eodem ipſi vtantur; atqui illa, ſeu eius decimæ debitrices erant dictorum redituum ſiligineorum; ſupereſt ergo vt inquiramus quomodo agendum ſit cum fundi domino, cum is non fundit eos reditus , qui ex eo dati legati ſunt, aut caſu illi perimuntur.

3\. Cum natum non eſt quantum ex fundo legatum eſt, totum debetur quod natum eſt, & ex anno ſequenti ſuppletur.

Qua in re imprimis ſe offert lex legatum. §. *vini. D. de an. legat. l. cum certus l. ex eo. D. de trit. vin. leg l Lucius D.de aliment. leg. l.firmio D. quando dies legatorum. l. inter ſtipulantem.83.§. ſacram. D.de verb oblig. l.ſi debitor.39. D.de contrah.empt.* quæ omnes quod natum eſt ex fundo addicunt ; quædam etiam, cum vno anno natum non eſt, ex alijs ſuppleri volunt: ſed l.ex conducto. §. *Papinianus alias eſt l.ſi vno. D.locati. l. licet. C locati* , remiſſionem aliquam faciendam decernunt : ſed & d. §. *ſacram, & ſi quod natum eſt ſine culpa promiſſoris conſumptum ſit, rurſum exſpectare debeo donec iterum naſcatur, & dari poſſit* : vbi caſu perempti fructus debitorem non liberant : ſed æquior apparet d.l. licet , vt ſi qua lue tempeſtatis, vel alio cæli vitio damna accidiſſent, ratio haberetur : ad eoſdemque caſus ſpectat vis maior , & militum inſolentia.

4\. Non idem in contractibus ſynalagma habentibus.

Animaduertendum tamen eſt ſemper ex qua cauſa diſceptetur : nam ſi ex contractu qui continet ſynalagma ſeu reciprocam obligationem , quoniam eius æquitas conſiſtit in æqualitatem , non permittetur plus ſolui v.g. quam emptum tradatur. *d.l.ſi debitori*: quam ex conducto fructuum recipiatur, *d.l.licet.* vbi notandum quod Imperator Alexander reſcribat conductori *tui rationem præſes habebit*, non autem *damni* : vt deſignet reciproci contractus in conductore æqualitatem ſtatuendam: prius autem citatæ leges in legatis loquuntur, quæ ſolius dantis liberalitatem continenr, non autem ſynalagma ; & in ſtipulationibus : ita vt quæ liberaliter data, legata ſunt, vel ſtipulanti promiſſa , ſecundùm legati ſtipulationiſúe tenorem ſint præſtanda.

5\. Sed edictũ indiſtinctè diſponit.

Sed optimè Edictum *vlt. Octob.* 1587. latum decreuit indiſtinctè, vt ſi nihil ſeri metique potuerit , cũ reditus reſpectu fundi vnde debentur ſunt magni, totaq; obligatio eſt hypothecaria, toti remittãtur: *ar.4.7.& 8.* quod ſi colligi aliquid potuit , habeatur ratio quantitatis, & oneris, & prouentus ; *d.ar.7 8.9.& 10.* vbi etiã fundationes exprimuntur cõprehendi: & vbi non perierunt integri fructus , aliquid etiã relinqui domino videtur, non omnes dedi teditario creditori: etiam cum debitorẽ perſonaliter habet obligatum. vt damna in plures diſtributa fiant leuiora. quod ex vera iuſtaque æquitate *d.ar.10.* Rex declarat ſe ſtatuiſſe.

6\. Sed de præteritis tantum ad caſus tamen futuros æquitas illius applicanda eſt.

Et quamquam *ar.18.* declaret illud edictum non comprehendere caſus futuros; committit tamen remiſſionem & moderationẽ arbitrio iudicis, iuxta terminos iuris, & caſuum circũſtantias: quæ ſi hodie conformes ſint bellicis incommodis, ob quæ Edictum illud latũ

eſt,

est, arbitrium iudicis non poterit non esse æquum, si fuerit Edicto isti conforme.

Sed quoniam quamuis grauia damna fuerint illata decimis sub municipio territorioue, dicuntur tamen non esse tanta, quin deductis redituum oneribus, magna decimarum pars superfuerit pro beneficiariorum distributionibus, ob quas residuæ decimæ à Ducissa fuerint collatæ; non esse videtur cur non omne id exoluatur, quod redituariis ex decimis iam ante debebatur, quàm eæ ad Capitulum peruenirent.

De Testamentis.

CONSULTATIO I.

Edictum anno 1611. extra diserta verba nihil ex moribus mutat. casus ex eo declarati.

CVm passim ad conformitatem iuris canonici inualuerit, vt testamenta non alias solemnitates exigerent, quàm vt coram parocho vel notario & duobus testibus conficerentur, atque deinde edictum Principum *12. Iulij* 1611. *ar.* 11. 12. sanxerit, vt sub pœna nullitatis, in locis, vbi consuetudines à Principe sunt decretæ, in condendis testamentis formam ibi præscriptam sequi oporteret: vbi verò non sunt decretæ; testator, testes & parochus, vel notarius testamenta signarent, subscriberentúe, quatenus scribere quidem scirent: super quo rogarentur, atque in vno seu altero casu notarij in instrumento id annotare tenerentur: statuendum omninò est, per illud edictum non esse rursus in vsum reuocatas omnes iuris ciuilis ceremonias, sed id tantum esse inductum, quod disertè edictum exprimit. neque illud pharisaicè esse torquendum, sed moraliter, & prout homines in actionibus versari solent. quare optimè iidē Principes declarauerunt 2. *Nouemb.* 1618. frustra impugnari testamentum, quod ab ipsa testatrice, parocho, & duobus testibus signatum reperiebatur, cum hac nota; *& testatrix testesq; ad hoc vocati signauerunt*, quamuis non aliter appareret de euocatione, neque quod testatrix testesque interrogati essent, an scribere scirent, aut in instrumento eius rei alia nota inueniretur: quod ea interrogatio in gnaris scriptionis, qui re ipsa scripsissent, frustranea esset.

1\. Testes sufficit narrari vocatos etsi non probari.

Iterum ex eodem principio supra proposito iidem Principes 8. *Iunij an.* 1613. declararunt, testamenta & dispositiones vltimæ voluntatis scriptas in charta clausa, & signata, cuius inscriptum tenorem testator coram notario, & duobus testibus professus est esse suam extremam voluntatem, eandemque professionem superscribi à notario iussit, cui ipse, & testes, ac notarius subscripserunt, redargui nullitatis non posse, quod nec lectum, nec apertum fuisset testamentum, adeoque nec intus ab ipsis subscriptum, quod plerumque homines nolint, multis de causis de vltima sua voluntate viuis sese constare, qui modus nec iure ciuili improbatus fuit. §. *igitur inst. de pupil. subst. l.* 28. §. 1. *D. eod.*

2\. Testamentū clausum valet vt testam. apud acta.

Rursum *vlt. Aug.* 1613. & iterum 21. *Februarij* 1615. iidem Principes declararunt, quod testamenta recepta à duobus scabinis præsente graphiario, secretario, aut notario habebuntur tamquam facta cum solemnitatibus ab edicto præscriptis: vtpote apud iudicem, apud acta facta, alias solemnitates iure censentur superare.

3\. Imperfectū inter liberos.

Denique 3. *August.* 1619. edictum non derogare priuilegio iuris scripti concesso testamentis parentum imperfectis inter liberos, & quæ alia referimus *in Iuris pontificij noui analyt. enar. in secunda editione tit. de testam. num.* 20.

CONSULTATIO II.

An pestiferorum testamenta solemnitates requirant.

LEuis febricula seruum morbosum non facit, neque redhibitioni obnoxium: *l.* 1. §. 8. *D. de ædil. ed.* nec vetus quartana excusat à contumacia, *l. quæsitum.* 60. *D. de re iud.* sed grauis corporum, aurarumque infectio, pestilens aër, & grassans contagio. *Afflict. decis.* 50. *numer.* 2. *&* 4. *l. recusare.* §. *fin. & ibi Bald. C. ad Trebel. glos. in Clem. ne in agro v. rationabili de stat. monach.* (quomodo Greg. XII. grauitatem cæli Pisani causatus ad concilium non venit. *Marian.*) *in c. veniens. X. de accus.* & clericum contagio excusat à residentia, *d. glos. & facit. l.* 2. §. *penult. v. fortuita calamitas. D. si quis cautionib. dixi in Iur. pont. noui anal. de cler. non resid. numer.* 16. sic & consuetudo Antuerpiensis quod *tit.* 41. *ar.* 93. statuit, vt societas bonorum coniugalis continuetur inter superstitem, & defuncti liberos, si bonorum repertorium scriptum non erit; *art.* 86. moderatur, ne in casu pestis obtineat.

1\. Grauis non leuis infectio excusat.

Quare multi ex iuris interpretibus abierunt in istam sententiam, vt crederent contagione grassante peste tactorum testamenta non seruatis iuris Romani solemnibus subsistere: dummodo probationem habeant iure gentium sufficientem; seu diuino, quod in ore duorum vel trium testium stare iubet omne verbum: *Euerard. & quos allegat. cons.* 61. *Mynf. l.* 1. *obs.* 96. *Gail. l.* 2. *obs.* 18. *n.* 18.

2\. Adeoque pestis à solemnitate testamenti

Quomodo & Molanus *tract. de pijs testam. c.* 38. sæpe pronunciatum refert pro testamentis tempore contagionis confectis, co-

ex multorū sententia. ram duobus dumtaxat testibus, sine parocho licet aut notario, & in eandem sententiam fere abit *Malder. de Iust. tract. 1. c. 11. dub. 6. in fine.* Humanitatem, quam *lex vltima C. de testam.* considerauit in rure degentibus, *& tit. de test. milit.* in argumentum assumendo. & plerique sanè DD. expeditionem militarem, & pestilentem contagionem comparant: quasi lues illa Deum inter & homines tunc bellum faciat. Vnde etiam eo argumento credunt non pauci ex pragmaticis nostris solemnitates edicti Principum nostrorum *ann. 1611. art. 12.* non obtinere in testamentis contagiosorum: cum aliàs Principes interpretati sint milites in firmis præsidiis commorantes eo edicto teneri: quasi supponendo eos, qui in expeditione versantur eo non obstringi; eoque exemplo qui in contagio testantur solemnibus edicti solutos esse contendunt.

Quod sanè maximè concedendum videtur quoad eos, qui publicam functionem in contagio obeunt, quasi necessariam militiam. *Ripa tract. de peste de priuil. vlt. volunt. c. 2. num. 14. vers. illud scias. Iason. in l. fin. C. de testam. Ant. Faber in suo C. de test. defin. 5.*

3. Non ex iuris rigore. Cæterùm vt generaliter tempore contagionis vel quo ad peste tactos id obtineat, si verba *l. casus. C. de test.* attendamus, rigor textus non permittit: satis enim apertè declarat non aliam testamentorum solemnitatem peremptam esse, quàm ne iungi, atque sociari testes teneantur, quos timor contagionis deterret. atque ita Faber *C. de testam. definit. 6.* ex cæteris testamentorum solemnibus nullam esse asserit, quam remitti oporteat. quanquam idem *definit. 5.* contra rigorem eiusdem textus quinque testibus est contentus: argumento eius quod in rustico statutum est: licet textus *d. l. 8.* conuenientis numeri obseruationem sublatam neget. sane tam videtur efficax argumentum de milite, quàm de rustico. in illo autem duo testes, & quæuis iuris gentium probatio sufficit, quod is tamen non admittit, & *definit. 2. ibidem.* difficultatem aut impossibilitatem habendorum testium in casu quidem carceris non tanti facit, vt ob eam testium defectu testamentum non corruat.

Verumtamen plerique sic *d. l. casus* acceperunt, vt non ita requisitum testium septem numerum, sed etiam cæteras solemnitates remittere videatur: adeoque Godefrid. *in ead. l. 8.* contagiosi testamentum coram testibus transeuntibus per fenestram nuncupatum, quin coram aduenientibus tantùm, & non videntibus sustinet: tametsi *l. 21. Qui testam. facere poss.* hæredes palam, & *l. 9. C. de testam.* in conspectu nominari velit.

Quomodo etiam *d. l. 21. §. 1.* iubet, si quid post factum testamentum mutari placeat, omnia ex integro fieri: quia scilicet vnico nec interrupto contextu testamentum absoluendum est. *§. fin. ibid.* quod remittit *d. l. 8.*

Qua ex causa peste tactus testamentum ritè cum nuper scripserat, paulò pòst hæredem ei mutare placuit; rogatus parochus coram iis, qui priùs adfuerant testibus, in testamento deleuit nomen hæredis priùs scripti; & secundò nominati supposuit, atque ita ab ægro discesserunt, atque ille à mortalibus ad meliores sedes profectus est. quæ consulto deleta sunt iussu testatoris, etiam institutio, corruunt. *l. 1. 2. 3. 4. D. de his quæ in testam. delentur.* Cæterum suppositio alterius hæredis non firmatur scripturâ ante confectâ: sed quasi ex nuncupatiuo testamento parochi & testium dicta audientur, & in sanis nuncupatiua testamenta, cum hæreditas trecentos florenos excedit, tolluntur per edictum *anno 1611. ar. 19.* & *ar. 11. & 12.* indifferenter omnibus formam vt diximus præscribit, vbi consuetudines à Curia probatæ non sunt, ita vt testamenta scribi, & subscribi debeant.

Sed & ab hoc rursum non malè docti testamenta eximunt infectorum, argumento militarium, quod suprà etiam ex interpretationibus adduximus.

Quod sanè præter humanitatis considerationem, quam etiam tetigimus, magnam causam apud nos habet ex prohibitione publica, ne quis cum infectis versetur: imò infecti alicubi statim extra ciuitatem deportantur, aut domi suæ ostiis publicè obseratis includuntur: vt & iure & facto accessus testium prohibitus sit, & solemnitas testamentaria seruatu impossibilis reddita, impossibilium autem nulla est obligatio. *l. 183. de reg. iur. l. filius. 15. D. de condit.* quod quamuis in difficultate aut impossibilitate facti in qua Faber *definit. 2.* loquitur, dissimulandum foret; in impossibilitate iuris, difficilius videtur admittendum: non ergo tenebitur infectus adhibere testes aliter, quàm eiusmodi ordinationes permittunt, neque amarè difficultas ea testium accipienda est, sed benignè cum hominibus nihil magis debeatur, quàm vt vltimæ voluntatis liber sit stylus. Vnde neque in solutionem accipiendum est, quod Cellitæ, & nigræ sorores, & quidam mercenarij vitæ prodigi infectis soleant assistere; nam vbi lues valdè grassatur, non omnibus contaminatis hi solent sufficere, sed ab vnis ad alios ita auocantur, vt testamentis auscultandis immorari non possint, sed neque literati solent esse, ad danda consilia, quod valdè considerat *d. l. vlt. C. de testam.* tamen interpretatio Regia ad meam postulationem data 1631. etiam ab infectis edictum seruandum esse declarauit. & Senatus Paris. *apud Ann. Robert. rer. Iud. l. 2. c. 10.*

Porrò quando inter testes reperitur fœmina, verbi edicti 1611. seruata sunt. neque enim illud aliud expresse requirit, quàm testes; disertè masculos non exigit, nec fœminas reiicit: controuersum est autem de iure inter interpretes, an in testamento iure canonico, quod mores receperint, fœmina testis esse possit: plerisq; asserentibus posse. quorum opinionem cōmunem dicit Ioan. Crot. *tract. de testib. p. 1. n. 10.*

n.10.& c.5.c.tam literis.33. X.de test. c.mulierem.33.q.5. vbi fœminarum testimonium admittitur. tametsi c.cum esses. c.relatum. X.de testam. testes idoneos & legitimos exigat: quia & illud epithetum datur fœminis in d. c. tam literis. quare maximè ea sententia recipienda est in contagiosis testatoribus; præsertim cum masculi testes haberi non possunt; Farin. post Ias. Alex. Bart. Ripam, Bellouis. de testib. q.59.n.72. & seq. & ita nuper conceptæ consuetudines Antuerpienses decernunt. & Interpretatio regia ad meam postulationem declarauit.

CONSVLTATIO III.

An testamenta ad pias causas requirant solemnitates?

IN testamentis ad causas pias receptum creditur, vt iudicandum sit secundùm canones. quod Tiraquel. de priuil. pia causa, adeo verum & notorium esse ait, vt oleum & operam perdat, qui ad hoc authores alleget. & Pinel. de resc. vend. par.2.c.1.nu.15. ab edictis Principum eximit. & Bart. in l.1.fin. C.de sacrosanct. eccles. astruit nullum ius introduci posse contra priuilegia piæ causæ, per canones concessa. adeoque attendendum est Concil. Trid. s.22.c.8. dispositiones omnes pias ordinariis iniungens, iuxta sacrorum canonum statuta cognoscere, & exequi, non obstantibus quâcumque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto. Porrò pia causa duobus testibus est contenta. c. relatam. 11. de testam. quod scriptum est ad iudices Velletrenses. & in editione Greg. XIII. interpolatio suppleta his verbis; huiusmodi causa de iudiciis ecclesia non secundùm leges, sed secundùm canones debet tractari. & in ipsis diuina scriptura testante duo aut tres idonei testes sufficiunt. & Alexander opus non habebat allegatione sacræ scripturæ, si pro terra patrimonij S. Petri tantum scripsisset, quia ibi poterat dicere, sic volo, sic iubeo.

Neque de statutis, consuetudinibus, aut iure communi dubito, quin pia causa sit exempta, & secundùm canones tractanda: sed de Constitutionibus Principum supremorum generaliter statuentium, & pias causas etiam comprehendi interpretantium, si id serio actum est, & Principes sufficienter instructi resoluerint.

CONSVLTATIO IV.

Scriptura testatoris an requiratur, an sufficiat signatura?

QVæritur si testator scribere sciens testamento suo non subscripsit; sed signo tantùm suo signauit, ob vim morbi tum scribendi impotens, quod tamē in instrumento notarius non annotauit; sed tantùm propriâ manu testatorem subsignasse, illudque signum testatoris esse, inquam, an iuxta edictum anni 1611. testamentum validum sit, an irritum?

Pro testamento facit, quod signū & voluntas defuncti agnoscitur; edictum autem euitationē falsitatum & fabricationem, quam defuncti arguere non possint, præfatur, & considerat.

Porrò signum, quod non negatur, pro scriptura esse videtur; secus si testamento nulla testatoris nota accessisset, sed notarij tantum testiumúe signatura: atque tunc signum scripturę æquiualere videtur. arg. l. optimum. C. de contr. & comit. stip. l. si ita. §. Chrysogonus. D. de V. O. presertim cum subsignationem vtroque idiomate Gallico, & teutonico edictum vocet, non addito an nomine & scriptura, an signo fieri eam exigat.

Accedit quod si scripturam requiri dicatur, tamen quod edicto sufficit, satis notarius significasse in instrumento videatur, defunctum ob morbi vim scribere nō potuisse; quasi per ęquipollentem additionem hanc defunctum propriâ manu subsignasse, & ad vtramque signi marginem, id defuncti signum esse.

Contra testamentum facit, quod edictū exigat subsignationē, talem scilicet quam antithesis edicti indicat, si videlicet scribere nesciat, ergo non signum, sed nominis scripturam: quā si testator non possit testamento appingere; id pastor aut Notarius adscribat, cui non videtur æquipollere notarij additio, quod testator subsignauerit: quia non per scripturā subsignauit, quam edictū requirere, & marginalis ad signū nota significare tantùm videtur, vt solet signū à signante exaratum esse, non autem ob morbū significatiuas notas alphabeticas literas exarare testatorem nō potuisse. Quia verba accipienda sunt secundū sonum, & vt communiter solent accipi; vt id significent, ad quod instituta sunt: quod hic non videtur obtinere, nisi fortè coniecturis in moribundo id apprehendamus. sed edictum formalitatem præscriptā exigit, coniecturas reiicit. & subsignatur dicitur quod ab aliquo subscriptum est l. subsign. 39. D. de Verb. signif.

Cæterùm qui ad scriptionem tenetur, & solummodo signat, pro eo est, ac si adhibitus non fuisset. l. ad testium. 22. §. si quis ex testib. D. qui test. fact. pos. nec priuilegio chirographi à tribus testibus subscripti æquiualet signatum tantū. l. scripturas, & ibi DD. C. qui pot. in pig. & ibi DD. quin & patrem inter liberos testantem nō signorum, vel notarum inuolucris, sed per totas litteras hæredū nomina declarare oportet, quæ vndiq; claræ & indubitatæ consistant. Nouel. de test. collat. 17. c.1. incertitudinem non remouent notæ. §. si quis igitur Auth. de Inst. caut. & fid. d. l. scripturæ. cum Auth. ibidem. Adeoque vbi præscriptio nominis pro forma requiritur, non sufficit signum, ne quidem publicum. d. l. ad testium. Menoch. de arbit. cas. 113. n. 11. & in terminis testamenti in scriptis, Crauet. de antiq. temp. p.1. §. quæritur. num. 45. plures allegans. Vnde quamuis testamentum signatorio annulo signari possit; non tamen alio quam characterem

habente. *d. l. ſiquis verb. vt tantum annulo quis, &c.* vbi iungit Vlpian. *variè eum ſignant homines.* quæ varietas & incertitudo, vt videtur, annulum ibi, cui characteres inſculpti ſint, exigit. Quin etſi verum ſignum eſſe ſignantis conſtet, non æquipollet, cum ſcriptio nominis eſt de forma, & ſolemnitate. *Menoch. ibid.* vt hic eſſe videtur. aliàs idem de teſtibus & notario dici poſſet. nam de omnibus edictum, vnis iiſdemque verbis diſponit, quo nihil magis contrarium dici poſſit præfationi *ar.* 12. & fini, ad vitandas omnes incertitudines. & in hanc ſententiam Rex reſcripſit Senatui Antuerpienſi 12. April. 1630. notarios teneri adſcribere, teſtatorem ſcribere non potuiſſe; notas & ſigna non ſufficere ad euitandam nullitatem.

CONSVLTATIO V.

An teſtamenta olographa hîc ſublata ſint?

CONſuetudo teſtandi ſub ſolo chirographo teſtatoris ſine teſtibus, immemorabili vſu firmata in Clero Leodienſis diœceſis, *de qua VVameſius conſ.* 386. *n.* 3. *& conſil.* 11. *n.* 3. nullam paſſa eſt derogationem, per erectionem nouorum epiſcopatuum, in iis locis, quæ ab ea præciſa ſunt. *c. ad apoſtolatus de conceſſ. prab. in extrau.* videtur autem ea conſuetudo exemplo militis ſæcularis *l.* 15. *C. de teſtam.* illiuſque argumento olim recepta in clerico, ſeu milite ſpirituali, & in piis cauſis, iudicio *Valaſ. conſult.* 67. *Tiraq. de priuil. piæ cauſ. p.* 4. quo & ſpectat ſubleuamen conſanguineorum bellicâ calamitate attritorum. *Auguſt. de Ciuit. Dei, lib.* 10. *c.* 1. quod & maximè viguiſſe videtur in holographis clericorum teſtamentis ad pias cauſas de bonis mobilibus, ab eccleſia profectis, quæ eorum tantiſper conditionem ſequuntur, vt exempta cenſeri debeant à iuriſdictione, & edictis Principum. *c. ſi diligenti de foro competent.* etſi praxis fortè ſuos pateretur aduerſarios. præſertim nunc poſt edictalem legem omnibus vbi conſuetudines à Curia probatæ non ſunt, communem: quæ, (ſicut aliæ leges ciuiles à clero ſeruandæ ſunt, ne in corpore politico diſſonantiam pariant) vix eneruari poterit.

CONSULTATIO VI.

Minor tutori eiuſque filiis poteſt donare legare quantum aliis conſanguineis ordinatè.

TVtor curatorúe minorem inducere non poteſt vt ſibi ſuiſúe quippiam relinquat. ex edicto Caroli V. relato in perpetuo edicto anni 1611. *ar.* 14. durante quidem adminiſtratione *d. ar.* 14. Agit autem edictum Caroli V. de inordinata inductione, dum eodem textu tutores, curatores, & concubinas comprehendit, & *d. c.* 14. parentes & fratres excipit. Igitur ſi bona minoris diuerſis locis ſint ſita, & contrariis ſuccedendi modis ſubiecta, ſucceſſioque eius futura ſit litibus obnoxia, inter tutores, eorumúe filios, alioſúe ſucceſſores ab inteſtato; & minor dirimere futuram eam litem voluerit; ſi paternos conſanguineos vno atque altero gradu proximiores, atque magis dilectos habuerit, atque hos omnes in ſtirpes, in quarum vna comprehenſi ſint tutorum filij, æqualiter inſtituerit, maternos excluſerit; non exiſtimo locum eſſe edicto. quod iuſtam libertatem minorum reſtringere non intendit; ſed tutorum concubinarumque captionibus obuiam tantum ire.

Itaque maternis hiſce excluſis querelam non concedendam puto aduerſus teſtamentum ea ex cauſa; tum quod ſi aduerſus edictum commiſſum foret, non ipſis ſed paternis conſanguineis inſtitutis accreſceret exceſſa portio, quæ tutorum liberis adſcripta eſt: inter hos autem conſanguineos paternos, & liberos tutorum ſi controuerſia moueatur, qui æquitate videbuntur æqualiter inſtituti auferre velle à liberis tutorum eam partem, quâ reddantur inæquales, & minus is ferat, cui ob curam plus debebatur? & tutori eiuſúe liberis officium fiat damnoſum, ex lege ſolum ad reprimendas tutorum captiones lata? quando etiam remunerationes admittit edictum, ex iudicis arbitrio in mobilibus.

CONSVLTATIO VII.

De patris teſtamento pro filiis interpretando in dubio.

1\. SIne actione videntur experiri Actores teſtamentum F. nullitatis arguentes, quia proximi agnati non ſunt, ſed habent alios vno gradu priores. neque iuuari videntur quod hi apud Hollandos agant, eo quod nullam capitis diminutionem ob id pati videantur. *l. ſi quis. §. in ciuilibus. D. de capt. & poſtliminio reuerſ. l. cum cognatum. C. de ingen. manumiſ.* quibus locis ciuiles diſſenſiones, & factiones non inducunt hoſtilitatem, iura captiuitatum, aut poſtliminiorum, adeoque nec incapacitatem ſucceſſionum. At verò agunt eæ leges de mutuis ciuium dumtaxat diſſenſionibus, per quas quamuis ſæpe reſp. lædatur; non tamen in exitium reip. contenditur. *d. §. in ciuilibus. l. poſtliminium. §. à piratis. l. hoſtes. D. de capt.* cum ergo in rep. exitium contenditur, arma aduerſus ipſum Principem ſumuntur, dubium eſſe non poteſt, quin læſæ Maieſtatis crimen contrahatur, eoque nomine incapacitas ſucceſſionum. *l. quiſ-*

Primi in gradu ſi apud rebelles ſunt, ſecundi rectè ſucceſſionem petunt.

l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest. eoque obligantur, qui in eas partes discedunt. quod crimen in subditis contrahitur. eoque rebelles, piratæ, latrunculi, prædones appellantur. *ad l. hostilitas* autem diceretur, si exteri essent, quibus, aut à quibus bellum esset decretum. *d. l. hostes. §. fin. l. latrones eod.* vt si bellum sit Romanis cum Germanis aut Parthis *ibid.* adeoque apud nos Hollandi rebelles vocantur, non hostes, & vt Maiestatis rei tractantur; sicut iure id fieri tradit Peregrinus *de iure fisci. l. 3 t. 8. n. 6. Gigas. de crim. læs. maiestat. tit. de pœn. com. q. 21. Menoch. cons.* 101. & initio tumultuum Belgicorum lata sunt edicta, quibus mandabatur, vt qui pro reis haberi nollent, partes eas desererent, & ad regias redirent. vnde sequitur Actores sine actione non expertos qui priores agnatos non habuerint, nisi Maiestatis reos.

2. Testamentum rectè nullum dici, quatenus conditum sit aduersùs aui fideicommissum.

Videamus nunc de modo institutæ actionis: contenditur ad nullitatem testamenti F. nec vllum illius vitium designant actores, nisi quod bona fideicommisso sint subiecta: atqui id nullitatem non inducit, cum etiam res aliena legari possit. *§. non solùm instit. de legat.* debuissent ergo Actores fidei commissariam hæreditatis petitionem, aut quam aliam ordinatè proponere; non autem nullitatis quæstionem, quæ hîc inepta videtur. *c. examinata & ibi Panormitan. & alij. X. de iudic.* neque id emplastro clausulæ salutaris medicamen recipere videtur, quæ se vltra narrata non extendit. *Iason in l. nihil commune. n. 191. D. de acquir. poss.* At verò Actores satis se explicarunt diuersis locis, se nullum velle declarari testamentum F. quoad bona dumtaxat aui fideicommisso nexa, quod F. potestatem non habuerit ea transferendi, in hæredem, in præiudicium agnatorum, non seruato auiti testamenti præscripto. ad quem modum, quamuis legatarius vtilem habeat actionem; quâ hæres cogatur rem alienam redimere, aut æstimationem dare: quoad verò rei dominium certum est inutile, & nullum esse legatum, ita vt domino per id non præiudicetur: adeoque hîc rectè actores petunt testamentum, quoad fideicommissa nullum dici, neque eis potuisse præiudicare F. adeoque cum in Curiis Ecclesiasticis Brabantiæ nullitas testamenti coram Iudice ecclesiastico proponi possit ex Concordatis cum Principe initis, quæ secundùm communem modum loquendi accipienda sunt, *vt diximus in iur. pont. nou. anal. tit. de for. compet. n. 7.* non malè statuemus hanc testamenti nullitatem rectè ibi propositam esse; pronuntiarique posse testamentum quoad fideicommissa nullum esse; si præscripta aui fideicommittentis seruata non sint.

Itaque videamus quænam illa sint, & an conditiones defecerint? auus proximis agnatis bona restitui voluit, si F. moreretur sine liberis ex legitimo matrimonio natis, nec condito testamento de consensu tutorum, seu executorum suorum: mortuus est F. sine huiusmodi liberis relicto filio tantum, quem solutus ex soluta genuit, & testamento à Principe legitimari petiit, quod testamentum condidit iam maior annis, tutelâ solutus, sine tutorum, executorumue assensu, quorum alter iam obierat, alter tutelam executionemque nunquam acceptauerat: defecisse conditiones contendunt actores; negant rei, tutores pupilli instituti.

Atque illud imprimis clarum est, vbi plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt coniunctim omnibus parendum esse, *l. si hæredi. D. de condit. instit. Anton. Faber C. lib. 6. tit. 30. quando dies legati. defin. 1. & in not. n. 3.* 4. itaque F. non sufficit sine liberis legitimè natis mortuum esse; sed requiritur, vt neque testatus sit. 3. Pluribus conditionibus grauatus, omnibus debet satisfacere.

Consequenter locum non habet ea quæstio, verum substitutus fideicommissarius excludatur per legitimatum rescripto Principis. quam tractat Fachin. *l. 4. c. 53.* & Pius IV. speciali Bulla *edita Kalendis Ianuarij* 1562. disertè declarauit per legitimationes præiudicium fieri non debere fideicommissis. 4. Legitimatus per rescriptũ non excludit substitutum.

Sed neque an legitimatio in mortis articulo postulata, & concessa, in fraudem fideicommissi obtenta videatur. cuius rei argumenta eadem sunt, quæ formantur in ea quæstione, quam idem Fachin. tractat *eod. lib. c. 55.* an legitimatus per subsequens matrimonium in mortis articulo excludat substitutum. & rectè dicitur excludere; nec in fraudem fieri quod principaliter quis facit, vt sibi commodet; etiamsi consequenter tertio incommodetur. *l. fluminum. §. vlt. D. de dam. infect.* non ergo in fraudem postulata censebitur legitimatio proficua hæredi. tametsi hîc vi legitimationis principalis non sit exclusurus actores; cum auus desiderauerit liberos ex legitimo matrimonio natos: quod dici non potest de legitimatis per Rescriptum. argumento eorum, quæ tradit Fachin. *ibid. c. 54.* quamuis nimis fortè & rigidè in legitimatis per subsequens matrimonium. 5. Sed per subsequẽs matrimonium.

Ergo omisso casu intestati, totus quæstionis cardo vertitur in casu testati, an F. ex præscripto aui testatus sit.

Et potuisse quemlibet extraneum instituere non diffitentur Actores; sed aiunt spurium à patre institui non posse; nec F. testari potuisse, sine consensu executorum, qui hîc non interuenit?

Quod attinet ad eos qui ex soluto & soluta nati sunt, citra formam legitimi concubinatus, quod ex testamento patris capere possint diximus *in iur. pont. nou. anal. tit. de success. quæ ab intest. & largius id tractat. Paleot. tract. de nothis.* obtinuitque ferè vbique terrarum, vt simplices bastardi non in vncias tantùm, sed etiam in totam massam hæredes institui possint. *Alciat. lib. 4. parerg. c. 5. legum Partitarum l. 6. tit. 13. l. 8. vbi Greg. Lopez. item l. 11. Tauri. & ibi Gomes. n. 5. versic. hodie Vasq. in controuers. illust. c. 102. n. 12. Boër. decis. 127. Bacquet. du domaine. tit. de droict de bastardise. c. 3. n. 15. Coquille en ses institutions du droict François des bastards* 6. Bastardi simplices hæredes institui possunt.

circa medium versic. le droict Romain, &c. & versic. ainsi obseruons. Papon. tit. de succeßions de bastards. arrest. 3. vers. vray est qu'il les peult donner & leger, s'ils sont ex soluto & soluta, Griuel. decis. 144. *nu.* 8. & conformes sunt consuetudines Antuerpienses nuper practicorum multorum testimonio ea in re probatæ, & arresto Cancellariæ Brabantiæ non ita pridem firmatæ.

7. Legitimationem peti à patre testante sufficit.

Accedit, quod filius F. sit legitimatus à Principe ad requisitionem patris F. quam testamento fieri sufficit. *Papon. tom.* 3. *artis notariatus lib.* 6. *tit. de legitimation de bastards.* §. *mais semble. versic. si non. citat Barthol. in l. Gallus. D. de lib. & posthum. Couuar. de matr. t.* 1. *p.* 2. *c.* 8. §. 9. *num.* 9. *Faber in Cod. lib.* 6. *tit. de natural. lib. defin.* 5. *sub n.* 7. *vbi & senatusconsultum Sabaudiæ allegat, & expreßè deciditur in Auth. item sine C. de natural. lib. quam ad hæc allegat Couuar. d. loco. item in Nouel.* 74. *quibus modis naturales efficiantur legitimi Collat.* 6. *t.* 3. *c.* 2. §. *si verò solummodo*, sed & hîc testator post obtentam à Principe legitimationem codicillos scripsit, quibus testamentum confirmauit, adeoque quamuis inutile fuisset prius mandatum petendæ confirmationis; firma tamen ex codicillis facta confirmatio. *l. legata.* 19. *D. de legat.* 1. traditque idem Couuar. *ibid.* §. 8. *nu.* 26. legitimationem Principis etiam extra territorium extendi quoad bona alibi sita, quia principaliter legitimatur persona, quæ trahit consequentiam bonorum. quod tamen in Brabantia patitur controuersiam: sed in casu proposito difficultatem non habet, quoniam F. indeterminatè legitimationem postulari mandauit, adeoque etiamnum peti potest in aliis extra Brabantiam Conciliis.

8. An extra territorium legitimantis extendatur.

Præsuppositâ ergo capacitate rei pupilli, quod à patre F. institui potuerit in bonis ab auo relictis, sicut quilibet extraneus; restat dumtaxat examinanda clausula, adiecta ab auo facultati testandi, de consensu tutorum, executorumúe.

Et verò fatendum est periodum illam non parum esse obscuram; tamen vt eam accipiamus iuxta intentionem actorum ratio non suffragatur.

9. Verba obscura interpretanda sunt ne testamenti factionem impediant. præsertim vltra maiorem ætatem.

Siquidem illa institutio vitiosa est, *si Titius voluerit*: quod alieno arbitrio permissa est, nam satis constanter veteres tenuerunt testamentorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. *l. ista de hered. instit. l. qui in potestat. D. de testam. & ibi DD.* vt filius familias non potest testari cum consensu patris, ne testamenti factio ex alieno arbitrio pendeat, cuius essentia est, vt sit nostræ voluntatis sententia. *l.* 1. *D. qui testamenta facere poßint.*

Et vt daretur, quod auus imbecillo adhuc iudicio patris, consilium mamburni, consensumque adiungi voluerit; tamen post maiorem illius ætatem illud tanquam executoris testamenti requisiuisse non est censendus. *arg. l. ex facto in princ. & versic. iam enim. D. de vulgar. & pupill. iam enim*, inquit, *potest sibi facere testamentum, nam incipit iniquum fieri beneficium Principis si adhuc valere dicamus: auferes enim facultatem testandi homini sanæ memoriæ.* vbi furioso data à Principe curatela cessat, quando is resipuit.

Vnde Castrens. *in d. l. ex facto. n.* 6. *Iason. in l. stipulatio hoc modo num.* 3. *versic. teneo*, non valere aiunt statutum, ne fœmina testari possit sine consensu mariti, & Zasius nec pactum quo testandi libertas tollitur.

Tamen vt id demus fieri posse *argumento eorum, quæ in simili tradit Pecq. de testam. coniug. lib.* 3. *c.* 1. *& seq. l.* 4 *c.* 42. *Mantic. de coniect. vlt. vol. lib.* 41. *tit.* 3. *num.* 12. quinimo nec auferri testandi facultatem, cum grauatus alia bona possit habere vel acquirere, quàm à testatore relicta; ne quidem si testator omnem bonorum dispositionem ademisset, *auth. res quæ. C. communia de leg.* etiam accedente testamentariæ sanctionis comprobatione, quæ hic arguitur: *l. filio præterito. D. de iniust. rupt.* nihilominus cum dubius sit sensus testamenti, quorum intuitu mamburnicam, quorum executoriam qualitatem adiiciat, & magis cum de F. loquitur mamburnicam tantùm insinuare videatur, præsertim dispositiuis verbis, vbi mamburnos & executores constituit; atque ex subiecta materia; & quo minus à iuris tramite, & causâ dispositionis recedatur, sit facienda coniectura voluntatis: *l. in conditionibus. D. de condit. & demonstrat. l. non aliter de legat.* 3. *Euerard. in loc. à subiecta materia.* quin & ex sensu eorum, quæ præcedunt aut sequuntur: *l.* 3. *C. de liber. præterit.* & ex conditione personæ, ad quam diriguntur: *l. plenum.* §. *æquali. & ibi Barthol. Bald. & alij. D. de habitatione.*

Dicemus testatorem nullatenus voluisse eum consensum extendere vltra tempus mamburnij, prout post maiorem ætatem F. testatus est: prout mamburnus intellexisse videtur, qui post maiorem ætatem rationes F. dedit, & omnia munimenta restituit, ab eoque omnimodam apocham coram Senatu accepit, non mutanda nunc videntur, quæ huc vsque eam interpretationem habuerunt.

Præsertim nunc cum eo res deducta fuit, vt F. cum testaretur, nec tutorem amplius, nec testamentum aui executorem haberet: adeoque dum non nisi de consensu executorum, vel tutorum suorum testari eum permisit, tempus solum spectasse censendus sit, cum eos haberet. possessiuum est enim verbum *suorum*, vt notatur à Cuiacio, *& aliis ad l. puberes.* 101. *D. de verb. oblig.*

Quapropter & hoc ad decisionem totius causæ spectat, quod alter tutorum seu executorum officium demandatum subire recusauit, vt nec quamuis alter superfuisset, conditio impleri potuerit, quia ex pluribus delegatis, vno functionem repudiante cessat & alterius mandatum. *c. vno penult. c. prudentiam. c. cum super & alibi paßim. X. de offic. deleg.*

Ideoque F. in casum mortis alterutrius superstiti facultatem fecit alium in defuncti locum

cum assumendi. Facultatem fecit, inquam; non præceptum dedit, vt teneretur assumere: vnde multo minus fuit F. obligatus magistratum adire, vt volunt Actores, qui deficientium tutorum vel executorum officium suppleret, quod F. non præscripserat auus.

Denique cum in iis conditionibus, quæ naturam potestatiuarum ferè habent, non tam casus, quàm voluntas grauati consideretur; receptum est, vt cum non stat per eum qui implere debet, conditio habeatur pro impleta: *Pecq. in c. cum non stat. 66. de reg. iur. in 6. sub fin. arg. l. siquis. 6. D. de condit. instit.* dicendum est, defunctis vel deficientibus tutoribus seu executoribus non stetisse per F. quo minus testamento eorum consensum (si quidem necessarius fuisset, quod non) adhiberet, adeoque habendum esse pro adhibito.

Neque porrò existimandum est auum, qui nepotem generali iuris præsumptione, & indiciis verborum testamenti creditus fuit diligere, in eiusque gratiam eam clausulam adiecisse, illam ita voluisse in odium retorqueri, vt in tempus maioris ætatis non tantùm, sed & in casum deficientium executorum auferri ei vellet testamenti factionem; cum nihil magis hominibus debeatur, quàm vt vltimæ voluntatis liber sit stylus. *l. 1. C. de sacrosanct. eccles.*

Itaque resoluendum est, non esse actores receptibiles in petita annullatione testamenti F. in quo nulla alioquin formæ deest solemnitas.

De successt. ab intest.

CONSVLTATIO I.

In contrariis locorum legibus quo iure successio dirigetur?

QVamquam variè disputetur quo iure successio dirigatur domicilij, originis defuncti, an situs rerum: ratio tamen & decisio Nicolai Burgundi *tract. 1. controuers. consuet. num. 35.* placet maximè, vt quæ immobilia sunt legibus territoriorũ sub quibus sita sunt regantur; mobilia verò, & actiones (quia defuncti personam seu domicilium sequuntur, ibidemque existere intelliguntur, *idem tract. 2. n. 20. 23.*) atque itidem reditus, sine immobili corpore constituti (nam qui hypothecam habent fundiariam, fundum sequuntur. *ibid. n. 29.*) mores domicilij recipiunt: domicilium porrò ibi quis habere intelligitur, vbi larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet. *l. ciues. C. de incol. l. 10.* qui autem negotiorum, belli, legationis, vel studiorum causâ alicubi degit, quam diu habet animum redeundi, domicilium non acquirit. *l. 2. C. eod.* amisisse animum redeundi præsumitur, qui bona in patria sita vendit, aliaque emit, vbi degat, vxorem ducit, decennij spatio habitat. *idem tract. 2. nu. 33.* Cæterùm vix singula hæc sufficiunt: si concurrant, augent præsumptionem.

Sed siquis professionem, munus, officium adipiscitur, quod ex codicillis perpetuum est; facile crediderim intelligi eum ibi sedem figere, & animum in patriam redeundi amittere, cui perpetua huiusmodi functio obtigit: non si fuerit dumtaxat temporalis. nam tunc ad rationem militiæ, studij, legationisque reducitur.

Qui aulam sequuntur ad rationem militum pertinent; præsertim quibus functiones, & stipendia sunt temporalia: cæterùm si munus datum sit perpetuum, in aula constituisse domicilium perpetuò censebitur. *Vide l. 23. D. Ad municipal.*

Igitur N. in aulico munere defuncti successio iure quod in aula obtinet, dirigetur. quoad mobilia scilicet actiones, & reditus non hypothecatos: immobilia porrò recipient conditionem situs. Quid in Aulicis?

Quodnam est ergo ius Aulæ? & sanè rectè Gudel. *nouis. iur. l. 3. c. 2. nu. 43.* dicit priuilegium vrbis Romæ, & deinde Constantinopoleos, vt omnium communis patria censeretur, non communicari hodie aulicis vrbibus. quod præsertim obtinere debet in Belgica nostra, vbi multæ sunt prouinciæ atque omnes sui, atque absoluti iuris: nisi quod à Carolo V. in mutuam defensionem perpetuò connexæ sint: adeoque Princeps nullam præcisè aulicam vrbem habet, sedemue Imperij: sed singulis prouinciis atque vrbibus sua manent iura atque priuilegia: & Princeps sedem constituit pro lubito: plerumque quidem Bruxellis: quasi in meditullio prouinciarum, vnde imperia in omnes ditiones commodiùs deferantur; neque ipsa Bruxella aliquid præcipui iuris ex eo in Ordinibus Brabantiæ, seu aliàs sibi vendicat.

Cæterùm non ideo extinctum est ius Aulæ (neque id asserit Gudelin.) quod competit iis, qui in obsequiis Principis sunt; taliaque priuilegia, qualia data sunt iis, qui in Roma vetere aut noua, aut in comitatu Imperatoris credita sibi officia obirent. Communi scilicet scripto, atque Romano, edictis præterea Principum nostrorum. quæ omnes has prouincias obligant abstractim à localibus consuetudinibus, quæ in aulicos, vtpotè à municipiorum iurisdictione exemptos, vim non exerunt. Igitur qui perpetuum in aula officium habent, adeoque domicilium, quamuis non perpetuò huic vel illi glebæ affixum; vtentur iure Romano, Principumque edictis, iisque successio eorum deferetur: qui habent temporale; legibus domicilij, quod per aulicam militiam temporalem non censentur mutasse. sic tamen vt immobilia & reditus hypothecati semper sequantur conditionem situs. Quonam ergo iure vtitur Aula?

Ideoque aulici filius monachus Belgicis edi-

ctis successionis hîc delatæ incapax, in Hispania deuolutæ capax censebitur: quoad immobilia tamen in hæreditate existentia, Belgicum ea, vel Hispanicum ius sortientur ex situ. sed de iis edictis in Flandria publicatis quatenus in Brabantia, an ex toto, an quoad immobilia tantùm obtineant, diximus *in Iur. Belg. notitia tit. de Episcop. & cler. & tit. vnde liberi.*

CONSVLTATIO II.

Pacta dotalia circa futuras successiones an omnino sint seruanda?

GAllici scriptores multum adeo tribuunt hodie pactis dotalibus, quæ spectant ad futuras successiones regulandas, vt soluto matrimonio conuentiones huiusmodi nullatenus posse infringi, aut reuocari à superstitibus contendant. *Papon. lib. 20. arrest. tit. 2. arrest. 1. Masuer. in pract. tit. des successions. nu. 13. & au traicte des associations. nu. 7. Auffer. decis.*
1. Moribus seruanda censentur. *453. Molin. ad consf. Borbon. ar. 219. Bened. ad c. Raynutius verb. duas n. 197. Boër. d. 155. & 204. Imbert. in Enchrid. ad verbum instit. hæred. Bugnion. aux loix abrogées l. 2. c. 151. & lib. 1. c. 225. Fontan. ad Masuer. dictis locis. Charond. sur l'artic. 290. de la coust. de Paris. Bernard Automne sur la loy quod dotali, &c.* nec pauci sunt nostrates practici, qui eos sequantur. ideo quod coniugia passim communionem bonorum inducentia huiusmodi pacta pro diuisione & successione sæpe requirant, semper admittant: quæ secutis nuptiis irritanda non sint; quod nuptiæ, nisi sub iis pactis, contractæ aliàs non fuissent, & infectæ fieri nequeant: nec æquum sit ob causam data aut facta, causa secuta effectu suo carere. *id quod attigimus in Not. Iur. Bel. tit. de iure dotium, pactis coniugalibus. &c.*

2. Nisi statuta secus se habeant. Sed, vt vt ea res sit, controuersia huiusmodi moueri non potest in locis, vbi statuta seu consuetudines superstiti optionem tribuunt, an pactis coniugalibus, an testamento, an iure municipali stare velit. *vt tribuunt Mechlinienses tit. 9. ar. 12.*

3. Vel si optio superstiti detur. pacta vel testamentum, vel consuetudines seruandi. Ea siquidem optio incompatibilis est cum irreuocabili obligatione conuentionum coniugalium: ideoque cum posito contrariorum vno destruatur alterum, cum quo illud consistere non potest; sequitur necessariò, vt, stante huiusmodi electione per statutum concessâ, stare non possit irreuocabilitas conuentionum antenuptialium.

4. Optasse aliud censetur qui testamentum pactis contrarium scripsit. Potuit ergo F. superstes derogare pactis coniugalibus, instituendo primi & secundi thori liberos in legitimam, tertij in residuam hæreditatem: tametsi pactis coniugalibus secundi matrimonij conuentum esset, vt primi & secundi thori proles succederent, non pro numero, & in capita; sed in duas stirpes, seu duas portiones æquales, pro vnoquoque thoro alteram.

At-qui condidit F. huiusmodi testamentum, atque ita facto ipso declarauit se pacta coniugalia deseruisse, & iure municipali stetisse, propter ipsam repugnantiam, quæ inter huiusmodi testamentum & coniugale pactum existit. *l. vbi repugnantia. D. de reg. iur. & ibi DD.*

Et verò, si aduersarij huiusmodi argumenti consequentiam nolint admittere; oportet vt etiamnum viduæ, & hæredibus illius permittant electionem illam facere expressè, & disertè: quippe quæ ad hæredes sit transmissibilis. *Christin. ad Consuet. Mechl. d. t. 9. ar. 12. n. 1. Charond. lib. 7. res. 95. apud quem res sic indicata referuntur.*

Nihilominus tametsi daretur non competiisse F. prædictam optionem, testamentum condendo pactis coniugalibus contrarium non satis declarasse, quod optione eâ esset vsus, & optandi facultatem ad hæredes non potuisse transmittere; tamen cum ratio & ius naturæ non patiatur, quin filius nihil demeritus patris non sit hæres; iuxta illud D. Pauli *ad Roman. c. 8. si filij ergo hæredes*; fit vt omnes conuentiones, donationes, aliique actus, quicumque agnatione liberorum reuocentur; seu eam interpretationem patiantur. *l. cum acutissimi. C. de fideicommiss. l. si vnquam. C. de donat. l. cum auus. D. de condit. & demonst. l. generaliter. §. cum autem. C. de instit.* 5. Agnatione liberorum an illa pacta infirmentur?

Atque ea propter Iudices, à quibus, etiam liberos tertij matrimonij ad patris hæreditatem admiserunt, & aduersarij non sunt ausi petere, vt excluderentur; sed tantùm succedendi modum per stirpes, id est, per tres thoros, partiendi, non per capita seruandum petierunt; & Iudices addixerunt.

Id quod nec iuri, nec consuetudini, nec contractui antenuptiali, nec testamento F. conforme fuit. non iuri; quod omnibus patris filiis æquas portiones tribuit: non consuetudini; quæ ius sequitur, saluâ masculorum prærogatiuâ: non contractui antenuptiali; qui de liberis tantùm primi & secundi matrimonij disponit; de tertij matrimonij liberis mentione non factâ: vnde casus tertij matrimonij, & ex eo liberorum, in dispositione hominis omissus, relictus fuit dispositioni iuris: *c. susceptum de rescript. in 6. l. si cum dotem in princ. D. soluto matrimonio. l. commodissimè. D. de liber. & posth. Euerard. consf. 38. n. 2. c. 95. nu. 1. c. 123. n. 6. c. 185. n. 11. c. 206. n. 3.* non denique conformis fuit sententia testamento, quod, relicta primis & secundis liberis legitima, tertios ad reliquam hæreditatem vocauit. 6. Eorum præsertim mentione non factâ casus vt omissus iuris dispositioni censetur reseruatus.

Itaque si contractus antenuptialis esset irreuocabilis, nec satis contrario testamento reuocatus, nec F. ita testari potuisset; fuisset hæreditas diuidenda in tot vncias, quot erant filij, & filiis tertij matrimonij in d. contractu antenuptiali omissis singulis singulæ vnciæ tribuendæ; reliquæ vnciæ in massam vnam cōgerendę, & ex ea medietas danda liberis primi matrimonij, altera medietas liberis secundi matrimonij, iuxta conuentionem antenuptialem.

Atque in hanc sententiam pronuntiauit Parlamentum Dolanum *apud Griuel. decis.* 147. vbi masculis ex primo & secundo matrimonio excitatis adiudicatæ fuerunt partes in conuentione antenuptiali addictæ. fœminis autem, quarum non erat mentio in contractu, tanquam casu earum omisso, & ex iure municipali suppleto, datæ illæ partes, quas consuetudo fœminis tribuebat. quamquam in contrariis terminis conuentio per capita, consuetudo per stirpes ibi successionem diuidebat. quo loco Griuel. iis, quæ in contrarium obiici poterant, respondet; & idoneis citationibus docet quàm non sit absurdum eandem successionem diuerso iure; sed diuerso respectu, regulari.

Quibus iungi potest, quod hodie per mores non sit insolitum aliquem mori partim testatum, partim intestatum; aut saltem successione regulatâ ab intestato, partim per codicillos, aut aliam vltimam voluntatem, aut pacta coniugalia, partim per iuris aut consuetudinum decreta.

Ex quibus sequitur Iudices primæ instantiæ nouum ius statuisse, non ex legibus, moribus, pactis, testamentoúe inter has partes dixisse: quod superior Iudex rediget intra terminos legum, id est, paterni testamenti, quæ liberis lex est priuata, quibus validè illud scriptum est ab eo, cui mores optionem dederant, an iure, an consuetudine, an pactis, an testamento communi coniugum stare vellet; adeoque voluerunt scripto exinde secundùm ius, & mores testamento liberos obstringi.

CONSVLTATIO III.

De Successione regul.

Professus in monasterio præter vnum emortuo validè professus est.

1. CVm collegium in vno præseruari traditum sit. *l. sicut. §. fin. D. quod cuiusq. vniuers.* isque retineat & exerceat ius omne totius Collegij *ibid. in verb. posse conuenire, & conueniri*, cum ius omnium in vnum reciderit: potuit N. residua monasterij S. alias sibi adlegere, habitu regulari vestire, professionem excipere. quamuis, vbi supersunt plures, conuentus mortua præfecta, non aliter nouitias potest recipere, quam si communiter ad præfectam & conuentum pertinet creatio monialium; non verò si ad illam; etsi de huius consilio. *c. fin. de regular. in 6.*

Et quamquam noui monasterij erectio, Ordinarij aliorumúe superiorum consensum requirit, ac dotem competentem: *c. quidam. c. qui de relig. c. de monach. 18. q. 2. Trid. s. 25. de regular. c. 3. aliaq. quæ tetigimus in Iur. pont. nou. tit. de adif. eccles. n. 14. & tit. de regular. num. 35.* tamen loquuntur ea loca de ædificandis nouis monasteriis, non vetant pro pridem ædificato ac sic penè emortuo nouas sic recipi, etiam extra locum monasterij à profugis, quippe quæ voluntariæ sunt iurisdictionis, etiam extra diœcesin, seu cuiusque locum proprium fieri possunt, (vt sunt collationes beneficiorum secularium, & regularium, adeoque vestitiones & professiones) qualia exempla infinita vidimus durantibus his turbis in locis refugiorum. quamquam fateor loci diœcesanum non posse contemni, & volentem instrui debere de facultatibus, quibus ali possint profugi, & adlecti, ne incommoda, quæ canones præcauent, ab aduenis teneatur tolerare in sua diœcesi.

Interea nec inde pendet statim nullitas professionis N. neque ex hac decisio quæstionis super peculio N. motæ. quippe liber homo bonâ fide possessus possessori acquirit ex re illius, & operis suis: *institut. per quas person. nob. acquir. per tot.* & monachus seruo comparatur, & ab hoc ad illum procedit argumentum: *Euerard. in loc. leg. loc. à seruo ad monachum.* Itaque sicut liber homo bonâ fide possessus pro seruo possessori ex dictis duabus causis acquirit; ita liber habitus pro monacho, ex iisdem duabus causis acquirit monasterio, donec ad libertatem prouocauerit. adeoque N. quidquid acquisiuit ex pensione monasticâ, operis, mineruali, & donariis amicorum, intuitu operarum datis, monasterio acquisiuit. quò etiam pertinent interusuria pecuniæ elocatæ, & ex prædictis duabus causis quæsitæ, ex aliis autem causis profecta pertinent ad statuliberum, eiusúe hæredes. 2. Putatitius monachus cui acquirat?

Cæterùm quia defuncta liberam habuit administrationem, & vbi degeret electionem, potuit cum superiore monasterij conuenire, vt victum & amictum quoad viueret, reciperet, ipsa certam ex peculio iusti pretij summam daret, quod autem supererescit, & in vim testamenti, (nam & conuentionis do, vt des, & testamenti seu codicilli clausulam instrumentum habet connexam) & monasterium vult retinere, quæriturque an possit? pendet à validitate professionis eius decisio: nisi dicamus post tantum temporis in eam inquirendum non esse, ex præscripto tit. *C. ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.* Et quamquam quinquennium lapsum non sit post mortem N. de qua nunc quæritur; tamen pridem lapsum est, quoad alios, quorum respectu monasterium habitum est communi opinione, *iuxta l. 6. C. eod.* pro legitimè per vnam residuam redintegrato. ideoque cum de statu huius N. quæri non possit, nisi tractetur de conditione matris, seu monasterij *iuxta l. 2. ibid.* ex hac de illo est dicendum; adeoque hâc præscriptâ, cessat de illo quæstio: *d. l. 2. d. l. 6.* & status matris, ac patroni præscriptus filios & libertos tuetur. *d. l. 2. l. 1. eod.* nisi controuertamus an monachi magis filiis f. an seruis comparandi sint. *de quo Thomas à IESV in commen. c. non dicatis p. 1. c. 6,* & per quinquennium 3. Quamdiu de statu monasterij monachorumq; ad hunc effectum quæri possit?

non

non cesset quæstio emancipationis; adeoque adoptionis vel arrogationis an ritè peracta sit. *l.5.eod.*

CONSVLTATIO IV.

De Successione ecclesiastici.

OBiit Episcopus B.6. Aug.1629. igitur quæsitum est 1.quomodo eius anni fructus inter illius hæredes & successorem diuidendi sint, & quomodo anni computatio facienda sit?

2. Nouum in palatio episcopali sacellum struxit, & in reparationem illius palatij graues impensas fecit: Quæsitum est,an quid, quantumúe hæredibus debeatur?

3. Plures sub illius diœcesi Ecclesiæ initio turbarum ciuilium ab iconoclastis destructæ sunt, ad quarum reparationem Principes nostri ad cleri requisitionem Regulamentum ediderunt, quod in Flandria publicatum est 21. *Iunij* 1614. quo decimarum ecclesiasticarum possessoribus contributio iniungitur ad ratam trientis prouentuum, in annos sex; sed ad requisitionem Episcopi & Capituli B.*Ian.* 1616. mutatus est triens in sextantem, ita vt prorogatio solutionis eiusdem quantitatis facta sit in annos duodecim. præter Ecclesias reparatas tùm ab eo,tùm ab eius prædecessoribus: supersunt aliquæ,quæ reparatione egeant; quarum curatores defunctum nunquam interpellarunt, ex quo episcopatum adeptus fuit an.1622. neque cum eo de forma aut modo reparandi,vt Regulamentum iubet,quidquam tractarunt.

Quæsitum est,an eius modò hæredes eo nomine compellari possint?

1. Non firmatâ satis cōsuetudine ius hîc cōmune sequendum.

Quod attinet ad primam quæstionem, diuersæ in ea sunt Doctorum opiniones,diuersa vndique arresta. & sanè antiquus vsus nullibi est conuellendus. Cæterùm in hoc episcopatu, qui ex nouis Belgij existit, non proponitur à morte primi Episcopi seruata vniformis ratio (qualem consuetudo & præscriptio requireret. *Mynsing. cent.6. obs.42.*) partitionis inter hæredes, & successores: & non subesse satis conuincunt duo tractatus inter eundem Episcopum & antecessorem initi, in profesto Dionysij 1620. & 8.Ianuarij 1622. Itaque ex ipso iure scripto desumenda videtur decisio.

2. Vt pro rata præstiti officij sit rata fructuum.

illud autem optimè proponi videtur in *lege finali de silentiariis. C. lib. 12.* vbi quod ex emolumentis & salariis silentiariorum defuncto debitum est, malè à successore peti rescribit Anastasius; quia non oporteat aliorum labores aliis adferre fructum. & de annonis in *l.omnimodo.§.fin.C. de inoffic.testam.l.his scholaribus de erogat.milit.annon. C.l.12.l.1.eod. Nouel.55. & 53. & in l.25. §.si oper. l.26. D. de vsufruct.* vbi serui fructuarij locatarum operarum pensio pro rata temporis diuiditur: & maritus qui onera matrimonij tulit, fructus consequitur pro rata portione temporis, pro portione anni, pro rata temporis, pro rata anni, vt leges loquuntur. *l. si diuortio. §. si fundo. D.soluto matr. l.si alienum. l. si marito.§. vlt. D. eod.l.vnic.§. sed & nouissimi. C.de rei vxor. act. l. cum in fundo.§.diuortio.D.de iur. dot. Paulus tit. 22.l.2. recept.* quia æquum est eum qui onus sentit, correspondens sentire commodum:qui altari seruit, pro modo seruitij de altari viuere, beneficium enim datur propter officium. Porrò inter Prælatum, & Ecclesiam spirituale matrimonium censetur, & per illius mortem hæc viduata dicitur: adeoque æquum est ad exemplum mariti pro rata officij præstiti, ratam beneficij, & præmij ei præstari. Id quod in omni ea diuisione æquum est, vbi prouentus assignantur non iure aliquo dominij, vel vsusfructus præciso; sed intuitu operæ, laboris, officij præstandi. quam sententiam tradit Couuar. *l.1.variar.c.15. num.12.* & veriorem, æquiorem; & à senatu arrestis confirmatam Annæus Robertus, qui optimè hanc controuersiam excussit: *Rer.iudicat.l.3.c.3.* creditque *ad fin.* imposterum pro certo iure obseruari debere, vt inter beneficiarij hæredes, & successorem pro rata anni diuisio fructuum fiat.

3. Præsertim cum intuitu laboris assignati sunt fructus, vt in beneficiis quæ dantur propter officium.

4. Annus computandus principio Ianuarij.

Vt verò sciatur quam anni portionem peregerit Episcopus 6. Augusti mortuus, quæ fructuum portio ei debeatur; videndum est vnde anni computus inchoandus sit, alij enim à morte prædecessoris, vel adeptæ possessionis, alij à tempore maturorum fructuum, alij ab initio Ian. incipiunt: vnde veteres Ianum bicipitem dixêre,quasi hinc lapsum, inde labentem annum respiciat: & idem Robertus eandem quæstionem examinans ibidem rectius, æquius, commodiusque censet mensem Ianuarium initium anni etiam in partione eiusmodi fructuum poni, vt quot mensibus aliquis beneficij possessor cultui diuino operam impenderit, tot ille fructuum partes ferat; reliquæ verò anni reditus partes successori relinquantur: atque hoc solemni arresto sancitum esse; atque exinde multis Senatus iudiciis eam partiendorum fructuum rationem confirmatam fuisse. *Vide & Choppin. de sacra polit.l.3.t.1.num.23.24. Monast. l.2. t.3. nu.17.* Et hanc sanè computandi rationem politia tum ciuilis, tum ecclesiastica passim recepit. nisi quod in pluribus Ecclesiis annum computari consuetum sit à festo S. Ioannis, seu alterius Sancti pro cuiusque Ecclesiæ obseruantia. eò quod ad eum diem præcisè beneficiarij residentiam inchoare possint, & debeant; & reuoluto anno ad eum diem finiant: vnde eundem computum fructuum ratio sequitur. atque eius quidem rationis semper ea causa manet, vt ad ratam præstiti eo anno seruitij debeatur rata fructuum, respondeatque ratum operæ pretium, quatenus dignus est operarius mercede suâ. sic in Synodo diœcesana Antuerpiensi *anni* 1610.*tit.*18. *c.vlt.* decretum est, fructus pastoratus aut beneficij vacantis, per decessum vel cessum deberi domui mortuariæ,

5. Saluis aliis consuetudinibus ecclesiarum.

riæ,

riæ, pro rata temporis, quo possessor resedit post festum S. Ioannis. Cæterùm quoniam Episcopi omni die anni obtentâ confirmatione residentiam incipere possunt, & quamprimùm debent; mox correspondet ratio fructuum, vt ex continenti debeantur; prædecessori autem non vlterius cedant, quàm ad diem vsque quo excesserit; siue per mortem, siue per resignationem: quæ autem interim obueniunt Sede vacante canones successori reseruant. *c.fin.de off.ord.in 6. c.cum in officiis de testam. & Trid.sess.24.c.16.* sic Conc. *prou. Mecbl.* 1607. *tit.*17. *c.*5. pastoribus à captâ possessione & inchoatâ residentiâ pro rata temporis fructus assignat.

6. Episcopi & pastores statim residere & laborare, & fructibus gaudere debent.

Ex quibus efficitur, vt incepto computu à mense Ianuarij 1629. Episcopo defuncto, & nunc eius hæredibus pro exactis septem ex eo anno mensibus, septem vnciæ tribuendæ sint ex asse illius anni, seu portiones septem ex massa omnium bonorum, quæ eo anno obuenerunt: eam partiendo in duodecim menses, qui annum conficiunt, nullâ habitâ ratione, quando dies prouentuum cedat. *iuxta l.defuncta. D.de vsufruct.*

7. Nisi ad formam veterũ noui fiunt vsi.

Cæterùm quoniam noui in Belgio episcopatus erecti iussi sunt gaudere omnibus iuribus veterum, vnde sunt decisi; si veteres firmam partiendi consuetudinem habeant, & in nouis eadem aliquando sit seruata, non abs ratione fuerit in eadem consistere: sed quia plerique à diuersis sunt decisis partibus compositi; etsi magnum momentum faciat situs cathedræ, vereor non vniformem vsum esse seruatum, sed magis ad ius commune recursum.

8. Vsufructuarius modicas facit impensas, maritus & beneficiarius.

Quod pertinet ad secundam quæstionem, siue Prælatum consideremus vt vsufructuarium, occurrit *l.*7. *§.*1. *alias incipit lex hactenus. D.de vsufr. modica*, inquit lex, *refectio ad eum pertinet*: siue consideremus vt maritum respectu rerum dotalium, offert se lex 12. *D. de impens. in res dotal. in ædificandis ædibus*, inquit, *modicas impensas non debet arbiter curare.* magnæ igitur tantùm restituuntur, *Garcias de expens. & meliorat. c.*11. *num.*5.25.26. nam tueri res dotales vir suo sumptu debet, *l.*15. *D.de impens. in res dot. factis*, sed & necessarias esse oportet aut vtiles saltem, non voluptuarias, quas auferre, non imputare potest.

9. Et necessarias.

10. Quæ necessariæ, quæ vtiles?

Inter necessarias impensas esse ait *l.*1. *D.eod.* pistrinum vel horreum necessariò factum; inter vtiles refert lex 6. *eod.* in domo pistrinum & tabernam non necessariò adiectam; inter necessarias iterum ædificium ruens, quod habere mulieri vtile erat, refectum refert *l.* 1. *& l.* 14. *D.eod.* atque ad eiusmodi expensarum repetitionem condictio datur. *l.*5. *§. fin. & tot. tit. D.de impens. in res dotales factis. l. vnic. §. taceat. in fin. C.de rei vxor. act. l.eum ad quem. C. de vsufruct.*

11. Quæ modicæ.

Quæ autem modicæ impensæ, quæ magnæ censeri debeant, non tam facile, inquit *l.*15. *in fin. in vniuersum definiri, quam per singula ex genere & magnitudine impendiorum æstimari possunt.* Vnde & d.l.12. ad expensarum æstimationem arbitrum vocat. adeóque inquisitio præsentis controuersiæ quid, quantumúe Episcopi hæredibus restituendum sit; ad iudicium bonorum virorum remittendum est; qui considerent, quid ex illis, vti modica refectio, ad eum pertinuerit: quæ magna sint impendia; quorum nomine actio dabitur: nam quæuis modica ædificiorum episcopalium refectio ad eum pertinuit, magnarum condictio danda est. Inter has procul dubio ædificia ruentia non leui sumptu refecta; sacellum, quod Episcopo habere vtile, decens, necessarium erat, *iuxta d.l.*1. *in fin.* magno sumptu exstructum, reponenda credentur: ex eademque distinctione præsumptio & decisio sumitur, quid donandi, quid repetendi, animo impensum sit. *l.vtrum. D.de donat. inter vir. & vxor.* exiguorum donatio amicitiæ facilè imputatur; in magnis nemo suum iactare præsumitur; neque in dubio. *l.cum de indeb.* §.1. *D.de probat.*

12. Ex arbitrio boni viri.

13. Dignitati congruenter.

14. Vnde & cẽsendũ quid donandi, quid repetendi animo sit impensũ.

Hac ergo in controuersia resoluendum est modicas impensas non repeti, magnas repeti: earumque æstimationem ad arbitrium bonorum virorum remittendum: qui & prouentuum episcopalium quantitatem iuxta reparationum summam expendent. respectiua enim sunt paruum & magnum. Atque hæc procedunt supposito quod meliorationes beneficiarijs deberi possint: quod negat Garcias *De expens. & melior. c.*11. *num.*71. nisi de illorum patrimonio sint factæ: nec apud Hispanos peti solere, quod ab ecclesia profectæ apud eandem manserint. sed hîc peti vidi, & amicabiliter plerumque componi: & considerari, quod pecuniæ, vnde meliorationes sunt factæ, semel in dominio fuerint beneficiarij.

Ad tertiam quæstionem quod spectat, statuendum est id quod ad reparationes Ecclesiarum clerus contribuere cogitur, non aliquâ obligatione, quæ ex contractu vel quasi nascatur, deberi; sed officio Iudicis. vt præstitiones, munera, oneraque patrimonialia, extraordinaria, angariæ, perangariæ, ac similes indictiones non antè debentur, quàm exigantur. *munus*, inquit, *l.*214. *D.de V.sig. propriè est, quòd necessario subimus lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet potestatem*: rursum *l.* 239. *munus publicum est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos vniuersosq́; ciues, remq́; eorum imperio magistratus extra ordinem peruenit.* vbique imperio; non actione: neque ex obligatione, vnde actio nascatur. Itaque iussu, imperioque magistratus hæc exiguntur. vbi ergo non iubet, aut priusquam iubet magistratus, non debentur. ad eundem modum loquitur *c. de his. X. de eccles. ædif. ad reparationem*, inquit, *& institutionem Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis quæ sunt ipsius Ecclesiæ, cum ipsis supersunt, conferre: vt eorum exemplo cæteri inuitentur.* sic etiam Concil. Trid. *sess.*21. *c.*7. eos cogi iubet ad reparationem, qui fructus ecclesiasticos percipiunt;

15. Quæ non actione sed officio Iudicis debẽtur, à tempore tantùm exactionis debentur.

16. Vt Ecclesiæ reparatio

& in eorum defectum parochianos : de vtrisque eodem modo loquens ; quamuis de his in subsidium iussu, imperio, coactione, clerus ad reparandas Ecclesias compellitur, non aliâ obligatione aut actione, quàm vt cæteri inuitentur : quando ergo nondum iubentur, imperantur, coguntur, nondum tempus est cæteros inuitandi, tantisper nulla obligatio fori orta est, quæ transire possit in hæredes.

Id quod & hac in re, vel inde liquet, quod alioquin Ecclesiarum destructarum reparatio iam inde à tempore ruinæ repetenda foret, post quod tot pij Prælati necdum existimarunt illud ad se pertinere; sed cum demum tempora permitterent, & incolarum, ad quos residui supplementum reuoluitur, inopia sufficeret; illique subsidium hoc postularent.

17. Ex Regulamento ex tempore quo fuerit per illud petitū.

Neque refert Regulamentum exinde editum, & publicatum : neque enim illud eo propositò latum est, vt anteriores debitores soluerentur, aut posteriores nouâ obligatione necterentur : non ad obligationem spectat, sed modum, & quo facilius Ecclesiæ restaurarentur: vt prouisionalis modus iniretur, quò id facilius fieret, cessantibus litibus ex multis causis apparentibus, & subleuato clero, ne sub nimio simul onere fatisceret, cui ex contractu etiamsi debeat subuenitur ne vltra quā facere possit exigatur. cui fini ex diametro opponitur, si plures anni sine rei alicuius mentione labi sinantur, & cum lubitum incolis erit omnium simul summa exigatur; & faciliorem dilatione, & diuisione solutionem iuncto rigore petant, & clerum obruant, & quod ab antecessoribus præstandum erat, successoribus imponant : cum mora sua cuique debeat esse nociua, non alterius conditionem iniquiorem facere, non alter pro alterius debito conueniri, ne filius quidem pro patre.

18. Et incolæ qui fuut tempore exactionis soluunt collectas has, non præteriti aut futuri.

Id, quod & in solutione collectæ parochianorum, quàm Regulamentum in subsidium decernit, obtinet; vt non conueniantur veteres olim incolæ, seu eorum hæredes, sed hodierni solùm, quorum tempore demum reparatio exigi cepta est. neque enim id hactenus auditum vllibi, minus admissum est. vt rectè Pecq. *de repar. eccles. c.*10.*n.*5. docet incolam non teneri ad collectam pro reparanda Ecclesia indictam postquam discessit, vel antequam eo aduenit : Idem ergo erit dicendum de beneficiario, vt antequam imperio superioris cogeretur ad reparandam Ecclesiam, antequam reparatio indiceretur mortuo.

19. Sed Prælati proprias ecclesias non moniti reparare tenentur, sicut vsufructuarij saluam rerū substantiam seruare ex rei natura.

Et quamquam idem Pecq. *eod. lib. c.*18. aliud statuat in Prælato, quàm *d.c.*10. in populo ad reparandam Ecclesiam obligato; loquitur tamen tantùm in eo, *qui*, inquit, *res Ecclesiæ neglexit, aut eam vti oportuit, non intertenuit.* vt ipse vel eius hæres id refundere debeat. siue eum ideo ex contractu, vel quasi contractu, siue ex delicto, vel quasi delicto teneri dicas: liquidò enim id accipiendum est in eo, qui claro iure ad reparationem tenetur, vti in propriis, & quasi domesticis Ecclesiis, sic enim vsufructuarius, qui saluâ rerum substantiâ tantùm frui debet, etiam sine interpellatione sartâ tectâ seruare debet. *l.*64.65. *D. de vsufruct. l.*13. *in princ. D. vsuf. quemad. caueat.* quia naturæ vsusfructus id inest : sed hîc de reparationibus agitur, quæ non liquidò ad defunctum pertinuerunt; sed de ruinis, quæ ab iconoclastis sunt illatæ. de quibus multa alia Pecq. scribit *eod. lib. c.* 1. *vsque ad* 9. quæ propterea cum indicuntur debentur; & quidem iam ad modum Regulamenti, prorogationisúe præscriptæ à tempore interpellationis. Alioquin si ex fundamentis Pecquij procedi- tur obligata & exequenda sunt omnia bona Episcoporum, qui huc vsque B. fuerunt à tempore ruinarum. Neque rursus Regulamentum in contrarium facit, vt ab illius tempore computatio facienda foret; quia vt suprà dictum, non illud nouum ius introduxit; sed magis vetus declarauit, modumque facilem explicuit; debitores non exonerauit, adeoque vel in omnem euentum, si ab eo computandum foret, esset annus 1611. attendendus; quo Principes super eo, quod Concil. Mechl. prouinc. 1607. requisierat, intentionem suam declararunt; non tantùm, quo illud in Flandria publicatum est. nam publicatione tantùm egent leges nouæ, non quæ prius tantùm ius explicant, modum proponunt, aut præsentibus negotiis applicant. 20.

20. Sic & quisquis certo tenetur non controuerso iure ad ecclesias reparandas vnde prouentus percipit.

Vnde liquet hæredes eiusdem Episcopi D. nomine reparandarum Ecclesiarum ab iconoclastis olim dirutarum compellari non posse, ad quas reficiendas viuus ille non fuit exactus; & in iis, quarum nomine exactus fuit, solutionum terminos à die exactionis computandos esse.

CONSVLTATIO V.

De Tutorum Obligatione.

1. Tutor diuisâ administratione pro contutore non tenetur.

TEstator tutores, curatoresúe (mamburnos vocamus) minorennium suorum liberorum, & bonorum illorum, executoresque testamenti sui ordinauit, diuisâ administratione, quam deinde & Iudex diuisit; tutorum alter prò altero non tenetur. *l.*2. *l. de peric. tutor. l.*2. *de diuid. tutel.* quod idem obtinet quando vis maior, bellum scilicet inter prouincias obstitit, quo minus, qui in vna prouincia degit, in altera administret. (iuxta *d. l.*2. *de peric.* vbi testator aut Iudex per regiones administrationem separauerat) quia impossibilium iure, vel facto nulla est obligatio; nihilque accusari is potest, per quem non stetit, quo minus quid fieret. Eo modo in casu nostro Iacobus Ioanni in Concilio Hollandiæ condemnatus est ad peragendam executionem testamenti, quantum in iis ditionibus fieri possit; & Martinus ab arbitris Antuerpiæ absolutus, quo ad ea, quæ in Hollandia peragenda fuerunt; reiecto aliorum ad Iacobum & Ioannem onere : nisi ante prouinciarum

ciarum diuisionem commissa fuerit culpa; scilicet quod Ioan. non eam in pupillorum, quam suis rebus præstiterit diligentiam, cum sibi soli vigilauit, vt parum ideo eius interesset, an rationes distraherentur, & liquidarentur: vt non omnem diligentiam intra primos istos annos præstitit, cum neque ius, neque statuta, neque ratio tantum temporis concedat. *de qua re inferius. sic sonat art. 87. van onbejaerde kinderen in Consuet. Antuerp.*

2. Nisi cum debuit suspectum non reddidit.

Periculum, inquit, *d. l. 2. de diuid. tutel. inuicem tutoribus non sustinentibus, nisi per dolum aut culpam suspectum non remouerint, vel tardè suspicionis rationem mouerint, cum alter eorum non soluendo effectus sit. l. fin. D. rem pupilli saluam, si*, inquit, *idonea culpa detegatur, quod suspectum facere supersederit.*

Cuiusmodi in re nimis flaccidè Ioannes se gessit, quod contutorem & coexecutorem, vel etiam Walterum Agentem Londini dum vel vnus vel alter nimis pecunias pupillares retineret, quibus pater mandauerat comparari prædia vel reditus: quamuis receptionem ei, non autem tam diuturnam retentionem, testator fiderat, adeoque contutor fidere potuerat: *Gutier. de tut. p. 2. c. 9. num. 13. debet*, inquit lex, *tres tutores. §. quod autem. D. de administ. tut. inquirere fortunas contutoris*: sed hoc ex personæ qualitate, & temporis intercapedine, quo testamentum factum est, &c. æstimationem accipere debet, & potuit pater aliquid eorum post testamentum accidens ignorasse.

3. Quo casu etiam pro contutore non tantùm sortem, sed & vsuras soluit.

Adeo quidem hæc obtinent, vt si tutor, diuisâ, vt dictum est, administratione pro contutore condemnetur, an etiam in vsuras condemnandus sit, cum quæsitum esset; *placet*, inquit, *l. tut. 7. §. si tutor. D. de administ. (vt multis rescriptis continetur, & Papinianus lib. 12. quæst. ait) etiam in vsuras eum condemnandum, si suspectum facere supersedit*, & quidem eas demum vsuras cogendum præstare, quas etiam suæ administrationis cogitur.

Quare eo sensu & distinctione accipiendum est arrestum à Papone citatum, *lib. 15. t. 5. arrest. 13.* aut pro eo casu, quo ne quidem ipse tutor administrans, qui pecunias pupillares non fœnerauit, seu potius more nostro in reditus licitos; aut societatem mercatoriam (de qua Couuar. *lib. 3. Var. resolut. c. 2. & Less. de iust. lib. 2. c. 25. disp. 3. Gutier. de tutel p. 2. c. 9.*) aut prædiorum emptionem non collocauit. rusticus puta ob suam simplicitatem. vt alio arresto Parisiensi decisum est. *citato à Chopin. lib. 1. priuil. rust. p. 1. c. 5.* vt vt sit arrestum illud quocumque casu, causæ, personarumue merito, inter alios pronuntiatum sit, nihil mouet, vt à claro iure discedatur.

4. Non diuisâ sic administratione quatenus in solidum teneantur.

Cæterùm non diuisâ administratione per testatorem, aut Iudicem, sed per contutores non expressa voluntate (nam si alter alteri mandauerit, gessisse ipse mandans intelligitur. *l. 5. §. gessisse. D. de administ. Rot. Gen. decis. 14. num. 70.*) sed tacitâ dissimulatione, quamuis hoc casu diuersimodè respondisse videantur Iurisconsulti; rescripsisse Imperatores, Interpretes declarasse, Iudices decidisse; Consuetudines tamen Antuerpienses, quibus alligati sunt tutores executoresque testamento Antuerpiæ condito dati, vbi testator habitauit, & mortuus est, atque administratio aliquot annis habita est, vsque ad diuisionem regionum (cum rerum primordia sint inspicienda, obligationesque personales semel natæ ex locorum mutatione mutationem non recipiant, sicut res extra territorium statuentium sitæ sub statutorum dispositionem non cadunt) disertè fauent illi sententiæ, quæ vnumquemque in solidum obligat, pro optione minorennium.

Impressæ enim nimis claræ sunt, quàm vt dici possint ferè nihil aliud continere, quàm quod habet *l. 2. & 3. C. de diuid. tutel.* quod non excludunt beneficium ordinis, *de quo in l. 2. C. de hæred. tut. l. 1. & 2. C. si tutor vel curator non gesserit. l. tut. 39. §. in eum. D. de administ. tut. l. fin. D. rem ratam haberi*; neque beneficium diuisionis, *de quo in l. 1. C. de diuid. tutel. l. 1. §. nunc tractemus. D. de tutela & rationibus.*

Quodque obscuræ consuetudines, quantum fieri potest, interpretatione reducendæ sint ad intellectum iuris communis. *c. dilectus. X. de consuet. c. inter dilectos. X. de fid. instrum. c. 1. X. de const. glos. in l. 1. C. de sacrosanct. eccles. & ibi DD. Frederic. in tract. de interp. l. p. 2. in princ.* atque hoc est, quod Doctores tradunt statuta omnia interpretationem suam accipere à iure communi. *textus & DD. in l. 2. C. de noxal. act. Albericus in l. Cæsar. D. de vectigal. & publ. Panorm. in c. dilectus. X. de consuet. Romanus cons. 144. num. 3. & alij Doctores quos allegat & sequitur Gail. obser. lib. 1. obser. 50. num. 8. & obser. 33. lib. 2.*

Quia consuetudines, quia facti sunt, secundùm morem & intelligentiam factorum sunt intelligendæ, cum facta discrepant ab apicibus iuris: *l. semper in stip. & quæ ibi traduntur, l. in obscuris de reg. iur. c. inspicimus eod. in 6. l. hæred. 21. §. sed etsi. D. qui testamenta facere possunt, in verbis vtique placeret coniectionem fieri eius quod reliquit ex vicinis scripturis: l. capien. 128. §. quod factum est. cum in obscuro sit ex affectione cuiusque capit interpretationem D. de reg. iur.*

Adeoque in hac quæstione prout sonant, atque ad literam sine rigoris, aut æquitatis distinctione exaudiendæ sunt, non vt dicantur secundùm merum ius procedere; beneficium autem ex æquitate concessum non excludere: adeoque cum dicunt vnumquemque tutorem pro omnibus tempore tutelæ suæ administratis ad optionem minorennium conueniri posse, saluâ repetitione à contutore, significant etiam condemnari & exigi posse in solidum.

Iuuat quod vnicam addat exceptionem ex facto, quæ in aliis firmat regulam, si diuisio scilicet facta fuerit à Iudice vel testatore.

Denique quia articulo 88. dicunt consuetudines eum, qui non administrauit (cessante prædictâ diuisione) conuenibilem non esse, neque teneri, nisi in subsidium, nisi qui ad-

ministrauit notoriè non esset soluendo, quod procul dubio falsum est, si accipiatur de mero iure, eo enim tenetur: sed exceptionem tantùm habet, atquè beneficium excussionis. itaque conformiter vterque articulus accipiendus est, prout sonat, sine medicamine rigidi vel benigni iuris; quos apices vulgus non capit, quod tamen inducit consuetudines, & ex cuius facto,& vsu eæ conscriptæ sunt.

Et quamuis impressæ consuetudines dicantur non esse authenticæ, tamen anno 1547. in authenticis *sub titulo van VVeeskinderen* aliquid non absimile statutum fuit in consuetudinibus, quæ tunc ad Curiam missæ fuerunt, nec hactenus improbatæ: saltem eatenus valent; quia à viris insigniter doctis collectæ sunt, vt in obscuri sensus elucidatione facilè pro ea sententia standum sit.

5. Si tutor vnus non sit idoneus.

Itaque iure Antuerpiensi, si Martinus, Iacobus, & Ioannes tutores curatoresùe liberorum Caroli fuerint, omnes in solidum exigi possunt, nisi quatenus temporum ratio eos excusat.

6. Quid si Mat. Ioan. Iac. fuerint mamburni liberorum Caroli respectu bonorum testatoris.

Iure etiam non controuerso dùm contutor soluendo non fuerit, tutor exigi potest: *l. ex persona. C. de prob. l. 1. C. de diuid. tutel.* spectat què ad tutorem probatio soluendo fuisse: *l. si contendat. D. de fideiussor. l. 3. ibi si collegam depositi officij tempore soluendo fuisse ostenderitis. C. de prob. l. 1. §. probatio autem non pupillo incumbit, vt doceat soluendo non fuisse, sed magistratibus vt doceant eos soluendo fuisse. D. de magistrat. conueniend.* qui autem non est de præsenti idoneus, de præterito non fuisse præsumitur: *Bart. Bald. in l. 3. C. de prob. & l. non est. Menoch. lib. 1. præs. 24. num. 45.* Id autem de Iacobo Ioannes seu eius liberi non docuerunt, & minus de Waltero, qui non subitò (vt *in l. 14. D. de adminisi. tutor.* id excusatur) sed paulatim facultatibus lapsus est: quod prudentiores futurum facilè prouidebant, & de Iacobo etiam ante mortem cordati sentiebant: in vtrumque autem debuerunt inquirere, vt suprà demonstratum est, & vtriusque lapsus post eorum tot annorum moram, de qua infrà, accidit; post moram autem etiam casus fortuiti præstantur. *l. 5. D. si cert. pet. l. hominem. D. mandat. l. fundi. D. de nouat. l. vir vxori. D. de dot. praleg.*

7. Quid si executores testamenti tantùm?

Si autem respectu liberorum Caroli non tutores seu curatores (nam hi in hac materia iisdem legibus reguntur, *l. quidquid. 7. C. arb. tut. l. properand. 11. §. fin. C. de iud.*) sed executores tantùm testamenti intelligantur fuisse, tametsi testator liberorum suorum minorennium, & bonorum indiscriminatim mamburnos (quod vocabulum & tutorum & curatorum officium comprehendit, & ad annum 25. durat) ipsique Ioannes, Iacobus, & Martinus se nominarint, seque palam pro tutoribus gesserint, ideoque perinde, ac veri tutores, etsi veri non forent, se obstrinxerunt. *l. 1. D. de eo qui pro tutore gessit*, quamuis *l. Imperator. D. ad municipal.* comparare alios administratores tutoribus videatur, & glos. *in l. fin. seu l. plura. D. de tutel. l. atqui natura. §. non tantum. D. de negot. gest.* nominatim executores tutoribus æquiparet, & Bart. *in l. 27. D. de neg. gest. num. 3. & 4.* inter gestores diuersimodè distinguat, & l. Lucius. 46. §. *Sempronij. D. de admin. tut. alia*, inquit, *causa est tutorum, & eorum qui reipublicæ negotia administrant*; tamen verisimilius est vnum executorum pro altero non teneri: *l. cum alicui cum ibi not. per eundem Bart. D. de neg. gest. Bart. in l. eadem. D. de duobus reis, & eum citat Roncbegal. ad d. l. ead. n. 250. in fin.*

Cæterùm sicut ait lex 2. *C. si tut. vel curat.* qui se non immiscuerunt tutelæ ex persona eorum qui gesserunt, & idonei sunt, non onerantur: si qua verò sunt, quæ cum geri debuerunt, omissa sunt; latæ culpæ ratio omnes æqualiter tenet. Similiter qui omiserunt gerere eo modo, quo iussit testator, si quid gestum non est, vel minus rectè gestum est, omnes tenentur. 8. Quid si omnes neglexerint?

In hoc negotio testator iussit ne diuideretur administratio, quod aliàs iure licet. *§. 2. inst. de satisdat. tutor.* sed ex pluralitate suffragiorum omnia fierent. Quid autem non ita hîc gestum sit expendi debet, postquam consilium suffragiumque dari diuisio regionum non impediuit, dum literarum cursus & reciprocatio non fuit vetita. 9. Quid hic?

Ad eum modum inquit *l. tres tutores. D. de administ. tut.* in eo quod nemo gessit, non vtique eius periculum est, qui quædam gessit: sed communiter omnium: *l. tutores. 39. §. in eum eod.* quod tamen ex tutela non peruenit ad eos, qui se negotiis miscuerunt, sed communi negligentiâ periit, citra substitutionem ordinum æqualiter omnium periculum spectat: *l. si plures. eod.* si plures tutelam non administrauerint, si quidam ex his idonei non sunt, onerabuntur sine dubio cæteri: nec iniquè; cum singulorum contumacia pupillo damnum in solidum dederit. vnde quærendum an pupillus actiones ei, qui solus cõuenitur, in alterum pro parte scilicet præstare debeat? sed cum propria cuiusque contumacia puniatur, quâ fronte poterit hoc desiderari? Ecce in omissis nec diuisionis, præsertim vbi vnus non est soluendo, nec excussionis, nec cedendarum actionum beneficium obtinet.

Ex ratione præcitatarum legum id sequitur, vt quamuis executores pro iis quæ gesserunt, vel in solidum non teneantur, vel beneficiis æquitatis iuuentur, in his tamen quæ communiter neglexerunt, in solidum singuli teneantur, quia propria cuiusque contumacia, vel negligentia punitur, eaque in solidum pupillis damnum dedit, ideoque non alienum aut coexecutoris periculum subeunt, sed suũ, & pœnas sui defectus. Quamobrem executores exactissimè officio satisfacere debent, *quid enim*, inquit Cic. pro *Ros. Amerino, recipis mandatum, si aut ad tuum commodum conuersurus aut neglecturus es?* & infrà, *ergo idcirco*, inquit, *turpis hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violet, amicitiam & fidem. nam neque mandat quisquam* 10. Quid in executoribus in neglectu?

quam ferè, niſi amico, neque credit, niſi ei, quem fidelem putat. perditiſſimi eſt igitur hominis ſimul & amicitiam diſſoluere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi credidiſſet. & paulò pòſt, *in minimis priuatiſq; rebus, etiam negligentia in crimen mandati iudiciuq; infamiam reuocatur.* ideoque *l.* 13. *C. mandat.* omnem culpam, excuſato ſolo improuiſo caſu, præſtandam eſſe declarat. & *l. in re. C. mandat. nihil neglectum culpâ vacuum eſt.*

Quod ſi hæc generatim in mandatis inter viuos obtinent, atque inter extraneos, multò magis in ſupremæ voluntatis executione, poſtquam morientes iam amplius velle non poſſunt, filiis hæredibuſque demandata exigentur.

Quam ob cauſam, quod in aliis mandatis non obtinet, negligens intra annum *c. nos quidem. X. de teſtam.* defuncti voluntatem adimplere, priuatur à teſtatore relictis. *c. ſi heredes eod.* omninò ad exemplum tutoris tutelam recuſantis: *l. Neſennius cum ſeqq. D. de excuſ. tut. Auth. de hered. & falcid. §. his omnibus Coll.* 1. *Auth. hoc amplius. C. de fideicommiſ.* & quidem indiſtinctè: quamuis *d. l. Neſennius* in tutore diſtinguat, de qua re Gutier. *de tut. p.* 1. *c.* 22. & Iudex executionem teſtamenti procurat. *d. c. nos.* ſed ne quidem in tutoribus conſtitutum eſt, vt ob neglectas res pupilli fortè deinde mortui, ideo hæreditate illius, ſi proximi agnati fuerint, priuentur: neque iure ſubſtitutionis excidant. *l. amiciſſimus. D. eod. Gutier. ibid.* Par igitur, ſi non maior, erit obligatio executorum, tutorumque ex neglectis, & deſidiæ vindicatio.

11. De temporis mora. Porrò tutor, curatorúe defenſionem pupilli, vel adulti ſine vlla dilatione ſubire debet. *l. fin. §. fin. C. de adminiſt. tutel.* ideoque ſi neglexerint pecuniam in nomina collocare, ex eo die

12. Et vſuris. vſurarum nomine tenentur: *l. qui negationem. §. pupill. D. de adminiſt. tut. l. ſi tutor. D. eodem verb. ipſe in debitam pecuniam & vſuras pecuniæ, quam non fœnerauit, conuenitur.* ſpatium tamen ea lex dat ſex menſium, altera autem lex vtitur verbo ſtatim: *l. tutor qui.* menſes duos concedit, niſi probet tutor per ſe non ſtetiſſe, ſed venalia prædia aut reditus non fuiſſe: *Gutier.*

13. Et vſuris vſurarum ex conſuetudine. *d. c.* 9. *n.* 29. *l. tutor qui eodem §.* ſi vſuras exactas tutor vel curator vſibus ſuis retinuerint, earum vſuras agnoſcere eos oportet. ſanè enim parui refert vtrum ſortem pupillarem an vſuras in vſus ſuos conuerterint: quia, vt inquit d. lex *qui neg. §. fin. D. eod.* vſuræ in ſortem computantur, vel vniuerſæ ſummæ vſuras debere curatores incipiunt, quia omnis pecuniæ, quæ ad curatores tranſit, par cauſa eſt, quia omnis ſors efficitur: & §. *ex duobus ibid.* reſpondetur, quod ſi pecunia manſiſſet in rationibus pupilli, præſtandum quod bonâ fide percepiſſet, aut percipere potuiſſet, ſi fœnori dare cùm potuiſſet, neglexiſſet: qua in re bene Gutier. *d. c.* 9. *n.* 37. diſtinguit vt vſuræ vſurarum debeantur, exceptis quæ ideo fieri potuerunt, & factæ ſunt ſors, non autem in neglectis, ſeu non receptis, in quibus ea ratio ceſſat.

Quam tutorum negligentiam conſuetudo Antuerp. reddendarum quotannis rationum, quotannis ita nihilominus ita computare mamburni debent, ac ſi retro lapſis annis computaſſent, adeo vt in omnes computus neglectorum annorum inferre debeant vſuras vſurarum. *t. van onbejaerde. artic.* 51. 52. 53. *niſi*, inquam, *iuxta art.* 41. tutores infra tres menſes pecuniam applicauerint, diſertè ita puniuntur, vt ipſi teneantur ad huiuſmodi vſuras ad ratam nummi decimi ſexti, & *artic. ſeq.* diſponitur, vt ſi tutores etiam teſtamentarij *artic.* 41. cauſentur, ſe non inuenire opportunitatem collocandi; tenentur adire magiſtratum, qui de re cognoſcat an excuſati ſcilicet eſſe debeant. quæ ideo conſuetudo etiam iuxta modò datam diſtinctionem exaudienda eſt.

Quapropter & amplius minoribus à conſuetudinibus paſſim, quàm à iure prouiſum eſt. quamuis enim de iure tutor finitâ demum tutelâ ad rationes tenetur: *l. niſi. D. de tutel. & ration. diſtrah.* moribus tamen quotannis aut ſingulis ſaltem bienniis ad rationes tenetur: Conſ. Antu. *tit. van onbejaerde. art.* 52. etiamſi id teſtator prohibuerit: *art.* 51. exigique poſſunt, & à contutoribus debent: ideoque hodie aliter mora in his, atque periculum conſideratur. Iure ſufficit tempore depoſiti officij collegam eſſe ſoluendo; *d. l.* 3. *C. de prob.* moribus non ſufficiet: quia ante finem tutelæ iure ceſſat tutelæ actio: *d. l. niſi.* moribus non ita; ſed quotannis, vt dictum eſt, exigi poſſunt, & debent rationes: ideoque ſi in ea exactione tutor vel executor quotannis facienda negligens fuerit, moram committit, culpam contrahit, & periculum incurrit; ſi poſt exactionis moram collega factus fuerit non ſoluendo; caſus fortuitus eum onerabit, *d. l.* 5. *D. ſi cert. pet. aliiſq; ſupra citatis.* quod periculum ad eum de iure non ſpectat, quia moram non commiſit, culpamúe contraxit, qui ante finem tutelæ rationes exigere non potuerit: niſi, vt dictum eſt, idonea culpa detegatur, quod ſuſpectum facere collegam ſuperſederit. 14. Iterum de mora & poſt hanc periculo.

Nunc verò expendendum eſt quantum officio ſuo defuerit Ioannes, quod tutor executorque à patre, filius, & hæres vltimo elogio parentis conſtitutus, tantâ, vt dicit teſtator, confidentiâ, vt vetet eum coram magiſtratu non infra duos menſes, non infra ſex, aliquo ad rationes compellari, non ſine vlla dilatione, non infra annum, non ſingulis bienniis, non intra 30. ferè annos, ſibi à patre teſtatore commiſſâ, & nominatim applicationem pecuniarum Caroli commiſſam procurarit, ſed hactenus neglexerit, atque poſt tantam totque annorum moram ab eo commiſſam, & collega ac Iacobus, & procurator, agens ſeu debitor Walterus facultatibus lapſus ſit, caſus profectò hic, ſi caſus tamen eſt cenſendus, qui non ſubitus, ſed à cordatioribus prouiſus fuit, eius negligentiæ aſſcribi, præſtarique debebit.

Ea quæ de tutoribus, curatoribus, executoribus dicta ſunt, non parum conueniunt Eccleſiarum ædilibus, ſimilibuſque adminiſtratoribus quos edictum 1608. *ad*

Synod. prouinciæ Mechl. art. 24. alios pro aliis obligat.

De Sepulturis.

CONSVLTATIO I.

De Violatoribus sepulchrorum, & Contaminatione cinerum.

1. Quantum honorem iura sepulturis deferant? pœnam violantibus infligant.

MAgna apud veteres sepulchrorum cura fuit, & tanta reuerentia, vt nec, si quis sepulchrum reparare velit, corpus contingere liceat. *l. sepulchr. 5. D. de sepul. violat.* quod si porrò aliquis sepulchrum, & locum iniuriâ affecerit; quanti interest condemnabitur: dum agit is ad quem res pertinet: dum quilibet ex populo in aureos centum, & pro sepulchro inhabitato, in aureos 200. præsertim si cadauer spolietur. *l. 3. D. eod.* quod si corpora extracta, & ossa eiecta fuerint, summo supplicio, deportatione, relegatione, aut in metallum damnatione rei pro distinctione suæ qualitatis afficiuntur. *l. vlt. D. eod.* & insuper ex constitutione Constantij *in l. 4. §. fin. C. eod.* damnantur in decem pondo auri. quæ pœna priscæ seueritati accedit, nec antè constituto supplicio derogat: vt dicit ea lex. & ex constitutione Iuliani *in l. 5. C. eod.* sacrilegij crimen, & pœnas incurrunt, qui lapidem mouere, & terram euertere, & cespitem euellere ausi fuerint sepulturæ. quæ est vbicumque corpus aut ossa condita sunt. *d. l. 3. l. 21. §. sepulchrum. D. de relig.* Quin etsi in locum purum domino inuito cadauer inferatur sine permissu pontificali, aut iussione Principis, corpus eiicere dominus non potest: sed actione in factum pretium loci, aut mortui elationem consequi. *l. 7. l. 8. D. de relig.*

2. Sine permissu Principis aut decreto pontificali eiicientibus etiam ex loco antè puro.

Quæ cum ita se habeant, atque ex actis constet locum de quo quæritur, partem consecrati cœmeterij olim fuisse, & quotannis hactenus aqua benedicta aspergi solitum, corpora eò illata atque condita fuisse; reum ea eruisse, & constructa sentina conspurcasse: erit officium Iudicis defunctorum iniuriam vindicare: moderata, pro hominis idiotæ simplicitate, pœna; præsertim allegantis ex permissu Principis ob indigentiam fabricæ eam cœmeterij partem olim venditam, & deinde in hortum conuersam, quem iure optimo possidere se existimarit. sed vt vt id sit, nunquam in vsus sordidos locus etiam execratus verti potest. *Concil. Trid. s. 21. c. 7. in fin.* minus ille, qui etsi in profanos horti vsus verti permissus foret, non tamen benedictionem amisit, sed quotannis aquâ lustrali aspergi solet. Ex acerbitate pœnarum, quas mox retulimus, inferri etiam potest, quàm grauiter aduersùs legislatorum mentem peccent, qui cadauera, reliquias, ossa defunctorum in cœmeteriis ac alibi irreuerenter tractant, proiiciunt, conculcanda relinquunt, iique quorum est officium rectius agere, aut imperare.

CONSVLTATIO II.

Electio sepulturæ libera etiam monacho dissito.

POsse quemlibet Christianum (excepto monacho à monasterio non dissito *c. vlt. de sepult. in 6.*) post annos discretionis eligere sepulturam notorium est. *ex c. 1. c. de vxore. c. in nostra. X. c. licet. in 6. c. dudum in Clem. de sep.* dummodo non fiat electio noui, & minus religiosi loci, *vt loquitur Innoc. III. in c. fraterni. ibid. id est,* non ad sepulturam sacrati. ea enim voluntas, vt minus legitima, obseruanda non est à Christiano. exemplo eius, quod Modest. *in l. quidam. D. de condit. inst.* in eo respondit, qui reliquias suas in mare abiici iusserat. Sed quia Innoc. locum minus religiosum videtur intelligere, vbi rarius est officium diuinum, cum antè de eo locutus esset vbi frequentius: eam dispositionem iuris mutauit Bonifac. VIII. *in c. 2. eod. in 6.* quæ est planior aduersantium cc. dissolutio, quàm glos. *ibid.* adferat: cum & idem Bonifac. *in d. c. 2.* asserat super hoe antiqua iura videri esse diuersa. Modò sit locus religiosus quo sensu?

CONSVLTATIO III.

De Electione libera, non coacta, exhumatione malè sepulti.

VOluntas defunctæ sepulturam eligentis plenè probata est per duos testes, quibus nulla exceptio est opposita.

Quibus accedit ipsa rei confessio, dum eam voluntatem fatetur, dum allegat coactam. 1. Electio coacta non facilè probatur.

Sed coactionis primus, quem citat, testis est singularis; cuius nulla authoritas. *l. sancimus. C. de test. c. licet. X. de test.* & dictum, sine congrua scientiæ ratione; requisita tamen in iis quæ sub sensum non cadunt. *Barth. tract. de test. n. 5. Marant. de test. prod. n. 13.* Secundus autem defunctam ait non suâ sponte, sed ad consilium aut inductionem ipsius sepulturam elegisse: quod consilium nec solus ille probat. 2. Inductio non omnibus vetita. sed vt verum sit, nullibi id amicis prohibitum est; sed tantùm clericis secularibus, & regularibus, idque respectu suarum Ecclesiarum. *d. c. 1. de sep. in 6. c. in nostra eod.* quod enim non inuenitur prohibitum, censetur permissum: adeoque inductio, nisi processerit à personis prohibitis aut modo illegitimo dispositionem non vitiat. sicut de blanditiis mariti, quoad testamentum vxoris responsum est. *in l. 3. D. si quis aliquem testari prohibuerit vel coëgerit.*

De

3. Exhumatur cadauer extra locum electum sepultum. Debuit ergo defunctæ corpus sepeliri in loco electæ sepulturæ. Et, quia extrema voluntas seruanda est, debet corpus, extra locum electum sepultum, exhumari, & ad locum electum transferri, cũ emolumentis. *c. ex parte.* 5. *X. de sepult. c. cũ liberum. 6. ibid. c. 1. de sep. in 6.*

4. Nec Romana constitutio obstat. Nec obstat quod Romæ sub pœna excommunicationis translatio sepulturæ prohibita sit: *vt meminit Zerol. in prax. V. corpora.* localis enim est ea prohibitio, rei aliàs licitæ, vt idem fatetur: neque pertinet ad hanc de qua quæritur, quæ fit ex iuris præscripto.

5. An scandala? Sed neque scandala obstant leuiter apprehensa: non enim ea mouerunt Alex. III. *in d. c. ex parte & seq. & Bonif. VIII. in d. c. 1. de sep. in 6.* quò minus exhumationem decernerent, nisi forent tamen grauia: & *vt loquitur Clemens III. in c. super. X. de stat. monach.* scandalum maximum, id enim esset attendendum.

Eò minus quod facta sit inhumatio lite pendente, & aduersùs actorum protestationẽ: cum lite pendente nihil sit innouandum. *d. c. ex parte, de sep. tot. tit. vt lite pendent.* & ius actorum conseruarit eorum protestatio. quippe cuius proprium officium est iura competentia protestanti conseruare. *Oldrad. cons. 6. in fin. quæstio talis. Tusch. V. protest. concl. 939. & c. 943.*

An autem ob infectionis periculum grassante contagio exhumatio omittenda sit, adiudicatis cæteris, non tam pertinet ad iura partium; quàm ad nobile officium Iudicis: reipub. salutem curantis: qui ex consilio medicorum statuat, quod ad illam necessarium sit.

CONSVLTATIO IV.

De Sepulchro familiari.

De iure quæritur immunis sepulturæ. Et quidem appellans initio satis augustè totum sacellum B. Virginis H. sui iuris esse contendit, postea restrictius, quâ parte nõ esset occupatum sedilibus &c. sed re ad cardinem alicuius tituli redactâ (qui nondum apparuit, nisi quod olim Michael W. aliquo annuo frumento officia quædam in eo choro celebranda fundauerit, & sub exemplari eius donationis Nota alicuius reperitur, quod ei, vxori, & filiis concessum foret ibi sepeliri, quia id suo beneficio meritus esset) suam intentionem appellans nullatenus stabiliuit.

1. Patronus non excludit sepulturam aliorum ab ecclesia patronata. Donatione fundi aut dotis ad necessaria omnia Ecclesiæ officia sufficientis, vel ædificij constructione acquiritur ius patronatus, *tot. tit. de iur. patron.* cuius ibidem prærogatiuæ etiam explicantur; sed nullæ tales, vt in Ecclesia aut sacello patronato soli patrono liceat sepeliri. quare & posteris huius Michaëlis W. exigua donatio ad pauca sacra sufficiens tantum iuris tribuere non potuit.

Sed neque aliud verbis Notæ tribuitur, quàm vt mortuum donatorem, vxorem, filios, in eum chorum inferre liceat. quibus ex verbis non aliud potest competere, quàm quod edicto *D. De mortuo inferendo* comprehensum est.

2. Cui ius est mortui inferendi ciuiliter eo vti debet non omnem locum sibi arrogare. Et quamuis eo iure simpliciter constituto, vt in via omnes fundi glebæ seruiant, *l. certo. §. 1. D. de seruit. rust. præd.* & in quamlibet eius partem mortuum inferre liceat, tamen agendum, vtendumque est ciuiliter: *l. si cui. D. de seruitut.* non enim per villam ipsam is cui via ceditur, nec per medias vineas ire, agere sinendus est, cum id æquè commodè per alteram partem facere possit, minori seruientis fundi detrimento: *d. l. si cui,* sed arbiter dandus est qui viam determinare debet, *d. l. certo. §. 1.* &

3. Sed ex arbitrio. quà primum iter determinatum est, eà seruitus consistit, cæteræ partes agri liberæ sunt: *d. §. 1.* vel quà sine arbitro primùm quis viam direxit, eà demum ire agere debet, nec amplius mutandi potestatem habet. *d. l. si cui.*

4. competens sepulchri spatium. Itaque licuit donatorem nostrum, vxorem, filios, in quamcumq; partem chori inferre. sed ciuiliter dato arbitro, vel quà primùm illatus foret, ablata est mutandi facultas, & ciuiliter restricta ad decens spatium sepulchri. quod Alexandro Magno non maius fuit, quàm septem pedum. vnde & annotatum est locum religiosum non fieri, nisi quatenus corpus humatum est. *l. 2. §. non totus. D. de relig.*

5. Præsertim in parochiali ecclesia vbi nec facilè potest, nec præsumitur aliis incolis præiudicatum. Quod eò magis dicendum est in casu nostro, cum in potestate æditiuorum non fuisset donatori totum sacellum, & cum exclusione aliorum donare, non tantum quia illud pars erat Ecclesiæ parochialis, in qua cuilibet parochiano ius competit sepulturæ, & per quem locum aliis seruitus debetur, alia alteri constitui non potest, prioris impeditiua. *l. per quem D. de seruit. rust. præd.* adeo vt nec locus fiat religiosus illatione corporis, nisi consentiat is, cui seruitus debetur. *d. l. 2. § locum,* vnde non potuissent per æditiuos alij parochiani excludi, quibus sepulturæ seruitus debebatur, nisi consentientes per se vel eos, qui communitatem repræsentant.

Sed etiam quod iure æditui prohibeantur ius sacelli sic vni dare, *tit. de reb. eccles. non alienan.* vnde semper interpretatio actus sumenda est, quæ culpæ est exclusiua, & ne quis id censeatur fecisse, quod iure non potest.

6. Quamuis aliquis sit benefactor. Et quamuis Ecclesia non debeat esse ingrata, sed remuneratoriam donationem possit facere; non tamen id mox possunt, quibus ministeriũ, vt æditiuis; non authoritas est commissa, vt superioribus. vnde nec iis, qui Ecclesiæ benefecerunt fundando, dotando, ædificando competit ius patronatus, quamuis & iis tamen solis, *c. pia mentis. 16. q. 7. c. abbat. 18. q. 2. c. 3. de iur. pat. Bacquet tract. 5. de droicts de iustice,* sed non omnibus; sed demum iis, qui id ab initio annuente Episcopo sibi reseruauerint. *c. præterea. c. nobis. X. de iur. patron.* quale tamen nihil hic; nisi vt mortuum donatorem, vxorem, filios, inferre liceat in chorum Beatæ Virginis: qui locus, post summũ chorũ Comiti patronoque debitum, pars templi dignior est, & in

7. Cũ, ne quidem ius patronatus competat nisi in fundatione expressum.

qua olim etiã creduntur conditi aliqui ex dominis de C. olim dominis H. sub eo saxo,cui ab iconoclastis lamina cuprea detracta est. tam digni ergo loci concessione eidem Michaëli W. factã, abundè beneficium ab eo acceptum Ecclesia est remunerata.

8. Dignitas loci cõcessa magna remuneratio.

Ex quo solutionem habet eius, quod sæpe in lite quærit appellans; quid ergo donator, si non sepulturam immunem à iuribus funeralibus, habeat præ cæteris? vtique dignitatẽ loci. sicut patronis datur honos in sessione, processione, &c. aliis vtique non exclusis.

9. Filiorum nomine an posteri veniant?

Eamque pro se, vxore, & filiis; sub quo nomine filiorum an etiam nepotes & posteri cõprehendantur? vt multifariam & sæpe placuit. *l. liberorum.* 120. §. *sed & D. de verb. sig.* sed sæpe, non semper itaque. *vt latius Menoch. præsumpt. lib.* 4. *præs.* 84. *n.* 21. *præs.* 94. *n.* 8. *vsque* 31. quia facti *hoc, non iuris habet quæstionem,* inquit, lex *Herennius.* 112. *D. eod. &* voluntatis: *d.* §. *sed &.* vnde disputari posset, an præter filios nominatos alij posteri ius haberent mortuum inferendi: tamen Ecclesia hanc eis difficultatem nunquam mouit; quare vicissim ciuiliter loco suo vti deberent; & quatenus donator illatus est, contenti esse: saltem tanquam sepulchro familiari, aut hæreditario: quo omnes de familia aut cohæredes inferre liceat: *l.* 5. *D. de relig.* sed non alios præter donatoris posteritatẽ. *l.* 6. §. *ex hæred. D. de relig.* præsertim cum in re quæ Ecclesiæ perpetuò potest præiudicare. strictè vocabula sunt sumenda, nec vlla extensio habet locum. *Cephal. cons.* 168. *nu.* 8. *Natta cons.* 191. *n.* 10. *Ruin. cons.* 174. *n.* 34.

10. Posterum se esse probare allegans debet.

An verò appellans de posteritate sit donatoris, allegauit is quidem; sed nullis monumẽtis probauit: & tamen *quoties,* inquit, *lex.* 1. *D. de probat. quæritur genus, vel gentem quis habeat nec ne; eum probare oportet:* vt generaliter qualitatem aliquam allegans. *l. non ignorat. C. qui accusar. l. falsus tut. D. de fals. tut. l. eum qui duas. C. de adult.* & quidem genus probare oportet legitimis documentis. *Peregr. de fideicommiss. art.* 43. *n.* 61. *& seqq. vbi plures citat.* rumor aliquis vulgi, aut chartæ non authenticæ non sunt satis. nec posset Ecclesiæ nocere error aduocati. *l.* 2. *C. de error. aduocat.* si fortè quid confessus videatur, sed corrigi id potest, etiam in secunda instantia. *l.* 3. *ibid.* & quamuis reuocans ordinariè veritatem errori contrariam probet. *d. l.* 2. tamen (vt nihil dicamus confici ex eo quod donatori nostro agnomen fuerit aliquot literis difforme ab agnomine appellantis vnumque iota mutet gentem) Ecclesia vt minor, mulier, miles, agricola, simplex, forensium rerum ignarus, priuilegio suo probationem reiicit in aduersarium, etiam cum de indebito quæritur. *l. cum de indeb.* §. *sin autem, D. de probat.*

11. Et Ecclesia confessionẽ reuocans nõ tenetur errorem probare.

Sed vt hoc omittamus (neque enim hîc agitur de mortuo illato eruendo) videamus nunc (quæ potissima pars est litis) an dato quod appellans de posteritate sit donatoris, eique ius competat sepulturæ, an etiam ea sit immunis ab omni onere iurium funeralium.

Et quidem inter partes in confesso est generatim his in locis, & singulatim in hac Ecclesia ab omni æuo, dum quis in templo sepelitur, iura aliqua solui in templi onera, & vt illud sartum tectũ seruetur. cuiusmodi laudabiles consuetudines obseruandas statuit *c. ad apostol. X. de Simon.* porrò is, qui aliquid contra ius & communes omniũ regulas sibi prætendit, probare id debet. *l. ab ea.* 5. *de probat.* exemptionẽ, exceptionem, & priuilegium suum docere: *l. si pactum. D. de probat.* cuius etiam tenor est inspiciendus, & seruandus, ita vt nec metas transgredi liceat: *c. porro. X. de priuil.* & quidem is, qui ius habet contrarium, debet vel legitimũ titulum, vel centenariam præscriptionem probare. *c.* 1. *de præscript. in* 6. 12. Qui ius habet contrarium probare debet priuilegium. 13. Aut præscriptionem centenariã.

At verò appellans pro omni titulo aut priuilegio nõ aliud exhibuit, quàm Notam, quod Michaëli W. vxorem, & filios liceret inferre in chorum Beatæ virginis, quæ Nota iam satis est discussa, inspectusq; eorũ verborũ tenor nihil de iuriũ funeralium immunitate disponit.

Itaque restat, an necessariam appellans præscriptionem probauerit? centenariam vtique; quia nullum exhibuit titulum, in quo aliqua iurium funeralium mentio fiat.

Et verò centenaria præscriptio memoriam non admittit in contrarium: at hîc memoriæ, chartæ, & computus sunt in contrarium, quæ in concursu etiam potiora sunt non attestationibus dumtaxat, sed testibus etiam ritè auditis. *l. census D. de probat.* 14. In antiquis libri testibus præualent.

Adeo quidem, vt etiamsi appellans quidpiã docuisset; tamen huiusmodi monumenta præualerent. quin etsi actus quosdam immunitatis plenè probasset, id tamen ei non suffragaretur, quoniam ex actibus difformibus, nec consuetudo, nec præscriptio potest consistere. *Mynſ. cent.* 6. *obs.* 42. quoniam actuum difformitas nõ permittit possessionem esse continuam, vt requirit omnis consuetudo, & præscriptio. & ideo vbi vsus variat, censet *ibid. post. Alexand. aliosq́;* redeundum esse ad ius commune, & secundùm illud iudicandum, & sic manendum in regula. 15. Præscriptio ex actibus difformibus non inducitur.

Vnde etsi appellans aliquos de gente, vt prętendit, sua probaret non soluisse iura funeraliũ; quando in contrarium hîc probatur registris, computibus, & munimentis, aliquos ea soluisse, non potest nomine gentis inducta esse aliqua præscriptio; quàm difformitas actuum nõ siniſſet nisi possessione continuâ. vnde & frustranea, & irreuelans foret probatio, etiamsi aliquã obtulisset vlterius facere per testes. quippe quæ etiã plenè facta cum non iuuaret, ob difformes actus, iã monumentis probatos, qui etiã testibus preualẽt, maximè in antiquis. *d. l. cẽsus.* 16. Nec immunitas si alij soluerint, alij non. 17. Nec sufficit solutionẽ negare ei, qui immunitatẽ prætẽdit cõtra cõmunes regulas.

Nihil vlterius porrò appellans probationis vice attulit, præter negationem; quasi alicui negare sufficiat se regulâ communi teneri, nisi Ecclesia docuerit etiam ab eius gente iura funeralia esse soluta.

Negatiua probanda est, quoties quis in ea suam intentionem fundat. *l.* 5. §. *docere. D. ne quis eum, qui in ius vocatur eximat.* vbi 18. Quando negatiua probanda est.

vbi qui in eo edicto se fundat, *docere*, inquit Vlpianus. *debet per hanc exemptionem factum quo minus quis in ius produceretur.* vbi ea negatiua productum quem non esse; probanda est. sic & *in l. optimam, in fin. C. de commt. stipul.* negatiua probanda est; & *in l. in illa, D. de verb. oblig.* & sic quidem Mascard. *vol. 2. de probat. conc.* 1091. docet eum, qui se fundat in negatiua iuris, facti, vel qualitatis, siue agendo, siue excipiendo, etiam in facto improbabili, nec loco, nec tempore determinato, probare debere: *& innumerum doctorum numerum adducit, citatq; Herc. in tract. de proban. negat. nu.* 196. *qui* 54. *modos probanda negatiua recenset*; quantò magis tenetur appellans, cuius negatiua consistit in factis tempore & loco coarctatis, v.g. mortis, & sepulturæ singulorum de gente W. in dictum chorum illatorum, non factâ iurium funeralium solutione?

19. Nec creatur præiudicium creditori qui antapochas non sumpsit.

Et quamuis Iustin. *in l. plures. C. de fid. instrum.* creditoribus suadeat sumere sibi antapochas, ne debitores negando ius agentium faciant vacillare; & *in l. si quis. C. quibus ad libert.* dicatur, quod petitur, fieri negatione dubium; tamen idem Iustin. *d. l. plures* declarat ex eo neglectu nullum creditoribus præiudicium generari: quod tamen accideret, si per hoc in eum onus probandi transferretur: & glos. *in d. l. si quis verb. dubium* tradit negatione quid dubium non fieri, si præsumptio sit contra negantem; quantò magis si ius, consuetudo, & regula communis neganti refragetur, quem ideo tituli exhibitione, aut immemorialis præscriptionis probatione onerat *c. 1. de præscript. in 6.* dum contra creditores. *in d. l. plures* suam intentionem non habent in iure fundatam, sed aliàs sibi obligatos contendunt?

Appellanti ergo negasse non sufficiet, vt in aduersarium transferat onus probandi; eòque minus dum non tantùm communis regula suffragatur Ecclesiæ, sed & sponte pro ea subiit onus probandi intimatus, & Ecclesiæ monumentis docuit plures ex gente appellantis iura funeralia soluisse.

Quæ si omnia rectè considerentur, & quod intimatus agat causam Ecclesiæ, pro qua, & omni pia causa in dubio foret pronuntiandum; tantò nunc magis cum ius patrium & consuetudo generalis, & regulæ communes ei faueant; vtique non videbuntur esse posse aliæ Iudicum partes, quàm vt perperam appellans dicatur prouocasse, rectè iudices priores definiisse.

CONSULTATIO V.

De Pactis sepulchralibus.

1. Pacta parochorum & priuilegiatorum & consuetudi-

Constitutiones pontificiæ, quæ de sepulturis, & funeralibus, & iustitia Ecclesiarum (vt loquitur Clemens III. *in c. 9. de sepultur.*) à quibus mortuorum corpora auferuntur, tractant; plenæ sunt relatione scandalorum: quæ iam olim ex his causis data sunt. quapropter, & quia, vt Bonif. VIII. *in sua extrauag. super cathedram de sepult. in comm. scimus*, inquit, *& ex euidentia facti colligimus, quod non nisi in pacis tempore bene colitur pacis auctor*; piè certè faciunt, qui eiusmodi difficultates pacificè sedare, & expedienti aliquâ ratione componere quàm maximè laborant.

nes esse seruandas.

Redarguit autem Bonifac. VIII. *in c. 3. de sepult. in 6.* eos, qui pacta à se, vel antecessoribus inita seruare recusant. & *multa*, inquit, *in diuersis mundi partibus insurgunt scandala, & ipsorum (quos decet puritatem omnimodam in suis obseruare actionibus, & ab his abstinere propensius, per quæ possit aliis exempli pernicies generari) famæ detrahitur plurimum, & honori.*

Pari modo Clemens III. *in d. c. 9. de sepult.* iuxta verba B. Hieronymi, *vnaquaque*, inquit, *prouincia in suo sensu abundet, secundùm rationabilem consuetudinem regionis*: statuitque vt illa iustitia Ecclesiarum pro locorum diuersitatibus attendatur. hoc vtrumque ius commune est, vt pacta & consuetudines (quæ à doctoribus plerumque parificantur) obseruentur, ideoque, si quod occurrat dubium, pro iure fit interpretatio, contra priuilegia, nisi sint liquida, & manifesta: quod enim clarè non mutatur, cur stare prohibeatur?

Quamuis enim idem Bonifacius VIII. magnâ spe inductus vniuersalis per orbem concordiæ in materia sepulturarum, & eiusmodi iurium inducendæ (eo ferè modo, quo omne magnum exemplum aliquid ex iniquo habere dicitur, quod vtilitate publicâ compensetur) omnia anteriora priuilegia, diuersas consuetudines, qualescumque conuentiones, & pacta, ad vnam suæ constitutionis formam redegit. *d. extrauag. supra Cathedram*; tamen ea fuerat reuocata per Ben. XI. vt refert Clemens V. *in Clem. dudum de sepultur.* & quamuis idem Clem. V. abrogatâ constitutione Benedicti, alteram Bonifacij rediuiuam fecerit; tamen vix est, vt vsu receptam quoad hoc, in his partibus credamus: quando nullibi ferè in Belgio, vel illo iure, vel aliis suis priuilegiis puris & puris vti mendicantes ordines videmus; sed pactis & consuetudinibus. Quibus fauet Bonifacius ipse VIII. *in d. c. 3, & 1. de pact. in 6. Clem. III. in d. c. 9. de sepultur.* naturalis etiam ratio, quâ Prætor pacta se seruaturum edixit: & Concilium Africanum, *aut inita*, inquit, *pacta suam obtineant firmitatem, aut conuentus, si se non cohibuerit, ecclesiasticam sentiat disciplinam: dixerunt vniuersi, pax seruetur; pacta custodiantur c. 1. de pact.*

Et verò bene docet Em. Rod. *quæst. reg. t. 1. q. 69. art.* 3. d. extrauag. à Clem. V. resuscitatam de solis agere Prædicatoribus & Minoribus; pacta & consuetudines aliorum Ordinum nullatenus abrogatas, sed omninò esse seruandas; & item respectu Prædicatorum & Minorum constitutionem tanquam iuri aduersariam esse restringendam.

Denique loqui de pactis, & consuetudinibus tantùm præteritis, ideoque post illam se-

cutas

cutas non attingere, sed futuras omnes consuetudines, & pacta omninò esse seruanda. quod iterum docet *tom.3.quæstion.94.art.4.*

Quin & Leo X. *in Concil.Later.* rursus pacta omnia & conuentiones inter Ordines & Curatos initas seruandas esse decreuit.

Et recentiores quidem maximè iubentur in tali materia scandala præcauere. *c.2. de nou. oper.nunc.* & possent parochi *ex d.c.1.2.3.4. de noui oper. nunc.* vti noui operis nunciatione, quin etiam remedio possessorio (etiam Iudice laico per mores nostros promptè quidem, sed maiori cũ scandalo) sibi consulere quoad tuendam possessionem; donec de partium iure, & priuilegiis cognitum esset. qua ex causa, eaque quam initio diximus, conuenit Ordines recens aliquò aduenientes transire in expedientẽ aliquam concordiam, vt plerisq; locis accidit: & cogitare summum ius per scandala obtentum summam esse iniuriam.

Attendantque recentes quàm enixè œcumenicum Concil.Trid. statuit *s.25. c.13.* vt quarta funeraliũ parochiali, aut cathedrali Ecclesiæ ante annos quadraginta præstari solita, integrè deinceps præstetur, non obstantibus aliis factis concessionibus, & priuilegiis quibuscumque.

Neq; verò si qui anteriores ordines aliis vsibus gaudeant, eos credant sibi communicari, vt priuilegia. siquidem vsus vel non vsus priuilegiorum non communicatur, quia facti est. communicantur autẽ priuilegia, & iura. neque præiudicat non vtens vtenti, quin nec Ecclesię suę non vtens, sed sibi tantùm. *Em.Rod. quæst.reg. t.1.q.55.art.19. vbi singula hac probat.*

2. Nec contra pacta præscribitur facilè.

Quin verò consuetudo præsertim immemorialis, celebrandi exequias primas in parochia, firmata vel deducta ex pactis, vt mutetur, & præscriptio, & consuetudo cõtraria inducatur, oportet vt ex rationabili causa procedat. *arg.c. cũ tanto fin.de consuet.& quæ ibi tradunt Panorm. & Doct.* cum è contrario ex ignorantia eiusmodi actus, & non vsus concordiarum, & priuilegiorum sæpissimè, ne dicam semper, inquit Em.Rod. *tom.1.q.55. art.19.* habet originem. neque licitum est cuique sibi mutare causam suæ possessionis, aut alienam interuertere. & titulus concordiæ aliàs initæ bonam fidem inficit, vt contra eam concordans nequeat præscribere.

3. Primæ exequiæ in parochia faciendæ.

Præiudicium autem parochiæ vel in eo considerari poterit, vt quamuis fortè in secundis exequiis nõ minus habeat oblationũ, aliarumque vtilitatum funeralium, quã in primis; honor tamen ille parochiæ non deferatur, cum cadauer immediatè abit ad aliam Ecclesiam, quàm si exequiæ fiant in parochiali templo, & *primo*, vt inquit Ioan. Andreæ *in d. Clem. dudum.§.huiusmodi. Ecclesia parochialis tanquã mater salutetur, & recipiat vltimum vale.*

4. Sed libertas sepulturæ priuilegiariç refragatur iure solo inspecto.

Alioquin si de mero iure agatur, Ordines, quibus ius liberę sepulturę competit, exequiarum celebrandarum etiam cõpetit. funeraria quarta, aut quod eius loco subrogatum est, parocho relicta,

Sic *in c.quia aliij 13.q.2.* dies sepulturæ enumerantur, & exequiæ ac solemnia nomine sepulturæ intelliguntur; sic quarta funeralium parocho debetur, id est, de cereis, pannis, aliisque pompis, & sumptibus, quæ funus comitantur ad locum electum. sic missæ dici iussæ, in loco sepulturæ dicuntur, & pro illis legatum illi debetur. *Tuschus l.7.V.sepult.conc.195. num.2.* sic Episcopo alibi sepulturam eligenti, sumptus qui sunt maximè exequiarum ab Ecclesia sua debentur. *Tuschus ibid. conc.189.n.18.* ita canones neque hæc separant, neque distinguunt. sic Ancha. *cons.56.* respondit, quod mortuus non debeat sisti in parochiali Ecclesia, & ibi fieri exequiæ: quia id impedit libertatem sepulturæ, saltem ad tempus. idem docet Siluest. *v.sepult.n.4.* & constat ex eo, quod traditur quartam deberi ex iis quæ portantur ad funus, non autem ex aliis officiis, quæ fiunt die tertiâ, septimâ &c. *Lelius Zecchus de rep. eccl.c.28.n.18.*

Quare ius sepulturæ habentibus non debent parochi obsistere, quò minus cadauer efferant. *Zecchus d.n.18.* & parochiam etiam prælatâ cruce, vbi moris est, ingrediantur. *Choppin.de sac.polit.l.2.tit.8.n.8. Leo X. in conc. Lateran.S.cong. apud Quar. V. priuilegia Reg. Siluest.vbi suprà nu.4. Aug. V. sepult. nu.4. Armil. eod.V. n.4.* quia aquæ haustu concesso, concessum est iter. *l.3.§.penult.& vlt.D.de seruit.rust. præd.* concesso fine, concessa media; concesso principali accessoria. quod tamen Salgad. *de Protec. reg. p.2.c.9.* negat cum noxa tertij, seu parochi.

Eapropter pastor ad vitandas difficultates stipulatur ab hæredibus, & Ordinibus primas exequias: meritò quidem, & licitè. *Nauar.in Enchyr.c.23.n.106.* certè pactum suum illi seruare debent. *pactum*, inquit Bonif. VIII. *de pact. in 6.d.c.1. cum rectore parochialis Ecclesiæ factum à vobis, ne aliquos vel certos ipsius Ecclesiæ parochianos recipiatis ad ecclesiasticam sepulturam omnino seruare debetis; quamquam sepultura libera sit monasterio vestro ab Apostolica Sede indulta, & illi apud vos elegerint sepeliri: cum per dictum pactum indulto eiusmodi derogetur.* Et verò si religiosi eiusmodi promissis non steterint, valdè examinare debent, an apud populum puritatem omnimodam in suis obseruare actionibus censebuntur, & ab his abstinere propensius per quæ posset aliis exempli pernicies generari, quod tam enixè vitandum præscribit Bonif. VIII. *d.c.3.de pact.in 6.d.c.2.de nou.oper.nunc.*

CONSVLTATIO VI.

Nouum genus oblationis in funere parocho debetur.

IN iuribus spiritualibus sola possessio non sufficit, sed opus est titulo, etiam in iudicio possessorio *l.2.§.1.D.de interd.Menoch. & ab eo alleg.* 1. In spiritualibus possessio non sufficit.

alleg. de recup. poss. Rem. 15. *n.* 466. sed & quando agitur non possessorio, sed omne partium ius in iudicium deductum est, adeoque in sententiam venire debet, tùm quamuis in possessorio quis obtinere deberet, petitorium tamen simul ei, qui titulum non habet, abdicandum

2. est. *c.* 3. *X. de caus. pos. & prop.*

Præsertim si ius aduersetur.

Tum autem multò maximè id obtinet, quando is, qui possidere se contendit, habet iuris dispositionem contra se. *c.* 1. *de præscript. in* 6. *in verb. allegare oportet, cum ius commune contra ipsum faciat præscriptionis titulum, & probare, &c.* (*Menoch. Retin. n.* 589.) *nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cuius contrarij memoria non existat.*

3. Nisi sit immemorialis.

Quæstio proponitur de panno lugubri in funeribus ad chori parietes in Ecclesia suspendi nunc solito ab aliquot annis; quem sibi vendicat Capitulum, iure parochiali sibi competente, & æditui suum facere contendunt ex aliquot annorum possessione.

Procul dubio ad parochum spectant oblationes, & funeraria emolumenta omninò debentur. *c.* 1. *X. de sepult. c. quia sacerdotes.* 10. *q.* 1. *not. in Rub. de paroch. c. de quarta de præscript. Clem. dudum. §. ab olim. & ibi Card. de sep. Piass. pr. ep. p.* 2. *c.* 5. *n.* 37. *Zerol. pr. p.* 2. *v. obl. p.* 1. *v. paroch.* §. 5. *Siluest. v. decima. n.* 5.

Præter intentionem in iure communi fundatam, Capitulum innititur titulo erectionis Ecclesiæ S. N. in parochialem, quæ inficit qualemcumque æadituorum contrariam possessionem: malæ illos fidei, & nullius illam effectus reddit. quippe is refert eam factam esse sine alicuius præiudicio, ad solam commoditatem incolarum, & nuncupatim præseruat Capitulo iura parochialia, in quibuscumque emolumentis consistentia: qualia in Ecclesia matrice percipere consueuerit; cuiusmodi est pannus, de quo quæritur: disertè insuper præseruat Capitulo oblationes ratione quorumcumque funeralium & exequiarũ obuenientes.

Oblationes porrò dicuntur, quæcumque à piis, fidelibusque Christianis offeruntur Deo,

4. & Ecclesiæ, siue res soli, siue mobiles sint. *c.*

Qualescumque.

causa. c. cum inter. X. de verb. sig. & ibi Canonistæ, non tantùm quæ ipsum cadauer tangunt.

Funeraria etiam actio generalis est, totamque sepulturæ rationem complectitur, non

5. exequiarum dumtaxat, sed ob omnes impen-

Funerales.

sas funeris causa factas conceditur. *l.* 14. *§ hac actio. l.* 16. *l.* 20. 21. *D. de relig. l.* 17. *D. de reb. aut. iud. poss.* sicut bene Coras. *l.* 1. *misc. c.* 13. docet exequias esse funeris celebrationem, & funus pompam exequiarum.

Igitur tam sub generalitate verborum *oblationum, & quorumcumq; funeralium, & quorumcumque funerum* comprehendetur panni huius lugubris ratio; quam sub iuribus parochialibus; quę nullis verborum terminis concluduntur, omniaque omninò per dictam Bullam

6. Capitulo expresse præseruantur.

Quamuis redimi soleat.

Neque his obstat, quod æditui dicunt, non offerri hunc pannum, vtpote alienum, & quem mercator sepulto cadauere, iustisque persolutis recipit. quia idem argumentum, si concluderet, nec pannum quo altare cooperitur offerri aliquatenus euinceret, prout re ipsâ inspectâ verũ est: sed id quod pro redéptione suspensi panni ex more soluitur, vice oblationis fungitur. cum primitùs quidem res ipsæ, ad templũ cum funere delatæ, oblatæ censerentur, retinerenturque: & postmodum pompâ honorumque aucupatione supra pietatem excrescente, honor idem haberi, & res delatæ minori redimi ceperunt: & surrogata redemptio in locum rerum specie tenus oblatarum venit. Sed hæc quomodocumque se habeant nihil ad æadituos pertinent: exceptio tertij ea est: non illis hanc opponere, sed hæredibus competeret. quibus de Episcoporum decretis, & iure suo Capitulum responderet, & de consuetudine, quam hæredes iubet seruare *c.* 42. *X. de Simon.*

De Parochiis.

CONSULTATIO I.

Cui dandum quod piæ causæ incertæ relictum est?

QVod pauperibus quis relinquit, si de voluntate dubitetur quos voluerit, illis applicatur vbi ortus est; aut si incerta patria est, vbi mortuus est. *l. nulli. C. de epis. & cler.* seu potius vbi larem fouit, & inter plura loca pauperiori. *l. si quis ad declinand. eod.* si quis Deo reliquerit, Ecclesiæ debetur, sub qua domicilium habuit. si sancto alicui, & eò loci plura sunt oratoria, illi applicatur quod pauperius est: si non est in ciuitate, illi quod est in territorio: si nec in ciuitate, nec in territorio Ecclesiæ domiciliari testatoris. *Auth. de eccles. tit.* §. *si quis in nomine.* si quis in foro quid iussit fieri, si non appareat, quid senserit, in foro domicilij eius fiet. *l. qua conditio.* §. 1. *D. de condit. & demonst.*

Si non appareat, inquit, *quid mortuus senserit.* eodemque sensu dictæ leges & Authentica loquuntur. coniectura ergo voluntatis est, vt prędilexerit testator locum vbi oritur, moritur, habitat, & inter plures pauperiorem: atque vbi de Ecclesiis agitur eam, quæ ei propria est, vti est parochialis sub qua degit: vbi spiritualia accepit, vt temporalia retribuisse censeatur, cui decimæ, primitiæ, oblationes debentur.

Eo ergo argumento sodalis qui legatum reliquit sodalitati, quæ in plura membra est diuisa, coniugum, cœlibum, Teutonum, Walonum, Latinorum; videtur de illo membro sensisse, cui ille erat adscriptus; vt ferendis oneribus illius membri specialibus proficiat: vbi spiritualia exercitia habuit: præsertim si & magis egeat.

Cæterùm

Cæterùm stantibus pro vtraque suis præsumptionibus, ita vt coniecturæ voluntatis dubiæ, ambiguæ, & ancipites maneant, non videtur inconueniens, vt legatum destinetur in eos vsus specialiter, qui vtrique sodalitati proficiant, & vtramque onerarent. sic sententia dicitur rusticorum *à glossa in l. Nesenn. in fin. D. de negot. gest.* tametsi aliquando æqua vt in arbitris ex epikeia. *vt c. nisi. X. de prebend.* vbi inter duos de præbenda litigantes Iudex delegatus diuisionem facit, vni præbendam, alteri pensionem addicens, eodem in exteriori apparentia spectabat iudicium Salomonis, vt puer inter duas matres controuersus diuideretur.

CONSVLTATIO II.

De Prædicationibus & Functionibus pastoralibus, & Missionibus.

PRoprium Episcoporum munus est prædicare verbum Dei. *Conc. Trid. s. 5. c. 2.* Apostolis enim & discipulis Christus commisit, vt prædicarent omni creaturæ, docerent omnes gentes, & baptisarent. *Marc. 16. Mat. 28.* his autem propriè successerunt Episcopi & sacerdotes. qui primis quidem trecentis annis non nisi seculares fuerunt. *de quibus c. clericus. & sequentib. 21. q. 1.* sed paulatim crescente messe, & nonnunquam decrescente feruore cleri, monachi ab instituto suo auocati, atque ad ordinem clericalem, & sacerdotium ex alia naui vocati sunt, vt iuuarent discipulos laborantes, ob multitudinem piscium copiosam. *Luc. 5.* sic tamē vt ex nutu Episcoporū id faciant. eos enim Spiritus sanctus constituit regere Ecclesiam Dei. *act. 20.* ipsorum est constituere per ciuitates presbyteros, & animarum curatores. *ad Tit. 1.* atque ita parochias distinguere (sicut Romani Pontificis diœceses) & munia præcipere singulis, sine horum approbatione nec confessiones audire: *Concil. Trid. s. 23. c. 15.* nec ad populum conciones habere sine eorum benedictione in suis, & licentiâ in alienis Ecclesiis: *Trident. s. 5. c. 2. s. 25. c. 4.* contradicente autem Episcopo prædicare nullibi possunt regulares: *d. c. 4. s. 24.* quod Concilij decretum Greg. XV. *const. incip. inscrutabili* stabiliuit. Et porrò Episcoporum in regulares etiam exemptos circa prædicationem, sacramentorum administrationem, & animarum curam delinquentes authoritatem auxit. itaque eiusmodi regulares assumpti sunt in solatium & subleuamen oneris, non in præiudicium Episcoporum, aut plebanorum. *D. Bonauentura in tract. quare Minores prædicent. Clem. dudum. in fin. de sepult.* adeo vt religiosi à Sede Apostolica facultatibus etiā ad omnem animarum curam requisitis instructi, eam exercere non possint, quoad munia pastoralia in locis, vbi pastor aliquis designatus est, licet absit; excepto tamen casu necessitatis. neque Generalis aut Capitulum iis oppida assignare, vel loca potest: sed solus Episcopus. *Sanchez de mat. lib. 3. disp. 26. concl. 5.* Vnde rectè in regulis Societatis *de Missionibus* §. 7. iubentur illius religiosi in locis, in quibus Ordinarij resident, eos quamprimùm adire, & facultates ad exercenda Societatis ministeria petere. & S. Xauerius à sociis ne ea obirent, nisi ab Episcopo, aut vicario factâ potestate exegit, neque permitterent, vt præpositi ecclesiastici talibus ministeriis iure offenderentur. *Turcellin. in eius vita. lib. 6. c. 8.* quin ipse etsi cum potestate legati Apostolici ad Indias missus, nihil tamen in locis ordinarios habentibus, sine consensu eorum facere voluit: *vt apud eundem Turcellin. ex eius vita* constat. Et iam olim S. Franciscus nunquam est concionatus, nisi de parochorum licentia, & ne sui id vnquam facerent, disertè vetuit in regula c. 9. & ne id in Ecclesiis parochialibus fiat, iubet extrauag. *com. inter. de priuil.* Rectè sanè; ita enim exigit hierarchia Ecclesiæ. quam Dionysius Ariopagita & alij S. Patres in eum sensum explicarunt, & singulariter B. Ignatius *epist. ad Tralanos*, *enitimini*, inquit, *charissimi subiecti esse Episcopo, & presbyteris, & diaconis: qui enim his obedit obedit Christo; qui hos cōstituit: qui his reluctatur, reluctatur Christo Iesu: Et ad Smirnenses, non licet*, inquit, *sine Episcopo baptizare, vel offerre, neque sacrificium immolare.* vnde fit, vt quamuis rectè D. Bonauentura *vbi supra* moneat rectores Ecclesiæ vt imitentur Deum, qui etsi omnia per se possit, dignatur in quibusdam operibus suis habere coadiutores, & vicarios: sic & ipsi non respuant auxilia Minorum, tamen dum rectores renuunt subsidiaria eorum operâ vti, illicitè illi se ingerunt, sicut & S. Congregatio declarauit non licere prædicare regularibus contradicente Episcopo, quamuis sine causa, & quamuis ille sine causa contradicens perperam agat. ex quibus etiam sequitur regulares quamuis antiquas stationes, vt vocant, habentes, si refragetur parochus, obtentu earum illo inuito concionari non posse. ita statuit Clem. *dudum.* §. *in ecclesijs autem paroch. de sepult.* & rectè in Concil. Antuerpiensi *anno.* 1609. *tit.* 11. *c.* 7. decretum, vt parocho omnes cederent. neque verò longa possessio stationum aliter eis prodest: quippe precaria, atque in modum supradictum introducta: quæ titulum præbere aduersùs Episcopos aut parochos non potuit. si tamen ex conuentione, aut perpetuo Episcoporum permissu, eas stationes mendicantes habent, parochi pacta conuellere aut Episcopis inconsultis abrogare eas stationes non debent. quippe assumendorum prædicatorum arbitriū potissimùm Episcopis datum est. *d. c. 4. s. 24.* sic tamen, vt ipsi impedire parochos nequeant, dum prædicare volunt. *Cong. Conc. ad d. c. 4.* sed ipsæ potius stationes in aliam horam reiiciantur. *vt in d. c. 7. Concil. Ant. tit. 11. Vide plura infra de priuileg. consult. 5*

CON-

CONSULTATIO III.

De Parochorum Portione congrua.

1. Congrua portio liberaliter assignanda.

Congrua portio vicariorum parochialium admodum est fauorabilis. quippe non est alligandum os boui trituranti. sed dignus est operarius mercede suâ. qui altari seruit, de altari viuere debet: qui serit spiritualia, metere temporalia. & liberaliter Concilium Trid. vicariis prouidendi facultatem dedit ordinariis, indeterminatam. *s.* 7. *c.* 5. *s.* 25.
2. Ad necessitates congruè tolerandas. *c.* 16. *s.* 21. *c.* 6. ad necessitates congruè tolerandas, seu vt in rectore loquitur *s.* 24. *c.* 13. quod pro illius aut parochiæ necessitate decenter sufficiat. vnde congruè sustentari, & commodè iura episcopalia soluere. *c.* 1. *§.* 2. *de decim. in* 6. & hospitalitatem tenere possint. *c. de monachis. X. de præb.* atque vt *c. studeat. d.* 50. quo & ipse, & sui sufficienter possint
3. Arbitrio Ordinarij. habere suæ sustentationis solatium. id quod arbitrio ordinarij committitur. *d. s.* 7. *c.* 7.
4. Vsque ad tertiam fructuum. etiam vsque ad tertiam maiorem vel minorem partem fructuum. Sed quoniam ex arbitrio excessus & defectus ab ordinariis committebantur; Pius V. decreuit, ordinarios
5. Restrictam ex constitutione Pij V. ad 100. scuta & infra. ita se continere, & arbitrari debere, vt non maior centum, nec minor 50. scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obuentionibus communiter percipi solitis, vicariis assignetur: siue in quantitate, siue quota fructuum, pecuniâ numeratâ, aut re stabili: cuiuscumque valoris fuerit ipsa parochialis vnita: sed tamen habeant etiam ordinarij rationem redituum, & onerum loci, cui parochialis ipsa vnita est. assignationes eam summam excedentes nullius momenti esse declarans. Sic & S. Cong. Conc. Trid. Interp. *an.* 1608. declarauit ne quidem in ciuitate Antuerpiensi eam summam posse excedi. vt & Nauar. *de off. ordinar. cons.* 5. arbitrium Ordinarij *s.* 24. *c.* 18. in assignatione vicario Ecclesiæ vacantis facienda negat vltra portionem congruam, & necessariam vacantis Ecclesiæ posse concedi. & Synodus Mechliniensis 1607. *tit.* 17. *c.* 3. vetat constitui vicariis portionem vltra 50. libras grossorum: quæ sunt centum scuta, secundùm
6. Tum in vrbanis tum rusticis ecclesiis. constitutionem Pij V. Quod caput generatim accipiendum est tam in oppidanis, quàm ruralibus Ecclesiis: sicut & Tridentinum quod citat; & constitutio Pij V. quam sequitur. dum negat eadem constitutio eam taxam excedi posse, cuiuscumque valoris fuerit parochialis, quæ vnita est. nihilominus dicta
7. Nisi parochiæ amplitudo aliquid amplius requirat. Synodus Mechliniensis iam tunc *anno* 1607. permisit aliquid amplius constitui, si Ordinarij iudicio parochiæ amplitudo requireret. quæ eo verbo *aliquid* non immensam libertatem facit; præsertim aduersùs dictam constitutionem Pij V. nullitatis damnantem assignationes, quæ centum scuta excederent; sed exiguum aliquid, de quo non curet Prætor; & quod necessitas exigat. Ideo vtitur Synodus verbo *requirit.* quæ Synodus, cum id rursus reiiciat ad iudicium Ordinarij, & Romæ confirmata sit; iudicium Ordinarij est magni momenti; & difficile est conuincere 8.
illud fuisse irrationabile, consideratâ parochiæ insignis oppidi amplitudine, numero 1000. communicantium, & annonæ caritate, quæ exinde valde increuit, vt & monetæ valor. qui vt minimum tanquam non mutatus in taxa scutorum computari posset, qualis fuit tempore constitutionis Pij V. antè nunc plusquam 50. annos, quando quis contenderet mutationem temporis non attendendam esse; eo quod Pius indefinitè assignandas etiam in futurum portiones noluerit centum scuta excedere. certum autem est domum presbyteralem, & hortum considerandum, anniuersaria, & quælibet accidentia esse computanda, quæ in insigni oppido possint esse tanta, vt euidenter indebitum taxæ excessum demonstrarent. quod quantisper hîc non apparet, neque explicatur; pro Iudice eiusque sententia atque iustitia arbitrij ex amplitudine vtique insignis oppidi supra scripta præsumitur.

Considerato etiam monetæ incremento iuxta annonæ caritatem post Pium V.

CONSVLTATIO IV.

Canonica Parochorum & Vicariorum portio quomodo, & vnde supplenda?

In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeo exigui sunt, vt debitis oneribus nequeant satisfacere, curat Episcopus, si per beneficiorum vnionem, non tamen regularium, id fieri non possit, vt primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiore ei videbitur ratione tantùm redigatur, quod pro rectoris necessitate decenter sufficiat. *Ita Concil. Trid. s.* 24. *c.* 13. *& sequitur Concil. Mech. anni* 1607. *tit.* 17. *c.* 3. Vicariis autem prouidetur per portionem etiam tertiæ partis fructuum, maioris vel minoris, pro arbitrio ordinarij, etiam super re certa, vtique fructuum rectoriæ. *Trid. s.* 7. *c.* 7. quod Pius V. *Kal. Nouemb.* 1567. restrinxit, vt non excedant 100. scuta, neque infra 50. descendant Ordinarij: taxando congruam, vt nec vicariis necessaria desint, neque monasteria & piæ causæ, quibus vnio, aut concessio facta, nimium patiantur, itaque primus modus rectoribus parochiarum prouidendi est, per beneficiorum vnionem. cui si locus non sit, succedunt alij à Concilio relati: aut quæ commodior ratio Ordinario videtur. non autem aliis locus est, quàm si per beneficiorum vnionem id fieri non possit,

Gutierr. pract. qq. lib. 1. cap. 17. n. 11. etiam in alia Ecclesia fundatorum, vt satis textus insinuat; præsertim excipiendo curata, & regularia. non tamen tot aut talium, quin pastor oneribus missarum etiam pridem incumbentibus satisfacere possit. Ita enim Concilium conditionatam, non liberam facultatem facit. is enim modus suauior est, quàm vt sua aliis excutiantur, infirmenturque antiquæ concessiones, iura, & possessiones, tametsi aliqua oneris ratio natura eis inesse videatur. Quomodo Concilium eodem loci tenuibus episcopatibus per beneficiorum accessionem prouideri mandat: tametsi ecclesiasticis prouentibus onus quartæ episcopalis natura insit, vt primitiis, oblationibus, & decimis onus congruæ portionis.

1. *1. vnio simplicium beneficiorum 2. primitiæ. 3. decimæ. 4. collectæ.* Post viam vnionis primo loco recensentur à Concilio primitiæ, secundo decimæ, tertio collectæ, denique alia quæcumque commodior ratio: Sed si non alia suppetit, ordo Concilij seruatur. nam ad symbola nisi excussis ecclesiasticis prouentibus, perueniri non potest; inuitis parochianis. *edict. ad Concil. Mechl. art. 6.* nec ad decimas non excussis primitiis. id enim ordo literæ cum ratione euincit.

2. *Decimæ quidem penes laicos existentes, aut immunes sunt aut subsidiariæ tantùm.* Nam ad laicos quod attinet, ad hanc causam, non antè conueniri possunt, quàm si prouentus desint ecclesiastici, qui ante omnes alios tenentur. *Card. Zabar. in Clem. 1. per verba illa, personam ecclesiasticam de iur. patron.* sic & Concil. Trid. *s. 21. c. 4.* in nouiter erectis parochiis prouideri vult ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus. & licet loquatur Concilium in parochiis imposterum erigendis; est tamen in erectis eadem ratio. *c. ad audient. X. de eccl. ædif. Rebuf. de congr. q. 5. & 6.* & ob spiritualem curam populo decimarum onus impositum est, vnde quàmdiu illæ sufficiunt, rursus non potest grauari. sic idem Concil. *s. 21. c. 7.* ad Ecclesiarum reparationem vocat parochianos in defectum eorum, qui prouentus ab Ecclesia prouenientes possident. vnde laici decimarum etiam possessores ordine tantùm subsidiario ad portionem canonicam vocantur. *Choppin. de sac. pol. lib. 6. c. 4. n. 20. Charon. lib. 1. resp. 34.* quamquam alij plerique doctores astruant decimas huiusmodi omninò esse liberas. *Nauar. de red. eccl. n. 5. & 57.* cum tamquam patrimonialia, eademque immunitate possideantur. *Molin. ad consuet. Paris. in princ. n. 104. & §. 68. n. 24.* & ob hæc videtur Trid. *d. c. 7.* prouentus ab Ecclesia prouenientes in onus vocare, ad feudales laicorum decimas non ab Ecclesia releuatas secernendas.

3. *Si penes ecclesiam existant oneribus à laicis fundatis deductis.* Et quia multæ sunt decimæ à laicis ad Ecclesiam reuersæ; seu fundantibus monasteria, Capitula, sacra, anniuersaria, &c. eæ pro æstimatione eiusmodi seruitutum, & onerum adhuc penes laicos eorumque successores esse censendæ sunt; ideoque eatenus eximendæ à contributione, præsertim quandò & ipsi laici legitimo & oneroso titulo eas obtinuerunt. vt nuper vidi literas Arnulphi dicti Magni Balduini Calui filij Comitis Flandriæ datas Brugis 11. *Kal. August.* 961. recensentis decimas de terris cultis & incultis sibi, maioribusque à Sede Apostolica concessas ad sumptus ferendos contra Wandalos (seu Normannos) vnde non mirum si Wames. *de decim. cons.* 449. defendat titulum veterum, & noualium etiam futurarum decimarum à Roberto Frisone Comite Flandriæ concessum monasterio. sed vt ego hæc vera puto, ita ob praxim communiter aduersantem vereor ne pauci Iudices id sequi velint.

Ordo autem inter primitias & decimas in eo fundatur, quod primitiæ vtpotè oblationes arbitrio fidelium relictæ (cum decimæ ad certam quotam salua contraria consuetudine sint ab ecclesia definitæ) magis propria sint parochorum iura, & ad solum pastorem pertineant de iure. *Panorm. in c. pastoral. X. de his quæ fiunt à Prælatu sine cons. capit. Cucch. in inst. maior. lib. 2. tit. 16. n. 35. c. omnis Christianus de consecratione dist. 1. c. cum inter de verb. signif. c. quæsti. 16. q. 1. c. 1. de præscript. in 6. c. 2. de restit. spol.* solentque ad congruam sustentationem curatorum relinqui. *Rebuff. de cong. port. n. 32. c. cler. in fin. 12. q. 1.* adeo quidem vt etsi decimas laici antè Concilium Lateranense possessas retinere permittantur, non tamen oblationes. *c. hanc consuetudinem. c. Sanctorum 10. q. 1. c. quando X. de cons. c. si quis basilicam de consl. d. 1.* vnde etsi vbique decimas, nullibi oblationes penes laicos videmus. spirituales quippè sunt magis. *c. inquirend. de pecul. cler.* 4. *Excutiantur primitiæ ante decimas,*

Qua ratione & inter ipsas decimas, nouales prius parocho addicendæ sunt, & ad congruam portionem possessoribus excutiendæ. *c. 2. §. vbi autem. & §. fin. de decim. in 6.* quia propriæ parochorum sunt. *c. quoniam de decimis*, quamuis multis ecclesiasticis concessum est, vt in locis & ad ratam, qua veteres percipiunt, acquirant nouales. *d. c. 2.* & prætenderint olim, vt hodie, locis multis obtinere nouales laici. *c. tua §. fin. X. de dec. c. 2. §. fin. eod. in 6.* sicut Arnulphus supra eas sibi, & maioribus, in certis locis à Sede Apostolica fuisse concessas asserit de terris cultis, & incultis. scilicet si postea colerentur, ac nouales fierent. & vt fieri solet, quod alij priuilegio vendicant, alij exemplo, non causa, vsurpant. 5. *Inter decimas præcedunt nouales.*

Consequenter ante alias tenentur illæ decimæ, quæ vltimo ab Ecclesia parochiali sunt decisæ. ad eam rationem, quæ in donationibus inofficiosis est; vt si à quoquam plures factæ sint diuerso tempore, & per eas legitima liberorum læsa, vltima tantùm donatio eatenus rescindatur; quia ea sola est inofficiosa. *l. 7. in verb. quod immoderatè gestum est reuocabitur. C. de inoffic. don.* Itidemque cum per plures debitorum alienationes creditores læsi sunt, vltimæ tantùm rescinduntur, & ex vltimis creditores læsi suum recuperant; quia eæ reuera tantùm fiunt in fraudem, & per eas solùm 6. *Et vltimo à parochiis abstractæ.*

solum ius creditorum interuertitur. §. *item si quis in fraudem. & quæ ibi traduntur inst. de act.* Etsi enim à legatis & fideicommissis omnibus Falcidia & Trebellianica detrahitur, ea tamen simul omnia à puncto mortis vim habent.

7. Et patronorum ecclesiasticorum seu parochorum primitiuorum. Quapropter solent plerumque patroni ecclesiastici ante alios esse obligati ad debitam parocho competentiam. Ideoque statutum est, ne ab iis præsentati, nisi assignata debita portione instituantur, & ad functiones pastorales admittantur. *Clem. 1. de iur. patron. c. exstirpanda de præbend. c. vnic. de capel. Monach. in 6. c. 3. X. de off. vic. Gonzal. ad R. 8. q. 5. §. 3. n. 26. & seq.* plerisque enim locis, *vt refert. Pasquier. Recherch. l. 3. c. 35.* à temporibus Caroli Martelli (vt communem fatetur, etsi ipse referat ad tempus primæ profectionis nostrorum in terram sanctam: erroneè, cùm Godefridus Bullonius Capitulum Antuerp. fundans anno 1096. ante suam profectionem in terram sanctam decimas donarit, vt constat ex literis in archiuo nostro extantibus, & alij alibi ante ea tempora, vt & Arnulphus de quo supra anno 961.) concessæ, vel arreptæ à laicis fuerunt duæ tertiæ decimarum, vna tertia pro Ecclesiasticorum alimentis relicta. illæ vel penes laicos etiamnum sunt, vel per eorum donationes, legata, fundationes ad ecclesiam reuersæ. hæc vel penes ipsos parochos etiamnum est, vel per Pontificum & Episcoporum donationes Capitulis, monasteriis, collegiis deinceps assignata. vel quod ante pauca sæcula nimium, *Rebuff. vbi supra n. 34. Pasquier vbi sup. in princ.* frequentabatur, ipsæ ecclesiæ collegiis eiusmodi donatæ, & vnitæ. quæ vna cum decimis nomine Altarium, quorum frequens mentio in antiquis chartis, intelliguntur; præsertim in Gallia, tractibusque vicinis. *c. quæsitum 1. q. 3.* Quæ collegia, seu iis præfecti, patronus dici, & Vicarium parochum constituere, aliaque beneficia in ecclesia vnita conferre consueuit: quo casu non verus patronus (id enim rarò in ecclesiasticis accidit, vt ipsi parochiales ecclesias exstruxerint, fundum, dotemne dederint, cum res ecclesiæ suæ alienare non possint, & si de suo dederint, patroni laici nomen & ius habeant) sed primitiuus parochus verè est, & rectiùs dici etiam solet: &, vbi de eo constat, procul

8. Alioquin æqualiter omnium. dubio locus est d. Clem. 1. *de iur. patron. Trid. s. 7. c. 7. d. c. 4. s. 21.* quod si non constet; sed ad argumentum communiter accidentium accedant alia indicia, & præsumptiones; non recedetur à dispositione *d. Clem. 1.* Sin autem quo iure ecclesiasticorum quisque possideat, vel titulis, causa, & tempore paribus, vel nullis appareat; omnes æquo iure parochis subuenient, ad ratam decimarum tanquam hypothecæ possessores æquales. *Trid. d. c. 13. s. 24. c. cum contingat, X. de decimis c. sicut X. de suppl. negl. prælat. c. auaritiæ. c. de monachis c. in lateranensi X. de præb. Clem. 1. de iur. pat. c. 1. de prabend. in 6.* quomodo accipi oportet, quæ Rebuffus scribit de congrua portione. *num. 47. 48. 49. 50. 51. Gonzal. vbi suprà.*

Quo itidem modo exaudiendum argumentum, quod sumi potest ex Concil. Trid. *s. 21. c. 7.* vbi ad reparandam ecclesiam post fructus ecclesiæ competentes, omnes patroni, & alij qui fructus aliquos ex dicta ecclesia prouenientes percipiunt, simul ad eam reficiendam coguntur. præterquam quod non vbilibet pari passu procedunt erogatio congruæ portionis, & ecclesiæ reparatio. Hæc enim causam non habet, nisi omnibus communem, illa autem rationem pluribus causis, quæ ordinem iam explicatum inferunt distinctam. & *d. c. 7.* agit de omnibus ecclesiasticis prouentibus non decimis dumtaxat ad reparationem ecclesiarum vocandis qui non æquè tenentur ad congruam portionem, sed decimæ. *c. 2. §. vbi. de decim. in 6.*

Neque porrò patrono ecclesiastico, seu parocho primitiuo sufficit semel functum esse in erectione nouæ parochiæ, aut vnione suo officio, assignata congrua portione. tum quia in vnionibus, vt ea clausula, quæ de congrua Vicariorum portione agit, & ius Trid. *s. 7. c. 7.* perpetuum est, vt & in nouiter erectis. *s. 21. c. 4. & s. 7. c. 7.* vt non rectè Wames. *de decim. cons. 453. n. 6.* quasi id quod quis debet, de prima præstatione intelligatur, eaque consumatur. quod vt in contractibus obtineat, non idem in onere hoc admitti potest. quia munus & onus reale est. Vt fundis sitis ad viam, flumen, mare incumbit, vt non semel tantùm teneantur; sed quoties viæ, pontes, aggeres reficiendi sunt. sic quoties institutio præsentatis datur, iubetur ordinarius congruam ante eis portionem curare. *c. 1. De Præb. in 6.* alioquin rebus in eodem statu permanentibus, nec minuenda est semel decreta portio. *c. auaritiæ de præbend.* nec augenda. *Panorm. in c. ex præsentis col. vlt. de pig.* quamuis non sit congrua acceptanti nunc beneficium, qui potest omittere, *gloss. in c. si tibi de præbend. in 6.* nam sufficit parocho congruam esse, etsi non Petro. quare nec vlla hic admittitur præscriptio. *Rebuff. de cong. n. 49.*

Nempè & ipse Christus eo procedendi modo vsus est, apud Matthæum *c. 22.* quando ex imagine & superscriptione numismatis Cæsari reddenda esse respondit, quæ Cæsaris sunt. & ad eum locum S. Hilarius, *si rebus illius*, Inquit, *incumbamus*, *extra querelam iniuria est*, *Cæsari reddi*, *quod Cæsaris est.* ideoque vniones parochialium non aliter fiunt, quàm sub onere alendi parochum. *c. 2. §. vbi de decim. in 6. Rebuff. d. tract n. 70. 71. 72. 95. 96. 101. Itemque n. 34. 103. Clem. 1. de præb.* neque primitiui parochi aliud possint prætendere sibi datum, quàm deducto eo onere quod excrescit. etsi secus sentiat Wamess. *d. cons. 453.* qui ad *d. c. 7. s. 7. d.* Bullam Pij V. *de Vicariorum congrua portione*, aliaque supra deducta, Cardinalium declarationes, &

Barbosæ remissiones *ad d. c. 7. s. 7.* non videtur reflexisse.

9. Parochi primitiui nō semel tantū, sed quoties exigit necessitas canonicam portionem supplent, & vnde isti noscantur.

Porrò ecclesiasticum aliquem patronum vocari, & parochum constituere sufficiens est probatio præsumptiua apud Peleum *act. for. lib. 1. act. 36. Rebuff. d. tract. n. 103. 117.* quod is sit pastor primitiuus; quod tamen non admittit Charondas. *lib. 1. resp. 27.* quod si præterea paruas (vt vulgus hic vocat) decimas, vel animalium vel similes aut iura alia, quæ ex vsu locorum parochis plerumque relinqui solent, possideat; magis ad Peleum accessero: & d. Clem. locum esse crediderim. *vt dixi statim.*

Quod si constet sin conflictu decimarum aliquas ex manibus iam olim laicis venisse, alias porrò semper relictas parochis, quasi eorum alimentis specialiter destinatas, etsi eas, seu partem illarum, ad alias nunc manus peruenisse reperiatur; nihilominus non absona ei casui esset Seueri & Anthon. rescripti æquitas *in l. 2. C. de pignor.* vt temperetur generalitas pignoris, & specialitas vsui suo seruetur.

Ex quibus supradictis etiam patet Trid. *s. 21. c. 4.* non esse restringendum ad parochias post illud erigendas, *s. 24. c. 13.* ad ante erectas, vt quidam voluerunt. nam Trid. procedit in conformitatem veteris iuris, *in d. c. ad audientiam*, non in derogationem; quando constat de filiatione. Cæterum si qui citra necessitatem, si ob delicatam commoditatem postulant erectionem nouæ parochialis, dotare tenentur. *c. cum sicut. X. de consec. ecc. Authen. vt nemo ædificet orator. dom. c. 2.* & voluisse in dotem se obligare censentur. *glos. & Panorm. in d. c. ad audientiam.* cum vtrumque concurrit, vtriusque ratio habetur. *vt in d. c. ad audient.* Villæ Dominus erectionem postulauit, & 20. arras terræ contulit; & tamen Villæ obuentiones nouæ parochiæ assignantur: reseruato matrici honore, & præsentatione, cum fundatoris assensu. ideóque etiam inuitis rectoribus ea fit erectio, si causa grauis sit. *d. c. 4. s. 21. Trid. d. c. ad audient.* alioquin iustitia antiquæ Ecclesiæ seruari debet: *c. decimam. c. quicumque. c. de decimis. 16. q. 1.* & congruus honor: & si is fuerit in censu diminuendus non est. *c. prohibemus. X. de cens. c. adhæc. X. de off. vicar.*

Ex quibus omnibus liquidum euadit pastorem matricis Ecclesiæ de B. teneri ad congruam suo vicario in W. adsignandam portionem, si abundet: sin minus; I. P. T. prælatos singulos ad ratam, qua ibidem decimas colligunt, æquali iure (præsupposito quod per vnionem beneficiorum non possit prouideri; nec alia Ordinario via commodior videatur.) S.B. vero in contributionem vocari non posse, ob decimas, quas laico iure, & vt dominij temporalis partem possident.

CONSVLTATIO V.

De Vicariis perpetuis.

Beneficia curata quibuscunque vnita Ordinarij quotannis visitare, & curare debent, vt in iis cura animarum laudabiliter exerceatur, per idoneos vicarios, & quidem perpetuos. *Concil. Trid. s. 7. c. 7. & consonat c. vn. de capell. monach. in 6. nisi*, inquit Concilium, *ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* regula ergo est, vt vicarij sint perpetui. adeóque ab Ordinariis, si ita decreuerint, ratio exigi non potest, qui regulam iuris seu Concilij pro se habent. exceptio autem Concilij iustum Ordinarij arbitrium causamque requirit: quamuis Barbosa *& aliqui citati in Collect. ad d. c. 7. n. 31.* thesim Concilij videantur inuertere. 1. Curata vnita exercenda per vicarios perpetuos, nisi secus Episcopo videatur.

Enimuerò agit hic locus de vicariis secularibus: nam regulares, ordinis v. g. Præmonstratensis, vt Barbosa *ibid. n. 16. ex Aldano* refert sunt amouibiles. *qua de re in iur. pont. nou. anal. diximus tit. de reg. n. 46.* alioquin cum vnitæ monasterio curæ deseruiri solet per secularem, vt is perpetuus sit, decernere potest Ordinarius: in vim *d. c. 7. & d. c. vn. de cap. monach.* Cui non refragatur *c. 11. de reg. Trid. in verb. etiam ad nutum amouibiles.* quia ea verba Ordinarium non coarctant, quin perpetuos ponere possit; sed eo faciunt, vt, quamuis amouibiles ponantur, deputandi sint ex consensu, ac præuio examine Ordinarij, vt iubet *d. c. 11.* 2. Vicarios seculares. 3. In regularibus per regulares amouibiles.

Et verò non antè perpetui vicarij constitui possunt, quàm ibidem vicariæ sint erectæ, iuxta illud; *prius quære sedem vbi sedeas, & sic minare te iudicaturum.* quæ tamen, si antiquitus sint erectæ, in temporarias mox mutari non debent. neque verò mutauit Concilium, quin deputatio seu nominatio vicarij spectet ad eos, quibus antea competebat; scilicet quibus vnitæ sunt Ecclesiæ, non ad ipsos Ordinarios: vt declarauit Pius V. *const. incip. ad exequendum* 1567. §. *volumus.* adiecit tantum *d. c. 7. per idoneos*; vtique ad examen Ordinarij: quod etiam in exemptis cum approbatione exigitur. *c. per exempt. de priuil. in 6.* sed *d. c. 11. de reg. Trid.* non tantùm examen Ordinarij, sed & consensum exigit; *versic. nec ibi aliqui*, quod etiam Aldanus in seculari exigere videtur: *apud. Barbosam num. 26.* sed nonnihil interest inter approbationem, quæ examinato, & idoneo reperto vtique debetur; & consensum; qui liberior est: & adeò quidem approbatio debetur, vt idoneo reperto danda sit simpliciter, non ad tempus tantùm: nec reuocari ad examen possit, nisi ex noua causa. *vt Barbos. post Aldanum ibid. n. 27.* vt neque Concilium in amouibilibus ad nutum circa amouendi facultatem quidquā mutauit: 4. Erecta prius vicaria. 5. Deputandos ab iis quibus ante sed examinandos & probandos ab Episcopo & in regularibus de eius consensu. 6. Dum autem manent

amouibiles, amouendi facultatem Concilium non mutauit, Episcopo autem sine causa amotio non est concessa.

mutauit: sed eandem reliquit liberam quidem iis, quibus facta est vnio; sed ordinariis restrictam ad legitimam causam, ob quam etiam perpetui possent amoueri. ita tamen ad nutum amouibiles citra causam amoueri possunt ab iis, qui deputarunt; vt neque fiat ex causa infamante: *qua de re egimus vbi supra.* neque cum graui temporis incommodo ante reuolutionem anni. *de qua Rebuff. & citati à Barbos. ibid. n.* 30.

7. Nec derogatum vnionibus alia forma aut ex pacto factis.

Non itidem derogat Concilium, dum per vicarios curam animarum iubet exerceri, vnionibus sub ea forma factis de qua agit c. statutum *de elect. in* 6. vbi si certæ Collegij personæ, seu præbendæ cura vnita est, per illam debet exerceri: si omnibus & singulis in ordinem ituris, aut à Collegio designandis, termini vnionis seruandi sunt: si autem ea facta sit mensæ capitulari; obtinebit *d. c.* 7. neque itidem derogat Concilium iis vnionibus, quæ factæ sunt per viam pacti, vt vicarij sint amouibiles. concordiæ enim non solent abrogari, nisi expressè dicatur. vt in Concil. Trid. *s.* 6. *c.* 4. *s.* 25. *c.* 6.

8. Iudicium autem Episcopi cum perpetuos esse iubet præualet consuetudini, &c.

Arbitrium autem Ordinarij præualet etiam immemoriali consuetudini, & priuilegio. vt & d. c. vn. *de capel. monach.* derogat consuetudini, statuto, & contrario cuicumque, nisi hoc fortè post Tridentinum concessum sit eâ formâ, vt appareat dispositioni Tridentinæ locum esse Pontificem noluisse. alioquin formulæ, quæ ex stylo tantum adiici solent, arbitrium Ordinario hîc concessum abrogare non debent. qua de re cæterisque ferè omnibus quæ mox tetigimus *Barbos. & citati ad d. c.* 7.

CONSVLTATIO VI.

De congrua portione agere quis possit? quæ quomodo constituenda?

1. Omnes quorum interest agere possunt.

DE congrua portione agere potest aduersùs patronum, seu illius debitorem, non tantùm parochus seu vicarius; sed etiam ipsi incolæ, prò eo quod sua interest: atque Archipresbyteri ex officio; vt in Synodo Antuerpiensi 1609. *tit.* 16. *c.* 14. decretum est. quod promanauit ex Clem. 1. *de iur. patron.* quæ mandat Ordinariis pro suo officio præsentatos parochos seu vicarios non institui, nisi prius eis à patronis sit assignata congrua portio. & verò incolæ vel ideo agere possunt, quod sua interest bonum habere parochum; eumque commodius sint semper inuenturi, si dos detur liberalis. qua ex consideratione, tametsi laicus non possit per canones accusare clericum; tamen *licet laico parochiano suum Prælatum denuntiare*, inquit Clarus *prax. crim.* §. *fin. q.* 7. *n.* 9. *& est communis opinio, vt attestatur Aretinus in c. illa. n.* 7. *de accus. plurimum enim interest laicorum habere* *bonos Prælatos.* ita ille, *& Lopez. ad practicam Dias c.* 4. *in V. accusare*; Id quod in causa proposita eò magis locum habet, quod agatur de contractu olim inito inter patronos, parochum seu vicarium, Archipresbyterum, & incolas; in quorum locum partes litigantes successerunt.

Porrò sufficiens portio vicario dari mandatur: *c. extirpandæ. X. de præbend.* non autem pensio, vt *in fine* addit: sed nec annui census fieri nundinationem permittit c. 3. X. *ne Prælati vices suas*, quin imo super re certa portionem assignari placet Concilio Trid. *s.* 7. *c.* 7. *d. c. extirpandæ.* §. 1. & quoniam non possunt patroni in vsus suos vertere Ecclesiarum prouentus; *c. sicut. X. de supplend. negl. prælat. Clementin. vnic. eod. Trid. s.* 22. *c.* 11. constituta semel vicario portio minui exinde non potest per collatorem: *c.* 3. *X. de of. vicar.* & si quid sine authoritate Ordinarij minutum est; reduci debet ad antiquam quantitatem. *c. auaritia de præbend. in* 6.

2. Portio non pensio;

3. Non ex nundiatione;

4. Non mutanda semel decreta;

Quibus ex causis *d. c. extirpandæ.* §. 1. requirit sub pœna priuationis, vt vicarius statuatur perpetuus; qui iura ecclesiæ liberius sine metu amotionis defendere, & subditos confidentius sine metu detractionis ausit corrigere. quod tamen arbitrio & prudentiæ Ordinariorum commisit Tridentinum *d. c.* 7. vt perpetuum statuant, nisi secus expedire eis videatur.

5. Pro vicario perpetuo;

Et porrò, ne in singulas vices præsentationum hæ controuersiæ incurrerent, mandat d. *Clem.* 1. *de iur. patron.* vt ab Ordinariis præfigatur terminus intra quem parochorum portio sufficiens assignetur. quem & pridem elapsum præscripsit d. Synodus Antuerpiensis *d. tit.* 16. *c.* 14. intra quem patroni hîc officio non sunt functi, & iustè, vt tandem aliquando hac lite id faciant, conueniuntur.

6. Intra præscribendum terminum assignanda;

Quod porrò Trid. *d. c.* 7. permittit tertiam fructuum partem assignari vicariis, etsi Pius V. reduxerit suâ constitutione intra quinquaginta, & centum aureos, vt nec his maior sit, nec illis minor; aliamque taxam præscripserit Synodus prouincialis *Mechl.* 1607. *tit.* 17. *c.* 3. tamen nullo decreto infirmantur contractus olim initi, qui præsenti rerum statui sufficientem vicario assignarint portionem.

7. Ad tertiam etiam partē, saluâ Pij V. moderatione.

Vndè consectarium est, vt tertiâ decimarum pars par contractum hîc propositum vice curato assignata, ex qua tamen pendere quotannis debeat patronis certam siliginis quantitatem, iure meritoque etiamnum petatur.

8. Contractu debita seruanda.

Enimuerò, quoniam constituta semel portio minui vetatur, *d. c.* 3. *de offic. vicar.* rebus vtique non mutatis: non imprudenter in d. contractu olim conuentum scribitur, vt si res admodum mutentur, augeantur, minuanturue immensum decimæ; quantitas etiam patronis addicta, & portio vice curato relicta, augeatur, minuaturue: vtique pro ratione mutationis; ex patronorum, vicecurati, incolarum, Archipresbyteri amicâ

9. Rebus non notabiliter mutatis.

transfactione, vel in illius defectum, iudiciali decisione, præuiâ actorum probatione; super mutatione notabili, quæ à reis est negata.

CONSVLTATIO VII.

De Ædilibus, & mensæ pauperum Rectoribus.

1. Templi & pauperum curam penes sacerdotes fuisse tempore veteris legis, & à Principio Christianismi ex sacris literis canonibus & legibus, curatorumque designationem.

NEmo est tam ignarus veteris sacræ historiæ, vt nesciat templi, & pauperum curam fuisse penes Sacerdotes, & Leuitas. Habebat & Christus loculos à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis tribuens. *c. habebat* 12. *q.* 1. post Christum multitudo credentium à se venditarum rerum afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum, diuidebaturque cuique prout opus erat. *Act.* 4. Apostoli *actor.* 6. negant æquum esse se relinquere verbum Dei, & ministrare mensis; sed electos constituerunt super hoc opus, & imposuerunt eis manus. D. Paulus 1. *Corinth. c.* 16. ordinat fieri collectas, vt & Ecclesiis Galatiæ se præscripsisse dicit, & se eas, si dignæ fuerint, perlaturum in Ierusalem: sin minus; missurum per alios. postmodum rebus Ecclesiæ pacatis videntes sacerdotes & fideles imposterum fore satius, ne res venderentur, sed Ecclesiarũ Episcopis traderētur; cœperunt eis prædia tradi. *ipse*, inquit Vrbanus Papa, *c. videntes.* 12. *q.* 1. *res in ditione singularum parochiarum, Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus; è quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, ministrare cunctis necessaria debent. d. c. videntes.* quod & sonant canones Apostolorum. *c. præcepimus ibid.* vt in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. si enim animæ hominum preciosiores illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere; ita vt potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbyteros & diaconos, cum Dei timore & omni solicitudine. *d. c. præcepimus*, & Calixtus *animarum cura*, inquit, *& pecuniarum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio, & potestate permaneat. si quis vero contra hoc fecerit, aut potestatem, quæ ad Episcopum pertinet, sibi vindicare præsumpserit; ab Ecclesiæ liminibus arceatur. c. nullus omnino.* 16. *q.* 7. Iterum Concil. Antioch. *Episcopus*, inquit, *ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent. c. Episcopus.* 12. *q.* 2. dispensatio autem exinde tributa est in quatuor portiones; vnam Episcopus, alteram clerus, tertiam pauperes, quartam fabricæ Ecclesiarum sortiebantur: omnes ad ordinationem Episcopi, & erogationem dispensatorum ab eo constitutorum. *c. quatuor & seq.* 12. *q.* 2. *c. præsul.* 16. *q.* 3. In principio sanè Ecclesiæ Christianæ præfuerunt Antistites sacræ pecuniæ. *Socrat. eccles. historia. l.* 7. *c.* 25. dispensatione tamen, & ministerio clericis commisso. *Sozomenus lib.* 4. *c.* 12. ad eum sensum Concilium Chalced. vetuit; ne ipsi Episcopi administratione bonorum se occuparent: seu iuxta dictum Apostolorum, relicto Dei verbo ministrarent mensis; sed ministerium ad œconomos, seu ad inferioris ordinis clericos transferrent: sub arbitrio tamen, & sententia Episcopi, *c. quia dist.* 89. *c. quoniam in quibusdam.* 16. *q.* 7. ita vt nullus laicorum Ecclesias vel Ecclesiarum bona occupare, vel disponere possit. *c. nullus laic.* 16. *q.* 7. vsque adeo, vt nec valeat dispositio laicorum de rebus sacris, quamuis in fauorem Ecclesiæ; nisi acceptetur. *c. Ecclesia S. Mar. X. de const. c. qua in ecclesiar. eod.* nec acceptari Synodus sub Simmacho *in c. bene dist.* 96. voluit; ne sit exemplum ad decernendum quicquam de ecclesiasticis facultatibus: quarum solis sacerdotibus disponendi à Deo cura commissa est. *d. c. bene.* qui secus ageret ab liminibus Ecclesiæ arceretur. *d. c. nullus lauorum.* 16. *q.* 7. neque laicis res Ecclesiæ possint committi, *c. in noua.* 16. *q.* 7. *c. indicatum. d.* 89. *c. præterea X. de iur. patron. c.* 2. *X. de iud.* omnes basilicæ, omnes Ecclesiæ in Episcopi territorij potestate consisterent. *c. omnes basilicæ.* 16. *q.* 7. *c. decretum & tota fere* 10. *q.* 1. adeo vt nec contraria fundantis Ecclesiam voluntas recipiatur; quin Ecclesia cum dote ad Episcopi ordinationem, & potestatem pertineat. *c. sic quidam* 10. *q.* 1. sic generatim decernitur *tot. tit. X de relig. domibus vt Episcopo sint subiecta.* sic & in iure ciuili *C. de episc. & cler.* cæteri causarum piarum tituli Episcopis, & clericis iunguntur, tanquam eodem spectantes. & disertè decretum est *in Nouel.* 123. *§. œconomos. Nouel. de non alienand.* 7. *Liubemus. C. de sacros. Gudelin. iur. nouiss. l.* 6. *c.* 11.

2. Episcopis rationes dandas.

Qui §. *œconomos* disertè etiam iubet œconomos Episcopis rationē reddere administrationis: & consonat *c. Episcopum* 10. *q.* 1. mandans, quod si ipse Episcopus nequiuerit, presbyteros aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum, & reparationes inquirant. *c. iudicatum dist.* 89. *c. vobis* 12. *q.* 2. & seriò admodum de piis omnibus locis Clementina *quia contingit*, *de relig. domib.* quam his innouat Concil. Trid. *s.* 7. *c.* 15. *s.* 25. *c.* 8. idemque Trid. *s.* 22. *c.* 9. omnes administratores tam ecclesiasticos quàm laicos fabricarum, hospitalium, & quorumcumque locorum piorum iubet singulis annis reddere rationem Ordinario, consuetudinibus & priuilegiis sublatis. quod & in laicis iubet *d. §. œconomos*, quoad omnes pias institutiones *Gudelin. d. c.* 11. quod si ex constitutione loci aliis reddenda sit; etiam iniungit Tridentinum simul reddi Ordinario. consonat edictum *vlt. August.* 1608. *datum ad Synodum Mechliniensem* 1607. *ar.* 23. 25. vt præter solitos rationibus audiendis interueniant Episcopi, eorumúe commissarij. vbi autem Episcopi soli, aliiúe hactenus ab eo deputati interuenerint; edictum nihil mutat.

Ex

Ex his sequitur institutionem eorum, qui administrationi rerum sacrarum, & piarum causarum præponuntur iure ad Episcopos spe-
3. A designatis coram sacerdotibus iuramentum præstandum.
ctare; & sub his ad alios inferiores ex sacro ordine. Sic Stephano impositæ ab Apostolis manus; sic Laurentio à Sixto commissi Ecclesiæ thesauri; sic dicit Paulus se missurum qui collectas ferant. Pro impositione autem manuum iuramentum fidelis administrationis recipi passim solet ab Archidiaconis, Archipresbyteris, aut pastoribus. etiam apud ethnicos in vsu fuit iuramentum dicere ad altare, præeunte sacerdote; vnde versus ille;

Tango aras, mediosq; ignes & numina testor. Et illud Periclis, *amicus vsq; ad aras.*

Nec verò in re diuina, vt est iusiurandum, sacerdos priuati loco est, cui data à Christo authoritas ligandi, & soluendi. ob quam aliquando olim vix distinguebantur ab Episcopis. *Pasquier Recherches lib.* 3. *c.* 1. & 5. vt Concilium Trid. *s.* 23. *can.* 7. anathema debuerit ponere, si quis dixerit Episcopos presbyteris non esse superiores. præterquam quod sacram iurisdictionem habeat Archidiaconus & Archipresbyter, & rector ecclesiæ suæ: in cuius regiminis ministeriales vices iam pridem venerunt ædiles, & curatores pauperum, vt mirum non sit coram eo fidelis administrationis in eius commissione præstari iuramentum. cum & illud sibi præstari priuatus merito exigere posset à suo mandatario.

4. Obseruandus tamen est antiquus hic vsus & edicta.
Verum enimuerò, quoniam Brabantia est patria consuetudinaria, cui iurat Princeps in læto introitu *art.* 57. omnes antiquos vsus & consuetudines seruandas; in hisce omnibus nihil est ex eo immutandum, quod inueteratis moribus est præscriptum, quo alicui quippiam iuris auferatur. adeo vt sicubi clerus retinuit vt solus res sacras administret, nullatenus sit ei derogandum: si laici pridem id vsurpauerint; loco pelli non possint. tametsi Princeps edicto mox citato tanquam suos commissarios adiunxerit Episcopos; & ab eis deputandos; sicubi & clerici, & laici iam antiquitùs operas coniunxerint; Princeps moribus antiquis iussit rem stare, virisque. & mores multis locis tales esse testatur etiam Panormitan. *in d. c.* 2. *X. de iud.* & ait in Prælatis esse administrationem authorisabilem, seu authoritatiuam; in inferioribus clericis ministerialem; in laicis posse esse aliquam solicitudinis, non aliam.

5. Rationes Episcopi per se & missos suos excutiunt.
Cæterùm vbi non sunt mores iam olim inueterati, legesque patriæ in contrarium; id quod diximus, ita iure scripto se habet. vt absurdissimè argumentetur Chopinus, vir alioquin doctissimus, *de polit. sacr. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 7. 8. Concilium Chalcedonense vetuit, ne sacri Antistites pecuniariis istis negociis implicentur; & D. Chrysostomus *hom.* 86. *in Matth.* in tales inuehitur; ergo Episcopi, quamuis visitantes diœcesim suam non possunt exigere, vel inspicere rationes fabricarum, pauperum, hospitalium, Xenodochiorum, &c. & ferè in eandem sententiam eunt in Gallia (vbi ferè volunt abrogatam Ecclesiæ notionem quandocumque non agitur de sacramentis, aut sacramentalibus) scriptores non tantùm; sed & parlamenta aliqua; si scriptis credimus. vbi alioquin admodum solet inclamari veterum canonum obseruantia: qui hic nimio sunt numero, & in terminis, *d. c. Episcopum.* 10. *q.* 1. quod vt diximus iubet Episcopum oberrare suam diocesim, & huiusmodi rationes, & reparationes inquirere; si non ei vacat, per presbyteros, aut diaconos subministros sui iudicij; vt fuit Stephanus Apostolorum: vt sensum concilij Chalced. ad sensum Actorum supra retulimus.

Porrò de patronis statuit Concilium Toletanum IV. *c. nouerint* 10. *q.* 1. in rebus ecclesiæ collatis, vt nullam potestatem habeant, sed sicut ecclesia, ita & dos eius ad ordinationem Episcopi pertineat. Concilium autem Toletanum IX. *c. filiis* 16. *q.* 7. concedit, vt per viam honestæ commonitionis fraudes possint compescere; Episcopo, Metropolitano, demum regi denunciare; rationes exigere non videtur permittere Alexander III. *c. cum & plantare.* §. *in eccles. X. de priuileg.* sed ipsis Episcopis de rebus temporalibus rationes vult exhiberi: & disertè Concil. Trid. *s.* 24. *c.* 3. patronos iis se immiscere vetat, quæ ad sacramentorum administrationem spectant, aut visitationi, nec non fabricarum prouentibus: nisi fortè ex fundatione aut consuetudine Trid. *s.* 22. *c.* 9. Panormitanus tamen *in c. ex literis.* 7. *X. de iur. patronat.* censet patronis ecclesiasticis permissum, se immiscere rationibus: quod tamen non videtur conuenire cum Tridentino, quod ea coniungit cum visitatione: & sacramentorum administratione patronis vetita, quæ nullam habent dubitationem in laicis. Itaque solidius quidem *per d.* §. *in eccles.* videretur id admitti in ecclesiis, quæ ad patronos ecclesiasticos pleno iure pertinent, deinde in iis vbi sunt pastores primitiui, qui impropriè patroni dicuntur, quod his ius parochiale competat: patronis autem ex fundatione aut dotatione non nisi quod iure tribuitur, aut olim expressè reseruatum est. & generatim vetitum est ne laici res ecclesiasticas attingant. *tot. caus.* 16. cuius is est titulus, sed maximè patronis adempta est authoritas ordinandi, & episcopis tributa *d. c. nouerint. d. c.* 3. *s.* 24. *Trident.* vt in vsus ecclesiæ necessarios, & vtiles prout sibi expedire magis visum fuerit, reditus expendi curent. sed cura non est vetita patrono, si quid in vsus olim præscriptos nō impendatur, sed cum facultate monendi & denūciandi duntaxat, non statuendi. sed & cura patrono est permissa, vt vigilet ne quid prodigatur. *d. c. filiis.* Id vt sciat, videtur scire posse synopsim bonorum olim collatorum, & præsentium rationes inspicere: vt *in l.* 5. *D. de reb. eor. qui sub tit.* tanquam cui conceditur consequēs, liceat antecedens; atque id omne sine quo, ad id, quod permissum est, perueniri non potest. sed rursum ad monendū, denunciandumque;

6. Patroni iure non possunt se immiscere, nisi ecclesiastici primitiui parochi, denunciare tamen possunt & modestè monere.

7. Prouidere ne quid pereat.

8. Edicto plus tribuitur. non statuendum. Edictum tamen regium *vlt. August.* 1608. *ar.* 23. *& seqq.* patronos indifferenter vocat ad rationes audiendas, & super iis cum aliis statuendum.

De antiqua ecclesiæ cura pauperum scripsit pulchrè Laurentius à Villauicentio, *libello De œconomia sacra circa pauperum curam edito* 1564. *ex Regis priuilegio apud Plantin.* ex ordine temporum habita, & libro quidem *primo c.* 1. de ea quam Christus dum inter homines ageret per suos Apostolos obseruauit: *c.* 2. de ea, quam ipsi Apostoli circa Iudæos Hierosolimis ac alibi degentes: *c.* 3. de ea, quam circa gentiles Christianos. *l.* 2. *c.* 1. de ea, quam Apostolorum successores primis sæculis: *c.* 2. quam Episcopi post baptismum Constantini: *c.* 3. de diuersis in hanc rem ecclesiæ decretis: *c.* 4 de portione redituum ecclesiæ in pauperes distributa: *c.* 5. de diaconissarum officio ad pauperum ministeria: *c.* 6. de occasione, & modo, quo in partem aliquam solicitudinis laici sunt vocati: *c.* 7. de peregrinorum susceptione: *c.* 8. citra distinctionem: *c.* 9. de cura etiam honestorum pauperum: *c.* 10. *&* 12. de bonis ab ecclesia in pios vsus perpetuò retinendis *c.* 11. qua aliquando causa & moderatione alienandis: Libro porro 3. amplè tractat causas ab hæreticis nostræ ætatis in contrarium productas: duos refutat libellos, politica quædam argumenta, & decreta. De eadem œconomia rerum sacrarum tum in vsus pauperum, tum fabricarum parochialium, aliorumúe piorum locorum latè Dialogus Brunæi *editus cum Monomachia S. Thomæ Cantuariensis, & Henrici II. Angliæ Regis.*

De decimis.

CONSULTATIO I.

Manipulus decimus vt varietur quâ consuetudine sit opus?

1. Decimus Manipulus soluendus. LEge diuinâ sancitum fuit, vt decima fructuum omnium pars sacerdotibus penderetur. adeò vt asserat S. Augustinus, *in c. decimæ* 16. *q.* 1. quod decimæ ex debito requirantur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuadat: & si quis velit pauperibus eleëmosinam erogare, postquam exoluerit decimam, ex residuis nouem partibus id faciat. eaque est differentia inter decimas & primitias; vt illæ ad decimam partem fuerint lege diffinitæ, hæ offerentium arbitrio relictæ. *c. decimam partem.* 1. *extra de decimis.* & quamuis ex iure diuino ad congruam Ecclesiasticorum sustentationem obligatio huiusmodi tantùm se extendat; nihilominus tamen Ecclesia sanctionem etiam quoad quotam retineri voluit. *tota q.* 16. *& tit. extra de decimis.*

2. Consuetudo vt deroget, Cui iuris communis dispositioni, vt aliqua cõsuetudo alicubi sufficienter derogasse videri possit, necessarium est, vt processerit ex rationabili causa, & legitimè sit præscripta. *ita textus in c. cum tanto fin. extra de consuet.* Ideoque non immeritò Felinus *in c. ad audientiam. X. de præscript. n.* 25. censuit ad illam introducendã non sufficere tempus 40. quidem annorum. vtpotè cum solemniter decernat Bonifacius VIII. *in c.* 1. *de præscript in* 6. nullam præscriptionem procedere in iis, quæ ius commune habent contrarium, nisi immemorialem, aut aliam cum legitimo titulo. debet esse rationabilis & præscripta.

Et quamuis Couuar. *Variar. res. lib.* 1 *c.* 17. *n.* 8. *vers. decimo bis omnibus*, distinguat inter consuetudinem & præscriptionem: vt in hac procedat *d. c.* 1. non in illa: tamen *d. c. fin.* non admittit consuetudinem in iis, quæ contra ius sunt, nisi præscriptam: scilicet tali præscriptione, quæ conformis sit distinctionibus in iure propositis. Vt vt tamen sit, requirit ipsemet Couuar. in hac consuetudine quotæ decimarũ tempus 40. annorum, per quod introducta & stabilita sit. cui sententię adstipulatorem refert *Paul. Paris. cons.* 25. *n.* 6. *&* 27. *lib.* 4. *Idem tenet Alex. Monet. in tractatu de decimis c.* 5. *n.* 103. prout generatim docet Ioan. And. 40. annos ad huiusmodi consuetudines necessarios esse. *in d. c. fin. & tractatu per modum summæ ibi subiuncto, & Panorm. in eod. c. fin.* & quamuis (inquit Panorm.) legistæ etiam tempus decem annorum censeant sufficere, vt contra ius consuetudo inducatur; id tamen limitandum, nisi sit contra vtilitatem Ecclesiæ: quia tunc sicut contra eam non est præscriptio nisi 40. annorum (etiam iure ciuili) sic neque consuetudo: quæ eius ius tollere potest. quod est dictum Innocentij *in c. dilect. de consuet. Hactenus Panorm.* qui etiam addit, quotiescumque consuetudo est contra ius canonicum; etiam requiri 40. annos. nam in *hoc casu requiritur*, inquit, *quod consuetudo sit præscripta, per d. c. fin. d. c.* 1. *de præscript. in* 6. 3. Quadraginta annis.

Et debet istiusmodi consuetudo & præscriptio cum omnibus suis qualitatibus probari. *Philip. Franc. in c.* 1. *n.* 1. *de præscript. in* 6 *Bald. in tract. de præscript. part.* 3. *princ. in* 3. 4. *Reusner. decis.* 6. *n.* 53. Alioquin cum malum oriatur ex quolibet defectu; succumbere debet, qui in ea se fundat, & in minimo probando deficit. *Minsing. obs.* 80. *cent.* 4. *obs.* 40. *cent.* 1. *Euerard. cons.* 14. 22. 23. 4. Cum omnibus qualitatibus,

Adeoque debet allegare actus consuetudinis (nam illorum frequentia requiritur *l.* 1. *C. quæ sit long. cons. l. an in totum* 3. *C. de edif. priuat.*) quia à primo actu inchoatur computatio 40. annorum, & sic deinceps poni & probari debẽt subsecuti actus, vsque ad complementum 40. annorum. *c. cum Ecclesia extra de cau. poss. c. cumana X. de censibus c. dudum. X. de decimis. Ioan. Andreæ in d. tract. q.* 3. *Bart. in l. labeo n.* 10. *de sup. leg. Curt. in c. fin. in* 2. *requis. extra de consuet.* 5. Et frequentia actuum,

Debet etiam consuetudo esse vniformis, & non habere contrarietatem actuum, adeo vt non possit introduci ex actibus difformibus. Ita vt si ex dictis testium appareat vario modo obseruatum fuisse, consuetudo per ipsorum testimonia non probetur: *Ita Minsing. cent.* 6. *obs.* 42. & speciatim in terminis decimarum tradit 6. vniformiũ,

tradit Franc. *Marc. q.667. in 2. vol.* vt in materia reditus annui *Choppin ad Cons. paris. lib. 11. tit. vlt. art.6.* Quod & maximè procedere debet in ea consuetudine, quæ debet esse præscripta, nam præscriptio requirit possessionem continuam; quin vlterius Mynsingerus ita notabiliter addit; *Et dicit singulariter Alex. cons. 5. & cons. 127. lib.5. quod tali casu, quando vsus populi variat, redeundum sit ad ius commune, & iuxta illud iudicandum. per l. nemo alieno. §.1. cum gloss. ibi ad fin. D. de regul. iur. & Bald. in c. non solum in fin. D. de iure dot.*

Quin vsque adeò actuum vniformitas requiritur, vt vel vnico contrario consuetudinem interrumpi velit Panorm. *in d. c. fin.* ita (inquit) *quod est opus de nouo incipere, sed etsi erat completa, credo* (inquit) *indifferenter sufficere ad consuetudinis completæ abrogationem tempus decem annorum.* Facilè enim res redit ad naturam suam; & consuetudo iuris dispositioni contraria per contrariam consuetudinem iuri conformem leuissimè tollitur. nam in hac introducenda aut reducenda, vt in huiusmodi quæ vel ius dubium interpretantur, vel præter ius sunt, sufficit spatium decem annorum. *Ita Couuar. Variar. resol. c.17. n.8. vers. quarto, vbi plurimos authores in eandem sententiam allegat.*

Quibus præmissis, sub inferendo casum de quo quæritur, constat G. Ecclesiam matricem iure communi vti, decimum manipulum soluendo, & plerasque parochiæ partes matricis parochiæ consuetudinem continuata possessione sequi. O. parochiam ipsam ex illa erectam esse sine alia, *vt habent literæ*, cuiuscumque iuris immutatione, aut præiudicio solum asseritur, quod ante communem patriæ vastationem, ac profugium, in quibusdam parochiæ districtibus, de quibus quæritur, non fuit collectus decimus manipulus; quamuis ab anno 1581. incolæ fateantur decimatores in possessione esse decimum manipulũ colligendi.

Possessio hæc, & iuris communis dispositio, Ecclesiæ matricis, plerarumque parochiæ partium consuetudo, facit, vt efficaciores probationes exigantur: *Myns. cent. 5. obs. 68.* non enim facilè solet natura totius differre à singulis partibus, neque partium inter se esse difformitas. *l. iure gentium §. adeo & ibi Iason. D. de pactis. l. qua de tota. D. de rei vendicat.* & quæ posterius fiunt, ad priorum exempla regulantur. *c. cum olim 6. extra de consuet.* Ideoque noua parochia ad ritum priscum, morem modumq; matricis, à quo antequam benè secessisse possit, annorum quadraginta tempus conformiter expletum probare oportet: quod probatum non est. vt omittam cætera requisita.

7. Ea sanè ætate testes esse deberent, vt probare possent legitimum tempus quadraginta annorum lapsum, ante dictum annum 1581. & designare primos actus consuetudinis ab initio illorum quadraginta: quibus si addantur anni quatuordecim (nam puberes eos tunc, aut saltem iudicij compotes fuisse oportet) constat testes in hac causa idoneos

Quales testes in probanda consuetudine requirantur.

nonaginta circiter annos habere debere (qualis omninò nullus hîc testimonium dixit) nam in materia decimarum, *qui testificaturi sunt* (inquit Alex. Monet. *tract. de dec. n. 77.*) *ita memores esse debent, vt possint deponere de eo quod actum est 40. annis*, ideoque habere ætatem 54. annorum lapsorum, scilicet ante turbatam possessionem, qua per annos 40. turbata, de anterioribus testaturi nonaginta aut ampliùs annos habere debent: quales, vt dixi, hic nulli sunt. Ideoque incidimus in casum & decisionem *c. dudum extra de dec. in verb. præscriptionem non poterat opponere pars aduersa, quæ nec à donatione ipsorum initium habere poterat, nec à cõfirmatione præfata tantùm effluxit temporis, quòd possit præscriptio confirmari.*

Denique tanta fuit actuum difformitas eo tempore quo prætenditur processisse præscriptio, vt plures digniorésque testes pro decimo, quàm pro vndecimo manipulo testentur: ideoque nulla procedere potuerit præscriptio, ac tandem post annos nunc triginta tanta præstandi decimi manipuli vniformitas, vt quamuis legitimè præscripta fuisset vndecimi dumtaxat manipuli consuetudo, rediisset tamen res ad primam naturam, iuris, matricisque Ecclesiæ obseruantiam.

Præterquam quòd singulariter decimatorum ius conseruauerit annua decimi manipuli elocatio præsente & authore magistratu facta; cui nihil derogarit, si quid à priuatis secus facto non iure gestum fuerit. solemnis ea protestatio est, cuius proprium est iura protestantis conseruare. *Oldrad. cons. 6. in fin. quæstio talis.*

CONSULTATIO II.

Decimæ sine expensarum solutione soluendæ.

Decimas prædiales soluendas esse sine deductione expensarum, decisum est *in c. tua nobis c. pastoralis, c. nõ est in potestate, c. cũ homines. X. decim. DD. vbique*, inquit Tiraquell. *de retract. gentil. §. 15. Glos. 1. n. 10. ne quidem vnus contradicit. nam textus illi adeò sunt in hanc sententiam aperti, vt nullo pacto cauillari possint.* Ita ille. & verò sine distinctione illi loquuntur; 1. & de noualibus etiam decimæ soluuntur: id est, ex agris nunquam anteà proscissis: in quorum gradum etiam veniunt, qui à mari vindicantur, iactis in mare molibus, & aggeribus cinguntur. *c. ex parte. X. de dec. c. ad audientiam. c. quoniam. c. cum contingat.*

Etiam ex noualibus.

Quod eò procliuius est dicere de iis agris, qui perruptis aggeribus tantùm inundati sunt. *per d. c. pastoralis versic. nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decima persoluuntur, credimus deducendas expensas de prouentibus decimandis, quia penes dominum res permanent restaurata, vt si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat,* 2.

Et à mari vindicatis.

vel totus clibanus destruatur. vbi glos. *in V: credimus* speciale omninò esse dicit, vt in decimis expensæ non deducantur, factæ in fructus, vel rem ipsam seruandam; cùm etiam malæ fidei possessor deducat sumptus necessarios. Rationem latiùs vide *apud Barbos. de offic. par. c. 28. num. 34. & seqq.* quod canones, sicut lex vetus decimas præcipientes, verbum *fructus* accipiant naturali modo loquendi, non ciuili; quo fructus intelliguntur deductis expensis. Et porrò decimæ prædiales sunt pars fructuum dumtaxat, ex ijsdemque debentur, seu illarum debitum demùm nascitur cum fructus nascuntur, non autem rebus inhæret, sicut munera patrimonialia; ob quorum comparationem Wamesius *canon. cons.* 520. decimas in contributionem aggerum vocandas censet. vnde decimator Domino rei prohibere non potest, quò minùs pro arbitrio illa vtatur, & abutatur: cum aliàs in re communi regulæ iuris meliorem facit conditionem prohibentis. Vnde etiam Carolus V. *in edicto* 23. *Maij* 1531. vbi regulas præscribit, qui, quantumúe ad reparandos aggeres contribuere teneantur; decimarum non meminit.

3. Ex epikeia tamen remissio ob magnas expensas solet fieri.

Nihilominùs ex bono & æquo ad animandos agricolas ad steriles miricas aratro subiiciendas, glebas à vepribus & sentibus occupatas purgandas, syluas inutiles exscindendas, alueum seu arenam à mari occupatum aggeribus circumductis continenti annectendam, aut insulam ripis litoribusque obsidendam, & culturæ mancipandam, solent, quibus ius est decimarum, cultoribus ad annos aliquot immunitatem decimarum, ex toto vel in partem tribuere, pro grauitate sumptuum.

4. Non vt in aliis omninò rebus

Et quamquam diuersimodè Car. V. *in eodem edicto* de censibus, reditibus, pensionibus, duariis statuat, & *in ar.* 4. census reditusque irredimibiles iubeat contribuere ad ratam portionem eorum, quæ soluit fundi dominus: atque aliqui ius decimarum illis simile faciant; longa tamen est differentia: quia *Domini est terra & plenitudo eius*, decimasque in signum vniuersalis dominij sibi reseruauit, suas illas esse, & primitias asseuerat. *Leuit. c. fin. Num. c.* 15. adeoque in prærogatiuam dominij generalis decimæ præcedunt tributa, etiam dominorum. *c. cum non sit X. de decim.* neque iis regulis consistunt, quibus alij prouentus, iura, & seruitutes. præterquam quod res totæ, & fundi penes dominos permaneant, vt loquitur *d. c. pastoralis.*

5. Neque ad ratam prouentuum fundi cum moribus etiam non ex omni lucro decima percipiatur.

Quod eò minùs hodie dicendum est, quoniam secus quàm iure statutum fuit, non de omni lucro his in locis decimæ soluuntur; non de omni fructuum, leguminum, pascuorum, seminum, pomorum, herbarum radicum genere decimæ soluuntur, vnde tamen fundorum dominis lucra proueniunt: ideoque nullatenus rata portio decimarum iniri potest ad quantitatem lucrorum, quam percipit fundi dominus: imò multi fundi vel pascui tantum sunt, vel eæ fructuum species inseruntur, quæ non consueuerint decimari: adeoque vt, ex bono & æquo tantum, decimæ aliquando aliquid contribuunt; ita ex bono itidem & æquo quantitas est statuenda, magis amica compositione (quam in immunitate Cistercienſium suadet Pontifex *in c. nuper. X. de decim.*) vel arbitrorum epikeia: qualem tetigimus *in iur. Pont. nou. anal. de decim. n.* 10. nisi illa fuerit excessiua, vel denique ex officio iudicis, seu Principis, super struendis aggeribus disponentis; qui bonum publicum, librans cum priuato, quandoque aliquid remittere quemquam de iure suo cogit, cuius priuata ex rigidi iuris apice iactura, publica vtilitate compensatur.

CONSVLTATIO III.

De diuersis speciebus quæ ferè moribus sunt immunes à decimis, & de insolitis frugibus.

Species frugum quædam sunt, quæ non vt frumentum, siligo, hordeum, auena communiter, ac passim æquè decimas soluũt; sed in his atque illis locis aliter atque aliter obtinuit pridẽ vsus: qui vbiq; seruandus est. *c. ad Apostolica c. in aliquibus. X. de dec. & diximus in iur. Pont. nou. Anal. t. de dec. quæ nostris fere verbis repetiit Christinæus vol. 1. decis.* 236. eo in genere ferè esse videntur decimæ frugũ, quæ recitãtur in edicto Caroli V. 6. *Oct.* 1520. lignorum, fœni, herbarum, pascuorum, pinguium cornutarũ bestiarũ, ouiũ, agnorum, lanæ, porcorum, vitulorum, anserum, similiumque: raparum raphanorum, pomorum, pyrorum, nucum, &c. quarum frugum exactionem edictum videtur insimulare nouitatis; earumque enumerationem sic præmittit, quòd earum nouas atque insolitas decimas aliqui extorquere voluerint. sed quisquis fuerit eius Imperatoris Tribon. stylus eius offensum dictatorem aut suggestorem prælefert. ad quid enim, quòd clerus à prædecessoribus liberaliter fuerit dotatus, quo viuere & contenti esse possent? quod donatis legatisque contenti non fuerint? subinfert? quod nouas decimas exegerint, ad iudicesque ecclesiasticos tanquam sibi fauentes recurrant? tametsi è contrario Bonifacius VIII. *c. 3. de immunit. in 6. clericis*, inquit, *laicos infestos oppido tradit antiquitas, & præsentium experimenta temporum manifesta declarant*: cum & potius iudices, sacerdotes Dei induantur iustitiam: & decimarum solutio debita sit Deo, & & qui eas dare noluerint, aut dantes impediãt, res alienas inuadant. *Trid. s.25. c.12.* Ait insuper edictum, quòd prætendãt generaliter decimas sibi deberi de omni fruge, quam producit humus: non enim inuidiosa esse propositio hæc videri debet, quam sacræ literæ astruunt, *Exod. 22. Leuit. c. vlt. in verb. decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborũ.* iterũ *bouis & ouis, & capræ*; & canones ecclesiæ: *c. reuertimini c.*

decimæ 16. *q.* 1. *c.* 1.2.3.4.5.10.20.21.22.28. *X.de dec.Trid.d.c.* 12. *Vide late Barbos.de offic.paroch. c.* 28. §. 1. & quidem ante annos circiter centum Romæ adiudicatæ sunt Capitulo Antuerpiensi decimæ hortorum, leguminum, pomorum, pyrorum, similiumque fructuum: vnde nata deinde cum hortulanis ibi conuentio, vti in singula iugera certus nummus quotannis solueretur pro fructibus hortorum. vt & illas iure deberi ostendit Wamesius *h. t. conf.* 451. tamen recipi consuetudinem in contrarium: sed eam plures pati difficultates *conf.* 445. vbi & ex lana decimas deberi demõstrat. Sed & post illud edictum Clerus Arthesiensis an. 1523. & Leodiensis eidem Imperatori hæc cordatè exposuit, ad illiusque supplicationem an 1530. interpretatus est Imperator mentem suam non fuisse, vt de iure solito cleri quidpiã imminueretur: adeoque de insolitis fructibus decimæ soluerentur, si in aliis locis, vbi soliti fuerunt seminari & colligi, soleant etiam decimari: quod si consuetudo deficiat; ad ius recurratur. est autem consuetudo quod in communi est vsu. *c.consuetudo d.* 1. si non est aliquo

1. Mores debent esse in loco vniformes alioquin iuri statur.

in loco vniformis, seu communis vsus, consuetudo non est: ea enim non inducitur ex actibus populi difformibus: *Mynſ.cent.*6.*ob.*42. eo ergo in loco ius sequendũ est. *Mynſ.ibid. post Alexan.* nisi quatenus quisque fundi sui specialem morem probauerit; vt tantum censeatur vsurpatũ, atque præscriptum dumtaxat, quantum possessum. quia populi consensus in consuetudine requiritur: qui, nisi communis deprehendatur, non est efficax ad introducendam consuetudinem, & ius loci publicum. *Mynſ.cent.*6.*obſ.*41. *n.*12. vbi maioris partis scientiam; non errorẽ exigit. Pone ergo aliquo in pago 21. esse iugera syluarum, ex his decem lignorum soluisse decimas, decem non soluisse, de iugero vno con-

2. Quæ difformitas?

trouerti, solueritne pridem nec ne; dubitandũ non est, eum, qui immunitatẽ prætendit, probare debere iugerum istud per tempus præscriptioni idoneum intra 40. annos decimas non soluisse; cùm solum ius inspicimus: sed si consuetudo esset generalis vicina nõ soluendi; ea foret sequenda: *c.*6.*c.*21.*X. de conſ.* sed cum varia est, ius retinendum: *c.*6. *c.nouit.d.*12. sicut & edictum interpretatiuum in insolitis frugibus, cum deficit consuetudo loci, vnde fruges venerunt, ad ius remittit. hic quidem communius videtur ne de lignis decimæ soluantur, sed non omninò vniforme. id est; ita vt multi ius retineant: atque ita hoc in casu, vbi ius clarum est, consuetudo non vniformis, & generalis contraria, etsi his illisue locis magis ordinariè decimæ lignorum non soluantur, tamen cùm ea in parochia (quo nomine loca circumscribit edictum) æquali ferè numero syluæ sint quæ decimentur, & quæ immunes sint; manendum est in iuris præscripto: nisi, vt supra, istius iugeri possessor specialem suam nõ soluendi præscriptionem probet: etiam cùm sunt pares decimationis, & contrarij immunitatis testes. Porrò in casu præsenti imparitatẽ valdè auget, quòd olim ab Ostiario Curiæ testes excepti toto tũ pago decimas solutas asseruerint; vt, qui nunc recusant, temporum malignitate possessionem vsurpasse, satis videantur præsumi.

Enimuero c.cum in tua *X.de decimis* non satis videtur admittere, vt si terra fuerit decimalis, & decimæ de aliquibus fructibus solui alicui consueuerint, vt de aliis non soluantur; quamuis aliqua consuetudo suffragetur in contrarium: vt si qui maiores decimas perceperint, non autem minutas de quibusdam fructibus: *cum ipsis*, inquit, *terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat vna eademq́; ecclesia* (alia lectio est, vna eademque res) *diuerso iure censeri.* cui consonat c.cognouimus 12.*q.*2.*incongruũ*, inquit, *est vnam eandemq́; ecclesiæ substantiam duplici quodammodo iure censeri, id est vsurpationis & canonum.* vnde cum iure communi omnis terra de omni fructu quem producit decimas debeat, saluis Cistercienſium aliorumq́; priuilegiis, rarum erit vt fruges aliquæ non decimabiles aliter quàm per præscriptam consuetudinem censeantur, ideoque Carolus V. consuetudinem 40. annorum sæpius memorat in edictis; & eo quidem, quod ad instantiam cleri Arthesiensis an. 1523. dedit interpretatiuum prioris anni 1520. de nouis fructibus non anteà in eodem districtu aut parochia seminatis, statuit; vt in decimarum solutione seruetur ius scriptum: in eo autem quod anno 1528. ad interpellationem cleri Leodiensis, *vt si fuerit seminata, collecta, aut enutrita*, inquit, *aliqua noua species, quæ in villagio nunquam fuisset seminata, plantata, collecta, educata, aut nutrita, quod eo casu quantum ad solutionem decimæ huiusmodi nouæ speciei obseruabitur, prout in aliis villagiis dictorum ducatus & comitatus vbi fuissent seminata plantata, aut enutritæ similes species; etsi aliqua noua species antea non visa nec consueta seminari plantari, aut nutriri in aliquo villagio aut quarterio dictorum ducatus & comitatus sub diœcesi prætacta esset ibidem seminata, plantata aut enutrita, obseruabitur, quantum ad solutionem decimæ dictæ nouæ speciei, ius scriptum & illius dispositio.* quod ius commune iam supra explicuimus. ex illiusque radice nata est decisio c. commissum *X.de decim.* vt, si de pascuis olim decimæ persoluebantur, de iisdem ad frugum fertilitatem translatis absque diminutione ibidem persoluantur. *c. ex parte ibid.* vt sicut de primis fructibus decimæ soluuntur, ita non minus soluantur de secundis; quia vt diximus, non debet eadem res diuerso iure censeri. nec ratio est cur de vna quàm de alia specie magis soluantur, *D.Thomas* 2.2. *q.*87.*ar.*2. secundùm illud *Genesis* 28. *cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi: & quæ supra citauimus:* & omnes æquè Deus sibi *reseruauit in signum vniuersalis sui dominij. c.tua* 26.*X.de decim.* sed, vt passim ferè decima personalis sublata est; ita multis in locis earum specierum quas edictum exprimit: minimè ab iis, quæ proximè accedunt ad frumentum, siliginem, hordeum, auenam; quæ in cibum potumque cereuisiarium necessariæ sunt. ideoque vt *consult.*4. demonstrabimus de panico, cuius nunc sic vsus est vt reliquorum

3. Terra decimalis fructu facit decimalem qui alibi non esset decimalis.

4. Nisi consuetudo saltem 40 an. contra suadeat.

5. Vnde de nouis fructibus quid Car. V. edicta?

6. Quid de pascuis ad culturam redactis, quid de secundis fructibus.

7. Quid de speciebus edictalibus & panico?

reliquorum frumentorum, in cibum hominum potumque, non pecorum tantùm, nutrimentumúe animalium; rectè decimas exigi: tum quod aliis locis, vnde huc translatum est, fuerit decimale: tum quod argumentum ab identitate rationis, à pari potentia causæ; ab æquipollentibus, à vi & potestate surrogationis, id maximè suadeant, nisi quatenus edictalis præscriptio 40. annorum, quam ibidem ac supra excussimus, illud aliquo in loco à decimarum præstatione immune fecerit. quæ quia contra ius commune est, plenè debet probari, probatioque rigida bilance ponderari.

CONSVLTATIO IV.

De panico decimando.

NOn est admodum inculcandum quòd omnium frugum decima iure debeatur. *c. 1. c. 6. c. ex parte X. de decimis. c. quicumque. c. omnes. c. decimis & tota caus. 16. q. 7.* etiam de blado & vniuerso legumine. *c. 3. X. de decimis.* bladum vocabulum barbarum omne genus frumenti significat; vt sub eo comprehendatur etiam barbarum frumentum, panicum, seu fagopyrum, quod *Boc-vveyde* vel *Hey-corne* teutonicè dicimus. deriuatione vtraque quæ ad rem præsentē faciat. prioris quidem etymi ratio designat barbarum adeo apud nos olim hoc frumentum fuisse, vt maiores nostri crederent non ad humanum vsum pertinere, sed hircorum inter colles & vepres saltitantium pastum, seu pabulum esse; ac fortè iis in terris, vnde huc translatum est, non benignius colitur, alterum nominis etymum myricæ frumentum significat, quasi terræ desertæ, sterilis, incultæ, frugem. vt mirum nihil, sit quod tota hac lite contenditur in vico de O. frugem hanc olim contemptui habitam ab iis, qui decimas ibidem collegerunt. vt ab eò non exigerent, quod in pabulum equorum, in messe laborantium verteretur; vel ad exiguum semen futuræ messis seruaretur; aut etiam in triuialia liba, aut rusticam pultem; seu denique in turbidis tumultuum Belgicorum tempestatibus, in siluescentibus agris ad tribulos, sentes, & mutiles ac noxias herbas expurgandas, per formam agrariæ medicinæ sereretur. nam id ita accidisse, vsque ad paucos annos ante hanc litem institutam, vtriusque partis testes nimis abundè affirmant. verùm cùm paulatim benignior Ceres barbari huius frumenti naturam edocuit, pani & cereuisiæ coquendæ vtilem, idemque adeo frequentari cepit, tantaq; copia in d. vico seri, vt magnam messis partem obtineret, fora frumentaria impleret, & agricolis æqualem penè siligini vtilitatem adferret; Conuentus etiam monasterij B. qui per dictas turbas huc illucque disiectus deserto loco proprio errauerat, A. L. habitauerat; tandem in prædium suum C. sub allodiali dominio suo de P. cuius pars seu vicus est O. sedem suam transtulerat; cepit sentire oculos suos feriri nimia satione dicti panici, sine decimatione, iam in horrea & fora auecti; indulgentiam suam ad ingratitudinem vsque distractam, licentia & conniuentia sua rusticos factos esse deteriores; itaque Citatos, vt deinceps decimas panici persoluerent, iure merito interpellauit; summaque illi iniuria earundem decimarum solutionem recusarunt. Sic enim per acta exhibita constat à senatu Mechlin. inter Abbatissam de Cortenberge contra Philipp. de Kerckhoue prudentissimè decreta fuisse puncta officij 1. vt informatio fieret, quo primum tempore panicum in L. & H. pagis vico citatorum vicinis seri cepisset, 2. quando primùm in horrea sine decimatione conditum, 3. an antequam maturuerit pro iumentorum pabulo demessum. eaque informatione habita 16. Ianuar. 1588. eos reos per sententiam senatus in earumdem decimarum solutionem fuisse condemnatos. Iustissimè quidem: & ad eum modum quo Alexander Moneta *tract. de decimis c. 4. n. 11.* decimam solui de omni fruge tradit, etiam de hortis, sed *distinguendum*, inquit, *est, nam vt horti sunt olitorij, in quibus tantum herba, vt caules, & alia olera crescunt vescendi gratiâ, & tunc ad vsum Rectoris ex illa decima ita dari posset, vt hodie ex meo horto curatus sumat, quantum sibi opus est illo die, & sic per singulos parochianos discurret, demum ad primum reuertetur. vt post Io. An. d. c. peruenit docet Rebuff. d. n. 7. aut illi horti continent fabas, vel alia legumina, tunc si in parua quantitate colliguntur, ita vt solum sufficiant ad quotidianum vsum, idem dicendum quod de caul. bus ac de aliis oleribus: sin autem in magna quantitate, ita vt aliis vendantur; tunc de iis integra decima soluetur.* Vnde subinferendum est, quantisper panicum ad iumentorum pastum, vel agrorum depurgationem, aut vilem & exiguum vsum satum fuit, decimas indulgenter negligi potuisse; postquam autē nō iam particulas agellorū, sed integros campos occupare cepit, rectissimè in ordinem redigi, atque ad ius commune decimarū compelli potuisse.

Neque aduersus hæc quidquam faciunt quę Citati magnis voluminibus, & testimoniorum cumulis obiecerunt; quod panicum purget terram à sentibus: quod tertio plerumque anno ibi seratur, qui alioquin vacaret; quod huius vel illius grani sationi succedat, hoc vel illud subsequens habeat, frigida vel calida humus sit; vel cuiuscumque genij æstas pluuia, vel sicca, agricola potator, & negligēs vel serius & industrius, & ob vacantem alioquin annum monasterium extra iacturā sit, proxima messis æquè aut ampliùs exuberet, quam si proximus annus vacasset, adeoque decimæ pluris hodie, quàm olim elocentur, & his similia.

Si quidem decimarum ius in ipsis frugibus fundatur, vt si negligens agricola numquam serat, querelam ius decimatori non tribuat; neque qui sibi nequam est, alteri bonus esse teneatur: si bis aut pluries in anno serat; toties decimarum exactionem concedat.

c. ex

1. Panici etymon teutonicum est pabulum hircorum miricæue frumentum.

2. Cum ad frumentariū vsum transit merito ad decimationem vocant.

3. Nec referunt obiecta, dummodo seratur, metatur.

c.ex parte el.2.extra de decimis. Rebuff. eod.tit.q. 8.n.7. si sylueſcere agrum ſinat, nemo queri poteſt; ſi noualem præſcindat, ad decimas obſtringitur. Neque quidquam eſt reliquorum quæ citati allegant, quod etſi verum foret, canonem vllum, aut patriæ edictum ſic habeat ſibi propitium, vt vllam ideò à decimis immunitatem, aut imminutionem concedat.

4. Decimationi panici nō obeſt edictū de nouis frugibus. Sed neque edictum à Carolo V. an.1520. latum, quod eo vetitum ſit nouas decimas à 40. retro annis inuſitatas exigere, indebitiſque exactionibus populum torquere, adeoque panicum hic olim tanto tempore non decimatum ad decimationem nunc vocari. ſed non illud eo inuentum, vt eccleſia alicubi ſuo iure deſtitueretur; ſed cum multis in cauſis, caſibus,& locis, quædam ex iuris generalitate per inueteratam conſuetudinem, quoad decimationem ſint determinata; non aliud voluiſſe Imperatorem dicere oportet, quam ne quid noui iuris iis locis, cauſis, & caſibus, induceretur. quæ eadem eſt ſententia Couuar.var.reſ. l.1.to.2.c.17. n.8.ſub fin. vbi poſtquam explicauit quatenus conſuetudo & præſcriptio circa decimas vires ſuas exerat, ita ſcilicet, vt per eam induci poſſit: 1. ne ſoluantur decimæ à Clericis de lucris perſonalibus, & fructibus patrimonialibus: 2. ne ab eccleſiis de prædiis in alia parochia ſitis: 3. vt uni eccleſiæ debitæ, alteri ſoluantur: 4. ne ex dubiis fructibus, 5. ne perſonales à laicis, 6. vt minori quota, 7. ne ex certis frugum ſpeciebus, 8. vt certo modo ſoluantur vel non ſoluantur, *nono ex bis*, inquit, *perpendi poterit ratio vera & ſanè iuſtiſſima, qua catholicos Hiſpaniarum Reges, & præſertim Carolum V. Cæſarem inuictiſſimum induxit, vt publicis edictis vetuerint in his regnis decimas à Laicis exigi, quæ per conſuetudinem contrariam non conſueuerunt ſolui. quemadmodum cautum eſt ab eodem Cæſare Toleti 1525. &c.* deductio porrò quam facit Couarruuias, ea eſt; vt præſcriptione & conſuetudine à iure communi diſcedi poſſit, in caſibus mox relatis: eamque præſcriptionem, & conſuetudinem eſſe cauſam edicti, eamdemque iuſtiſſimam, vt obſeruetur. Vnde & ſequitur, quod ſi quis eam conſtitutionem imploret, pro fundamento querelæ aſſumere debeat præſcriptionem, & conſuetudinem: quam aſſerat, in loco, vbi quæſtio incidit, iuri communi derogaſſe. quam allegationem, vt in ea actor, itidem probare tenetur. porrò quoniam conſuetudo, & præſcriptio neceſſariam poſſeſſionem, & vſum implicant, oportet itidem, allegare fruges, de quarum decimis quæritur, notas item, & natas ſataſque ibi fuiſſe: quia eorum quæ non ſunt poſſeſſio nulla eſt. quare idem Cæſar hîc anno 1523.declarauit, non fuiſſe ſuæ mentis, huiuſmodi frugum inſolitarum decimas prohibere. ſed, ſi vbi antea ſatæ fuerint, conſueuerint decimari; etiam in nouis locis decimentur: ſi non conſueuerunt; quamuis ager decimabilis ſit, *contra* c.cum in tua 30.*t.com-miſſum* 4. *X. De decim.* non decimentur: ſi autem adeo incognitæ ſint, vt & conſuetudo deficiat; ad ius ſcriptum decurratur. quæ interpretatio in omnibus hiſce prouinciis eſt vulgata: & vt non foret; cum ſit tantùm prioris edicti declaratoria; nulla eget promulgatione. quod & ita intelligunt Citati, dum, vt aculeum hunc effugiant, negant panicum nouum genus frugum eſſe. ſed fruſtra. nimis enim notorium eſt vix paulum ſupra vnum ſeculum ex Turcia huc eſſe allatum, inuentorem ſepultum eſſe Steenbergæ, ab eo in myricis Campinienſibus primum, & Geldricis cepiſſe, indeque per has paſſim regiones eſſe diſperſum. & vt detur antiquum genus eſſe frugum, non tamen minus probatione contrariæ iuri præſcriptionis conſuetudiniſue opus eſt, qua doceatur factum non decimabile.

Ex his igitur conficitur Citatos allegantes panici decimas in vico de O eſſe inſolitas, nouas, & quomodocumque ſolui non conſuetas, probare id debere: vt ab eis immunitatem ſibi competere demonſtrent. diſertè id etiam deciſum in terminis *c. à nobis* 24 *X. de decim.* vt & generaliter eis qui allegant conſuetudinem incumbit probatio. *Mynſing.cent.* 5.*obſ.*96. *gl.in l.*1. *C. quæ ſit longa conſ. & c.*1. *eod. in* 6. eaque plena & concludens in reſpicientibus deciſionem cauſæ. *Tuſcus V.conſuet. conſ.*799. 5. Conſuetudo vt probanda?

Conſuetudo autem poſitiuam totius populi ſcientiam adeoque conſenſum requirit: qui neſcit non conſentit; non inducit conſuetudinem: quam à præſcriptione differre traditum eſt, quod conſuetudo omnes tangat, eoque ab omnibus ſciri, & probari debeat, (vnde confuſis teſtimoniis per turbas, vt loquimur, & quaſi turmatim productis teſtibus probari ſolet, & porrò debet. *pulchrè Imbertus inſt. for.l.*1.*c* 43. vbi ſingulas turbas decem vt minus teſtibus conſtantes vnius demum teſtis locum obtinere, adeoque geminata eſſe huiuſmodi teſtimonia oportere tradit) præſcriptio non niſi eos tangit, & ab iis ſciri debet, à quibus & contra quos præſcribitur; qua parte, & quantum; ita vt nec pede ampliùs vno præſcriptum ſit, quam poſſeſſum. & ſic Carolus V. conſuetudinem parochiæ quadragenariam ante tempus ſuæ conſtitutionis exegit; adeoque loci, vbi agitur, vniformem, & vniuerſalem. 6. Quibus requiſitis?

Quemadmodum de iure etiam conſuetudo non inducitur à particularibus, ſed vniuerſis. *Tuſc.verb.conſuet.concl.*801.*n.*1.adeoque ex totius populi ſcientia per actus celebres.*n.*2. & teſtes deponant oportet, quod viderint actus geri, eoſque frequentatos, per tantum tempus, &c. vt actus ſpecificent de viſu, non generice: neque aliàs probant conſuetudinem: nec ſufficit dicere eſſe conſuetudinem: quia ſic de iure deponerent; ſed debent deponere de facto, actuſque ſpecificare, eorumque frequentiam: & quando agitur de eccleſiaſticis; ita deponere, vt inducatur tacitus conſenſus parochianorum,& clericorum: & debent ſpecificare

cificare tempus, à tali vtque ad tale, neque probant singulares; sed debent concordare in actibus & tempore: neque negatiui; sed actus immunitatis affirmare debent. quin & talis negatiua non soluendi consuetudo non inducitur, nisi etiam probetur requisitio solutionis, & negatio. *Ita hac omnia idem Tusc. eod. verb. concl.* 799.11.12.13.14.15.16.17.18.19. 29.33.49.61. *concl.* 802. *num.* 5. 31. ideoque addit consuetudinem esse difficilis, imò ferè impossibilis probationis.

Præsupposito igitur ad trutinam iuris, intentionemque edicti, non esse probatum à Citatis, consuetudinem 40. annorum non soluendi in vico de O decimas de panico; recurrendum esse sequitur iuxta prædictam constitutionem Imperatoriam, eiusque interpretationem, ad ius commune: quod de omni fructu, de omni blado decimas solui præcipit: vel consuetudinem loci, vbi insolitus fructus solitus est decimari, Campiniam scilicet, Geldriam, aliaque loca, vbi decimari consueuit: vnde & iuxta eandem interpretationem imperatoriam dicimari hic debet.

7. Panicum decimabile. Fatentur Citati panicum fructum esse decimabilem: idemque diuersis præiudiciis Concilij Brabantiæ contra Incolas de Willebroeck, Concilij Flandrici, & dein Mechliniensis contra Incolas de Somergem, Magistratus Mechliniensis contra Incolas de Hombeke & Leest decisum est: totaque Campinia & Geldria, vnde vt initio dictum est, ad omnes vicinas regiones dispersum est, notoriè habitum fuit decimabile, passimque decimatum fuit: eodemque ergo genio, natura, & onere, ad alias regiones migrauit: vnde eadem Imperatoriâ interpretatione decisum est, & iuris ratio exigit, ad modum quo, cum de statu alicuius sententia lata est omnibus ea nocet, etiam non vocatis, *l. ingenuum D. de stat. hom. & Ioan. Faber in §. præiudiciales, versic. sed quidam causa nobilitatis instit. de act.* si quis pronunciatus est nobilis vel legitimus, is nobilis est habendus & legitimus quoad omnes, neque opus est vt apud singulos probetur. quare frustra negant citati panicum apud se fructum esse decimabilem: naturam enim suam ex Campinia secum ad eos detulit: decimabilem, inquam: decimatum autem apud eos non fuisse, sed immune per annos 40. ante litem lapsos allegarunt quidem; sed nihil minus probarunt, cum illa sit panici natura, quæ consuetudine quadragenaria præscripta non docetur esse mutata. nihil ergo est quod mouere iudicantem possit; cùm quod non mutatur, stare non prohibeatur. quæ eadem admodum ex eo confirmantur, quod Citati omnem mouerint lapidem, vt alicubi rerum iudicatarum exempla nanciscerentur; nec vnum quidem quoad panicum repererunt: tametsi excussis registris Curiæ Brabantiæ 25. *Martij* 1560. *inter ædiles & scholasticum D. Gudilæ, & Ioan. Lintem sub Vccle, &* 1579. *inter M. Ioan. Carlon. aduocatum & Cornelium Verheyden* quoad insolitas decimas lignorum; *Petrum Lancpape & Ioannem Hemextbouen coram scabinis de Contick* 10. *Maij* 1559. de satis quercibus; *Guilielmum Kint & Elisabetham viduam Ioannis Meys in Ranst* de viminibus; *in Curia Brabantiæ* 19. *Martij* 1557. *inter Abbatem Ninouiensem contra N.N. Incolas de Pamele* quoad decimas lupuli; *in eadem Curia Brabantiæ* 21. *Feb.* 1579. *M. Corn. Danielis aduocatum & Ioan. Scholaster* de lupulis in viuario natis; 23. *Decemb.* 1597. *in eadem Brab. Curia, inter Iudocum Constains & Quintinum van Eetvelde* quoad decimas olitorias; 24. *Decemb.* 1565. *coram scabinis Bruxellensibus* sententias latas tanquam à simili argumentantes in medium proiecerint. quod argumentum admodum debile est; cum nullum sit simile quin aliquid habet dissimile; ideoque non exemplis, ac rerum præsertim dissimilium; sed legibus, quæ cum singulis causis expendantur, sit iudicandum. Præterquam quod anno 1638. latum sit solemnissimum Senatusconsultum Brabantiæ, omnibus cameris conuocatis pro Archiepiscopo Mechliniensi. Abbate Affligniensi contra plurium simul pagorum incolas, quo ad panici decimas sunt condemnati. eaque sententia per Reuisionem est confirmata an. 1641. qualia Senatusconsulta non inter priuatos lata, sed integros districtus totis Conciliis coactis proximè accedunt ad leges, & sequelam prouocant. 8. Res iudicata.

CONSVLTATIO V.

De Decimis noualibus & illarum spolio.

Decimæ lege naturæ vsurpatæ, & diuino vetere præceptæ sunt. hac abolita successit obligatio de qua D. Paulus 1. *ad Cor.* 9. *si nos vobis spiritualia seminanimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* & 1. *ad Tim.* 5. *qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina, dicit enim scriptura, non infrænabis os boui trituranti.* & *Luc.* 10. *dignus est operarius cibo suo.* & eatenus, non verò quoad quotam, accipienda sunt iuris canonici loca, quæ dicunt decimas iure diuino deberi. *Couuar. var. resolut. lib.* 1. *c.* 17. *Less. de iust. lib.* 2. *c.* 39. *dub.* 1. tametsi statim ab initio Christianismi eadem quota determinata sit. *vt patet ex const. Clem. lib.* 2. *c.* 29. 38. 39. *lib.* 8. *c.* 36. *Less. vbi supra.* Atque ad eum modum quo decimæ olim toti Læuitarum tribui à populo soluebantur, & ab his decimarum decimæ sacerdotibus; *c.* 1. *X. de dec.* sic initio quidem ecclesiæ Christianis omnibus cor vnum, & anima vna erat, & bonorum omnium communio: vt ex damnatione Ananiæ, & vxoris, *Actor.* 5. patet: & *c.* 1. *Ad Corint. c.* 16. vbi Paulus si digna satis foret collecta se perlaturam eam scribit in Ierusalem: indiuisimque toti post hac cœtui cleri- 1. Decimæ præceptæ olim diuinè. 2. Et primitiuo Christianismi more, etiam quoad quotam debentur. 3. Clero indiuisim olim.

clericorum decimæ soluebantur, vt & cedebant cætera bona ecclesiæ oblata: sed diuisis denique toto orbe diocesibus, & parochiis, distributio quidem mansit intra cuiusque limites; sed diuidebat singulis Episcopus, pro cuiusque merito, & necessitate. *c.Gelasius in c. quatuor.c.vulterauì.12. q.2. c.statuimus.16. q.1. ita*, inquit, *vt portionem quartam quæ ad eos* (clericos) *pertinet, sua Pontifex ordinatione distribuat, prout cuiusque locum meritumq́; cognoscit.* & iterum; *de quibus sicut sacerdotis interesit integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus vltra delegatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendum.* sic etiam Concilium Tolet. *in c. vlt.de off.cust. omnes*, inquit, *oblationes & eleemosynas seu decimas inter fratres diuidat.* Successit ad extremum in singulos diuisio bonorum, adeoq́ue decimarum. postquam autem, inquit, Lessius *vbi sup.dub.4.* Ecclesia diuisionem fecit, erectis

4. Nunc cui adsignatæ sunt.

beneficiorum titulis, singulis ea portio debetur, quæ cuiusque titulo attributa, & annexa est. Quomodo Alex.III. *in c.quoniam X. de dec. si terræ*, inquit, *quæ arabiles sunt, intra certam alicuius ecclesiæ parochiam fuerunt, decimas earum* (tua parte retenta) *eidem ecclesiæ facias adsignari; alioquin ipsas secundùm discretionem à Deo tibi datam, alij ecclesiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.* Ecclesiæ, inquit, assignari: id est, rectori illius, atque ministris, qui populo, qui ecclesiam faciunt, ecclesiastica Sacramenta ministrant, & cultum diuinum peragunt. Rectorum quidem prima causa est, *c.cum contingat, &c. ibid.* sed non solorum, nisi sint soli; sed omnium ministrorum necessariorum. quare etiamnum Concilium Trid. *sess.21.c.4.* rectores cogit, vbi populus nimis est numerosus, vt tot sacerdotes sibi adiungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum: & vbi ecclesiarum parochialium aliquibus incolis difficilis accessus, nouas parochias erigi mandat. *Illis autem sacerdotibus*, inquit, *qui de nouo erunt ecclesiis nouiter erectis præficiendi competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus.* Quare vbi in Ecclesia parochiali præter parochum antiquitus institutus reperitur alius sacerdos, seu capellanus; cuius origo & fundatio non exstat, vsus tamen habet vt Capellano competere censeantur duæ tertiæ, parocho verò vna tertia antiquarum decimarum; atque integræ nouales; & super terris quibusdam, an ad antiquas an nouales earum decimæ pertinerent, orta est controuersia; & Pastor Capellanum spoliauit, existimo non spectare causam ad rigorem terminorum *c.2. de rest. spol. in 6.* quod negat spoliatum restitui, nisi euidenter docuerit, quòd decimarum possessionem legitimè assecutus fuerit. in quam sententiam me agit bimembris ratio eiusdem capituli, *quia*, inquit, *eas occupasse iniustè verisimiliter præsumuntur, cum proueniant ex prædiis intra alienam parochiam constitutis*, sicq́ue manifestum, *nisi aliud ostendatur, eas de iure communi ad eandem ecclesiam pertinere.* Ecclesiam, inquit, non parocnum dumtaxat. quæ prima causa est, vt alium à parocho eiusdem ecclesiæ ministrum, cum canonicis S. Nicolai conferendum, in rigore huius dispositionis, non existimem: ex rationibus supra deductis. altera est in verbis *ex prædiis intra alienam parochiam constitutis.* eo enim ipso quo intra alterius ecclesiæ limites decimæ sitæ sunt, alia ecclesia alterius iura, & diuisionem à iure factam interuertere videtur. quod non idem est de beneficio intra eandem ecclesiam ab antiquo existenti. Eo enim ipso quo in numerum ministrorum ecclesiæ quis relatus est, in stipendia venire consectarium est; Quare non exstante huius Capellaniæ titulo, cùm inueniatur solere ab omni memoria beneficium ab Episcopo conferri, vel in eo sacerdotem institui, & beneficiarium inter fructus suos decimas possidere; censendum erit vel ex distributione Episcopi fructus illos, atque decimas isti beneficio esse attributas; vel à laicis fortè possessoribus decimarum beneficium illud fundatum; & decimas in illud translatas: quod vel solius Episcopi consensu fieri potest. *c. cum Apostolica. X. de iis quæ fiunt à Prælat.* quem eo ipso exhibet, quo fundationem in titulum beneficialem erigit. Atque hunc modum interuenisse hîc credibile est, argumento à communiter accidentibus; eo quod plerarumque antiquarum decimarum duæ tertiæ hîc competierint laicis, relicta vna tertia pro congrua portione parochis: atque illi seu de iure suæ possessionis ob Concilium Later. dubitantes, seu pietatis ergo, decimas suas in causam piam transcripserint. Itaque beneficia in eadem ecclesia fundata, eximenda censeo à rigore *d.c. 2.de rest. spol. in 6.* non iuero tamen inficias rectorem parochialem in petendis vindicandisq́ue decimis intra limites suæ parochiæ, etiam supra capellanos, fundatam in iure communi habere intentionem: *d. c.2. in fin. d. c.quoniam c. cum contingat, c.29.X.de decimis*, adeo vt Rebuffus id sentiat etiam obtinere contra quemlibet, quamuis Episcopum. *tract. de dec. q 7. n.4 & 5.* contra quem tamen nec obtinere rigorem existimauero *d.c.2.de rest. spoliat. in 6.* Ideò quod & Episcopus per totam suam diœcesim suam quartam, vel quæ loco quartæ subrogata sunt (vt nunc vbique ferè certa bona & decimæ, non per singulas suæ diœcesis parochias quartæ episcopo competant, specialibus etiam plerumque titulis, non solo episcopali iure, *de quo in c. conquerente. X. de off. ord.*) non resistente, sed fauente iure possideat: specialius tamen est ius parochi in sua parochia, quàm ius Episcopi in sua diœcesi, respectu non totius, sed singularium eius partium: atque ita specialis præsumptio pro parocho potior est, quàm generalis pro Episcopo. sic tamen quod si Episcopus est in diuturna possessione, non possit à parocho eiici, vel eiectus non restitui. quin imò si diuturnior est possessio, quilibet spoliatus redintegrari debet;

5. Parochorum prima causa est.

6. Et sacerdotum quibus indigent.

7. Qui non spectant, ad rigorem c.2. de rest. spol. in 6. & quare?

bet; præsertim si color titulo obduci aliquis possit. quando Alex. III. *in c. in litteris. X. de restit. spol.* responderit priùs de violenta eiectione, quàm de canonica institutione agi debere. quia *prædo etiam*, inquit, *est secundùm rigorem iuris restituendus.* Ideoque mirum non est secundùm Bartholomei Brixiensis opinionem sæpiùs iudicatum referri à Guid. Pap. *q.* 288. etiam pro laicis possessoribus decimarum. cuius etiam opinionem (vt & apud nos obtinet) seruari in Gallia fatetur Couuar. *d. c.* 17. *n.* 6. & Charondas *Resp. l.* 1. *c.* 27. quoad decimas antiquas, non nouales asserit. *d. c.* 27. 28. 29. etiam non obstantibus pactis cum parochorum prædecessoribus initis : quasi illos tantùm non successores ligantibus. Atque ideò de decimis infeudatis per laicos possessis, nec in petitorio quidem apud nos cognoscit iudex ecclesiasticus *ex Concordatis Brab.* Neque verò incapacitas spoliati, quam vrget Couuar. *ibid.* in laicis, (quamquam habent aliqualem capacitatem, vtile decimarum ius, etsi non spirituale & primarium, possidendi : *Less. d. loc. n.* 19.) obtinebat in Canonicis S. Nicolai: & incapacitatem in restitutione spoliati considerari negat Alex. III. *In c. item cum quis. X. de rest. spol.* publicam quamuis & notoriam. *c. porro. X. de diuort.* obstabat ius quidem illis pro ecclesia alia præsumtiuum ; sed neque illud possessionem inficit, quin cum aliquo titulo annis 40. præscribant. *c. 1. de præs. in 6.* Couuar. *ibid. n.* 7. (& si aliàs titulus in ea præscriptione non desideraretur) adeoque commodo possessionis iuuari possessor debeat, etiam antè finitam præscriptionem, dummodo tamen titulum habeat. quem considero non allegasse Canonicos S. Nicolai ; sed solùm quòd aliquandiu possedissent. In quo etiam mentem Guidonis & Brixiensis fixam fuisse existimò; & benè dixisse Archid. *vt refert Ioan. And. ad d. c.* 2. quòd propter fatuam allegationem actorum, Papa sic debuit iudicare. quæ eò magis fatua videbitur, si verbum aliquamdiu accipiamus pro modico tempore. quare solutionem, inquit Ioan. Andreæ, *contrariorum sumunt quidam ex hoc verbo quasi isti se faterentur modico tempore possedisse.* quo posito, & contrario parochi spoliantis iure ex sola demonstratione suæ turris, *vt ait Charon.* apparenti, & sine probationibus facti, *vt inquit Ioan. Andrea* : non adeò mirabilis est *d. c.* 2. dispositio: quæ vix aliter conciliari potest cum *d. c. in litteris c. licet Episcopus de præb. in 6. c. liter. de rest. spol. l.* 1. *C. si per vim vel al. mod. l.* 1. *§. deijcit D. de vi & vi arm. c. referente. X. de præb. quæ citat Guid. & d. c. item cum quis d. c. porro. Vide Barbos. de offic. parochi c.* 28. *n.* 43. *& seqq.* Nam & alia ratio qua maximè nititur Couuar. *& ab eo citati & sequaces* quòd *d. c.* 2. dispositio obtineat cum vtrumque concurrit, ius aduersarium spoliato & amicum spolianti ; non habet eum effectum *in d. c. porro*, vbi posita publica & notoria parentela, ius amicum est vxori spolianti maritum, damnato legibus & canonibus thoro : marito autem damnati thori vxorem repetenti aduersatur: & tamen spolians redigitur in manum spoliati. sic & ius domino assistit, & aduersatur prædoni, & hîc tamen vt ille restituitur etiam contra notorium domini ius, & non obstante notorio iuris defectu in prædone. *vt optimè Coras. Miscell. l.* 2. *c.* 2. quia eiusmodi restitutio non fundatur in iure spoliantis, sed odio spoliationis. vt satis liquet *ex textu l. si quis in tantam C. vnde vi. c. fin. de ord. cog. d. c. in litteris. d. l.* 1. *§. qui à me. D. de vi & vi arm.* optimè autem Corasius excipit, quando ius authoritatem præbet ad spoliandum. *vt in c. significauit. de diuort.* vt liceat vxori diuertere ab adultero. quod ibi explicat. Quod autem attinet ad casum manifestæ incapacitatis, non possum etiam ipsi Corasio accedere, nisi cùm incapacitas ex iure diuino inducitur. *d. c. literas*, vel tanta sit, quæ non possit aut vmquam soleat sanari : vt si laicus diceret se esse in possessione episcopatus, ecclesiæ, &c. & spolia[illegible]tur à Prælato aut sacerdote. *Innoc. in c. constitutus de fil. presbyt.* Neque huc in eo iudicio pertinet *d. c. ad decimas*, vt Coras. Couuar. & alij censent, cùm non sit hæc simplex incapacitas ; sed super qua per contrarias concessiones frequenter soleat dispensari : atque tam frequenter hodie, vt totus hic noster orbis plenus sit titulis, quibus alij in aliorum parochiis decimas habeant, vt existimem pauciores esse parochias, in quibus soli illi, quibus de iure competunt, decimas colligant ; quàm vbi secùs accidat : vt incapacitas hæc causa mihi quidem non videatur decisionis, *d. c.* 2. *de Rest. spol. in 6.* (& quòd si foret hodie ea iuris præsumptio à communiter accidentibus argumento parum esset eneruata) sed eorum canonicorum allegatio. quod modico tempore possedissent, sine alio titulo. Cæterùm huiusmodi controuersia in materia spolij coniugalis Innoc. III. visa fuit tam difficilis vt *in d. c. literas* neutram sententiam voluerit reprobare. quod *c. literas* semel atque iterum perlegi hic meretur. Ideoque quamuis sit Bonif. VIII. eo posterior, & in deliberationibus resolutior ; tamen non possum induci, vt credam alio casu eum voluisse resoluere, quàm superiùs explicato. Cæterùm quod de noualibus tradit Charondas *vbi suprà*, non est extra rationem, dum constat nouales esse. quippe mox se offert prohibitio Concilij Later. sub Alex. III. habiti *in c. prohibemus. X. de dec.* ne quis laicus post Concil. Later. decimas acquirat. non igitur poterit habere nouales. quis enim eas extendat vltra tempora Alex. III. cùm si cultura memoriam excedat, nouales non sint, minùs probari possint. fuerunt & olim nouales etiam ante Concil. Later. vt & omni tempore ; sed in hac materia prohibitæ earum possessionis, ad tempora illa distinctionem affigere oportet. neque enim prohibitio nouales tunc existentes ab antiquis tunc separauit : quæ autem post Concilium natæ sunt, & tamen memoriam excedunt, nisi instrumentis tales esse probentur, antiquæ esse, atque antè Concil. cultæ credentur, eadem ratione

8. Nouales decimæ post Conc. Lat. natæ ad parochum pertinent, laici incapaces sunt, & qui tales allegat probare debet.

ratione qua decimæ à laicis ab hominum memoria possessæ, iam ante idem Concilium Later. eodem in statu fuisse præsumuntur. *Menoch. de præsump. lib. 6. præsumpt. 86. Alex. Monet. tract. de dec. c. 5. num. 74. 103. & seq.* res quippe eo in statu olim fuisse præsumitur, in quo hodie inuenitur. neque enim mutatio præsumitur, nisi in iis in quibus ipsum tempus eam adfert. vt in ætate, attritione vestium, &c. *l. Sancimus. C. de testam. l. 3. l. 22. D. de prob.*

Quare qui noualem agrum dicit, ei incumbit probatio, non qui negat. *l. 2. D. de prob.* ei itidem qui antiquitus cultum dicit, incumbit probatio: sed non æquè: quia à præsumptione præsentis status iuuatur, quæ probationis speciem subit. vtrumque in hac causa fit. De probatione igitur vtriusque partis videamus.

Vbi parochus cum alio litigat, & quæritur an ex hoc agro intra suos limites sito decimæ ei debeantur, an alteri: non dubito, quin ex iis quæ supra citauimus, parochus fundatam habeat intentionem: vti quoad totam parochiam, sic quoad singulas eius partes. *c. cum in tua. X. de decimis*, nihilque ei probandum incumbit; sed plenè alter debeat probare, qui ius sibi contrarium habet. *c. cum contingat. in fin. ibid. c. 1. de præsc. in 6.*

Sed ex supposito quod supra tetigimus, quod capellano duæ tertiæ, parocho vna antiquarum decimarum, & integrè nouales competere censeantur; atque ita quæstio hæc facti tantùm controuertatur, an agri antiquitus culti, an nouales sint; decimæ antiquæ an nouales: videndum est cuius partis probationibus potius erit deferendum.

9. Quid sit nouale & quomodo probetur.

Videamus prius quid sit nouale. *Nouale est*, inquit, *c. 1. de verb. sig. ager nunc primùm proscissus*, seu de nouo ad cultum reductus. de quo non exstat memoria, quòd aliquando cultus fuisset. *c. quid per nouale eod. c. 1. de verb. sign. in 6. & quæ traduntur ibidem ad verbum desertus.* In priuilegiis autem nouale illud quidem etiam intelligitur; sed, quia strictè & quàm minimo cum aliorum præiudicio intelligi debeat, etiam illud addendum est; quod parochialis ecclesia nullum, vel minimum antea percipiebat fructum, ex tali agro. *d. c. quid per nouale. Panorm. & Ioan. And. ibid.* sic quamuis proprietate Latini sermonis sylua, ex qua cæsa decimæ solutæ fuerunt, si extirpatis radicibus colatur, noualis sit; *l. Sylua. D. de V. S. l. vlt. D. de term. mot.* non tamen in hac materia priuilegiariorum decimatorum: ex ratione & mente concedentis *d. c. quid & vers. fin.* ob parochi præiudicium, ob quod concessiones iuri contrariæ, & semper ferè ita singulariter in materia decimarum admodum restringendæ sunt. vt pluribus & sæpius Wamess. *h. t. consf. 446. 449. 47. &c.* sic etiam area, vbi domus exusta est, aratro subdita, tamen hic noualis non est. *VVamess. cons. 450. sub fin.* Cæterùm quia testes aliqui partem aliquam prædictorum agrorum, non ita pridem ad culturam redactam asserunt, ideoque noualem esse contenditur; meminisse oportet eiusmodi partem recens cultam nancisci naturam prioris totius agri: *c. quod in dubiis. de cons. eccl. vel alt. cum non debeat*, inquit, *c. cum in tua. X. de decimis vna eademque ecclesia, seu* (vt alij legunt) *res diuerso iure censeri. l. quæ de tota. D. de rei vind. Panorm. in c. 1. de V. S. Sabar. ibid. Moneta de dec. c. 4. n. 84.* neque enim glebæ singulæ sunt colendæ. *l. possidere de acquir. possess.* Quare si qua exstet memoria culturæ, non erit ager noualis. Quomodo autem non exstare probandum sit, docet Labeo *in l. si arbiter. D. de prob. si arbiter*, inquit, *animaduertere debeat, an operis facti memoria exstet. hoc ei quærendum est, an aliquis meminerit id opus factum esse.* & infra, *sed cùm omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse, cùm id opus fieret, neque ex eis audisse qui vidissent, aut audissent, & hoc infinitè similiter sursum versum acciderit, tum memoriam operis facti non exstare.* Itaque per hoc, inquit, *Zabarella in d. c. quid per nouale, habes casum mirabilem quod dictum vnius testis etiam deponentis de auditu auditus quantumcumque, adscendendo, probat & excludit dictum multorum probantium non exstare memoriam.* cuius ratio est, quia ex quo, vt dicit *l. si arbiter, oportet probare omnium opinionem in non exstante memoria, infertur, quòd si vnus solus probabiliter opinatur contrarium, excluditur probatio de non exstante memoria. & iterum; & sic quomodocumque doceretur alicuius de loco esse probabilem opinionem, quod ager aliquando cultus fuisset, non esset probatum, quod esset nouale.* & hæc est vera sententia *c. 1. & c. quid per nouale de verb. sig. Ita Zabarel. qui plura in hanc rem, & ante eum Innoc. vterque latissimè in d. c. quid per nouale, & in c. veniens eod. in 6. tractant*; & quàm facile doceatur aliquid non esse nouale, quomodo testes pauci dicentes, agrum olim cultum fuisse, multis negantibus præferantur: quomodo testes de auditu & auditu auditus recipiantur, & probent. quæ si perpendimus, vno ictu discutiuntur omnia, quæ contra testes culturam asserentes, hic allegata sunt: & statuendum est, memoriam exstare culturæ agrorum controuersorum; cùm & testes de visu sint aliqui; & multi de auditu.

Quod autem dicitur, etsi hodie colantur & ante annos 40. cultos fuisse, alij ex visu, alij ex auditu referant; cùm & olim nouales aliqui agri facti sint, vt hodie, neque constet an tunc paucis ante annis ad culturam fuerint redacti, an vero iam olim colebantur, non videri assertionem de antiqua cultura probatam: sed iam ante diximus præsumendum in tali etiam statu fuisse, in quo ante annos 40. fuerunt, & hodie sunt.

Quo supposito, & quòd antiquarum decimarum duæ tertiæ capellano competant; vltimisque annis in agris controuersis turbatus sit à parocho: videtur non in possessionem tantùm reponendus; sed & declarandum hos agros ad antiquas decimas, & harum duas tertias ad Capellanum spectare.

CONSVLTATIO VI.

Ecclesiasticas decimas esse immunes à laudimiis & iuribus laicis?

Decimæ lege diuinâ imperatæ sunt, non ab hominibus institutæ. *c. Parochian. X. de decim. & in signum vniuersalis dominij, quasi quodam titulo speciali sibi dominus eas reseruauit,* inquit Concilium *gener. in c.cum non sit. X. de decimis.* Ideoque etiamnum hodie *diuina*, inquit, Innoc. III. *in c. tua. constitutione debentur.* & quidem parochiis, vbi sacra baptismata dantur. *c. de decimis* 16. *q.*1. Vnde spirituali iure exiguntur, & spirituales dicuntur. *d.c.tua.* vnde & sequitur quod ait Augustinus *c. decimæ* 16. *quæst.*1. decimæ *ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuadit.* & sequitur Concilium Trid. *s.*25.*c.*12. *non sunt,* inquit, *ferendi qui variis artibus decimas ecclesiis obuenientes subtrahere moliuntur, cùm decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.* Inde comminationes Augustini *vbi suprà,* hæc est *Dei iustissima consuetudo, vt si illi decimam non dederis, tu ad decimam redigaris, dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.*

1. Spirituales vtique.

Tamen ob necessitatem ecclesiæ, & ad illam iuuandam, sumptusque belli aduersùs infideles, decimæ quædam nobilibus pro ea militantibus fuerunt concessæ. *c.statuta.§. sane de Decim.in* 6. sed post Concilium Lateran. prohibitæ in laicos transferri aut minui. *c. prohibemus. X.de decim c.cum Apostolica de his quæ fiunt à Prælat.d.§.sane.*

2. Quamuis non feudales.

Decimæ sic ante Concilium concessæ plerumque feudi nomine habentur. *d.§.sane.* & à locorum dominis, eorumque vasallis, vt cæteri prouentus patrimoniales, & res feudales, ac sub huiusmodi oneribus possidentur, & speciatim in alienationibus, iura dominica laudimiaue soluunt: vt penditur rerum emphyteuticarum, ad earumque exemplum feudalium, censualium, cæterarumque directis dominis 50. nummus, vel ius retractus, *iuxta l.* 3.*C.de iur.emphyt.* vel maior secundùm mores, *aduersùs d. l.*3. pretij pars datur; in recognitionem vtique dominij dominis directis competentis.

3. Sed omninò quæ penes parochos etiamnum sunt.

Itaque decimæ, quæ penes parochos sunt, ac iure spirituali competunt, quæ nunquam aliquibus dominis temporalibus, seu aliis laicis competierunt, multò minùs ab aliquo Laico releuantur, aut feudali nexu dependent, sed semper iure parochiali possessæ fuerunt, nullo onere laudimiorum occasione directi dominij competentium, grauari possunt à dominis locorum, quorum temporale dominium non respiciunt, sed manent in primigenia natura, vt spirituales sint, & in signum vniuersalis dominij Deo quasi totius Vniuersi domino speciali titulo *vt dicit d.c. cum non sit* reseruatæ.

Perperam ergo faciunt, & contra omne ius & fas, qui laudimia exigunt à parocho occasione decimarum suarum parochialium, quæ nullo nexu feudali, seu alio respectu domino temporali obstringuntur, dum earum prouentûs obligantur pecuniis in extructionem domus presbyteralis ad reditum sumptis. quia eiusmodi obligatio nullatenus respicit. aliquod directum dominium, vnde dictum est laudimia nasci. quod in easdem decimas domino temporali non competit, sed Deo soli in signum, vt dictum est, vniuersalis dominij. Vnde *in c. fin. X. de reg.iur.* dicitur indignum esse & ab ecclesiæ consuetudine alienum, vt pro spiritualibus quis homagium facere compellatur: adeoque idem est de laudimiis similibusúe iuribus si exigantur ex decimis spiritualibus, vt sunt parochiales quas diximus.

CONSULTATIO VII.

De noualibus, vt sint parocho debitæ, earumque concessione.

Parocho intra fines suæ parochiæ soli omnes competunt decimæ de iure communi. *c.statuimus* 16.*q.*2.*c.à nobis c. cum tua c.cùm contingat.X de decim.c.fin.X.de paroch.* non alij: nisi de titulo doceat. *c.*1. *de præsc. in* 6. sola decimatio, percipiendi consuetudo, possessio, vel præscriptio decimarum per alios habita, ad nouales non extenditur. *c.tua c.ex parte c.cùm contingat. X.de dec.* sed concessio & indultum de integritate decimarum in parochiis propriis: *c.ex parte* 27.*X.de decim.* aut episcopalibus decimis: *c.quia circa. X. de priuil.* contra ipsum concedentem plenissimè beneficium interpretando. *ibid.* sed & Wamesius *de decim. cons.*448. concessionem decimarum generalius ad nouales extendit; etsi dissentit Couuar. *var. l.*1.*c.*17. *num.*13. & illud Wamesius etiam ad consuetudinem immemorialem *ex glos.& Panorm. in d. c.cùm contingat* porrigit: exceptis laicis. *ibid.* noualium tamen aliàs facta concessio ad iam ante ab aliis iustè possessas etiam non porrigitur: nec vltra quotam quam in veteribus possidet impetrans, & vbi possidet: nec, si is solus omnes alias ibidem possideat, vltra medietatem noualium: exceptis Cistercienfibus & Carthusianis. qui tamen prouentuum portionem congruam sustentationi parochi relinquunt. *c.statuto* 2. *de dec. in* 6. ita vt futuræ nouales, seu quæ amodò fient, etiam in vim indulti impetrati, vel impetrandi, vltra medietatem regulariter peti non possint. *ibid.§.*1.

1. Concessio decimarum an ad nouales extendatur?

2. Concessio noualium ad quas?

Prioris decisionis ratio est, quia possessio & præscriptio non porrigitur vltra id quod possessum est. *l.* 1.*§.siquis hoc. D.de itin.act.pri.* itaque sic non possessum manet parochi. Couuar.

var. 1.*c.*17.*num.*3. *d.c. cum contingat.* secundæ; quòd nunquam Princeps aut Pontifex intendit alteri ius auferre. *l.*2.§.*siquis à Princip.D.Ne quid in loc.publ.c.ex parte* 3.*& ibi Panorm. de decim.* vltimæ; ne nimium grauamen parochis inferatur. *d.c.*2.*in princ.&* §.1.*c.si quid in fin. X.de verbor.signif.* atque *in princip.*quidem *d.c.statuto* agitur de iure alteri iam quæsito non auferendo, quemadmodum & regula 17. Cancellariæ de non tollendo ius alteri quæsitum generaliter statuit; inferius autem *d.c.*2.de iure ad rem futuram re ipsa nondum acquisito. etsi enim parochus ex præscripto iuris nouales rectè petat, cùm iam erunt: tamen nondum natarum ius præcisè quæsitum nondum est, quippe nondum entis nondum sunt qualitates.

Vnde intelligimus quomodo accipienda sit clausula in huiusmodi indultis inseri solita, *sine iuris praiudicio alieni*; vtique iuris iam quæsiti. alioquin nunquam effectum sortirentur huiusmodi indulta: nam semper parocho pręiudicatur quoad ius circa nouales futuras acquirendum intra fines suæ parochiæ; vel episcopo, si illa limites non habeat. eo enim casu decimæ intra eius diœcesim occurrentes ad illius ius ac dispositionem pertinent. *c. quoniam. X.de decim. c. in sacris* 16. *q.* 1. nam intra limites parochus etiam episcopum excludit. *c.fin.X de paroch.c.vlt.X.vt lite pendent.*

3. An ad eas quæ olim aliis concessæ?

Quoniam diximus concessiones noualium non extendi ad illas quæ iam tunc ab aliis iustè possidebantur: *d. c.*2. *in princ.* Quæsitum est; quid si non possidebantur, quippe nondum extantes, sed concessio anterior earum quæ emersuræ essent in futurum aliis ibidem erat facta, an idem sit statuendum? Nempe episcopus in parochiis illimitatis certi districtus in sua diœcesi monasterio B. dederat nascituras nouales, saluo parochis tertio manipulo; & in aliis limitatis, vbi episcopus nihil hactenùs perceperat: & dicendum est priorem concessionem præualere, cui expressè non sit derogatum; seu de qua mentio facta non est: vt argumentatur. *d. c.*2. *in princ.* neque enim præsumitur concedens ius alteri competens voluisse auferre. & propterea indulta hîc exhibita à Prelato G: continentia clausulam *sine iuris praiudicio alieni*, quamuis dispositio *d.c.*2. non sufficeret ad hanc decisionem inde eliciendam, subsidio erit ea indultorum clausula, & iuris communis definitio, de iure alteri non tollendo, & specialis etiam decisio sumi videtur ex c.dudum *X.de priuil.*

Et verò non obstat iuri parochi etiam per noualium concessionem præiudicari, quia illo firmius est ius monasterio B. ex huiusmodi concessione competens, expressa & speciali donatione episcopi, ad quem olim omnis partitio facultatum ecclesiæ pertinebat. vnde adhuc in parochiis illimitatis eandem retinuit. *d. c. quoniam. X. de decim.* in limitatis autem, postquam facta est diuisio facultatum ecclesię, parochis quidem per consequentiam adscriptæ simul sunt decimæ veteres & nouales; sed olim non quasi omninò in proprietatem, sed administrationem; succedaneam episcopali, ad partitionem subalternam, reliquo ibidem clero, fabricæ, & pauperibus faciendam: quam exinde præueniendo tam summi Pontifices quàm ordinarij, speciales concessiones his atque illis locis & causis piis fecerunt; iure ita permittente: *c.vlt.*16. *q.*1. atqui in toto iure certum est generi per speciem derogari, atque ita concessiones specialiter factas genericæ iuris dispositioni anteferri: ita tamen vt congrua penes parochos portio maneat. quo vergunt cautiones interpretatiuæ *in d.c.*2. propositæ, & clausula d. concessionis *salua tertia gerba presbytero ibidem parochialia ministraturis.* quæ portio, totæque decimæ, quæ apud parochos hodie supersunt, cum reliquo clero, fabricæ, pauperibus bona sua adscripta sint, ita parochis debentur, vt nec ab Episcopis iam ampliùs possint auferri, nisi per indirectum; scilicet per vniones: quas etiam nunc vetuit *Conc. Trid.s.*24.*c.*13.

4. An ad præteritas an futuras?

Quò minùs parochi ius lædatur; & quoniam odiosa sunt restringenda, nolunt quidam concessiones decimarum & indulta extendere ad futuras nouales, si decimæ veteres & nouales sint concessæ: *Charond.in Pandect.du droit Franchois l.*1.*de la iurisdiction.c.*13.*fol.*136. sed dumtaxat ad illas, quarum vel possessionem parochus non accepit, vel quis alius sine vlla iuris specie inuasit. sed rarus is casus est, & propterea priuilegia fierent illusoria; & ea semper interpretatio accipienda est, quâ actus sustineri, & effectum sortiri possit concessio; quæ non solet huiusmodi raritates respicere. *arg. l.*3.4.5.6. *D. de legib.* Et propterea dum *d.c.*2. dicit indulti impetrati aut impetrandi pretextu vltra medietatem noualium, quæ amodò fient, peti non posse ab eo, qui solus omnes veteres possidet; satis indicat infra medietatem peti posse. idemque probat à contrario sensu §. *fin. ibid.* adeoque indulta ad nouales extendi censet Philip. Franc. *in d.c.*2. quo facit *c.*quia circa *X. de priuil. l.si seruitus. D. de seruit. vrb. præd. l.vlt. C. Quæ res pign.* quinimò Wamesius *de decim.consf.*448. ita indulta ad nouales futuras porrigit, vt nec præsentes velit complecti: sed Charondas, *vbi sup.* vbi decimæ etiam nouales disertè sunt in concessione expressæ, malè id ob verba *ad illas noualium decimas*, *d.c.* statuto interpretatur affirmatiuè, cùm textus loquatur negatiuè. Sed ea quæstio hîc cessat, cum in laudis, seu arbitriis in hac causa exhibitis clarè ordinatum est de præsentibus, & imposterùm accreturis.

5. Quid si cùm clausula de quibus hactenus nomine decimæ nemo quisquam percepit?

Si quæ tamen verba indulti aliter suadeant, veluti si proprietati sermonis aptari aliter non potest voluntas, *c.Rajnut.c.Raiual X de testam. DD. in l. Gallus. D. de lib. & posthum.* debebit concessio ad nouales tempore indulti extantes restringi. & quæsitum est an talia sint hæc; *de quibus nomine decimæ nihil aliquis hactenus percepit*; cum huiúsmodi negatio seu priuatio, præsupponere seu inferre videatur habitum, seu facultatem percipiendi, quæ non est nisi in iam existentibus. At verò sine impropriatione

ne verborum rectè procedit hic sermo; *de nouualibus non existentibus nemo percepit decimas*, negatiua enim prædicantur etiam de non ente, & maximè consuetus est istiusmodi loquendi modus, cùm entia & non entia vno verborum complexu volumus comprehendere: vt hæc indultorum clausula nouales præteritas, præsentes, & futuras, quas nemo perceperit: nam ea spectat ad inculcandam dispositionem *d.c.2.* quemadmodum in iisdem indultis in vlteriorem illius conformitatem etiam inseri solet hæc clausula; *pro ea portione qua veteres iustè percipitis*, vbi nota *portionem*; quæ illum excludit, qui solidas possidet. & nota iterum *iustè*; contra inuasores sine titulo, aut non iusto, vt à laico accepto. *c. tua in princ. & fin X. eod. c. dudum ibid. d. c. statuto in fin.* Item *in parochiis vestris*; quod alludit ad *d. c. ex parte 27.* & possessiua illa vocabula proprietatem significant. *l. quintus 2. §. argent. l. scribit D. de aur. & argent. leg.* iuxta c. de monachis. *X. de prabend. vbi Panorm.* seu *de patronatu vestro*; quæ in ecclesiasticis parum distant. *Rebuff. de decim. n.* 103. 117. & sæpè ex incorporationibus parochiarum huiusmodi patronatus nascuntur, his præsertim locis. *VVames. de decim. cons.* 440. *n.* 10. vnde hi primitiui pastores dicuntur esse. *Rebuff. ibid.* sed rectiùs dissentit, negatque hoc ex nomine patronatus, & collatione præsumi Charond. *resp. l. 1. r. 27.* ideoque illius præsumptio facilè eliditur, si in literis vacare pastoratus dicantur; si conferri, si institui ibi presbyteri; si hi proprietarij dicantur: nam vnita non vacant, non conferuntur, deputantur tantùm in illis vicarij: denique si ecclesia illis solet conferri, plena administratio dari: nam ea vicariis non competunt, sed parochis primitiuis ecclesiæ perpetuò sunt datæ: denique ad finem indultorum solet addi clausula; *sine iuris praiudicio alieni*; de qua mox egimus; & quam inculcat *d. c. 2.* Et verò, si ad rigorem loquamur, nouales futuræ dici non possunt ante nouationem, & culturam agri noualis; cum nondum sint: sed sermonis gratiâ res futuræ tanquam præsentium vocabulo significantur: sicut & ædificio futuro seruitutem imponi dicit l. si seruitus *in fin. & ibi notata D. de seruit. Vrban. prad.* adeoque de futuris accipi possunt hæc verba; *de quibus nihil aliquis nomine decima percepit.*

6. Quæ causæ ex quibus veteribus possessoribus obtingunt nouales?

Sed & quoniam *in d. c. cum contingat* excipitur, si qui in aliena parochia percipiunt decimas, ne possint nouales suas facere, *nisi rationabilis causa ostendatur, per quam appareat noualium decimas ad eos quoque pertinere*, statuendum est priuilegium concessum *in parochia propria* rationabilem causam esse: *d. c. ex parte:* nam is cuius parochia propria est, pro primitiuo pastore est, cui iura parochialia competunt saluâ vicario portione, *c. de monachis. X. de prabend.* & in his non obtinet dispositio *d. c. 2. VVames. de decim. cons.* 440. *num.* 10. *Papon. arrest. l. 1. t. 12. de dec. nou. ar. 1. Maynard. l. 1. co. 30. quest. Rebuff. de congrua q. vlt. n.* 111. 113. & *seq. Grimaudet in Paraphra de decim. l. 2. c. 7. ad fin. DD. in c. quoniam X. de decim.* Patitur secundò extensionem priuilegium indefinitè concessum; præsertim aduersùs concedentem. *d. c. quia circa.* quin & si quis ecclesiasticus (nam laicus incapax est *d. c. dudum*) præscripserit ius decimandi vniuersum per eam parochiam. *Ita Anton. de But. & alij in d. c. tua. Panorm. cons.* 71. *vel* 72. Ita vt parocho pars nulla sit relicta, quacumque parochiæ regione: nam id impediret ius, & considerationem vniuersi. *VVames. de decim. cons.* 446. *latè*: quamuis *cons.* 440. *n.* 7. etiam vniuersi considerationem admittere videatur in certo parochiæ districtu, seu confini ambitu. denique Wamesius *d. c.* 446. *nu.* 5. causam extensionis rationabilem post alios refert, si ex fundis noualium priùs percipiebatur aliquid; quia fortè erant vel pascua, salicta, vel aliæ terræ alios fructus præter frumentum ferentes. Ad extremum consuetudo immemorialis ad nouales extensionem admittit. *VVames. d. cons.* 448. quod vices priuilegij subeat. Huiusmodi causis cessantibus ait idem *d. cons.* 446. *n.* 5. cessare extensionem. *d. c. cum contingat.* Sed enimuerò meminisse oportet, vbi de decimis agitur, pascua, hortos, areas domorum dirutarum, pomaria, arbusta, si aratro subiiciantur, noualia non esse. *VVames. ibid. cons.* 449. *num.* 14. (nam & talia culturam exigunt, & Romani primas tribuerunt culturæ pratorum. *vt idem VVames. cons* 40. *n.* 14. *ex Columell. de re rustica. lib. 2. c. 17. 18. meminit*) sed neque quæ decimalem fructum non ferebant, consitâ nunc specie decimabili: *Grimaudet in Paraphra l. 3 c. 4. num.* 5. neque agrum qui pluribus tantùm annis vacauit. *VVames. d. cons.* 440. *nu.* 12. quia sufficit si vlla culturæ memoria sit. *c. 1. c. quid per. X. de verb. sig.*

Quod de vniuerso diximus, ex præscriptione tanquam vniuersi omninò accipiendum est; nam alioquin medietas noualium parocho relinquenda est. *d. c. 2. § 1.* Itaque quod Prælatus G. in isto districtu, vbi nunc surgunt nouales, reliquas vniuersas possideat, ad rem non facit; quia non ex præscriptione, sed ex aliis titulis, laudis, & repartitione, seu permutatione quotarum ad certos angulos cum aliis decimatoribus facta; vt ea consequentiam non trahant extra fines titulorum, quibus alij, in quorum ius successit, possidebant. ex quo etiam sequitur, cùm is, qui in ius alterius succedit, eodem vti tantùm possit; nec in actis constet eosdem ius accrescendi habuisse, seu indultum, vt qua parte veteres possiderent, illis ibidem accrescerent nouales; eademque partitio posterior sit indultis, quæ Prælatus G. produxit; eademque noualium acquisitionem restringant ad ratam veterum tempore indultorum possessarum; ad alias, huiusmodi partitione postmodum acquisitas, indulta, natura odiosa & restringenda, porrigi non posse. quamuis enim per commutationem surrogata naturam sapere videri possent eorum quibus surrogantur: id sanè de priuilegiis dici non potest, quæ de persona ad personam, de re vna

re vna ad aliam, de hoc loco ad alterum extensionem non patiuntur; præsertim cum præiudicio tertij: vt si vno angulo adiacent miriceta, vbi aliquando nouales surgere possint, & parocho obuenire; alteri angulo nihil sit confine, nisi quod sit cultum, adeoque nihil possit accrescere; *vt d.c.statuto in fin.& quæ ibi glos. citat*, non admittunt mutationem cum tertij præiuditio.& propterea tam *d.c.2.*quàm indulta hæc specialia restringuntur ad loca, in quibus veteres decimas Prælati G. tum percipiebant.

Et quamuis constet Prælatum G. anno 1239. tertium manipulum habuisse cum Episcopo T.salua portione parochi; tamen id in veteribus tantùm decimis accipiendum est: cùm literæ an. 1220. nouales omnes iam ante detulissent Prælato B. & iterum literæ 1239. decimis Prælati G. certos fines proponunt fuisse positos, Prælatum super limitatione questum, arbitros limites laudo firmasse: neque verò probatum est an nouales, de quibus quæstio nunc, intra hos limites surrexerint, an extra limites, in quibus Prælato B. duæ omnium noualium tertiæ antè fuerant donatæ.

7. An parocho obijci possit petenti decimas quæ dicantur alteri competere, tua non interest?

7. Et quamuis obijci posse videatur, parocho de iure tertij non esse permissum experiri; ideoque non vltra tertiam noualium petere posse, reliquas duas esse Prælati B.& ita Prælatum G. pro integris conueniri non potuisse: dicendum est tamen neque Prælatum G. de iure tertij excipere posse in hoc casu, in quo possessor simpliciter dicere non potest; *tua non interest, quoad te liberas ædes habeo*: quia parochus sine iure & actione non experitur. quoniam, vt demonstrauimus, quoad omnes decimas intentionem suam habet in iure fundatam: Prælato tamen B. exceptio competeret ex speciali concessione sibi facta; aduersùs quam, an æqua erit replicatio parochi super non receptione, super non vsu, aut contrario vsu, quo priuilegia amittuntur, aut compensatione portionis congruæ; non est Prælati G. disputare. quem etiam si parochus via facti spoliasset, restituendum non esse deciditur *in c.2.de rest. spol. in 6.* nisi titulo canonico exhibito, quo decimas in aliena parochia vindicare possit. adeoque parocho nuper beneficij possessionem adepto retinendæ decimarum noualium, etsi non antiquarum (quod tamen non distinguit *d.c.2.*)possessionis interdictum aduersus plusquam quadragenarios possessores, etiam parochos primitiuos se asserentes, non obesse scribit Charond. *resp.lib.1.resp.27.*

Cùm itaque nulla supradictarum causarum in casum nostrum incurrat; dicendum est, decimas, de quibus quæstio, pastori loci esse adiudicandas, aduersùs omnes, qui ibi decimas percipiunt. constat enim ex dictis testium proprij nominis esse nouales decimas; terrasque, ex quibus surgunt, ante inundationem à nulla hominum memoria fuisse cultas; inidoneasque culturæ fuisse; inundatis superficiem à mari alluente impinguatam, fruges nunc demùm ferre posse: Prælatum G. primitiuum parochum non esse: ecclesiam conferri solitam, non vicarium in ea deputari: actori pridem collatam cum plenaria administratione: antecessores illius in antiquis monumentis vocari *erffachtighe prochie papen*: id est, parochos proprietarios: titulum etiam primæ acquisitionis Prælatus G. non exhibet, sed transactiones tantùm, & lauda; quæ omnia strictè sunt excipienda: magis quàm liberalis concessio. Ius etiam vniuersum decimandi nemo ibi præscripsit. nam plures sunt cum parocho qui decimas colligunt, & si quis in hoc aut illo angulo eas in solidum possideat, nemo titulo præscriptionis, sed singuli diuerso, & omnes communi quadam, vt allegatur, commutatione quotarum pro certis agris, aut districtibus: quæ extra terminos suorum titulorum porrigi non possunt. consuetudo etiam immemorialis, solidas decimas in hoc angulo percipiendi, non est probata; vt daretur sufficere; & non requiri totius parochiæ: quia ea consuetudo vicem tantùm tituli idonei posset supplere, cùm nullus apparet: At hic tituli apparent, præsertim illa compermutatio; quæ idonea non est ad extensionem: præsertim post indulta inita, & in tertij præiudicium. Porrò Prælati B. productus titulus de veteribus quidem decimis non loquitur. vnde illi earum quota nulla est, quæ ex Ordinis indulto attrahat nouales: sed de noualibus loquitur titulus in certo districtu, quoad duos manipulos concessis in parochiis illimitatis indistinctè; in limitatis autem vbi antè non essent perceptæ: atqui in actis nihil docetur quid olim extra parochiæ limites fuerit, quid intra limites, vbi nihil perceptum. verùm siue intrà, siue extrà fines sit, cum satis sit probatum nomine decimæ nihil vnquam esse hîc perceptum; duo manipuli ei competerent: nisi non vsu, aut contrario vsu euanuisse priuilegium constet: cuius inquisitio nunc suspenditur. De aliis, pro quibus indultum noualium non allegatur, aut concessio vetus indefinita, vel laico iure decimas possident, nihil operæ pretium est dicere: cùm non tantùm laici, veteres possidentes, nouales non acquirant: sed neque ecclesiastici, qui à laicis acquisiuerunt, *d.c.statuto in fin.*

8. Clausula concessionis qua veteres iustè possidetis, an comprehendat à laicis acquisitas.

Quare & indulta dum aiunt, *pro portione qua veteres iustè possidetis*, censent aliqui excludere illas veteres, quæ non ritè à laicis acquisitæ sunt per ecclesiasticos alios quàm parochos: nam non omni modo licet acquirere, sed ex præscripto canonum. *c.vlt.16.q.1. c. ad Apostol.X.de his quæ fiunt à prælat. c.prohibemus. X.de dec.c.nullus.X.de iur.patron. c.cum & plantare.X.de priuil.* vbi assensus episcopi exigitur: sed neque sufficit in iis, quæ non in feudum sunt datæ. *d.c.ad apost.in fin.* aliàs omninò sunt parochialibus ecclesiis restituendæ, non in laicos, aut clericos transferendæ. *d. c.prohibemus.* tametsi nec hoc in antiquitùs à laicis possessis alio quàm feudi nomine hodie seruetur: nisi frequentioris vsus gratia feudi mentionem factam dicamus, quæ ex mente legislatoris complecta-

plectatur quamcumque legitimam possessionem : vt puta immemorialem. Vnde in multis confirmationibus apostolicis decimarum à laicis in ecclesiasticos translatarum huiusmodi verba legimus; *quas, vt alios suos reditus, possidebant* : feudi titulo, aut alio non expresso. vnde rectiùs dicemus hanc esse rationabilem causam, quam admittit *d.c.2.in fin.* pro extensione veterum à laicis acquisitarum ad nouales. scilicet non ex sola antiquitate acquisitionis; sed indulto simul obtento de noualibus, pro rata veterum iustè possessarum, acquirendis.

9. Pro parochis in noualibus in dubio respondendū. (& quatenus concordiis antecessorum deferendum?)

Et sanè in dubio facile pro parochis est respondendum quoad nouales, non obstante possessione aliorum nondum præscripta, aut antecessorum etiam concordiis. *Charond. resp. l.1. r.27.28.29. l.7. r.6.* præsertim si congrua portio eis deest. *d.r.27.* vel in certis rebus constituta non sit, sed per modum pensionis, seu mercedis stipendiariæ erogetur. nam Concil. Trid. *s.7.c.7.* in ipsis fructibus certis eam con-

10. Præsertim non congruè dotato.

stituere permittit. quæ si per hoc rationabilem taxam excederet, potest pensionis fieri eatenus imposterum imminutio. quod eò magis hic recipi potest, quod ex munimentis constet parocho in veteribus suam portionem, & in noualibus tertiam fuisse adscriptam, quæ libris septem annuis exinde redempta in aliis monumentis narretur, quæ adhuc quotannis soluuntur: neque appareat huiusmodi alienationem solemniter factam in re liquida : cum aliàs ne quidem in dubia sine authoritate superiorum transigere parochis liceat: *c. statuimus c. veniens.*

11. Quatenus ei transigere liceat?

X. de transact. saltem vt successores obligent: *Charond. d.l.7. resp.6.* præsertim quoad nouales: *d.l.1. resp.27.* maximè cùm ex huiusmodi redemptione pretio frugum aucto, pecuniæ imminuto, non in dimidio tantùm, sed decuplo præsentis pretij læsio successerit: quæ cùm perpetuo grauet; semper recipere potest remedium: potissimum bono publico attento, quod ad animarum salutem melius curandam, exigit

12. & transactiones quatenus interpretandæ?

pastoratus bene esse dotatos : etiam in rebus certis. *d.c.7.s.7.* quo digniores semper ecclesiarum sponsi inuitentur: quodque decimæ hîc controuersæ tempore redemptionis non fuerint; neque ex productis munimentis constet etiam futuras nouales fuisse in redemptione comprehensas : sed magis præsumendum sit, de illis actum, secundùm tunc præsentem illarum statum; & contractus communibus verbis concepti ita sint accipiendi, vt in generali concessione non censeantur comprehensa, quæ quis in specie non esset concessurus. *c. in generali, & quæ ibi traduntur de reg. iur. in 6.* adeoque non solent pacta generalia extendi ad casus admodùm insolitos, & etiam à viro prudenti non præcogitatos, etiamsi pactum generale intercessisset de casibus præstandis. *Menoch. de arbit. cas.80.* qualis est, quod tantus terrarum tractus naturâ sterilis, per has bellorum tempestates immisso per ruptos aggeres mari inundatus, & impinguatus, omniumque frugum ferax sit factus excluso iterum mari. vt omittamus non constare an perpetua fuerit illa redemptio, an temporalis. vt sæpe huiusmodi contractus olim fiebant etiam ad non aginta nouem annos, sine proprietatis abdicatione, sed ea lege, vt lapso termino res in pristinum statum reuerteretur.

CONSVLTATIO VIII.

Cisterciensium immunitas à decimis, vt & hospitalariorum.

Cistercienses immunes sunt à decimis prædiorum suorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colunt: vt & templarij, & hospitalarij. ceteri vero noualium tantùm, quæ sic colunt, hortorum, & nutrimentorum animalium. *c.10.11.12. X de decim.* sed tamen id restrictum deinde, vt de terris de quibus ante aliis decimæ soluebantur, omninò soluantur : *c. nuper penult. ibid.* vetitumque terras comparare post Concilium Lateranense, vnde aliis ecclesiis decimæ soluebantur; nisi fortè pro monasteriis nouiter fundandis. quæ tamen huiusmodi possessiones aliis tradere debent excolendas, vt decimæ soluantur : quin etsi ipsi colant, non sunt immunes. *d.c.penult.* multò minus si colant terras conductas. *c.dilecti.X.eod.*

1. Quoad terras quas propriis manibus aut sumptibus colunt.
2. Si alij autē decimas non percipiebāt,
3. vnde terras cultas vetātur emere nisi pro nouis domibus.

Sed Bonifacius VIII. concessit Cisterciensibus, vt de terris suis cultis & incultis, & quas etiam aliis concedunt excolendas, de quibus tamen aliquis decimas seu primitias non percepit, nec ipsi, nec cultores decimas soluant.

4. Dein concessum vt nec soluant de terris quas aliis dant excolendas;

Martinus V. generaliter indulsit, vt à decimis essent immunes, tam de possessionibus habitis ante & post Concilium Lateranense, quàm de cætero habendis, etiam de noualibus, siue post Concilium huiusmodi acquisitis, & acquirendis, quæ propriis sumptibus excolunt, seu excolent, quam aliàs quandocumque vel qualitercumque excolentur; & etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus percepit, nec non de hortis, virgultis, & piscationibus suis, & de suorum animalium nutrimentis. *Chopin. de sacra polit. lib.3. n.8.* vbi in fine tamen pronuntiatum refert à Curia Parisiensi, excipiendos esse fundos, quos nec propriis manibus, nec sumptibus colunt. Priuilegium Martini V. *refertur ad longum in libro priuil. Ordinis Cisterciensis*, & confirmatum est à Sixto IV. Sed vereor in viridi non esse passim obseruantia, quatenus excedit priuilegia Corpori iuris inserta (quamuis Wames. *de decim. consf.450.* illa ex facto propugnet) præsertim quando erunt nouitèr emptæ possessiones, ex quibus aliis decimæ soluebantur, aut non ipsi propriis manibus, aut sumptibus colant, aut saltem partiarios fortè habuerint colonos, qui de portione sua decimas soluant, portione religiosorum immuni relictâ. Qui casus

5. Tandem de nullis,
6. Sed non videtur ita generatim receptum.

casus sic benignè interpretatur priuilegium Martini V. vbi dicit qualitercumque colantur. & inter munimenta Monasterij S. Bernardi ad Scaldim extat priuilegium Alexandri IV. vt si animalia dederint in societatem, de fœtibus decimas non soluant, quoad eam partem quæ eos contingit. Vnde in Priuilegiis

7. Seruanda possessio seu vsus. diuersimodè restrictis non facile est hodie interuertenda possessio, siue religiosi sint in possessione immunitatis; siue alij in possessione decimas percipiendi. Ea enim possessio argumento est, casum seu fundum, de quo agitur, subiectum esse priuilegio, vel non esse, vel priuilegium receptum ibi esse, vel non esse: forte ex ratione *c. suggestum. X. de decimis* seu aliàs; donec aliud possessione potentius appareat documentum. possessio autem accipiendi decimas, ex cultura coloni non generat possessionem accipiendi ex cultura regularium, quia illa priuilegiata non est, vt hæc.

8. Terræ & decimæ antiquæ præsumuntur. Decimæ etsi post Concilium Lateranense natæ sunt, & tamen memoriam excedunt, nisi idoneis documentis non tales esse probentur, antiquæ esse, atque ante Concilium cultæ credentur. eadem ratione quâ decimæ à laicis ab hominum memoria possessæ, iam ante idem Concilium Lateranense eodem in statu fuisse præsumuntur. *Meno. h. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 86. Monet. tract. de decimis c. 5. nu. 74. 103. & seqq.* res quippe eo in statu fuisse olim præsumitur, in quo hodie inuenitur: neque enim mutatio præsumitur, nisi in iis in quibus tempus eam adfert, vt in ætate, attritione vestiū, & similibus. *l. sancimus C. de testam. l. 3. l. 22. D. de probat.* sed tamen hæc præsumptio generalis

9. Nouales ex contraria obseruantia, fama, &c. speciali cedit, si qua indicia eluceant in contrarium. Verbi gratiâ, quòd pro noualibus ex fama habeantur; quòd possessio aliqua aliquando per aliquos actus aliter habita. In dubio autem manendum est in priuilegiis, quæ sunt clara: vel redigendæ sunt partes ad composi-

10. In dubio consultum componere. tionem; quam etiam in terris antiquitùs cultis suadet Innoc. III. *d. c. nuper*, adeoque permittit tam ipsis, quàm ecclesiis, quæ ante ex illis decimas percipiebant: quamuis huiusmodi

11. Nec ad id opus decreto cùm fiat iuris permissu. di compositio ad immobilium alienationem spectare meritò videatur, & *in c. 2. X. de donat. arg. à contrario sensu* Superioris authoritas videatur requiri. & addit politicam causam Innoc. vt in aliis diligentiùs priuilegia obseruentur, & promptius à Prælatis eis iustitiæ complementum exhibeatur. quin & mandat *d. c. suggestum*, vt fiat compositio. quo fit vt & quod præcipitur, permitti censeatur, & epikeiam & æquitatem inspici, & insequi oporteat.

12. Benignus cū parochijs incompetenter dotatis agēdū cùm priuilegiū incipit esse nociuum. Quòd si porrò præter commune dubium accedat specialis tenuitas parochi, eo magis res ad compositionem vrgenda est; quia nimis eo loci incipit priuilegium esse nociuum; & sic arbitrio boni viri restringendum *d. c. suggestum*, & quidem sic, vt congrua portio parocho maneat, & congrua liberaliter.

13. Noualium Quare & portio noualium ex priuilegio plerisque Ordinibus concesso accrescens pro rata veterum decimarum, non comprehendit eas, quæ ab aliis tempore impetrationis priuilegij possidebantur, & ad loca tantùm spectat vbi ipsi antiquas possidebant, *c. 2. de decimis in 6.* & ad medietatem restringitur in futuris, si integras veteres possideant ibid. Tale autem datum esse Cistercienlibus constat *ex §. 2. in fin. ibid.* vbi eos excipit à medietate noualium parocho relinquenda, saluâ tamen ei canonicâ portione. & refertur in libro priuilegiorum Ordinis Cisterciensis generale priuilegium Innocentij III. pro eodem Ordine. & habet d. monasterium S Bernardi speciale ab Eugenio IV. habent simile diuersorum Pontificum multæ ecclesiæ collegiatæ sæculares: vt nostra Antuerpiensis. portio pro veterū rata decrescit Cisterciens. aliàs parocho medietas.

Porrò ex *d. c. suggestum & glos. ibid. aut Maldero de iust. tract. de decim. d. 5.* non est generaliter admittendum, vt quoniam multiplicata sunt monasteria Cisterciensia, & auctæ admodùm possessiones, dicantur priuilegia Ordini isti concessa, iam esse nociua, atque reuocata; sed est illud in vnoquoque casu referendum ad arbitrium iudicis; qui circumspiciat loci, & temporis circumstantias, onera parochi, amplitudinem possessionum regularium, tenuitatem prouentuum parochialium. quemadmodum idem *c. suggestum* mandat componi super decimis, non autem priuilegium ex toto abrogat. 14. An nunc nociua sint priuilegia ex c. suggestum non generatim sed specialiter ex loci circumstantiis est videndum.

Et vt minimùm taxam amplam hisce casibus, quæ pro competentia parochorum communiter statuta est, non tantùm relinqui, sed etiam liberaliorem oportet, quia maior ratio est, ne per priuilegium prouentus parochi proprius minuatur, quàm vt ex prouentu decimatorum proprio ad parochi competentiam pars auferatur. *arg. d. c. 2. §. statuimus. vers. quia non est verisimile.* 15. Et liberalius quàm congrua portio ex decimis alienis assignatur.

In Capitulo quidem generali Abbates Cistercienses decreuerant ne imposterum ab eis terræ acquirerentur, de quibus alij decimas percepissent; nisi forte pro monasteriis de nouo fundandis, quas tunc aliis traderent excolendas; quod ab Innoc. erat confirmatum; sperante quòd faciliùs de cætero Ordinis priuilegia seruarentur: sed quoniam in contrarium multiplicatæ sunt molestiæ, diuersi Pontifices antiqua priuilegia restituerunt, Innoc. IV. Alexander IV. Honorius III. Bonifacius VIII. Martinus V. Honorius IV. 16. Antiqua priuilegia cur olim restituta?

Et Bonifacius quidem VIII. indulsit, vt de terris suis cultis vel incultis, quas aliis cederent imposterum excolendas, de quibus tamen aliquis decimas vel primitias non percepit, nullus ab eis, seu cultoribus terrarum, decimas aut primitias exigat.

Quoniam verò eadem priuilegia diuersis verbis & terminis vtuntur, & quidem Martinus V. & Sixtus IV. valde generalibus vt Cistercienses immunes sint, non tantum de laboribus suis, & noualibus, sed tam de terris acquisitis post, quàm ante Concilium: noualibus, hortis, pascuis, nemoribus, etiam quomodocumque & qualitercumque excolantur,

nullibi

nullibi tamen videamus eorum colonos immunitate decimarum gaudere; nec est verisimile terras olim acquisitas; & laboribus suis cultas, non tamen à decimis immunes, superueniente priuilegio Martini V. parochos passos deinceps immunitatem eis dari, & prouentus suos, recipi solitos diminui; satius est
17. quando de antiquis terris agitur, aut similibus casibus, negocium amicabiliter componi. quod probat & mandat Innoc. III. vt mox diximus; adeoque quamuis ad immobilium alienationem vtrimque transactio spectare videatur, non est scrupulus ingerendus; cùm procedat in vim facultatis à iure factæ, securius tamen est probari transactionem ab episcopo. quamuis & Maldero *vbi supra* necessarium videatur. præsertim si nimis generaliter transactio concipiatur, quando sanè non licet, *c. statuimus. c. veniens de transact. VVames. h. t. cons.* 447. *n.* 13. adeoque aliter facta parochi successorem non obligat. *Charond. resp. l.* 7. *r.* 6. Sed Clemens V. *in c.* 1. *de dec. in Clem.* grauibus pœnis regulares subijcit decimas defraudantes, & qui *de terris*, inquit, *quas tradunt alijs excolendas decimam solui non permiserint seu prohibuerint*, excipit. *nisi legitima aliqua ex causa ad se spectantes*: eoque gloss. *in v. excolendas* rectè ait inspiciendum priuilegium; & si terras eximat; etiam colonos fore immunes. quamuis *in c. nuper. X. de decim.* antiquæ possessiones à Cistercienfibus acquisitæ iubebantur elocari, vt decimæ soluantur. quasi priuilegia vetera in personas ipsorum concepta, vt immunes essent, si ipsimet terras suas colerent, seu suis manibus aut sumptibus. quicquid sit, videri potest priuilegia in corpus iuris non relata, vt quę vltimo citauimus, recepta minus esse à vulgo, etiam quandoque vltra intentionem d. clementinæ inhærente.

Ob controuersias satius componi.

De Regularibus.

CONSVLTATIO I.

An conditio, si mundum reliquerit, per ingressum in Societatem aut beginagium, purificetur?

TEstator nepoti & nepti, si quis eorum mundum relinqueret substituit alium nepotem; nepos Societatem Iesu est ingressus; neptis autem beginagium: quæritur an hoc ipso mundum reliquerit, & substituto locum fecerit?

Dubia sane locutio est quid *mundus* significet, & quid *illum relinquere.* Augustinus *in Psal.* 54. *contra diabolum & angelos eius habemus*, in-
1. quit, *occultam luctam; ad quam nos armat Apostolus dicens; non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem; id est, non aduersùs homines quos videtis, sed aduersùs principes, & potestates, & rectores mundi, tenebrarum harum: ne forte cum dixisset mundi, intelligeres demones esse rectores cæli & terræ: mundi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum & iniquorum; mundi dixit, de quo in euangelio dicitur, & mundus eum non cognouit.* hoc sensu omnes christiani dicuntur mundum relinquere, seu ei renunciare per baptismum: sic qui in seculo pietatem colunt, etiam mundum relinquunt.

Mundum relinquunt pij christiani.

Sed testator hic vir catholicus non tantum, 2.
sed & ipse in seculo pius aliud procul dubio intendit: sed an ingressum irreuocabilem professionemque ordinis ab ecclesia approbati, an tantùm institutum, & viuendi modum habitu saltem à vulgari more discretum, vt est etiam deuotariarum, non tantùm beginarum, controuertitur.

Testator quid specialius intendit.

Et sanè deuotarias, canonissas, beginas, 3.
quodammodo seculum relinquere, & ecclesiasticas quodammodo censeri ex iis patet, quæ diximus *in iur. pont. nou. anal. de regular. num.* 1. *& seqq.*

An beginæ videantur ecclesiasticæ?

Nouitios etiam dici seculo relictq ad vitam 4.
regularem migrare; & nouitiatum relinquentes ad seculum regredi: similemque modum loquendi vsitatum etiam esse in canonibus, patet *ex c.* 19. 20. 21. 23. *X. de regular. & c.* 1. *eod. in* 6. eodemque modo loquitur auth. *de nupt. c.* 2. *siue §. distrahuntur*, præsertim in verbis; *eo quod & iste quantum ad matrimonium videatur mori, aliud præ alio vita eligens iter.*

Nouitij seculum dicuntur relinquere.

In contrarium tamen valdè facit, quòd be- 5.
ginæ, & multò magis deuotariæ dumtaxat, statum peculiarem non habent: *Clem.* 1. *de relig. dom.* nec religiosæ sunt: *Clem. attendentes de regul.* non in sortem domini vocatæ, clericæue; sed laicæ sint; ita vt earum percussor non incidat in canonem *si quis suadente diabolo*: subsint magistratui seculari, & parocho populi, nisi vbi peculiaris est assignatus, non alicuius religionis prælato. Iesuitæ autem, & si facto voto simplici religiosi quidem fiunt, nō tamen irreuocabiliter; sed dimitti possunt ex instituto & Constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. *de quibus Azor. inst. moral. l.* 13. *c.* 7. tametsi velint aliqui non nisi ex dimittendorum culpa.

Beginæ statum peculiarem non habent:

Et nouitij quidem, specie tenus, & propo- 6.
sito eorum considerato, quasi religiosi habentur, & priuilegiis eorum gaudent, sicùt sponsa aliquando pro vxore habetur, & cingendus pro cincto: sed in verborum rigore & veritate rei nondum religiosi sunt, nondum absolutè mundum reliquerunt. Ideoque quod dicitur in Auth. *ingressi C. de epis. & cler. quod ipso ingressu se & sua Deo dedicant*, de ingressu per professionem, non per nouitiatum accipiendum est. *vt ibi glossa & DD.* & similia à Iustiniano dicta, ita esse accipienda Gudelin. docet. *Iur. nouis. l.* 6. *c.* 9. & canones disertè tradunt habitum non facere monachum, sed professionem ipsam: *c.* 13. 16. 22. *X. de regular. c.* 1. *eod. in* 6. expressam quidem, vel tacitam: quæ tamen arguitur ex delatione hab itus cum professis

Nouitij non simpliciter mundum relinquunt sed professi:

fessis indistincti per annum *d.c.22.* distincti quàm primum; *c.23.ibid.* saltem per triduum: *c.3.eod.in 6.* adeoque dicit Iustinianus, velle religiosâ non statim quempiam vestiendum: *Auth. de monach.c.2. siue §. hinc autem*, sed tonsurâ & veste eorum, qui laici vocantur, vti debere: *non enim*, inquit, *facilis est vitæ hominum mutatio, sed cum animæ fit labore*: *& c.3.* dum triennio toto ita permanserint monasticam promereri vestem, atque tonsuram: & tunc vocat migrantes *ad communem omnium (dicimus autem cælestem*, inquit,*) dominum.* hæc ad cælestem dominum migratio derelictionem mundi, à quo videntur migrare, eodem significatu; verborumque vsu inferre videtur. Sic scribit Alexander III. hospitalarios veros vtique religiosos seculum reliquisse. *c.13.X. de iur.pat.*

7. In Societate per votum quamuis simplex verus fit religiosus, & mundum relinquit.

Igitur quoniam verba mentem significant: *l.Labeo §.idem. D. de supell.leg.* verba accipienda sunt cum effectu, *Tuscus V. Verba. concl.90.* & in dubio, quando coniectura voluntatis non aliud iubet (nam vbi ea apparet, verbis præualet: *l.in condition.D.de Condit.*) is sermonis intellectus accipiendus est, quo iuris dispositio minùs alteratur. *Tusc.ibid. concl.97.* videtur statuendum quoad eum, qui ingressus est Societatem, si nouitius adhuc est (nam de his vt de aliarum religionum nouitiis est statuendum *L.Molina de iust.& iur.d.139.*) non dicendum reliquisse mundum, adeoque locum nondum fecisse substitutioni: sin autem primum votum fecerit; conditionem substitutionis euenisse, nec referre quod ea possit non durare, & post illud votum è Societate ille dimitti; quia sufficit semel impletam esse conditionem. *l.si quis.C.de instit.& substit.* vbi traditur, si quis filiam instituerit hæredem sub conditione, *si nupta fuerit*, quamuis à marito diuerterit, conditionem esse completam, aliâ veterum subtilitate resectâ. Conditionem autem hanc etiam iure improbatam non esse docet Menoch. *presf.l.4.p.83.n.3.22.& seqq.*

8. Et sine apostasia exire non potest.

Decidendi porrò ratio *in d.l.siquis* facit, vt non tantùm is, qui professus est in Societate, & sine apostasia sponte exire non potest (vt decisum est dictis Pij V. & Greg. XIII. Constitutionibus) sed à superioribus tantùm dimitti, locum faciat substituto: sed etiam begina ad seculum licitè regrediens, & contrahens matrimonium, conditionis implementum non irritaret, non magis quàm diuortium ibi ab vxore factum; si quidem quoad hanc semel exstitisse censeretur.

9. Secus in begina.

Sed, quoad beginam, dicendum videtur, cùm beginarum nullus sit ordo, nulla regula à Sede Apostolica probata, nullus status peculiaris, sed vt cæteræ de populo communi magistratui sæculari & ecclesiastico subsint, non esse mortuas mundo, non dereliquisse mundum, non migrasse ad cælestem dominum: adeoque non exstare conditionem per earum viuendi modum susceptum, nec fieri locum ei, qui in casum derelictionis mundi, substitutus est.

10. Nec habitus sufficit eò quod religio non sit approbata, vel status illarum:

Nec obstat assumptio habitus beginarum; quia ille, etsi in religione approbata, non facit monachum; sed sola professio; vt præcitatis canonibus probatum est: beginarum autem institutum non est approbatum: *d. Clem.1. de relig.dom.d.Clem. attendentes de stat. regular.* vt autem quis religiosus dicatur, professio in religione approbata à Sede Apostolica requiritur. *c.vlt.X. de relig.c.vlt.de relig. dom.c.vnic.de relig.in 6. Lessius de iust.& iur.l.2.c.41.d.1.nu. 12 & 13. & d.7.* alioquin pietas & religio generali nomine 1. pro virtute accipitur, quâ Deus colitur: 2. pro formula cultus diuini, qualis hodie Christianorum, & olim Iudæorum: 3. pro formula religionis specialis alicuius à Sede Apostolica approbatæ: *Lessius ibid. d.1.n.2.* Tertiam beginæ non habent; prima & secunda nihil habet peculiaris status, quo spectasse testator videtur.

11. Potius instar nouitiorum sunt.

Nec refert, quòd vlteriùs beginæ à communi populo multis pietatis exercitiis, aliisque notis distinguantur: quia illæ non faciunt peculiarem denominationem; nec pietas ita mundo est contraria, vt, si quis in sæculo piè & religiosè viuat, dicatur mundo mortuus, aut mundum mox dereliquisse: & vulgari populi sensu nostratibus dicuntur, quasi incipientes ipsæ, *beghinnen*, tanquam deliberantes, & aliquam religionis viam inchoantes, quâ deinde ad religionem aliquam regulæ approbatæ transeant, non verò quasi in illa subsistentes religiosè peculiariter dici possint: vt sic comparandæ sint nouitiis religionis alicuius approbatæ.

12. Qui mundum nondum reliquerunt:

13. Præsertim post Tridentinum.

Nouitios autem iam ostendimus non dici absolutè reliquisse mundum, aut mundo mortuos esse. quod hodie eò magis recipiendum est, quod statuat Concil. Trid. *s.25. de regul. c.15.* quod sola professio post annum ætatis 16. & probationis expletum, admittenda sit; antè facta nulla sit, *nullos producat effectus*: & *c.16.ibid.* quod nulla bonorum renunciatio inducatur, nisi secutâ professione, aliaque omnis, nisi ad formam ibidem expressam facta, nullius sit effectus; vbi & ratio valde suffragatur, quæ exprimitur *in versic. ne hac occasione*, vt, etsi in terminis casus ibi noster non tractetur, mens tamen Concilij satis videatur apparere, vt nouitiatus, non secutâ professione, religiosum quem non faciat censeri; vel mundum reliquisse, nondum secutâ professione, institutioneue excidisse; aut substituto, in casum derelicti mundi, locum fecisse.

14. Et attentis aliis in hoc casu circumstantiis, verbisque vnde mens loquentis propius intelligi videtur.

Eoque magis hæc sententia videtur recipienda in casu nostro, quòd testator hic peculiariter non videatur respexisse causam conseruandæ familiæ, agnationis, aut cognationis; sed omnes casus, quos in plures distinxit, restrinxerit ad ætatem 25. annorum, post quam, siue in sæculo maneant, siue ad religionem transeant, fideicommissariam substitutionem remittit; disponendi, testandique facultatem facit; solum in casum intestati eandem reseruat: eâ tantùm, vt videtur, intentione, vt iam nepotes plenâ ætate, pleno iudicio de

rebus suis maturè statuere possint: cùm infirmior ætas aliorum decipulis, illecebrisque subiecta sit; & indiscretæ aliquando deuotioni, quam cum sale prudentioris ætatis temperandam putauerit: quia *Honor Regis iudicium diligit. ps.*90.

CONSVLTATIO II.

De religiosa paupertate.

1. Nulli religioso est quicquam proprium. RELigiosæ paupertatis effectus explicatur *c.non dicatis* 12. *q.* 1. *c. monachi de stat. monach. c.cum ad monasterium eod. c.*2. *s.*25. *de reg. Concil. Trid.* vt nemini sit *quidpiam proprium, sed omnia communia: nemo sibi videatur quidquam habere, sed superior singulis distribuat, prout cuique opus fuerit: & cum facultatibus non tantùm, sed & voluntatibus propriis renuntiauerint, certum est nihil eos habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere. d. c.non dicatis*; superiorem autem nihil eis superfluum dare, nihil necessarium denegare posse: *d. c.*2. communiter quidem, & æqualiter, quatenus æqualis sit ratio, & necessitas. quemadmodum d. c. non

2. Cuique à superiore distribuendum quatenus opus habet. dicatis; Thomas à IESV in *c.*1. *comment.* ex Augustino hæc verba interserit, *& distribuatur vnicuique vestrum, à præposito vestro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuique, prout cuique opus fuerit, sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat:* & conuenit cum regula Augustini *c.*4. & Basilij regula *q.*93. & Benedicti regula *c.*33. & Alberti Carmelitarum *c.*4. & desumptum est ex actis Apostolorum *c.*5. in ea tamen discer-

3. Fideliter & prudenter. nenda opus est discretione, vt discriminetur quæ maior, quæ minor necessitas sit; præsertim cum prouideri non potest omnibus: quando oportet maximè, vt sit fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam. sicut *in act. Apost. c.*6. cum de inæqualitate distributionis factum esset murmur, quod despicerentur viduæ Græcorum, proponuntur septem pleni spiritu sancto, & sapientiâ, super opus mensæ.

Prudentia ergo singulorum momenta ponderat; fidelitas, vt recto iudicio res monasterij agatur, & ad illius vtilitatem dirigatur: quæ comprehendit, vt quemadmodum bonus

4. Domi & foris. paterf. non tantùm domi expensam facit; sed etiam, cùm familiæ prodesse potest, foris collocat; Xenia mittit aut munuscula: quemadmodum in euangelio seruus ille laudatur, quod sibi fecisset amicos, quamuis de mammona iniquitatis, vt à villicatione deiectus reciperetur in amicorum tabernacula: ita etiam superior possit amicos conciliare monasterio vel Ordini muneribus non immoderatis; sed secundùm prudentiam viri boni, & fidelitatem boni serui; vt non amicitiæ quærantur per munera propter amicos, sed propter monasterium, aut Ordinem.

Superiorum, religiosorumque foris dispensandi, atque extra familiam suam, seu munera largiendi facultatem valde restrinxit Clemens VIII. *constitutione anni* 1594. *incip. religiosè*, ne dona dentur. nisi iusta de causa, & nisi ea in generali Capitulo, aut aliâ generali Congregatione, re maturè discussâ, vnanimi consensu omnium, superiorumque permissu, probata fuerit. Vbi multa adeo rigida adiiciuntur, vt paucis in prouinciis sit publicata, nullibi ferè recepta; etiam in Ordinibus strictissimis: *vt fatetur Diana citatis diuersorum locorum authoribus resolut.* 1. *tract.*6. *p. quem ad hanc constitutionem explicandam specialiter scripsit. quod & fecit Tamburin. de iure abbatiss. disp.*9. 5. Facultatem aliis quippiā dandi valde restrinxit Clemens VIII. 6. Sed constitutio non est recepta.

Et ipse quidem textus conceptus videtur maximè quoad eos religiosos & superiores, qui administrationes tantùm habent, & officia; non verò, qui præfecturas habent, quæ sint beneficia; nam illi omnes generalia Capitula habent, hi non æquè. Sed addit constitutio *vel Congregationem*, & verba diriguntur, etiam in quodlibet institutum regulare. Id tamen ex eo conficitur, quod ij superiores, qui non subduntur alicui Congregationi, aut Capitulo generali, manent eatenùs in terminis iuris communis, vt prudenter coram Deo ea possint statuere, saluis monasterij aut Ordinis de adhibendo Conuentus consilio, aut assensu præscriptis, quæ ipsi Capitulo generali statuenda essent, vt eis per illa verba constitutionis nullum vinculum iniiciatur: quia non entis nullæ sunt qualitates. 7. Loquitur in iis, qui subduntur Capitulis generalibus. 8. Qui ea non habent, possunt superiores, quæ alibi Capitula.

In ordine Dominicanorum, quibus locis ea constitutio est recepta, censurâ Capituli generalis declaratum est, *vt refert Diana d. tractat.*6. *resol.*3. has quatuor causas esse iustas pro largitione munerum: 1. est gratitudo: 2. conciliatio beneuolentiæ, aut conseruatio in ordine tamen ad religionem, vel conuentum, vel bonum saltem finem sui ipsius: 3. pietas in parentes, vel consanguineos vsque ad quartum gradum inclusiuè: 4. redemptio vexationis. 9. Causæ iustæ in Capitulo Dominicano declaratæ.

Animaduertendum verò est imprimis agere Clementem de donis, & muneribus: dona autem & munera sunt, quæ gratuitò omninò dantur. *l.*1. *in princ. D. de donat.* munus donationis species est: *l. inter. D. de verbor. signif.* ideoque & antidorum, & quæuis remuneratoria liberalitas, quamuis accepti beneficij æstimationem nonnihil excedat, dummodo non immoderatè, per constitutionem non excluditur. *Diana resol.* 11. 15. 16. eaque quantitas prudentis arbitrio relicta est, quoad superiores: horum autem arbitrio, quoad inferiores. *idem resol.*4. 10. Agit Clementina de donis.

Sed & ipse textus constitutionis disertè declarat non agi de illis, quæ in pauperum necessitates *seruato*, inquit, *charitatis ordine* erogantur, & laudabilem hospitalitatem: præsertim, inquit, *erga pauperes, & peregrinos*: quam negat imminuendam. Et Concil. Trid. *s.*25. *c.*8. expresè admo- 11. Nullatenus excludit eleemosynas aut hospitalitatem, imò expresè iniungit.

admonet quoscumque ecclesiastica beneficia secularia aut regularia obtinentes, vt hospitalitatis officium à SS. Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, promptè benignèque exercere assuescant. Quod ad eleëmosynas porrò attinet, Thomas à IESV *com.p.3.c.2.d.6. ita*, ait, *superiores monasteriorum, tam ex superfluis monasterij, quàm de necessariis, hoc est non superfluis, sed*

12. Ad eas tenentur ecclesiastici: *competentibus ad statum conuentus posse ac debere facere eleëmosynas, cum D. Thoma in 4. dist.15. quæst.2. ar.5. quæst. vltima communis sententia docet*: & latius prosequitur Medina *in tract. de eleëmosynis c. de quibus bonis eleëmosyna sit facienda, §. Abbates, consentit Sanchez in sum. p. 2.l.7.c.19.n.90. post Molin. de inst.t.1.d.276. in princ. & versic. illud verò.* Quapropter & Concil. Trid. *s.25.c.1.* Episcopis, aliisque beneficia ecclesiastica tam secularia, quàm regularia obtinentibus pro gradus sui conditione, interdicit quidem ne ex reditibus ecclesiæ consanguineos familiaresúe suos augere studeant:

13. Etiam consanguineis pauperibus. cùm Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis, vt pauperibus, distribuant.

14. Vt talibus. *Vt pauperibus*, inquit, *distribuant*: hoc est affectu charitatis, quæ proximo debetur præcepto diuino, non humano affectu, & carnis erga propinquos, quem hîc exui, quam maximè potest, monet Concilium: is est ditare atque augere amicos, quod quidem licet de suo etiam clericis; sed non de Christi patrimonio. Rectè censura Dominicana, quam diximus, admittit pietatem in parentes & consanguineos; & Clemens *seruato*, inquit,

15. Ordine charitatis seruato. *charitatis ordine*: vt cæteris paribus rectè dicitur in distributione eleëmosynarum, præferendos parentes & consanguineos aliis pauperibus; & receptum est, vt ad subleuandam parentum nimiam inopiam religionem filius non ingredi, & ingressus egredi debeat. quod non est receptum in aliis pauperibus: nisi fortè ob summam præsentem, non duraturam necessitatem, propter sororis paupertatem, periculum incontinentiæ passuræ, differri aliquamdiu rectè ingressum docet Azor. *institut. moral. p.1.t.12 c.1.q.8.* idemque tradit *p.2. l.12.c.13.* quis in aliis sit ordo charitatis: atque *n.8. qui*

16. Qui maximè coniunctos præponit. *nobis*, inquit, *sunt aliqua ratione coniuncti, potius sunt eleëmosynâ iuuandi, quàm externi*; & qui sunt nobis minus coniuncti. *S. Thom. 2.2.q. 26. ar.7.* adeoque, qui gradu proximi prius, quàm remotiores.

Quæ autem quantitas eleëmosynarum esse debeat, ad arbitrium boni viri & prudentis referendum est, *quantum*, inquit Trid. *d.c.8. per eorum prouentus licebit.* Quidam censuerunt ob partitionem veterum canonum quartam bonorum partem pauperibus tribuentium, beneficiarios ad eandem in eleëmosynas dandam esse obligatos: quidam post bonorum ecclesiasticorum partitionem cessare huiusmodi distributionem: sed rectius ad modum *d.c.8. quantum per prouentus licet.* tametsi Azor. *p.2. l.12.c.11.* etiam multos canones citet post bonorum partitionem editos, qui ad quartam vergant: & stylum Curiæ Romanæ, quo literæ scribuntur, quibus Abbatiæ aliæuè præfecturæ in commendam dantur: quibus etiam hodie inseritur ea clausula, vt commendatarij erogent in vsus pauperum quartam fructuum portionem concludit tamen 1.d. capitis quæstionem, vt teneantur tantum beneficiarij in eleëmosynas elargiri, quantum abundat ex commodo ipsorum victu. Quod exactius Molina *de iustit. tom.1. tract.2.d.144.* vt inspiciatur an verisimiliter permixtæ adhuc sint fabricæ, pauperum, & beneficiarij facultates; an verò separatæ: vt pleræque fundationes post partitionem bonorum ecclesiæ factam: vt quamuis ex iustitia non teneantur, quia alioquin alienum vsurparent; tamen quod opulentæ fundationes institutæ videantur, non cum onere conferendi inde portiones aliquas, vel fabricæ, aut pauperibus: attamen cum spe, quod Prælati essent patres, recteque reditus expenderent: *quod nullam*, inquit, *obligationem de iustitia, sed solum ex charitate inducit.* Et conse- 17. Congruè ipsi sustentare possunt.

quenter *d.145.* posse vnumquemque beneficiarium sumere de reditibus beneficij competentem sustentationem pro ratione status cuiusque, seu, vt Tridentinum loquitur *d.c.1.* tam in regularibus, quàm secularibus, *pro status sui conditione.* eamque Molina pluribus explicat *ibidem* etiam per exempla: additque *n.* 10. congruam sustentationem etiam complecti 18. In quo onera & honestæ etiam donationes moderatæ.

non solum remuneratorias donationes, sed etiam merè liberales, dummodo moderatas; denique *nu.13.* consuetudinem beneficiariorum piæ timoratæque conscientiæ in vnoquoque loco meritò habendam esse pro regula, ad quam similes beneficiarij admetiri possint familiam, & sumptus ad suam competentem sustentationem, quando nulla interuenit circumstantia, quæ aliud exigat.

Huiusmodi est, si occurrant graues admodum proximorum necessitates, vel fabrica ecclesiæ aliud postulet, quoniam absurdum est pauperes fame perire, item ecclesias ruinosas, incultas, & solo ferè æquatas esse, & beneficiarios de patrimonio Christi lautè viuere, amplasque & splendidas habere familias, nihilque de ampla sustentatione sibi detrahere. *Ita Molina.* 19. Dum fabrica & pauperes non nimium egent.

Sed quid si neque solo æquata est ecclesia, sed neque ex integro restituta, atque ornata, pauperum verò magna est inopia, & intensa annonæ caritas, & consanguineus cum dura necessitate conflictetur admodum? hîc opus est sanè fideli seruo & prudente, qui & hæc faciat, quæ ad fabricam sunt necessaria, & quæ ad greges pauperum, & consanguineum egenum non omittat; & porrò diuidat, *prout cuique opus erit*, atque in statera appendat proportionem necessitatis extremi gradus in fabrica, cum mediâ pauperum, & infima consanguineorum, aut vicibus omnium versis. Ita neque vni omnia, neque vni nihil tribuat, vt sit necessitatum consideratio, & facultatum; qua- 20. Prudenter singulorum necessitate expensâ.

tenus illæ exigant, & quatenus per has liceat. *Vnde damnat*, inquit Malderus *in med. tat. theolog. diei 22. p.378. euangelium eos, qui dicunt patri aut matri corban (quod est donum) quodcumque ex me tibi profuerit, & vltra non bene faciunt parentibus: Marci 7. damnat eosdem ecclesia. Vide decretum Gratiani dist.30. vnde discimus non esse christianam traditionem templa esse ornanda ex eo, quod egentibus subtrahitur, sanè liberum sacerdotibus erat in lege egenis corban offerentibus minuere quantitatem pretij offerendi consideratâ egestate offerentium: testis Iosephus lib.4. Antiq. c.3. imitatur hoc ecclesia, non recipiens dona cum detrimento egentium filiorum, aut arctè coniunctorum.*

21. Peregrinis & consanguineis exteris non exclusis. Quæ eadem ratio ineunda est, dum de peregrinis quæritur, & consanguineis exteris, atque pauperibus, vbi situm est beneficium; vt potius his fieri debeant, quàm illis; & Thom. *à IESV d. c.6. citat. D. Basilij interrog.100. in reg. responsum, cum dominus*, inquit, *Basilius, affirmans dixerit apud Matthæum nō esse bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus; & tamen illud etiam approbauerit, nam & catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum; cui dispensandi munus est assignatum, is illud diligenti habitâ animaduersione exequi debet.* & propterea Molina *vbi sup. num.21. ex Nauarro*: quamuis conuenientius, non tamen necessarium esse docet, vt fiant in loco beneficij eleëmosynæ. *Iuxta Ioannis XXII. extrauag. execrabilis de præbend. in verb. hospitalitas in ipsis beneficiis debita, vt*, inquit, *fiant in populi vtilitatem potius, qui reditus contribuit, quàm alterius*; tamen rarò vsu id seruatur, vt Prælati, aliíque beneficiarij, vt pro rata in locis, vbi decimas percipiunt, distribuant eleëmosynas, sed eas domi ferè tantùm largiuntur: aut vbi fortè proficiscentes flagitantur: etsi tamen Molina *in fin. n.21.* id ipsum vt fiat in quibusdam bonorum locis etiam commendet. Sed neque consuetudo etiam piorum Prælatorum, aut beneficiariorum est, vt exteros pauperes, aut consanguineos, minus egenos excludant, etsi alibi degentes. Vnde D. Paulus *ad Philip.4. quæ misistis*, inquit, *odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*, & missa erat eleëmosyna non erogata vbi collecta: & *1. ad Corinth. c. vlt.* ordinat collectas perferendas Hierosolymam, commendatque: itemque *ep.2. c. 8. & 9. quasi benedictionem, non quasi auaritiam*, inquit: moneique ne nimium solicitè ex hoc inopiam metuant, neque dent ex tristitia aut necessitate, *hilarem enim datorem diligit Deus, potens omnem gratiam abundare facere in vobis, qui multiplicat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & incrementa fructuum iustitiæ vestræ.*

22. Quod parcimonia sibi quis subtrahit, potest donare de fructibus beneficij. Sed & plurimas exceptiones à Clementina regula proponit Diana *d. tract.6.* vbi illius rigor foret receptus: & nominatim *resol.19.* vt qui parcius viuendo, congruæ statui suo sustentationi aliquid subtrahit, illud consanguineis dando non contraueniat Clementinę. *Ex qua*, inquit, *opinione datur occasio religiosis, vt lubentius frugalitati & moderato sumptui assuescant, cum sciunt ea, quæ de sibi necessariis detrahunt, posse licitè parentibus & aliis bene de se meritis donare, & in aliis licitis operibus expendere.* Et quidem D. Thom. *q.185. ar.7. ad 5. si de eo*, inquit, *quod vsui Episcopi aut alicuius clerici est depatatum, velit aliquid sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat: dummodo illud faciat moderatè, id est, vt non indigeant: non autem vt ditiores inde fiant.* Et rectè inquit Azor. *instit. moral. p.2. l.12. c.11. q.2. quia clericis beneficiariis est interdictum, ne ex bonis ecclesiæ ditent consanguineos.* Et quamuis Azor. *Faustus & Sanchez citati à Diana*, id post d. Clementinam negent religiosis esse licitum; tamen Sanchez per priores canones esse permissum admittit, pluribus citatis authoribus, & Diana plures citat, qui etiam post Clementinam licere affirment: additque Sanchez *d. c.19. nu. 100.* illam Clementinam in Hispania non esse receptam: sed *statur*, inquit, *n.42. iuri communi.* Quinimo Molina *d. disp.145. num.1.* restrictionem D. Thomæ accepit de tota portione beneficiario deputata, non de portionis parte, *quâ indiget*, inquit, *ad suam competentem sustentationem, & quam totam cessantibus grauibus proximorum necessitatibus licitè poterat secum expendere: si quid enim subtrahat, licitè potest conferre consanguineis diuitibus.*

Diuitibus, inquit: nam pauperibus, qui pro sui status ratione non habent competentem sustentationem, posse conferre ex reditibus beneficij citra huiusmodi parcimoniam docet idem Molina *ibid. d.146.* quâ explicat quouscunque beneficiarij de suis bonis conferre possint consanguineis. *Est probanda*, inquit D. Ambrosius *relatus dist.86. c.16. illa liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas: melius est enim vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est sumptum ab aliis deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati. Pauperes autem sunt*, inquit Caietanus *2.2. q.43. ar.8. non tantùm qui egent cibo, potu, aut veste, quæ sunt necessaria naturæ; sed qui egent opportunis ad conuenientiam sui status*; ac proinde Prælatos ecclesiæ eleëmosinaliter posse distribuere illis, sicut aliis pauperibus. Quod & sentit Nauarrus *in Apolog. q.1. mon.77. n.4.* 23. Etiam diuitibus consanguineis: pauperibus etiam ex eo quo ad suam sustentationem non est opus.

Optimè in hanc rem Concilium œcumenicum Lateranense *sub Leone X.* vbi cardinalium vitam & mores instruit, *cum minimè deceat*, inquit, *affines & consanguineos, præsertim benemeritos ope indigentes negligere, sed illis prouidere iustum & laudabile sit* (nota) *non propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vel ecclesiasticis reditibus ita eos impleri conuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur, statuimus itaque vt ecclesiarum bona temerè non effundant* (nota) *sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni & optimi reditus per sanctos patres statuti, & ordinati fuerunt.*

Sed & Thomas à *IESV d. p.3. c.2. d.1 de religioso*, inquit, *beneficiario rectè docuit Nauar. in d.c.* 24. Aliasque

honestos ac pios vsus, etiam religiosi beneficiarij. *d. c. non dicatis num. 10. & in tract. de redit. ecclesiæ monito 25. perinde posse de fructibus beneficij disponere ad honestam sustentationem sui, & ad pias causas siue honestos vsus ac secularis de fructibus suis*: & addit hanc sententiam fuisse Cardin. à toto orbe christiano vsu receptam, & apertè insinuari in Clem. 2. §. sed & talis de vita & honest. cler. in qua assignatur differentia inter regularem simplicem & beneficiarium, quòd hic absque facultate superioris possit immediatè fructus beneficij in opera pia impendere, ille verò non.

Præterea quod omnis titulus canonicus beneficij præbet facultatem disponendi reditus in honestam sui sustentationem, & in opera pia, qui enim est administrator beneficij, est etiam administrator fructuum, ex quibus infert Nauarrus, quòd æqua sit regulari & seculari facultas iustè disponendi de fructibus beneficij, quare sicut secularis non potest in alios vsus præter honestos disponere, potest tamen ad congruam sui sustentationem & pia opera impendere, ita & religiosus, vnde sicut secularis beneficiarius potest donationes honestas, & suo statui conuenientes facere, ita & religiosus.

Et quamquam Azor. *institut. moral. p. 2. l. 3. c. 26.* velit beneficiarios religiosos dominiũ fructuũ perceptorum non acquirere vt seculares, eaq; sententia sit probabilior; tamen in huiusmodi ancipiti controuersia, cuius neutra pars damnari absolutè potest, facilè admittendum videtur, vt religiosi beneficiarij donationes facere permittantur, quales in vsu sunt hominibus timoratis suæ conditionis ac status: vt post Molin. idem Thom. *d. d. 1.* & maximè Prælatus: *idem d. 4.* inter viuos quidem; nullatenus autem testamento, sicut seculares aliquatenus, quod explicat Molina *vbi supra d. 147.* quatenus possint. *Et nos breuiter tetigimus in iur pont. nou. anal. tit. de testam.*

25. Non tamen per vltimam voluntatem.

Sed neque causâ mortis religiosi possunt donare, quoniam bonorum proprietatem non habent, in vim cuius domini de rebus suis disponunt, quid fieri velint: quibus natura deberi dicitur vt vltimæ voluntatis liber sit stylus; neque administrationem: quippe quæ ipsâ morte cum illis exspirat. Vt ideo omnis illorum voluntas vltima sit ipso iure nulla. *Molin. de iustit. t. 1. tract. 2. d. 147. 148.*

26. An ægri?

Cæterum quamuis moriens etiam donare possit inter viuos: *l. Seia. §. cùm pater. D. de donat. caus. mort.* tamen Prælatus aut beneficiarius religiosus ægrotus periculosè cogitatione & causâ mortis videbitur donare quasi in fraudem, in tempus quo inidoneus est faciendæ donationi; vtpote dominij per votum expers; administratione per mortem defunctus. Quemadmodum dicitur in fraudem renuntiare beneficio tenui, quod cedat exspectatiuam habenti, vt eo prouiso promoueatur ad beneficium pingue, cuius possessor tempore renuntiationis mortaliter infirmatur. *c. 2. de renuntiat. in 6.* hinc etiam nata est regula Cancellariæ *de infirmis*, vt resignatio nulla sit, si intra 20. dies moriantur. Et quamquam ea regula beneficiis tantùm sit scripta; ratio tamen in aliis momentum facit, etsi non ad certos, vt ibi dies, sed tempus, & mortis periculum iudici arbitrarium.

Quibus omnibus circumspectè attentis, consequens est ratas habendas donationes inter viuos factas à N. religioso pastore beneficiario: quem constat ex beneficij fructibus non amplius habuisse, quàm congruam portionem pastoratui suo secundùm taxam synodi assignatam: adeoque parcimonia sua suæ sustentationi substraxisse id quod amicis dedit, etiam de se meritis, nec immoderatè. Quin & aliquibus pro sua conditione egenis, per causam magis eleëmosynæ quam muneris: quamuis non in sua parochia habitantibus; dum & pauperes illic frustratus non est; & ad fabricam contulit cum aliis decimatoribus prout à superioribus decretum est: nec donatarius ad restitutionem tenetur ex Clementina, quæ simplices donatarios obligat, sed hic recepta non est: supposito etiam quod locum haberet in parcimonia subtractis; donationem verò in ægritudine factam omnium bonorum præsentium & futurorum habendam pro irrita, quamuis monasterio suo factam, cùm essent bona profecta ex pastoratu seculari, cuius ecclesiæ ab intestato ea bona deberentur; vel ex consuetudine Episcopo iure administrationis vacantium ecclesiarum: præsertim cùm permanserit in omnium possessione vsque ad extremũ halitum, & sic non absolutè videatur donasse: quod requirit *d. §. cum pater.* & traditionem factam valde ponderat Molina *d. disp. 148. n. 5. & in fin.* quæ esse nequit in donatione huiusmodi præsentium & futurorum. Et Couuar. *in c. cum in officiis de testam. n. 5.* etiam in piis causis præsumptionem nostram admittit, quamquam tamen moderatam eleëmosynam admittat in ægritudine; *c. adhæc. de testam.* non in vim testamenti, dum ita sit facta, vt, quamuis conualescat beneficiarius, quod datum est penes donatarium maneat. *vt bene Molina. n. 7. in fin. & consonat ratio legis 1. De de donat. mort. caus.* quod c. adhæc etsi loquatur de secularibus, qui ferè per consuetudinem pro suæ conscientiæ dictamine permittuntur testari; tamen rectè applicatur beneficiariis religiosis: quorum causa cum veteri iure secularium quoad hoc rectè comparatur: & dicit c. adhæc moderatè, quod partis ad totum aliquem respectum dicit, & non inuenitur in donatione omnium præsentium & futurorum, quæ re ipsâ incidit in vltimam voluntatem, dum omnia absorbet: & hanc in capacibus illius effectu aufert, & propterea in nemine talem esse validam multi voluerunt. *citati à Fachin. cont. lib. 6. c. 87. & seqq.*

CONSULTATIO III.

De erectione nouorum monasteriorum, dote, ac numero.

1. Numerus regularium tam in veteribus, quã nouis subditis & exemptis per ordinarios statuendus.

IN veteribus monasteriis tam virorum, quàm mulierum numerus per Ordinarium est definiendus, ne imposterum excedatur, qui vel ex reditibus, vel eleëmosynis consuetis commodè possit sustentari: nec erigendi sunt noui deinceps conuentus, nisi licentiâ eiusdem ordinariâ obtentâ. *Concil. Trid. de reg. c. 3. quâ de re diximus in tr. pont. nou. anal. de regul. n. 34.* & sanè post Bonifacium VIII. *in c. periculoso. §. sanè de stat. reg. in 6. & Trid. d. c. 3.* sanctionibus suis Tridentini decretum stabiliuerunt Pius V. 4. *Kalend. Iunij* 1566. *const. incip. circa*, Gregor. XIII. *const. Deo sacris* 1573. quæ etiam explicat debere Ordinarios eundem numerum etiam statuere in exemptis; cùm alioquin textus *d. c. 3.* tam generalibus verbis, *omnibus monasteriis*, quàm exceptione Capucinorum, satis in contrarium regulam firmat. Rursus Clemens VIII. 25. *Iulij* 1599. *in decret. reg. incip. nullus omnino.* §. 14. iterum Paulus V. 4. *Decemb.* 1605. *decret. incip. sanctissimus* eadem statuit: insuper Greg. XV. 17. *Augusti* 1621. reuocauit licentias à Paulo V. concessas, vetans nouos conuentus erigi, nisi ex reditibus aut eleëmosynis commodè sustentari possint religiosi duodecim. Denique Vrbanus VIII. *Breui suo* 28. *August.* 1624. iterum reuocauit licentias contra decretum Greg. XV. concessas, & Congregatio Interpp. 21. *Iunij* 1625. rursus repetit, & secus ædificata collegia Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse declarat. Quippe conuentus non ritè erectos priuilegia, exemptionesque Pontificum non mereri, quorum sanctiones neglexerint: præsertim si non consueuerint onera missarum accipere. Quod iterum S. Congregatio ann. 1626. statuit. *Quæ omnia refert Barbosa & citati in Collect. ad Trid. ad d. c. 3. nu. 18. & seqq. vbi n. 31. & seqq.* refert etiam bullam Clementis VIII. *incip. quoniam* 23. *Iulij* 1603. quæ & formam præscribit, secundùm quam Ordinarij licentiam erigendi dare debeant, comprehendere etiam monasteria monialium: quam etiam Vicarius generalis absque speciali mandato dare non possit: & facultatem Discalceatis concessam à *Paulo V.* 1605. monachis Congregationis B. Mariæ Fulien. 1608. Congregationi cleric. reg. S. Pauli de coll. 1610. ad formam Clementis VIII. reuocatas esse, Greg. XV. & Concil. Trid. vt Ordinarij licentiâ omninò sit opus, & formâ Clementis, & Greg. XV. *ex const.* Vrbani VIII. 28. *Augusti* 1624. idemque Barbosa *& citati* religiones explicat *nu. 2. & seqq. ad d. c. 3.* quibus ex constitutionibus suis sit prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non concessum deinceps immobilia possidere.

2. Nec erigi noua debét, nisi ali possint duodecim, alioquin Ordinariis subduntur.

3. Facultatibus contra concessis reuocatis.

Porrò hæ constitutiones non vetant supra quantitatem prouentuum aut eleëmosynarum filias recipi, quæ dotem simul conferant, ex qua deinceps ipsæ possint commodè sustentari. *Barbos. n. 27. Nauar. Suarez, Reginal. Sanchez ab eo citati*, Weymsius *ad Const. 24. à Tridentino innouatas const. 15. n. 41. & seqq.* vbi citat declarationem Cardinalium, quæ huiusmodi super-numerarias duplicem eleëmosynam iubeat conferre, siue duplicatam summam taxæ numeralibus monialibus definitæ, eiusmodique super-numerarias in locum numeratarum (secus quam in supernumerariis canonicis voluit c. relatum *de præb. & dignit.*) non succedere; sed neque esse impedimento, quo minus intra numerum morientibus aliæ sub rogentur. Cuiusmodi tamen loca ante realem vacationem nullatenùs addici permissum sit, sicut *de concessione ecclesiæ, vel præbendæ non vacantis*, decretum est: *tot. eo tit.* sed neque vacantia addici posse nisi puellis iam idoneis. 4. Non tamen prohibentur super-numerariæ quæ dotem adferunt. 5. Duplam taxæ numeratarum. 6. Quæ nec has impediant nec succedant.

Quin & ex patrimonialibus dotari debere illas, quæ ingredi velint monasterium, receptum est. quæ dos ad taxam legitimæ accedere possit, si tantâ sit opus: sin minus; quantam consuetudo reliquarum eius monasterij, loci, temporisque determinat. Nam eam pro huiusmodi circumstantiis variari responderunt Interpretes. *apud VVeymsium n. 45.* qui etiam *n. seq.* respondet constitutionibus Innocentij *in c. quoniam de Simonia*, & Vrbani IV. *in c. 1. eod. tit. in extrauag. com.* ne quid exigatur ab ingredientibus religionem, sed dumtaxat acceptari possit cum gratiarum actione quod sponte, liberaliter, & absque vlla pactione offertur: nam ea prohibitio intelligenda est secundùm suum titulum, vt ne quid accipiatur pro ingressu quasi pretium, aut ex prauâ consuetudine tantùm. qualem in secularibus etiam abolet Concilium Trid. *s. 24. c. 14.* non porrò dum causa necessitatis proponitur, & quæ ali non potest à monasterio, gratis admittitur, si alimenta secum ferat, pro vitæ suæ sustentatione, non pretio admissionis. Ad quam rationem posset admitti super-numerarius canonicus in collegio numerato, ita vt succo suo viueret, præbendam non reciperet, nisi quam ipse adferret. quo sensu accipiendum est c. tua. nos. *X. de Simon.* vetans pactionem, quâ quis fiat canonicus, & ipse præbendam fundet. scilicet cum ipse spiritualis titulus ideo datur, vt in vicem præbenda tanquam illius pretium fundetur, non verò si citra pacta do vt des, aut similia hæc fiant. *in verb. si verò purè, sine pacto, aut conditione.* Vide de monialium dotibus Tamburin. *& citatos de iure abbatis. d. 5. q. 2. 3. 4. 6. 7.* 7. Quanta ex patrimonio etiã dandaɫ 8. Spontanea non pactitia, sed ex taxa superioris, vbi super-numerariæ adsumuntur.

CONSVLTATIO IV.

Confessio vt proprio sacerdoti facienda, ita & confessario monialium.

ANte Mendicantium priuilegia Concilium œcumenicum sub Innocentio III. statuerat confessionem faciendam esse proprio sacerdoti, seu parocho. *c. omnis. X. de pœn. & remiss. si quis autem*, inquit, *alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet; & obtineat à proprio sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit soluere vel ligare.* parochorum instar facti sunt confessores monialium, *qui vt patres spirituales eis dantur, quorum non solùm gubernaculis tueri; sed etiam doctrinis ædificari possint. c. in decima* 18. *q.* 2. quæ doctrinæ etiam regulares instructiones complectuntur. ideoque ibidem decernitur, vt monasteria virginum à monachis gubernentur; qui tamen à familiaritate illarum abstineant; nec aliis liceat virginibus extra eam, quæ præest, etiam in iis, quæ ad institutionem earum pertinent, loqui. *d. c. in decima. Qui religiosis fœminis præponendus est, ab episcopo loci comprobetur.* inquit, *c. qui.* 18. *q.* 2. Igitur moniales proprio confessori, aut de eius licentia alieno sacerdoti tantùm possunt confiteri.

1. Etiam à monialibus.

Sed vt iustam causam in subditis exigit Concilium, ob quam licentiam petant alieno confitendi; ita iusta admodum & grauis debet esse causa, vt ea negetur. Debet enim proprius sacerdos vti potestate in ædificationem, non in destructionem; omnibus omnia fieri, omnium infirmitates tolerare, vt omnes faciat saluos; cum infirmis infirmus fieri, vt infirmos lucri faciat, vt ex iis, qui ei dati sunt non perdat quemquam; mundus sit à sanguine omnium: & præsertim monialium confessor considerare commissas sibi esse fœminas, hoc est, sexum fragiliorem, pudori, verecundiæ, metui, minutisque sæpè causis faciliùs succumbentem. Vnde citat Stephanus d'Aluin *tract. de potest. epis. c.* 24. *n.* 7. S. Thomam *ex* 4. *sentent. dis.* 17. *q.* 3. *ar.* 3. *quæstiuncul* 4. his verbis loquentem; *peccaret sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri: quia multi sunt adeò infirmi, qui potius sine confessione morerentur, quàm tali vel tali sacerdoti vellent confiteri. vnde illi, qui sunt nimiùm soliciti, vt subditorum conscientias norint per confessionem, multis iniciunt damnationis laqueum, & consequenter sibi ipsis.* Quare rectè Clemens VIII. superioribus regularibus præcepit *Motu proprio* 23. *Maij* 1594. ne subditos constringant ad sibi confitendum: quin nec confessiones audiant, nisi spontè sibi confiteri volentium: sed neque vtantur postmodum in regimine exteriori eâ scientiâ, quam ex confessione perceperunt. Vt ad hanc non pertineat, quod pastor iubeatur nosse vultum pecoris sui; sed ad

2. Non tamen nisi iusta ex causa neganda facultas alieno confitendi,

3. Cum & confessionalis notitia non spectet ad externa.

notitiam non sacramentalem; vt ex eâ regere pastor possit extra functionem sacramentalem. iisdemque de causis statuendum est, non rectè facere superiores, qui monialibus deputant confessarios, à quibus, etiam sine illorum demerito, moniales abhorreant; nisi simul facultatem faciant alieno confitendi: innuant saltem petituris non egrè concedendam: aut si animaduertant, ob reuerentiam non conqueri, vel licentiam poscere; eam sponte huiusmodi omninò sæpius offerant.

4. Magisque ea facultas confitendi alieno concedenda, si moniales, quamuis iniustè, abhorreant à suo.

Hoc enim vocabulo vsum est Concil. Trid. *s.* 25. *de regul. c.* 10. *præter Ordinarium*, inquit, *confessorem alius extraordinarius bis aut ter in anno offeratur*: vt præstolari querelas non oporteat; sed superioribus incumbat ex officio remedium ante vulnus adferre. Vnde etiam, si extraordinarium bis aut ter in anno Conciliũ iubeat offerri, & *principio d. capitis*, moniales admoneri tantùm velit, vt singulis saltem mensibus confiteantur: si numeri ad numerum facienda est proportio, quid statuemus in illis, quæ singulis septimanis confessionem facere iubentur? vtique sicut se habent tria ad duodecim, sic se habent tredecim ad quinquaginta duo: tot igitur cum annus habeat septimanas; an huiusmodi hebdomadariis monialibus non decies ter posse offerri confessarius videbitur? nisi alia ratio non ita vagandi in animæ aucupio & custodia, aliud suadeat. Constat igitur non licentiam tantùm petentibus dandam esse monialibus alieno sacerdoti confitendi aliquando; sed etiam hodie imperari superioribus, vt extra ordinem sæpius aliquem monialibus sponte mittant: qui omnium ei confiteri volentium confessiones audire debeat. Et quamquam ea Concilij verba *ab Episcopo & aliis superioribus* ita accipienda sunt, vt ad singulorum respectiuè subditos spectent; adeoque ordinariè Episcopus exemptis prouidere non possit; *vt ex Armendar. Barbos. in collect. DD. ad d. c.* 10. *& nos diximus in iur. pont. nou. anal. de reg. n.* 32. id tamen quibusdam casibus aliter ab Interpretibus est declaratum: *Barbos. vbi sup.* vt possit, si quæ nullâ ratione induci queunt, vt regularibus sui ordinis confiteantur: vt & Stephanus d'Aluin *vbi sup. n.* 8. responsum refert. & licet olim Episcopi approbatio in confessoribus monialium deputandis necessaria non esset; quia *c.* 15. *s.* 23. *Concil. Trid.* loquitur tantùm de excipiendis confessionibus secularium, etiam sacerdotum; quamuis præponendus monialibus ab episcopo fuerit comprobandus quoad non exemtas; *d. c. qui.* 18. *q.* 2. Tamen nunc Gregorius XV. constit. *incip. inscrutabili.* etiam exemptarum monialium confessores iubet approbari. adeo vt & Vrbanus VIII. declararit generalem approbationem non sufficere, sed requiri specialem ad audiendas moniales: pro hoc monasterio datam, porrigi non posse ad aliud; nec pro vna vice concessam, extendi ad plures. *vt extensè refert Barbosa in collect. DD. ad Concil. Trid. d. c.* 10. *num.* 8. *& seq.* eamque approbationem nunc adeo exigunt, vt nec

5. Quin & extraordinarius offerẽdus & sæpius, & sponte, eoq; iis magis, quæ debent sæpius confiteri,

6. Etiam ab Episcopo aliquando exemptis.

7. Quarum confessarij semper ab Episcopo approbandi.

Generali quidem Ordinis, sine Episcopi deputatione, licere velint audire moniales sui
8. Ordinis. *Barbos. n.19.* quæ approbationis necessitas hodie facit, vt sicut in secularibus, ita & regularibus rarò admodum vsui esse possit c.placuit 9.*q.2. c.placuit vt dein. de pœn.d.6.* vt propter proprij sacerdotis ignorantiam liceat eligere alienum. siquidem, etsi ad hoc exigenda non sit ignorantia tanta, vt ob illam confessio sit inualida, tamen nec tam delicatè scientia excutienda est, vt par sit omnium scrupulis: sed ea ignorantia sufficit, quæ ineptum reddat sacerdotem, vt de conscientiis sibi commissis possit conuenienter iudicare. Ad ignorantiam Interpretes referunt malitiam, impotentiam, solicitationem ad impudica, iniustam absolutionis denegationem, similiaque.

Ideoque haud facilè nunc ob proprij ignorantiam confitendum alieno.

9. Porrò olim homines, cùm ex præcordiis magis pœniterent, nec publicam confessionem, nec publicam pœnitentiam subterfugiebant: postea vno proprio sacerdote facilè contenti fuerunt: tandem superuenêre, qui ad conscientiæ libertatem magis inciperent proclamare, ac priuilegiarij confessores ex Ordinibus Mendicantium, qui omnium eis confiteri volentium confessiones exciperent. *Clem. dudum de sepult. c. inter cunctas de priuil. in extrauag. commun.* sed excipit d.c. inter *religiosos, qui secundùm Ordinum suorum statuta suis Prælatis confiteri debent, vel ab eis, ne aliis confiteantur, prohibentur*: quæritur ergo, an moniales sibi possint priuilegiarios huiusmodi confessores eligere? & quidem Bonifac. VIII. eâ constitutione, quæ refertur d. Clem. *dudum*, vt facultatem fecit priuilegiariis clero & populo prædicandi; ita & indistinctè, adeoque vniuersaliter, liberè, liciteque audiendi confessiones sibi confiteri volentium, & ad hoc in suis locis conuenientem numerum pro cleri populique consuetudine deputandi. Restrinxit id Benedictus XI. exclusis religiosis, quorum statuta aut Prælati id prohiberent: Clemens Benedictinam constitutionem omninò cassauit: Bonifacianam restituit; *d. Clem. dudum in princ.* volunt ergo eandem simul restrictionem esse cassatam: aiunt alij non omnes religiosos esse exclusos, sed eos demum quorum statuta aut Prælati id prohiberent; at non omnium statuta Prælatosúe prohibere. Sed L. Miranda *in manual. tom. 2. q. 33. ar. 1.* plura refert Pontificum diplomata, per quæ diuersorum Ordinum religiosis est vetitum, aliis confiteri, quàm suis Prælatis, aut ab eis deputatis. additque per priuilegium *communicationis* idē ad alios esse prorogatum: sed, quidquid sit de communicatione huiusmodi, sunt, qui priuilegium communicationis nullum habent, nec Ordinis statuta prohibitiua, vt Benedictini; quare illi eâ restrictione non continerentur: an qui habent priuilegium communicationis, vi illius hæc priuilegia acceptarint, quin & acceptare potuerint non collatis subditorum suffragiis, quibus, ferè vt singulis, confitendi priuilegiariis libertas per Bonifacium & Clementem est concessa; adeoque quod omnes tangit, debere videretur ab omnibus approbari: *DD. in c. quod omnes de reg. iur. in 6. Ceuallos de cog. per viam viol p. 2. q. 11. n. 53. 94.* non est huius nunc temporis inquirere. Igitur quibus non obstant statuta aut Prælati; poterunt priuilegiarios eligere confessores: quibus obstant; non poterunt. obstare non censentur, quæ directiuis tantùm verbis loquuntur, non præceptiuis, vt debeant suis; vel prohibitiuis, ne possint alienis confiteri: vt sunt verba restrictionis Benedictinæ. quam vt demus à Clemente esse cassatam, quamquam glossa cassatam neget constitutionem in omnibus, adeoque non in iis, quæ disertè non contrariantur; tamen videndum est, an, si Prælati aut Ordinis statuta obsistant, electioni tamen monialibus competenti generalitate verborum derogatum satis videatur? & sanè nec Episcoporum, nec parochorum contradictio sufficit laicorum respectu. Quare inferri videtur nec religiosorum intuitu sufficere statutorum, aut Prælatorum obstaculum. Sed in laicis iure id expressum est non obstare; in religiosis contrà Mendicantibus facultas data non est, quibus statuta aut superiores aduersarentur, vt disparitas sit ex causa defectus delegationis in huiusmodi religiosis; non ex eo, quod ait Panorm. *ex c. si religiosis de elect. in 6.* religiosos nec *velle*, nec *nolle* habere, vt laicos; cum id non vltra regulam recipiendum sit: deinde non aufert id, quod iure aut priuilegio fit permittente: nam ita; quamuis Concilium Trid. *d.c.* 10. extraordinarium velit monialium omnium confessiones audire; S. Congreg. tamen respondit *esse in arbitrio* (nota) *cuiuscumque monialis, si extraordinario voluerit* (nota) *confiteri.* Est huiusmodi voluntas non significatiua authoritatis, sed desiderij.

An Mendicantibus possint moniales confitere sine licentia superiorum? & an his prohibentibus?

Adfertur etiam bulla Clementis VIII. *relata à Coriolano p. 1. sect. 1. ar. 17. de cas. reser.* vbi postquam declarauit Clemens religiosos, in vim bullæ cruciatæ eligere sibi non posse confessarium, addidit, *intentionis sua esse, quod fratres aut moniales*, inquit, *quantum ad sacramentum pœnitentia seu confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint*: quòd si ne in vim quidem Cruciatæ electionem confessoris habere possint, quomodo poterunt in vim iuris communis, seu Clem. *dudum*? supposuit ergo Clemens religiosis vel per d. extrauag. *inter* electionem non competere, vel per priuilegia *de quibus Miranda vbi supra* ademptam esse, & si fortè non omnibus; tamen quia plerisque, quasi generalitate verborum vsus. Ii ergo qui non habent statuta, aut Prælatos qui aduersentur, nec priuilegia communicata, non in vim Cruciatæ tantùm, sed iuris communis habent confessoris electionem. Multò ergo magis beginæ, vt id per transennam dicatur, quæ in fauorabilibus laicorum iure ac priuilegio hîc vtentur, habent eiusmodi electionem, etiam Ordinariis contradicentibus: quia nec sunt religiosæ propriè,

propriè, vt in odiosis correctoriis sunt considerandæ.

Alludere autem videtur Clemens ad.d.extrauag. *inter* verba; *audiant eis peccata sua confiteri volentes, non religiosos, qui secundùm statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis ne confiteantur alias prohibentur.* ab eis; vtique Prælatis, quibus confiteri debent: viris ergo; non Abbatissis, aut fœminini sexus superioribus. cui consonat ratio; nam ea materia sacramenti iis superioribus reseruanda est, qui illius sunt capaces, non fœminis. Alioquin, si Ordinis statuta tantùm sunt directiua; ex causa etiam Abbatissæ, & fœminæ superiores, vt in aliis, poterunt dispensare: non tamen alieno sacerdoti iurisdictionem clauium, quam non habent, tribuere: si dictæ Clem. *dudum* d.extrauag.*inter* ad illarum moniales non extenduntur.

Sed, quotiescumque de rebus huiusmodi disputatur, ij ad quos pertinet, *attendant,* inquit d. extrauag. *quanta ex iis, quæ statuta sunt, salus animarum proueniat:* vt nec concessio, nec prohibitio, illarumue vsus, saluti animarum aduersetur. Quapropter, quo casu etiam non deficeret iurisdictio priuilegiatorũ, videre debent moniales, si fortè iusta sit superiorum prohibitio, ne illam spernentes obicem ponant gratiæ sacramentali; & priuilegium pro salute animarum inuentum detorqueant aliquando in illarum perniciem, euerso fine iustæ prohibitionis. Sed & animaduertendum est, quo casu posset Abbatissa aliàs dispensare, vtique non posse vetante dispensari Episcopo, seu alio superiore: nam in concursu contrariarum ordinationum præualet Episcopi, superiorisúe authoritas. *diximus sup. de maior. & obed.cons.* 1.

Porrò electio, de qua nunc hic, vel etiam *in c.si Episcopus de pœnit.in 6.* qua Episcopi seu alij prælati sibi confessarios sumere possunt, valde differt ab ea, qua per suffragia tanquam prælati assumuntur alicubi à monialibus confessores: illa enim quasi priuatum singulorum priuilegium continet; hæc autem quasi iuris publici est: adeoque nec huic illi præiudicium adferre possunt, sed ordinariorum parochorum, confessorumque præsentatio, institutio, deputatio, ac munera manent intacta, cumulatiuè tantùm, seu in subsidium potius, priuilegiarij confessarij vocati sunt.

Quod autem Episcopis & exemptis Prælatis tribuitur *c. vlt. X. de pœnit.* electio confessarij, cur monialium præfectis negetur? cum sub vocabulo masculino comprehendi soleat fœmininum: *l* 1. *D. de verb. signif. vbi glossa multa accumulat, & ibid.* Alciat. *in verb. complectitur* non excipit nisi aliter authorem sensisse appareat, vel ex coniecturis, vel cùm separatim de vtroque sexu actum est, vel quia dispositio non bene fœminis conueniat. sed animaduertendum est *1.d. c.vlt.* loqui tantùm de exemptis, quorum adeoque longè absunt superiores, qui illos possint soluere vel ligare; ideoque subsit periculum animarum; quod non adeò præsens est in non exemptis, qui viciniorem habent superiorem, qui possit prouidere.

2. Etiam in exemptis fœminis prælatis non eadem ratio est, quæ in viris: quia hæ semper debent habere sacerdotem, qui illis sacra faciat: vt illis non tantùm immineat periculum ex dilatione, quantum Prælatis viris: vt superior possit fœminis prouidere de confessario domi illarum, & debeat, ne teneantur egredi; quod in viris non ex æquo locum habet: & deputando soluendi facultatem delegare non possunt fœminæ quam non habent, vt Episcopi, & viri Prælati. *Vide plenius consult.seq.n.*8.

CONSVLTATIO. V.

De electione Confessorum monialium.

CONstitutio Gregorij XV. *data nonis Februarij 1622. incip. inscrutabili,* nihil singulariter de ætate, qualitate, vel modo constituendi confessores monialium decreuit, quam vt, siue regulares, siue sæculares fuerint, quomodocumque exempti, tam ordinarij quàm extraordinarij ad confessiones monialium etiam regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. 1. Confessores monialium approbandi ab Ordinariis.

Præmittit autem mentionem Concilij Trid. prouidè cauentis nullum presbyterum etiam regularem posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur. *est illud decretum in Trid. s.23.c.15. & in Clem.dudum §.deinde.de sepul.*

Igitur ætas communi iure in confessario non alia requiritur, quàm quæ in sacerdote: 2. Ætate presbyterali. sed quoniam confessarij monialium curam monialium exercent, quæ ars est artium, omninò idonei sunt assumendi ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad eam opportunis: vt loquitur Trid. in curatis beneficiis *s.* 24. *c.*18. vbi & in parochialibus concursum præscribit, & *s.7.c.*3. personas dignas, & habiles requirit, & per se ipsas curam exerci- turas.

Porrò cùm in Ordine Præmonstratensi Præpositi monialium sint non tantùm vt parochi aut confessarij, sed quasi proprij illarum Prælati; non præter iuris rationem videretur, si per viam electionis canonicæ ab illis assumerentur, & à superioribus confirmarentur, & illæ in iis qualitates exigerentur, quæ in Prælatis requiruntur. At Leo X. in Concilio Lateranensi optasse videtur vt in Episcopis, ita in monasteriorum Prælatis ætas excesserit trigesimum annum, dum ordinat, si de mino- 3. Quid, vbi instar Prælatorum sunt? 4. Et quomodo assumendi?

minoribus 30. an. prouisum fuerit, non dispensetur vt episcopi ante 27. regulares 22. præsint. tametsi tamen is modus loquendi necessariam derogationem prioris iuris non inferat, quo ætas 25. annorum aliis infra episcopatum dignitatibus sufficit. *c. in cunctis §. inferiora. X. de elect. Trid. s. 25. c. 12.* quoad vero modum assumendi Conc. Trid. *s. 25. de regul. c. 6.* mandat per vota secreta eligi: & censet Canisius *de elect. c. eapropter*, adeoque modum canonicæ electionis, etiam in Prælatis regularibus seruandum *per d. c. 6.* Sed verò in hisce opus est antiquam consuetudinem sequi, vbi institutum disertè id non præscribit.

5. Alij porrò qui non sunt quasi proprij monialium Prælati, sed tantùm Vicarij Prælatorum, & confessarij monialium, solent non eligi, sed ab aliis Prælatis deputari. vt in Ordine Minorum tradit Ludouicus Miranda *in manual. Prælat. tom. 2. q. 21.* Vicarios monialium in capitulo prouinciali, seu alio intermedio, vel extra illud à Prouinciali institui; veros illos Prælatos non esse, habere tamen authoritatem Prælatorũ super moniales in foro conscientiæ, quoad casus & censuras. Alibi aliorum Ordinum statuta, commissionum tenores, & facultates inspicere oportet, in subiectis Ordinario veterem etiam consuetudinem, aut priuilegium obseruare. alioquin cùm ad illum spectet cura animarum, eius est curatum beneficium aut officium conferre tam in regularibus, quàm secularibus. In regula S. Augustini mentio est presbyteri, apud moniales in grauioribus authoritatem habentis, vtique ab episcopo constituti. cum vtique antiquitus monachi & moniales nec ab episcopo nec à parocho populi essent exempti, nisi haberent parochum seu presbyterum specialem, vtique iterum ab episcopo attributum. nam sicut ad episcopum spectant omnes basilicæ; *c. omnes basilicæ. c. nullus 16. q. 7.* sic & monasteria: *c. monasteria 18. q. 2. c. monasterium 16. q. 7.*

Vbi tanquã Vicarij Prælatorũ, &c?

6. vbi ex episcopi assensu fundator monasterij presbytero commendat monasterium pro sacro illius officio, seu præsentat instituendum ab Episcopo. vnde fieri potest vt vel fundatores monialibus hoc ius esse voluerint, vt nominent aliquem approbandum ab Episcopo; vel, vt non rarò est factum, si ipsæmet primæ se fundauerint, & dotem contulerint, idem iuris retinuerint, vel, si ex priuilegio aut consuetudine acquisiuerint; omni casu secundùm antiquos mores constitutio confessoris fieri debeat: ita tamen, vt semper Episcopo maneat examen, & approbatio in omnibus, & curæ animarum commissio in sibi subditis. *c. qui religiosis. 18. q. 2.*

Non exemptis, prouidet Episcopus de iure.

7. *Nisi per fundationem aut alias secus obtineat.*

8. Verùm Prælati tamen exempti eligendi pro se confessarij, & deputandi pro suis subditis à iure facultatem habent: *c. fin. X. de pœnit. & remiss.* fœminæ eo nomine negantur intelligi. *latè Syluester V. confessor. 1. q. 8.* manebunt ergo in communibus iuris terminis. *Syluest. ibid.* vt adeo id eis non competat, vt nec consuetudine possit introduci, vt præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeant, qui eas possit soluere, vel ligare. *c. fi. Episcopus de pœnit. & remiss. in 6.* vnde & Concil. Trid. *s. 25. c. 10. de regul.* præter ordinarium confessorem, *alius*, inquit, *extraordinarius* (non ab Abbatissis, sed) *ab Episcopo, & aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur.* Et S. Congregatio *Concil. Trid. Interp. 19. Octobris an. 1621.* respondit Episcopo Tornacensi Abbatissam Episcopo inuito eligere non posse confessarium pro se, & monialibus: extraordinariis etiam ab Episcopo datis teneri omnes confiteri, vel saltem sese præsentare: & lite super his aliisque pendente, non excludi ideo posse à visitatione, & correctione. Quare multis in locis inter valdè specialia priuilegia obtineri à Sede Apostolica per Abbatissas solet iam olim, vt electionem habeant confessariorum: quod multò magis nunc debet obtinere, cùm per Concil. Trid. *s. 23. c. 15.* nullus nisi ab Episcopo approbatus confessiones excipere possit: quod, vt diximus in monialium confessoribus, disertè exigit d. constit. Gregor. XV. *inscrutabili*, neque tamen approbatio, etiam sine restrictione loci, aut personæ, iurisdictionem vllam tribuit. Itaque si ab Episcopo illam non accipit, aut ab habente potestatem, non potest soluere vel ligare. Et sanè in monialibus facultas eligendi ægriùs conceditur, cùm etiam bullam Cruciatæ electionis permissiuam non æquè in illis obtinere, sed superiorum dispositioni non detrahat Garcias *de benef. p. 2. c. 5. n. 61. & seqq. dixi supra consult. proxima n. 9.*

Prælati exempti sibi eligunt confessarium, an & Prælatæ?

9. *An suis?*

Quinimò quatenus religiosi tenentur confiteri propriis Prælatis; aut aliis ab eo delegatis; nec ad eos extendi facultatem concessam Mendicantibus diximus proximè *consultatione 4.*

Enimuero Auth. *de sanctiss. epis. col. 9. c. 37. seu. §. in omnibus vers. fœminis* statuitur, vt Episcopus monialibus ordinet confessarium, quem ipsæ elegerint. sed videtur agere de duplicibus monasterijs solutis, nec in re sacra ciuilis lex vlterius obtinet, quàm probetur à canonibus.

CONSVLTATIO VI.

De annuo monialium computu Episcopo dando.

AN Abbatissa Ordinario subiecta rationem administrationis illi dare teneatur? quæritur. neque est dubium quin ad plures à iure probatos effectus exigere possit Episcopus denudationem facultatum monasterij, administrationisque earundem: v.g. ad constituendum monialium numerum; *iuxta Trid. s. 25. c. 3. de regularib.* cui consonat bulla Pij V. *incip. Circa*, & Gregor. XIII. *incip. Deo sacris*, vbi declaratur id ad Episcopos pertinere;

1. *An Abbatissa Episcopo rationes dare teneatur.*

2. *Denudare facultates monasterij ad multas causas debet:*

nere ; & omninò ab eis obseruandum ne plures recipiantur, quàm commodè possint sustentari. quemadmodùm generatim Episcopo defert c. cognouimus 18. q. 2. seruorum & ancillarum Dei sibi subiectarum vitam regulari moderamine disponere ; quod sine temporalibus, eorumque cognitione, fieri rectè non potest.

3. Ad numerũ præscribendum.

4. Vt de administratione dirigenda statuat:

Iterum ad Episcopum spectat in monasteriis, tam in spiritualibus, quàm temporalibus corrigere, quæ viderit corrigenda; *c. ea quæ de stat. monach.* atqui in temporalibus, quæ corrigenda sint, videre non potest, nisi inspecto bonorum statu, & administratione: hoc ergo sine præscripto medium est permissum ; & concessâ illâ iurisdictione, ea permissa sunt omnia sine quibus illa exerceri non potest.

5. De eadem bene facta cognoscat.

6. Et dilapidatione, ne qua fit :

Denique *d. c. ea* facultas fit Episcopo amouendi Abbatem, si dilapidator fuerit ; & prouidendi administratorem idoneum : vt autem id noscatur inspiciendæ sunt rationes : quod consequens necessariò ponitur ex illo antecedenti. *Conueniunt cum dictis L. Miranda tract. de sac. monial. q. 8. ar. 8. Paulinus Berthi in prax. crim. reg. tit. 4. de visitat. Victorin. de mod. proces. in caus. reg. c. 9. Anton. Rest. in direct. visitat. c. 89. p. 136. & c. P. Saled. us Arimin. tract. de visitat. p. 4. c. 2. & 5. Marchant in Baculo pastorali d. 6. q. 7.*

7. An sibi annuè reddendas possit, Episcopus iubere illis, qui dignitates instar beneficiorum habent non tantùm per modum administrationum ?

An autem Ordinarius præscribere possit, vt sibi reddantur annuæ rationes, aut suus deputatus interueniat reddendis ? difficilis est quæstio, & cum in Concilio *prouincial. Mechlin. an. 1574.* statutum esset, vt Abbates & Abbatissæ computum coram Episcopis quotannis redderent ; id malignis istis temporibus adeo ægrè fuit exceptum, vt litem cõmunem Episcopis mouerint, quæ hactenus decisa non est. pro quibus sanè facit quod Abbates & Abbatissæ liberam habeant administrationem, quæ ex arbitrio Episcopi eapropter non sit restringenda. Citatur Sanchez in decalogum *l. 7. c. 19. n. 44. & quos ille numerat, & Stephanus d'Aluin in tract. de potest. episc. Abbat. c. 2. n. 7. c. 3. n. 1.* sed porrò summa ratio videri potest, quod huiusmodi dignitates dum in titulum habentur, & vt beneficia fructuum quasi dominos faciunt possessores, sub oneribus sustentandi monasterium, &c. vnde in declarationibus Cardinalium, quæ circumferuntur *ad c. 9. s. 22. Concil. Trid.* vbi administratores piarum causarum Episcopo quotannis rationem reddere iubentur, *in verb. administratores*, legitur hæc declaratio ; *sub hoc decreto non comprehenduntur Abbates, Præpositi, & Abbatissæ viam regularem ducentes, & idcirco administratores monasteriorum de illis rationem Ordinario reddere non tenentur.* & Barbosa in *Collect. ad idem caput num. 18. & 19. ex Armendar.* refert ita à S. Congregatione fuisse decisum. negant verò, vt numerus monialium constituatur, temporalium administratio cognoscatur, aut dilapidatio Abbatis ; opus esse annuo computu Episcopis reddendo : aiunt cognosci ea posse ex inuentario, seu regiſtris bonorum : & an frugi sit Abbas ; an quid vetitum alienet, non opus singulatim omnia noscere ; quid in monachos, quid in ædificia, quid in pauperes, ac aliàs insumatur ; dummodo nullus reprobus vsus appareat, non æs alienum inutiliter contractum, nulla dilapidatio. quo nomine vtitur d. c. *ea quæ* & Vlpian. *in l. verum § penult. D. de minor.* pro prodigalitate, quæ nullum expensarum facit finem : de qua ille ; *dilapidat argentum suum tam prodigè, quàm si leues essent aristæ.*

Nec verò obstat Abbatissas Episcopis plenariè in temporalibus esse subiectas : *Miranda vbi supra, Berthi vbi supra, c. 22. & c. 30.* adeoque ad eius iurisdictionem videatur pertinere exactio computuum ; quam si non comprehendat non videatur plenaria : quia commodam interpretationem verbum illud accipere debet, vt non, quidquid lubet, possint ; sed quidquid canones, & Ordinum instituta Episcopis in moniales tribuerunt, id plenariè possint.

Ad quem sensum etiam est accipiendum iuramentum Abbatissarum, quo subiectionem & obedientiam Episcopo spondent : & quod dicitur *in cap. ad monast. §. prior. X. de stat. monach.* vt monachi in omnibus Abbati obediant.

Porrò quod Berthi *vbi supra. tit. 4.* ait S. Congregationem reg. visitatoribus Apostolicis monialium ciuitatis Neapolitanæ & Salaritanæ instructionem dedisse 2. *Iunij* 1589. vt præciperent quotannis rationes reddi prouentuum & subuentionum, adeoque multò magis bonorum stabilium; dicimus inspiciendum fore an præfectę istarum monialium omnes officium tantùm gesserint, an habuerint dignitates titulatas; de quibus supra citauimus aliam declarationem Card. Concil. Trid. Interp. an fuerint triennales iuxta constitutiones Apostolicas in Italia receptas ; an verò perpetuæ, dignitatem tamquam beneficium, possidentes; quod immeritò nequit auferri, & liberam tribuit administrationem. quamuis etiam huiusmodi instructiones ius non faciant, nec ad omnia loca possint extendi.

Quam ob causam Concilium Prouinc. Mechlinien. 1607. & edictum Principum super illius executione editum, vbi finalibus articulis de annuis piarum causarum rationibus plura disponit, etiam accipiendum est in iis, qui administrationes tantùm, & officia habent ; non verò in iis, qui beneficia & dignitates possident, vt illud liberæ eorum administrationi non refragetur.

Enimuerò libertatem administrationi secundùm Ordinum instituta, & locorum consuetudinem intelligi oportet, vt in procuratore vniuersorum bonorum, cum libera administrandi potestate dato *in l. 38. 63. & ibi glos. & DD. D. de procurat.* non ideo quia liberam habet, alienare quiduis, aut prodigere quidquam potest.

Ideoque in multis Ordinibus regula, constitutiones, aut mores habent, vt Abbates & Abbatissæ quotannis coram conuentu computum

putum faciant; nec id tamen libertatem administrandi minuere creditur; sed tantùm facere ad probandam fidelem administrationem, & prudentem: quod si ergo Ordinarius rationes sic redditas inspicere, aut reddendas per se, aliumúe interesse voluerit pro exactiori illarum directione, non mox videtur dicendum, liberam administrandi, id est, recipiendi, erogandique potestatem minui, sed probationem fieri fidelis administrationis sibi iuratæ.

Enimuerò iussit Gregorius. XV. *const. inscrutabili* Episcopo quotannis à monialibus rationem reddi soli, si sint subditæ: cum superiore, si sint exemptæ; sed ea nondum hîc omninò est recepta: & Abbas S. Vedasti contra Episcopum Attrebatensem Concilij Mechliniensis iudicio obtinuit, ne illam ibi viâ regiâ possit exequi.

CONSVLTATIO VII.

An autem aduersùs rationum exactionem præscribi possit?

1. Superioritas & obedientia præscribi nō potest.

QVæstio est non inelegans, & quidem Innocentius III. *in c. cum non liceat, X. de præs.* negat licere à capite membra recedere: mandat præstari obedientiam, & reuerentiam debitam, præscriptione temporis non obstante: nec simpliciter; sed à præscribentibus, vt ab aliis clericis eiusdem diœcesis. vnde negari solet præscribi aduersùs obedientiam superiorum: *Less. de iust. lib. 2. c. 6. d. 12. & 15.* sed addit *ibidem* Lessius, obedientiam præscribi non posse à subdito, manente subdito; sed bene præscribi posse libertatem. Sed videtur alludere Innoc. ad Concil. Paris. *in c. nulla dist. 93. nullâ*, inquit, *ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina, & prouidentiâ gubernantur: tales enim acephalos, id est sine capite, prisca ecclesia consuetudo nominauit*: facit c. omnis. *X. de maior.* sed ego existimo Lessij distinctionem omnimodam solutionem non adferre: quia non ex iure; sed contradictoriorum tantùm ratione procedit; & in omni præscriptione obtineret: quippe nulla procedit re permanente vt antè erat: sed existimo Decretalem Innocentij ex veteris iuris & disciplinæ ecclesiasticæ consideratione procedere, quando exemptiones nondum inualuerant: aduersùs quarum originem admodùm inuehebatur D. Bernardus *de consideratione lib. 3. c. 8. 9. 10.* vbi sicut Innocentius dicit non licere à capite membra recedere, sic Bernardus *d. c. 10. monstrum*, inquit, *facis, si manui submouens digitum facis pendere de capite, superiorem manui, brachio collateralem.* Sed postquam vsus exemptionum magis est receptus, vt multis priuilegiis dari ceperat, etiam præscriptiones inualescere ceperunt. Qua-
2. Exemptiones hodie præscribuntur.
re Bonifacius VIII. *in c. cum persona de priuil. in 6.* acquiri exemptionem tradit priuilegio, & præscriptione 40. annorum, & vtroque coniunctò.

3. Quamquā illa obiecta secundùm causas diuersimodè regulatur.

Nihilominùs exemptione obiectâ, diuersimodè eam admitti secundùm suam originem tradit Bonifacius: si ex priuilegio prætenditur; vt illo exhibito libertas obtineat: si ex priuilegio & præscriptione, & illud quidem non sufficiat, sed tamen tribuat causam præscribendi; possessor non violentus, non clandestinus, non precarius, non turbetur; si verò priuilegium non exhibetur, vel solâ præscriptione se quis tuetur; probatione illius pendente, cum de iure communi Ordinariorum intentio sit fundata, suâ iurisdictione vti possint. *d. c. cum persona.*

Itaque dum Ordinarius negat Abbatissam præscripsisse aduersús exactionem computuum, quatenus iuxta superiora in illa sit fundatus, lite super ea re pendente, iurisdictione suâ vti posset.

Ea in quæstione & hoc versabitur, an ex solo temporis lapsu, quòd exactæ non sint rationes, exigendi ius perierit; legesque ea super re latæ desierint: an verò sit ineunda præscriptionis ratio, ex eo tempore, quo exactæ rationes, & negatæ fuerint; eaque in libertate Abbatissæ exinde perstiterint: & an ius ac leges non vsu, an contrario demum vsu abrogentur: eo etiam animaduerso, vt manente iure visitandi, intrinseca remaneat ratio cognoscendi de legitima administratione temporalium; eoque omni quod ad eam rationem sit necessarium.

CONSVLTATIO VIII.

Statutorum abrogatio non est ex abrupto nec inconsultò, etsi in visitatione facienda.

NOn est dubium, quin eius sit legem interpretari, derogare, & abrogare, cuius est ferre. *sed in rebus nouis constituendis*, inquit Vlpianus *in l. 2. D. de constitut. euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est.* vt ne quidem mutatio legis facienda sit, quamuis aliud aliquid melius occurrat. *vt docet post D. Thomam Malderus in primam 2. q. 97. ar. 2. & in rebus politicis nos diximus in Iud. l. 3. c. 2. n. 25.* Itaque statuta prædecessorum suorum non debent facilè Episcopi immutare; etiamsi specie tenus aliquod mutationis commodum appareat: sed demum re maturè admodùm expensâ. adeoque multò minimè in visitatione, quæ celerrimè expedienda est, quidpiam per prouisionem inducere, quod vetera instituta conuellat, aut mores iure non improbatos, immutet: & maximè si ad statum ecclesiæ alterandum facere videatur: nisi necessitas, & secura omninò opportunitas exegerit. *vt iterum diximus in Iud. lib. 4. c. 32. n. 3.* & in

& in rebus monasticis valde opportuna est sententia Philosophi; *l.2.polit.c.6.non enim*, inquit, *tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit assuefactio superioribus non parendi.* quæ ratio sanè maximè in regularibus obtinet; quorum omnis disciplina ex voto obedientiæ pendet: quâ solutâ cætera concident: ideoque Augustus non properatas leges ferre solebat, sed populo ex cera propositas: vt, si quis mutandum aliquid aut addendum putaret; liberè profiteretur.

CONSVLTATIO IX.

An Canonicæ regulares Sanctimoniales censeantur, & ad clausuram teneantur?

CLausuram monialibus imponens Bonifacius VIII. *in c.periculoso de stat.reg.in 6.* vniuersas compellat & singulas. quæritur, an canonicæ regulares comprehendantur? non est dubium, quin proprietate sermonis sub monachorum nomine non veniant canonici regulares. vnde & illud obtinuit, vt non quæcumque mônachis prohibita, sint etiam canonicis regularibus vetita: *c. quod Dei timorem. de stat. monach.* si tamen eadem prohibitionis ratio in vtrisque militet; idem est iudicium. *c.ex parte.X.de postuland.* adeoque communiter hodie constitutiones ecclesiasticæ, quæ ad mores & disciplinam religiosam feruntur, vtrosque comprehendunt: sicut monachorum & monialium nomen latè acceptum, vtrisque accommodatur: nisi fortè pœnales sint, & exorbitantes. *Ludouicus Miran.l.in manual.prælat. tom.1. q.10. ar.5. & 6.* quomodo Weymsius *ad const. XXIV. in Concilio Tridentino innouatas, constit.14.n.14.* tradit, quæ de monachis in Lateranensi, & Tridentino Concilio statuta sunt, à canonicis regularibus esse seruanda.

1. In iis quæ ad disciplinā pertinent, solent comprehendi seu vbi eadem est ratio.

2. Adeoque in his, quæ clausuram spectant.

Vnde subsequitur, quæ Concilium Tridentinum *s.25.de reg. c.5.* & Bonifac. VIII. *in d. c. periculoso de stat. reg. in 6.* de clausura Sanctimonialium decreuit, etiam spectare ad canonicas regulares; eò quòd ratio, quam proponit *d.c.periculoso*, & Tridentinum innouat, in vtrisque militet. & Bonifacius generalibus verbis *moniales*, inquit, *cuiuscumque religionis sint vel Ordinis*, quæ verba generalem intentionem eius satis explicant. & Miranda *tractat.de clausura monialium q.1.ar.3.* latius docet illis decretis comprehendi religiosas fœminas cuiuscumque Ordinis, aut conditionis: & clariùs euadit ex constitutione Pij V. *incip. Circa*, vbi ad clausuram obligat mulieres cuiuscumque Ordinis, religionis, vel militiarum, quæcumque tria vota substantialia religionis emiserint. Et conuenit constitutio Gregor. XIII. *incip. Deo sacris.* & Gregor. XV. *incip. inscrutabili*, & rursus Concil. Trid. *vbi supra c.22.* omnia de regular. decreta, adeoque de clausura *d.c.5.* obseruari præcipit in *omnibus cœnobiis, monasteriis, collegiis, ac domibus quorumcumque monachorum ac regularium, nec non quarumcumque Sanctimonialium virginum ac viduarum, etiamsi illæ sub gubernio militarum, etiam Ierosolimitanæ viuant, & quocumq; nomine appellentur, sub quacumque regula vel constitutionibus, & sub custodia vel gubernatione vel quauis subiectione aut annexione vel dependentiâ, cuiuscumque Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, vel aliorum regularium vel monachorum, aut canonicorum quorumcumque: non obstantibus eorum omnium singulorum priuilegiis, &c.*

3. Quod Pius. V.

4. Gregorius XIII.

5. Et concil. Trid. satis exprimunt.

Non potest exquisitioribus, aut generalioribus verbis res illa dici: comprehendentur ergo decreto clausuræ etiam canonicæ regulares: adeoque illæ virgines, quæ sub regula S. Augustini, & instituto S. Victoris religionem professæ sunt. Dicitur ille Ordo in diplomatibus Pontificiis *Ordo canonicus*, & religiosæ in eodem instituto *canonicæ* vocantur: Quare pridem S. Congregatio Concil. Trid. Interp. declarauit ad clausuram teneri omnes Sanctimoniales, quæ tria vota substantialia religionis emiserunt.

Vt omittamus in casu nostro Alexandrum IV. *in literis suis an.1258.* cœnobij nostri Ordinem vocare canonicum: & tamen instituti S. Victoris sectatores, viros vocare *fratres*; fœminas, *moniales*: ex more ecclesiæ præsertim vetere: cum huiusmodi tituli monitorij magis adhuc essent vitæ religiosè ducendæ; nondum assumpti in argumenta eminentiæ.

CONSVLTATIO X.

An Clausura sit vbique recipienda, & quid in Belgio?

1. Ex verbis Bonifacii VIII. vbique gentiū.

ADdit Bonifacius *omnes moniales in quibuslibet mundi partibus existentes*: eaque verborum vniuersalitas non tantùm zonam torridam, sed & septentrionem, ac maris glacialis oras complectitur. Quidam tamen eminentes Theologi, ac Iurisconsulti, vbi finis, ratioque legis non reperitur, ibi negant legem illam esse animatam. Bonifacius ergo constitutionis suæ caussam, periculum castitatis, populi scandalum, religionis opprobrium allegat; vbi ergo ex cœli beneficio, genio gentis, more populi nulla ex his caussis reperitur, negant inuitis strictam clausuram instar perpetui carceris, acerbitate pœnarum, quas Bonifacius, & Tridentinum proponunt, cogi posse.

2. An itidem ex ratione?

3. Quid ex vsu Franciæ & Belgij? ac Synodis? ac Placitis Principum?

Sanè in Francia Bonifacij constitutionem vsu receptā nō fuisse docuit Ioannes Andreæ. *vt refert Azor.institut.moral. lib.13.c.8.* & Clemens V. Bonifacij successor, qui non pauca eius acta rescidit, *in Clem.attendentes de stat.regular.* vbi

vbi in monasteriis monialium emendanda per visitatores proponit, clausuræ non meminit; sed dicit tantùm; *non choraas, non festa secularium prosequantur, non diu noctuq; per plataas incedant.* etsi nunc constitutiones quæ clausuram commendent, multorum praxis receperit in Francia etiam. ita & in veteribus Ordinationibus Conciliorum Coloniensium, quæ proximè Bonifacium secuta sunt, *Sifridi anno* 13... *VValrami ann.*1333. *Guilielmi ann.* 1354. *Frederici* 1370. clausuræ strictæ nullum est decretum, sed dumtaxat ne moniales extra claustra exeant, per ciuitates & oppida discurrendo, nisi ex causa rationabili & vrgente, & cum Prælatæ licentia. & sic Synodus Cameracensis *an.*1550. *tit.*4. de clausura stricta statuens, bis addit, hæc de monialibus verba; *qua clausuram professa sunt* : & his ferè consonant, quæ leguntur in antiquis Synodis Belgicis vsque ad an.1550. & Adolphus Archiepiscopus edidit *formam visitandi:* & sub titulo *de formula inquirendi in monasteriis monialium*, id tantùm inquirendum præscribit, vtrum moniales extra septa contra regulam sui Ordinis se interdum præripiant. vt sanè in his Belgicæ locis, rigor clausuræ Bonifacianæ non omninò fuerit receptus: neque ab omnibus creditum dici periculosum illud mare esse, quod continuò multa nauium millia sine naufragio nauigant: non dici populi scandalum, vbi nullius conscientia feritur; sed laudatæ matronæ, intaminatæque virgines platæas, forum, templum passim more gentis non frequentant tantùm sine offensa; sed si qua hîc Italica fœminarum clausura teneretur, proxima videretur censuræ atque infamiæ: non religionis opprobrium committitur; vbi in ea libertate nulla sui obliuiscitur, nihil verecundiæ, aut votiuæ castitati aduersum, censuraúe dignum geritur. Agunt autem, vt dixi, de inuitis, non cogendis: probantque earum pietatem, quæ sine censurarum scutica, solo pietatis zelo, perfectionisque maioris etiam illos laqueos vitare cupiunt, qui vel rari admodum sunt, vel non mortiferi. Quomodo & in Belgio videmus innumera sacrarum virginum monasteria arctiorem clausuram seruantia: etsi è contra sint alia, quæ laxiorem quidem clausuram tantùm habeant; ita vt septis nunquam, vel rarissimè grauissimis ex causis egrediantur: in aliis etiam egressus innoxius, cum verecundia & modestia toleretur. vt refert Cardinalis Bentiuolius in Relatione Nuntiaturæ Belgicæ Paulo V. facta: *p.*2.§.*quanto alli regolari.* vt omittamus tot millia beginarum à quinque iam sæculis in Belgio castè, religiosèque sine clausura viuentium, voto simplici castitatis astrictarum; tantosque exercitus deuotariarum sub simili voto, priuatis vbique in ædibus degentium, sine Bonifacianæ periculo, scandalo, opprobrio.

Ita rationantur, qui Belgicæ libertati, mori, genioque gentis fauent. ex quo sanè, quodque ipse Bonifacius Prælatos de monialibus includendis *quamprimum*, inquit, *commodè prouidere poterunt, procurent*, quodque Concilium Tridentinum Bonifacianam secundùm omnes articulos innouat, adeoque & illud *commodè*, id est, etiam sine offensione maioris boni, charitatis, ac pacis (nam alioquin non *commodè*) profectum credi potest, quod Synodus prouincialis Mechliniensis *ann.*1570. *c.*4: *& seqq.* inchoat quidem clausuram, sed non secundùm rigorem Bonifacianæ, Concilij Tridentini, Pianarum, aut Gregorianarum constitutionum; & *c.fin.* cùm multas refragaturas non dubitaret, subiecit; ne qua, vbi id accideret, vestiretur, aut ad professionem admitteretur. Quem modum ex bulla Pij V. elicitum probauimus *in Iur. pont. nou. anal. de regul. n.*41. *& deinde Stephanus VVeymsius ad constitutiones in Concilio Tridentino innouatas Const.*15. *num.*15. quamquam Synodus Mechliniensis 1607. *eod. tit.c.*3. egressum monialium vetet, nisi ex tribus causis in Piana expressis; quam & dicit inuiolabiliter obseruandam, tametsi nec hactenus illius omnis rigor obtinuerit.

Enimuerò quamuis Pianæ & Gregorianæ constitutiones ampliores derogatorias continere videantur; quæ tamen dicuntur in Synodo non publicatæ hîc, aut non receptæ, & licet in Synodo Mechliniensi *anno* 1607. *de reg.c.*3. dicatur obseruanda Piana, quæ egressum non permittit, nisi tribus ex causis, adeoque ea satis censeatur publicata (nam publicatio ecclesiastica fit in Synodis) & eidem Synodo accessit Placitum regium ad decretorum faciliorem executionem, *vt dicitur generaliter in proœmio*; tamen *eodem proœmio* dicitur, quod articuli Synodi Principi fuerint exhibiti, iisq; etiam proponendis præses Parlamenti interfuerit: atqui Synodus in iis articulis habebat, vt Episcoporum conscientiæ committeretur obseruantia clausuræ, qui eam vrgerent, prout promptitudo, vel peruicacia monialium permitteret: id ergo Princeps probauerat: verùm Romani substituerũt *c.*3.*tit. de regul. ne Sanctimoniales egrederentur, nisi tribus ex causis in Piana expressis, eademq; inuiolabiliter obseruaretur.* quemadmodùm etiam Synodus statuerat diuersos terminos in elocandis decimis, pratis, terris, domibus, vt refert, & probat Placitum *ar.*20. (quos Synodus Antuerpiensis *ann.*1609. *tit.*21.*c.*25. repetit & iam ante Synod. prouinc. Camerac. *anno* 1586. & edictum ad illam *ar.*23.) eidemque decreto Romani substituerunt *d. Synod. Mechl. tit.*22. *c.*2. *bona ecclesiæ locare non liceat vltra tempus à iure permissum*: si ergo Pianæ & Gregorianæ nõ sint hîc receptæ, nec assentiant Principes, neque Tridentinum hîc receptum deroget ipsis fundationibus; atque fundatio monialibus egressum permittat; clausura vtiq; inuitis imponenda ibi nõ est; aut nouitiis præcipienda in tempus futurum. Nequidem in vim Synodi prouincialis Mechliniensis *anni* 1570. *c.*4. quia hæc profitetur se illud prosequi, quod à Tridentino statutum est: & *c. fin.* vbi apud rebelles vetat nouitias recipi, bis *in eodem capite* mentionem facit Tridentini: quas ergo Tridentinum non complectitur;

ctitur; vtique Synodus hæc etiam non attingit.

Porrò cùm non constet hîc ipsam egrediendi facultatem ab ipsa primæua esse fundatione: non oberit, quod ex chartis tantùm priuilegiariis concinnatum est Institutum, vt sonat illius inscriptio, quod in actis est exhibitum: cum indultis istiusmodi, & priuilegiis derogarit Tridentinum *d.c.5.* & regulis, & institutis contrariis: *d.c.22. de reg.* neque Alexandri IV. literæ recitent primæuam fundationem hîc contrariam.

CONSVLTATIO XI.

An adiici poßit præcepto clausuræ pœna nullitatis profeßionis, priuationis præfectæ, eiectionis nouitiæ sic professæ?

1. Pœna nullitatis, receptionis, professionis, à Synodo Mechliniensi (multò minus votum, aut promissum) proposita non est; & verò ad solum Pontificem spectat impedimenta matrimonium dirimentia statuere: *Sanchez de matr.lib.7.d.1.& seqq.* adeoque (vt valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale: *Euerard. à mat.car.ad spiritual.ita*) de substantia votorum disponere: *c.1. de relig.dom. in 6. Nauar. de reg.cons.26. nu.7.8.* priuationem autem imponere non potest Ordinarius, nisi vbi à iure statuta est. *Rebuff.de benef.l.3 de mod. amit.benef.n.62. glos. in c. fin. de iur. pat.* eiectio etiam regularium iure vetita est; *c.fin. de reg.* non admissâ nullitate professionis, nam aliàs non præstaret impedimentum, quæ de iure non sortitur effectum. Sed Sanchez *oper. moral.l.5. c.4. n.71.* per indirectum dicit statui posse huiusmodi impedimentum, auferendo potestatem in Abbatissa, soluitque contraria; sed Nauar. negat id fieri posse in carnali *consil.1.de matr.contr. cont. interd. eccl.* & Sanchez *de mat.l.7.d.2.* aitque Nauar. nec vnquam fecisse Pontificem, & constat *ex tot. tit. de matrim.cont. interd. eccles.* interdicta nòn inducere matrimoniorum nullitatem, adeoque nec professionum. aliàs, vbi Abbas vel Episcopus est omninò proprius prælatus, induci potest nullitas: non ob interdictum; sed defectum consensus eius, cuius est adoptare, seu congregationi adscribere: at ex instituto S. Victoris, circa quod est nostra quæstio, id ad Abbatissam spectat, & Conuentum. vt & in Regula S. Benedicti ad Abbatem non ad Episcopum. & ex regula id ad solum Abbatem spectat, quamuis ex consilio seniorum, vt in re ardua: vt Choppin. *Monast.l.1. t.2.nu.5.* ait natam suam in vota monastica iurasse penes antistitam, sacra peragente sacerdote. idque in ordine S. Victoris secundùm canones. vt disertè habet c.consuluit. *X. Qui cler. vel vouent. vide in responsis de regul. r. 15.* quare *in c. 1.X.de conuers.coniug.* inscio Episcopo coniugati professi, si continet vxor, valet professio. & *in c.ad apost.X.de reg.* dicitur monachus fieri per monachi professionē, & Abbatis receptionem: additurque regula, multa fieri prohiberi, quę tamē facta tenent. vt etiamsi ex c.14.Concil. Niceni sine licentia Episcopi fieri monachus non debeat; factus tamen, sit verè talis.

A solo Pontifice nullitatis pœna in his statui potest.

Neque verò constitutio Pij V. *incip. circa* ad hanc rem facit: sed de solis tertiariis loquitur, quæ non fecerunt tria vota religionis; vt ea emittant, & exinde seruent clausuram: aut, si nolint profiteri dimittantur, neque aliæ recipiantur: inhabilitando attentantes, & irritando in contrarium attentata. Sed neque ea constitutio votum aut promissum clausuræ exigit, sed tantùm vt, quę in congregatione permanere volunt, tria vota emittant; & post recipiant clausuram: vt omnes aliæ, in vim legis, non voti. Neque contra facit *vers. cæteris*, vt conuincit ipsa connexio distinctionum *à §. mulieres quoque quæ tertiariæ*, quas finit d. vers. cæteris: *in verb.cæteris autem omnibus sic absque emißione profeßionis* (nota) *& clausura viuentibus &c.* Et harum exindè dumtaxat irritat professiones, & receptiones.

CONSVLTATIO XII.

Discedendi licentiam tribuere posse Abbatissam ex Priuilegio, an spectet ad clausuram an transitum ad alium Ordinem?

Obiicitur clausuræ pręcepto argumentum casus nostri speciale, quod Alexander IV. an.1258. inter cætera huius loci priuilegia, *prohibemus,* inquit in literis suis, *vt nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine Abbatissæ suæ licentia de eodē loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere; discedentem verò absque communium literarum vestrarū cautione nullus audeat retinere:* ergo, inquiunt, ex Abbatissæ licentia licitum est loco exire: literæ autem Alexandri confirmatæ sunt ab Vrbano VIII. quamuis cū clausula *dummodo priuilegia sint in vsu, non reuocata, nec Tridentinis decretis contraria*: aiunt in vsu fuisse vsq; in hanc litem; negant esse reuocata, aut Tridentinis decretis sanè intellectis cōtraria. verùm Trid. *d.c.5.* derogat omnibus indultis, & priuilegiis: & sanus Concilij intellectus cōprehendit omnia monasteria cuiuscumque religionis, vt diximus, innouatque Bonifacianam: quæ clausuram introduci mandat etiam in monasteriis *vbi, inquit, sub finem, non est*: vt diximus, & *c. 22. de reg. Trid.* omnibus priuilegiis derogat, etiam in fundatione obtentis, constitutionibus, regulis, & institutis, præterquam arctioribus. 1.

Discessus licentia in huiusmodi priuilegiis spectat ad ordinis transitum.

At verò neque huc spectat sententia verborum Alexandri IV. quippe qui Bonifacium, qui 2.

Non ad egressum

qui strictam hanc clausuram primus vniuersaliter præcepit diu præcessit: sed spectat Alexandri mens, non ad egressum, & regressum quotidianum monialium; sed ad stabilitatem, vt vocant, vel transitum ad alium ordinem: adeoque addit tanquam eodem genere exceptionem; *nisi arctioris religionis obtentu*: vt eo casu sine Abbatissæ licentia liceat discedere, non autem alio, scilicet ad Ordinem laxiorem, vel etiam æquè strictum. nam multa de huiusmodi transitu in iure tradita sunt: quæ latè exequitur Mirand. *in manual. Pralat. tom.1.q.31. multis articulis*, & quærit nominatim *ar.9.* vtrum ex Ordine canonicorum regularium ad Ordinem monachorum licitè possit fieri transitus? quod vtique disertè vetitum est *in c. nullus, c. mandamus, c. statuimus.19.q.3.* quo respexisse Alexandrum constat vel ex solis verbis *d.c. statuimus*, quæ penè eadem sunt cum supra citatis verbis Alexandri. quod eò procliuius etiam est, vt ita accipiamus; quod Ordo canonicus regularis sub instituto S. Victoris, & nuncupatim etiam huius cœnobij, in professionis formula proponat, vt virgines promittant *stabilitatem corporis sui in eo loco.* quin imo refertur *in c. licet. X. de regular.* multis etiam monachis canonicis & hospitalariis esse concessum, vt ne quidem arctioris etiam religionis obtentu superioribus inuitis aliò transire possint. tametsi id ita accipiendum decidat, vt inuiti esse non possint circa eos, qui non fictè, sed verè, ad frugem melioris vitæ voluerint transmigrare.

& regressum aliis ex causis.

Aliud argumentum speciale est, quod an. 1625. S. Congregatio Cardinalium super regular. super harum monialium libello rescripserit Episcopo, vt de iis, quæ narrantur, certiorem illam faceret; *interim verò*, inquiunt, *si interdictum contra moniales ex eo dumtaxat, quod clausura legibus se subiicere recusarunt, apposuit; statim amoueat.* vnde duo deducunt: primum; quod idem Episcopus propter appositionem manus, quasi papalis, isti negotio se amplius non possit immiscere. *DD. in c. ad nostram. X. de appellat.* alterum; quod coactio inuitarum per censuras ad clausuram, vbi consueta non est, videatur non probata.

Verùm ad primum quod attinet, imputandum est monialibus quod annis nunc plusquã decem negotium istud apud S. Congregationem non fuerint prosecutæ; cum causis omnibus, vt summum biennalem vitam esse voluerit Concilium Trident. *s.24. c.20.* neque Congregatio, quamuis requisita, per dictum libellum vlterius Episcopo quidquam prohibere voluerit: vt eam instantiam pridem euanuisse dicendum sit, vt Ordinario non possit esse impedimento.

Quoad alterum, significauerant moniales per d. libellum quod ipsæ adinstar aliarum monialium, illarum partiũ Ordinis canonicarum regularium S. Augustini instituti S. Victoris, se gesserint ab an. 1258. & nunc Episcopus statum illius monasterij innouare, & in eo arctam clausuram, hactenus non receptam, & minus probatam, introducere velit, interdicto eis per multos menses imposito, nõ sine maximo catholicorum ob inusitatum procedendi modum scandalo, & vicinorum hæreticorum risu, & priuilegiorum monasterij præiudicio: sanè hæc omnia simul narrata sufficere videbantur, vt interdictum prouisionaliter tolleretur: cui satis fuisse videri potest, vel tanti temporis peruicacia, quo moniales sustinuerunt illud interdictum: quia censuræ ecclesiasticæ inuentę sunt ad animæ medicinam. quod si ergo venenum esse ceperit, optima medicina erit, nullâ vti; propter duritiam cordis. Igitur iussum est amoueri interdictum: cùm alioquin & Concilium Tridentinum & Bonifaciana vsum censurarum in hoc negotio tribuant. & hoc est quod diximus suprà *commodè* procurandam esse clausuram: vt ex circumstantiis personarum, & locorum salutem, ad quam reperta est, non perturbet: metuus, & disciplina ecclesiæ sit in ædificationem, non in destructionem.

Animaduertendum est etiam, quod moniales istæ significent se viuere ad instar aliarum monialium illarum partium, illius instituti indefinitè, adeoque vniuersaliter; quasi nullæ clausuram receperint, quasi lex vsu recepta non sit: cum tamen à Synodo Cameracensi anno 1567. cùm nondum omnes noui episcopatus Belgij re ipsâ essent erectionis effectum consecuti, decretum fuerit *tit. de regul. c.4.* vt, quæ de clausura Sanctimonialiũ à Concilio Trid. *d.c.5.* essent constituta, diligenter obseruarentur: & mox idem decreuerit Synodus Prouincialis Mechliniensis *an.1570. de regul. c.3. & 11. & anni 1607. eod. tit. c.3.* secutæque sint aliæ diœcesanæ diuersorum temporum: etiam Leodiensis an. 1618. *eod. tit. c.5.* & quàm plurima omnium Ordinum monasteria eadem salubria decreta hîc receperint.

Porrò in Synodo Cameracensi *an.* 1586. *tit.20. de reg. c.11.* clausuræ restauratio iniungitur: & *c.17.* sororum hospitalium, & infirmis seruientium monialium citra clausuram institutum admittitur: cap. autem 16. aliarum liberas regulas tantùm allegantium, eoque nomine clausuram recusantium, controuersiam ad Sedem Apostolicam dicitur referendam esse. quid exinde actum responsumúe sit, mihi non constat; vsu tamen in illa prouincia obtentum videmus, vt pleraque saltem monasteria clausuram habeant.

CONSVLTATIO XIII.

An ad Clausuram cogi poßint moniales, apud quas ea nunquam fuit?

1. Clausuram Sanctimonialium præcipiens Concilium Tridentinum, & renouans Bonifacij constitutionem *c. periculoso de stat. reg.* mandat Episcopis, vt in omnibus mona-

Possunt cogi omninò omnes ex Bonifaciana & Tridentina.

monasteriis restitui violatam, inuiolatam conseruari procurent: deinde procedens ad moniales, *nemini*, inquit, *Sanctimonialium liceat post professionem exire*: & ad exteros, *ingredi intra septa monasterij nemini liceat*. quæ duæ negatiuæ omnes vniuersaliter cōprehendunt. quod autem argutantur quidam, quod etsi Tridentinum videatur vniuersaliter renouare Bonifacianam; tamen verbis pòst subsequentibus restringi ad rem, & causas subsequenter specificatas: *c. causam. quæ. & ibi glos. in verb. praced. X. de rescript. Euerard. in loc. à general.* adeoque restringi ad loca, vbi semel incepta fuit clausura: quia alioquin non posset dici violata: cùm priuatio supponat habitum *l. decem. 116. D. de verb. oblig. Euerard. à priuat. ad habit.* & non entis nullæ sunt qualitates: ad moniales non pertinet; sed ad Episcopos: si quærere vellent excusationem aduersùs interminationem maledictionis æternæ, aliasque pœnas, quas minatur Tridentinum Episcopis negligentibus, aut hærentibus ob peruicaciam refractariarum, vbi nunquam clausura fuit: quarum remora magis exspectanda erat: quia ista periodus moniales non compellat, sed illa tantùm, *nemini autem Sanctimonialium*: qualia sunt in Trident. alia loca, quæ ipsos Episcopos tantùm commonefaciunt, qui quantisper iniuncta sibi non exequuntur decreta, quæ ad subditos non diriguntur, eosdem interim non coarctant: alia porrò decreta, quæ ipsos subditos compellant, eosdem omninò obligant, etiam tacentibus Episcopis: vt iste §. *nemini.* Sanctimoniales etiam illic, vbi Episcopi iniunctum munus non exequerentur.

Et nihilominus, vt daremus ad moniales spectare illam, quam volunt restrictionem, vbi violata &c. quo sensu Bonifacianā intellexisse videtur Synodus Cameracensis *an.* 1550. *tit.* 4. vbi de monialibus statuens addit bis *quæ clausuram professa sunt vt rigidè seruent*: rursus explicationem illa suam acciperet per subsequentia generalia, *nemini Sanctimonialium liceat exire, ingredi septa monasterij nemini liceat*, & iterum per c. 22. *hac omnia & singula in omnibus, &c. Trid. ibid.* & vt Nauar. ait *in comment. 4. d. reg. num.* 45. §. 8. mens potius legis inspicienda est quàm verba: mens illa satis est in aperto, si & Tridentinum, & Bonifaciana, & Pianæ, & Gregorianæ, quæ se dicunt inhærere Tridentino, considerentur magis, quàm vt verba quis amplexus rationem negligat. quæ enim causa admitteret, aut suaderet, vt, quæ antea Bonifacianam contemsissent, à lege nunc exciperentur, fraus sua, & peruicacia illis esset proficua ad priuilegium & exemptionem? cur renouaretur à Tridentino Bonifaciana? cur periculum, aliæque causæ Bonifacianæ negligerentur in pertinacibus, in obsequentibus attenderentur?

Quin etiam vsus verborum non repugnat: an non dicitur violasse ieiunium, qui numquam seruauit? violasse præceptum, cui numquam obediuit?

Neque obstat, quod in anno probationis clausuram non experiantur, quia præmonitæ satis apprehendere eam austeritatem potuerunt: quin & in non monitis respondet Weymsius; *non potuerunt non cogitare se esse monachas, & sic debere solitariè viuere, extra communionem & conuersationem hominum sæcularium.* sed neque Bonifacius, neque Trid. exspectari iusserunt, donec nouitiæ succederent, quæ prius experirentur clausuram, quàm seruare tenerentur. Neque ea ad status mutationem pertinet, dum votiua non exigitur, quam negamus fieri ab Episcopo circa inuitas posse, aut circa essentialia, sed accidentalia tantùm: vt arctiorem clausuram æstimat Zerola *in prax. p. 2. V. reform. regul.* neque verò nihil professis proponi potest, quod in nouitiatu non sint experti. Sed neque Episcopi ex suo arbitrio & lubitu ea facere dicendi sunt, sed authoritate legis; seu Pontificis, aut Concilij eam ferentis. in quibus non est æstimandum, quod Episcopi quicquam statuant, quia magis sunt executores legis latæ, quàm quod quidpiam suo iure constituere videantur: volentibus porro non malè proponi istiusmodi seruandæ clausuræ non votum sed promissum, ad faciliorem executionem obtinendam, multis omninò visum est. ideò quod tollit ea ratio & dubia, & murmura: hæc; cùm queri quis non potest de eo quod sponte promisit: illa; cum disertè propositum fuit, quod ex præcepto ecclesiæ aliàs exigi potest. quemadmodum ex obligatione regulæ, quam quis professus est, tenetur ad illius rigorem, etiamsi probarit tantùm relaxatam. quamquam fortè in foro interiori, si animus tantùm fuit vouere obseruantiam secundùm inueteratam consuetudinem, in accidentalibus vlterius, non obligetur ex voto. *Ludouic. Mirand. in manual. Prælat. tom. 1. q. 25. ar. 5.*

2. Non obstat argumentū quòd in nouitiatu clausura non sit probata.

Adeoque ex Tridentino teneri ad clausuram etiam moniales, vbi etiam ea nunquam fuit, censuerunt Azor. *Inst. moral. l. 13. c. 8. q. 2. c. 19. q. 11. Sanchez & quos citat satis multos, oper. moral. l. 6. c. 2. n. 42. & eod lib. c. 15. nu. 12. vbi dicit ita absque dubio tenendum. R.D. Henric. vanden Zype Abbas S. And. iuxta Brugas frater meus tract. de clausur. monial. Fland. ar. 15. Sylvius in 2. 2. q. 104. ar. 5. & quos citat, contrariisq; respondet VVeyms. in Const. 24. à. Trid. innouat. const. 15.*

Et sic S. Cong. *Reg. 19. April. 1624.* scripsit Episcopo G. vt in monasterio M. R. saluberrimæ clausuræ leges iuxta sacrorum canonum, ac constitutionum apostolicarum præscriptum totis viribus, omnibusque iuris & facti remediis necessariis, & oportunis introducere (nota) & penitus stabilire conetur.

CONSVLTATIO XIV.

An vouenda vel promittenda sit clausura?

1. Recipienda non vouenda; vt aliæ leges.

Recipienda est, vt alia ecclesiæ decreta, non vouenda, aut promittenda. eâ ratione & formâ loquendi, vtitur Conc. Trid. *s.25. de reformat. c.2.* vbi mandat, vt omnes in Conciliis prouincialibus proximis omnia, quæ ab eodem Concilio definita & statuta sunt, palam recipiant; qua eadem formula loquendi vsus est Pius IV. in formula professionis fidei, nec vllibi seruandorum Concilij decretorum votum aut promissum exigit. adeoque cum *d.c.2.s.25.* complexum etiam sit decretum *c.5.s.25. de reg.* quod clausuram sancit, recipienda vtique illa erit, non vouenda, aut promittenda. cum nec Bonifacij VIII. constitutio illud, nec vllus canon requirat. quemadmodum etiam Concilium primum Mechliniense anni 1570. *tit. de reg. c. vlt.* vbi aduersùs refractarias moniales suggerit, vt nulla imposterum ibi vestiatur, vel ad professionem admittatur; nullatenus tamen exigit votum vllum à nouitiis, aut promissum; neque itidem Constitutio Pij V. *incip. circa*, quâ parte de tertiariis agit, quæ votum solemne religionis non emiserunt: *Ordinarij locorum*, inquit, *hortentur, & persuadere studeant, vt illud* (votum solemne religionis) *emittant, & profiteantur, ac post emissionem & professionem clausuræ se subiiciant.* Ita Piana votum religionis exigit, non clausuræ; sed subiectionem tantùm clausuræ: quod idem est ac si dicas, receptionem. sic satis est generatim leges & præcepta superiorum recipi; moris aut styli non est vt voueantur, aut promittantur seruari. sed neque ecclesia in Pontificali promouendis ad subdiaconatum, postquam monuit seruandam ab iis deinceps castitatem, votum proponit, aut promissum; sed tantùm hæc verba; *si in sancto proposito perseuerare placet, in nomine Domini huc accedite.* vsurpatur id solummodo in religiosis, vt voueant castitatem, paupertatem, & obedientiam secundùm regulam cuiusque religionis. quod recipitur in religionibus à Sede Apostolica approbatis. sed quia vetitum est sine illius approbatione nouas religiones instituere, *c. religionum. de relig. dom. in 6.* etiam consequenter vetitum est noua vota proponere. quippe quæ variant religiones. quinimo *d.c.* religionum *in princ. & passim c. fin. X. eod. c. vnic. eod. in extrauag. Ioan. 22.* satis significat solum ritum aliquem viuendi variare religionem: ideoque nouus induci etiam ab Episcopis vetatur. *d.c. vnic. §. quidam. & §. fin.* quantò magis vota, aut promissa? vt & ritibus, & particularibus mediis, & exercitiis ordines variari docet Lessius *de iust. & iur. lib.2. c.41. d.2. n.18. & Thomas à Iesu de variis regulis Carmelitarum p.2. d.7. §. secundum genus.* vnde & rectè Nauarrus *de reg. cons.26. n.7. & 8. & per tot.* negat quidquam substantiale circa vota mutari posse citra Papæ authoritatem: & Ludouicus Miranda *in tract. de clausura monial. q.1. ar.3. sub fin. sed aduerto*, inquit, *quod non per hoc, quod moniales per Concilium, & prædictorum summorum Pontificum constitutiones iubentur seruare clausuram, astringuntur illam profiteri, aut compelli possunt, siue debent ipsam vouere; nam ad id non tenentur; sed solummodo ad eandem seruandam astringuntur, & hoc ex ecclesiæ præcepto, eo modo, quo omnes in vniuersum fideles ad seruandum quadragesimale ieiunium, quod seruare quidem tenentur, non tamen illud voueant, nec ad illud vouendum astringuntur*: & in margine *non præcipiuntur*, inquit, *moniales clausuram promittere, sed seruare.* Cùm ergo ex præcepto legis sufficienter inducatur obligatio, non opus est subditorum voto aut promisso, sed tantùm legis receptione: adeoque sufficit vt nouitiæ declarent se clausuram recipere ex nunc prout ex tunc, cùm Episcopo visum erit seruandam iniungere. ea enim declaratio legis receptæ, sufficienter agnoscit obligationem obedientiæ, quę legi debetur. neque porrò supra legem aut regulam debent moniales grauari, ne quidem promisso huiusmodi, quod etiam nouum religionis ritum induceret contra *d.c.* religionum: &, cùm serium promissum in re graui obliget sub mortali, non sunt multiplicandi peccatorum laquei. vt id vetat c. clericos. *X. de cohabit. cler. & mulier.* quamquam etiam huiusmodi verba; *declaro me recipere*, iure obligationem inducunt, vt Papinianus significat pactum contineri his verbis; *profiteor te non teneri. l. tale pactum 40. D. de pact.* nam declarare & profiteri idem est, vt Martianus *in l. vlt. D. de publican.* seruum improfessum, quod est non declaratum, in commissum cadere dicit: & *in §. quoties ibid.* quamuis & verbum *recipio* quandoque significat promittere. *l.1. D. nautæ caupon. stab. l.295. D. verb. sig. l. rem. C. de Iud.* vt sane his attentis non alia forma pronunciari debeat de clausura.

CONSVLTATIO XV.

A primæuo instituto nullatenus est recedendum.

Qvàm rectè cautum est ne quisque pro sua deuotione varias induceret religionum formas sine Sedis Apostolicæ authoritate; *c. religionum. de relig. dom. in 6.* tam salubre est decretum, vt primæuũ institutum quàm minimè alteretur. *c. recolentes. X. de stat. regul.* ad quem sensum accipit Viuianus *in Rationali ad d.c. recolentes*, id quod Concilium Tridentinum studiosè decernit *in c.1. de regul.* vt *omnes*, inquit, *regulares ad regulæ, quam professi sunt præscriptum, vitam instituant, & si qua sunt*

alicuius

alicuius regula, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent. & quoniam optima reformatio semper est illa, quæ regularium mores reuocat ad primæuum institutum, tam serio Tridentinum superiores compellat, vt *omnis cura ab eis & diligentia adhibeatur, vt à regula, peculiaribusq; illius votis, & præceptis non recedatur.*

Vnde inferendum est non rectè superiores in visitationibus suis aut aliàs, dum à melancolicis, aut indiscretè zelosis suggestionibus interpellantur, quidpiam decernere, quo à primæuis regulæ, institutiuè sui decretis recedatur.

1. Ne quidem si dicatur obsoletum. Nec eis suffragari, si assertum fuerit pridem exoleuisse aliquas regulæ, institutiuè ordinationes: quia id ipsum reflectitur in negligentiam superiorum: à quibus in visitationibus, capitulis, ac aliàs omnis cura atque diligentia adhibenda fuerat; ne vnquam ab illis recederetur.

Et porrò rursus muniti sunt decreto eiusdem Concilij Trid. *de reg. c. 22.* quo omnia in eodem Concilio de regularibus statuta, adeoque *d. c. 1. ne à vetere disciplina recedatur*;

2. Aut præscriptum. seruari iussa sunt; non *obstantibus quibuscumq; consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. c. 22. ibid.*

3. Minimè per superiores contra illud statuendum. Multò autem minimè illi Prælati, qui à præfectis v.g. monialium iuramenta recipiunt, quod ipsæ viuent conuentumque regent iuxta alicuius congregationis institutum; nec quod illud, vel quale sit, quæ particularia vota, vel præcepta contineant, inquirunt: quo iure, quâue authoritate ab eis recessum sit, vel negligentiâ, an priuilegio; & non tantùm consuetudinem, præscriptionemue non interrumpunt; sed in non vsu aut potius abusu decreta sua stabilire volunt; qui ipsi ex iussu Concilij omnem curam & diligentiam adhibere debent, vt absint abusus & non vsus; vt quàm minimè à primæuo instituto recedatur per mores subditorum, multò maximè per ipsorum decreta superiorum.

Et vt daretur iuramenta excusare ipsos iurantes, vt seruentur secundùm consuetudinem; id tamen recipiendum non est in exigente iuramentum, à quo cura omnis adhibenda erat, ne à præscripto primæuo recederetur.

4. Sed inquirendũ quatenus ab illo sit recessum. Dixi inquirendum an ex priuilegio quidpiam sit mutatum: siquidem, si aduersetur veteri disciplinæ huiusmodi priuilegium per Tridentinum omninò censetur sublatum: *d. c. 22.* si autem mitigationem tantum iam olim factam contines, quæ veterem disciplinam nõ soluunt, aut collabi faciunt, õn obtinet decretum d. c. 1. eoque nec derogatio priuilegiorum d. c. 22. *vide in resp. de priuil.* R. 7. nec si fuerint secundaria tantùm aut superiorum, aut Ordinis decreta; quæ Concilio Tridentino non repugnent; ideoque concessa super his priuilegia per illud non sunt abrogata; non possunt Prælati aduersùs illa statuere. *c. sanè. X. de excess. prælat. Clem. frequens. eod. c. in singulis de stat. reg. versic. saluo. c. 1. §. fin. de censib. in 6.*

His suppositis, si ex primæuo instituto in recipiendis nouitiis certa forma sit præscripta, vt vel conuentus totus, vel maior pars debeat consentire, vel consuli saltem; vel Abbatissa sola adoptionem, & receptionem habeat; nihil alterare potest superior, saluo tamen Episcopis examine super libertate Virginum, an coactæ, an seductæ sint, an sciant quid agant, nec ante habitum suscipiant, nec postea professionem emittant, nisi sic exploratæ. *c. 17. de reg. Trid.* & olim non nisi de licentia Episcopi monachos ad nouitiatum aut professionem recipi solitos traditur *ex c. 14. Concilij Nicæni.* quin nec in vestitione aut professione exigere potest superior votum aliquod, quod in regula aut instituto non sit propositum: nam vota variant religiones. atqui religio noua sine Sedis Apostolicæ authoritate induci nequit: *d. c. religionum*, ergo nec votum, per quod venitur ad illam. 5. Ideoque in recipiendis primæua forma retinenda. 6. Nec vota noua addi possunt:

Non tamen prohibetur superior præmonere nouitiam seruandorum suorum decretorum; & si declaret se refractariam, prohibere præfectæ, ne ad professionem admittat in subdito monasterio nisi obedientiam Episcopi decretis debitam addixerit: *iuxta c. 4. 5. 9. aliaque. X. de maiorit. & obed.* 7. Sed præmonitio seruandorũ statutorum, & prohibitio receptionis pertinacis;

Neque refragantur diplomata Pontificum frequenter olim dari solita monasteriis cum hac clausula; *Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas, de sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eas absq; contradictione aliqua retinere:* non enim huc spectant illa, sed ad constitutionem Greg. X. *editam in Concilio Lugdunensi d. c. religionum*, vbi quidam Ordines quamuis à Sede Apostolica confirmati post Concilium Lateranense *sub Innoc. III. c. 13.* vetantur nouitios recipere, alij etiam simpliciter reuocantur.

8. Austeritas primæua in inuitis non augenda. Contenti etiam esse debent Prælati austeritate ordinis principio præscripta. quare graue, aut longi temporis, pluriumque locorum silentium non facile inuitis imponi potest. quia, cùm homo sit animal sociale, & inter societatis primos affectus colloquium; grauat non parum prohibitio vsus societatis humanæ, atque colloquij. quæ inter potissimas causas est, vt Ordo Carthusianorum, quasi perpetuum silentium præscribens, habeatur strictissimus; & ad quem omnes transire possint. *Mirand. in manual. Prælat. tom. 1. q. 3.* 9. Vt est augmentum silentij:

10. Inhibitio soliloquij nõ suspecti vbi olim illud permissum. Grauare etiam videtur decretum, quo omne soliloquium cum quocumque sexu, & cuiuscumque conditionis personis, patre, matre, fratre, sorore, interdicatur; dum institutum primæuum non simpliciter à secretis colloquiis, sed secretis suspectis abstinendum sonat. Inter suspecta tamen referri potest, si qui dispares sexus in horto ambulent, vnde ex publico conspici possint, si soli sint; quamuis frater & soror: quia etsi vicina consanguinitas nihil permittat sæui criminis suspicari; tamen,

quia populus transiens non habet notas eas qualitates; in suspicionem labitur, scandalumque patitur; ex specie mali, etsi malum ipsum non subsit. Id tamen verum est, non tantùm regulares, sed & seculares canonicas vetitas fuisse cum aliis solas agere. vt patet ex Regula canonicarum edita in Conc. Aquisgranensi ab Aub. Miræo typis vulgata 1638. *in Cod. reg.*

Ad ea, quæ diximus, pertinet, vt quæcumque officia monastica regula, aut institutum primæuum attribuit superioris dispositioni, ea ad suffragia Conuentus non deferantur. id enim ad liberam administrationem pertinet, vt temporalia & spiritualia per se, & à se deputatos regat. & quamquam Conc. Trid. *de reg. c. 2. versic. administratio* velit bonorum monasticorum ad solos officiales eorundem pertinere administrationem; addit tamen; *ad nutum superiorum amouibiles*: adeoque multò magis admouibiles. præterquam quod Cardinales interpretes responderint Concilium loqui tantùm in administratoribus temporalium; reliquos autem relinqui dispositioni iuris communis: *vt post Armendar. refert. Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. d. c. 2. n. 18. &* 24. tamen intentio Concilij eo loco non est restringere authoritatem superiorum, sed eam relinquere dispositioni cuiusque instituti; & id agere tantùm *d. c. 2.* ne ipsi regulares singuli res quasi suas administrent, sed ipsi Officiales monasterij. ideoque nec potest Superior præfectā priuare libertate administrationis commissæ, prohibendo ne ipsa inposterū temporalia recipiat; sed bene ne nimiū se illi det, ne spirituali regimini nō sufficiat: sed consulere vt in spiritualibus, ita & magis in temporalibus adiuuas adsumat. vt Consilium Iethro habet, quod Moysi dedit; quia, vt in Episcopo dicit Conciliū Rauennatense, *etsi valdè idoneus sit, decet tamē vt sua onera partiatur. c. fin. X. de off. Archipres.*

11. Officiorum deputatio ad vota monialium delata, quam institutum tunc præfectæ tribuit.

12. Aut administratio huic ablata illis commissa.

CONSVLTATIO XVI.

De filiaf. inuito patre monasterium ingressa.

Pater filiam se inuito in monasterium ingressam abstrahere non potest. *l. Deo nobis. §. hoc etiam C. de episc. c. vlt. 19. q. 3.* si maior annis 12. fuerit. *c. puella. 20. q. 2. c. oportet. c. in qualibet ibid.* neq; enim patria potestas ingressum impedire potest, si patri tantùm sit pro ratione volūtas. Cæterùm si pater iustâ causâ moueatur, nō cessat potestatis patriæ energia. quare filiā furtim monasteriū ingressam petere potest exhiberi. *l. 1. in prin. D. de lib. exhib.* itemque ex monasterio educi. *l. 3. d. t. D. de liber. exhibend. item ducend.* & in vtroque interdicto non alia causa exigitur, quàm quod exhibendus, educēdusue sit in potestate. *d. l. 1. & 3. in hoc,* inquit, *interdicto prætor nō admittit causam, cur apud eum sit is, qui exhiberi debet, sed omnimodo restituendū putauit, si in potestate est.* sed ea ratio in ingressis monasterium non sufficit, propter facultatem, quam iura faciunt inuito patre ingrediendi, quemadmodum nec illud interdictum competit, si pater bene concordans matrimonium velit iure patriæ potestatis turbare. *d. l. 1. §. pari.* quod argumentum à matrimonio carnali ad spirituale duci potest: ita vt pater ingressam liberè solo iure patriæ potestatis non possit educere: *d. c. vlt.* patrique est persuadendum, *ne acerbè*, inquit lex, *patriam potestatem exerceat.* & vero si filia sua sponte ingressa est, inutile est interdictum, cum liberam facultatem abeundi, vel remanendi habet. *l. vlt. D. eod. nisi,* inquit lex, *si inter duos qui se patres dicerent controuersia esset, & alter ab altero exhiberi eam desideraret.* Itaque pater filiam exhiberi rectè petit à monasterij Superiore, patris etiam locum occupante. quæ tamen officio defungitur, si declaret se ei abeundi, manendi, ducendique potestaaem facere, bonâ fide. *ob d. l. vlt.*

1. Exhibenda patri petenti:

2. Non solo iure patriæ potestatis:

3. Quo acerbè vti non debet:

4. Et sufficit exeundi facultatem fieri,

Sed quoniam aliquando, qui non ritè ingrediuntur, sed furtim, insciisque parentibus, rectè præsumuntur solicitati, seducti, circumuenti; meritò exhibendi sunt. *l. 3. §. si quis volentem. D. de lib. hom. exhib.* quod interdictum omnem cum liberum exhiberi iubet, qui dolo malo retinetur. *l. 1. in princ. eod. & si volentem,* inquit, *d. l. 3. quidem retineat, non tamen sine calliditate circumuentum, vel seductum, vel solicitatum, neque bonâ vel probabili ratione hoc facit, rectè dicetur dolo malo retinere.* & sanè huc spectant importunæ preces, solicitationes, callidæ persuasiones, quibus tenera ætas, & immatura deuotio, facilè succumbit, & quas DD. multi ad raptum retulerunt. *Sanchez de mat. lib. 7. d. 12. num. 10.*

5. Et dolo non retineri.

Ideoque Concilium Tridentinum libertati monialium prospicere volens *s. 25. de regular. c. 17.* decreuit, ne qua ante habitum suscipiat, nec postea professionem emittat, quàm per Episcopum, aut ab eo surrogatum examinata sit, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat? atque hæc eadem explorare posse patrem meritò diximus *in Ind. lib. 3. c. 2. n. 5. & seqq.* & ex D. Chrysostomo, cùm pater spiritualia non impedit, omnia illi tribuenda esse, quę comprehenduntur pręcepto decalogi; *Honora patrem, & matrem.* cui & adstipulatur D. Gregorius Homil. 37. in Euangel. *eos*, inquit, *qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, diligamus; & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* agit autem de Lucæ Euangelio *c. 14.* vbi ait Christus, *si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c. non potest meus esse discipulus.* Ergo si quis venit ad Christum & patrem aduersarium in via Dei non patitur, debet diligere, & honorare: & sicut ecclesia semper detestata est matrimonia à filiisf. sine consensu parentum contracta, quamuis ea irrita non sint, *Trid. s. 24. de mat. c. 1.* sic etiam suo quidem modo dicendum est de matrimoniis spiritualibus, seu monasteriorum ingressibus, vt eos detestetur, qui fiunt

6. Sed exhibetur vt pater examinare ea possit, an sponte, an seducta sit ingressa.

7. Quod cùm parentes tāntùm cupiūt, non vocationi resistere non rectè iis insciis filij monasterium ingrediuntur.

fiunt insciis, & non rogatis parentibus, qui pij sint, & in via Dei filiis aduersari non volunt, sed explorare tantùm an coacti, an seducti sint, an sciant quid agant, an conditiones habeant requisitas, iuxta monasterij, & Ordinis regulam, & austeritates.

8. Vt in raptis ad matrimonium carnale, ita in seductis ad spirituale datur sequestratio.

Iterum quemadmodum Concil. Trid. *s.24. de mat. c.6.* inter raptorem & raptam non vult consistere matrimonium, quam diu ipsa in potestate raptoris manserit; sed eam à raptore separari, & in loco libero & tuto constitui: ita dicendum est allegante patre raptum, circumuentionem, solicitationem, seductionem, educi filiam debere ex monasterio, extra potestatem monialium; separari, loco libero, & tuto constitui, exhiberi, seu in publicum produci, extra secretum, vt loquitur *d.l.3.§. exhibere. D. de lib. hom. lib. exhib.* extra claustrum produci, vim non fieri, quo minus patri filiam ducere liceat. *l.3. D. de lib. exhib.*

9. Etiam quoad habitum exhibenda est.

Imò si furtim ingressa filia, religionis habitu mox est induta, non iniustè petit parens eam exhiberi, atque restitui in eodem habitu, quo se subduxit. *l. Iulianus. 9. §. quantum in V.* exhibere, *est in eadem causa praestare: restituit, qui simul & causam actori reddit: l.35. D. de verb. signif.* & iterum *l.75. eod. restituere is videtur, qui id restituit, quod habiturus esset actor, si controuersia ei facta non fuisset:* filia patrem spoliauit quoad personam suam non tantùm, sed etiam quoad habitum conditionis indicem: iustum itaque est omnia redintegrari, quoad omnia patrem spoliatum restitui: *tot. tit. de rest. spol.* nam & verbo restitutionis etiam vtitur *l.1. D. de exhib. lib. eoq́,* omnis vtilitas actoris continetur; *l.81. D. de verb. signif.* qua eadem ex causa *in l.1. vbi causa stat.* rescriptum est, eam, quae cùm seruiret, fugit, libertatem sibi vendicans; eo loco litigare compellendam esse, vnde quasi fugitiua recessit. vbi possessori omnia restituuntur etiam forum, & Iudex, apud quem citra fugam causa status agi debuisset, qua ex lege aliqui contendunt tales quasi fugitiuas nouitias coram priori iudice seculari quoad sui exhibitionem, & eductionem posse conueniri. Sed non sunt pares termini, quia filij f. aut serui non possunt causam suam in saeculo mutare, vt filij f. possunt statum mutare sibi per ingressum monasterij.

Et quamquam referatur declaratio quędam Cardinalium Concilij Tridentini interpretũ, quod examen vestiendae aut professurae monialis, non debeat fieri extrà claustrum, aut cancellos; dummodo constet examinandã esse solam; tamen dubitare licet an ea declaratio sit authentica, ac genuina: & porrò vt id opus non sit, dum nemo queritur, sed ex officio tantùm *per d.c.17.* iniuncto fit examen; tamen

10. Et extra claustrum.

cùm pater allegat raptum, seductionemque, iustius aequius videtur, vt filia extra potestatem monialium constituatur, & ad alium liberum locum & tutum educatur, *arg. d.c.6. Vid. Chopin. Mon. l.2. t.2. nu.4.* quoniam illo casu praesumptio est pro libertate, quodque dolus & malitia absit: hic autem allegante patre raptum, dolum, seductionem, praeter ius patriae potestatis exhibendi, ducendique; surgit praesumptio contra ingressam patre inscio, neque rogato, quod alterius dolo sit seducta, vt in raptis dicit Iustin. *l. vlt. C. de rapt. virg. sub fin. hoc ipsum*, inquit, *velle mulierem ab insidiis nequissimi hominis, qui rapinam meditatur, inducitur, nisi etenim eam solicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere:* ergo suo modo nisi circumuenta, patre non rogato, quem in via Dei aduersarium non patitur, non foret ingressa. cùm eum diligere, honorare, omnia tribuere debuisset; adeoque rogare, & conari eius assensum impetrare: & cum spiritu discretionis Deo sui sacrificium facere, sine offensa patris, quem Deus honorari praecepit: & ex cuius instituto in omni sacrificio olim sal adhibebatur, tessera discretionis, quâ duas tabulas coniunctas retinere posset, vt & Deum diligeret, & simul proximum; sub quo nomine in prima linea consistunt parentes.

Vnde etiam examinata ex officio, instante patre separari nihilominus potest, & alio loco constitui. quia etsi ordinariè sufficiat illud examen ex officio factum; tamen quae de nouo emergunt, nouo indigent auxilio: adeoque allegato raptu, dolo, circumuentione, maior cautela est adhibenda.

Neque sufficit ad eam excludendam, obiicere; quod alicui Ordini aut monasterio id non sit in more positum; quoniam in inquirenda ingressurae libertate nulla Iudicis diligentia potest esse nimia; nihil omittendum est, quod libertatem securam facere potest; iudicantem cuncta rimari oportet. *c. iudicantem. 30. q.5.* Ideoque rectè Concilium prouinciale Mechliniense 2. à Sede Apostolica comprobatum, *tit. de regular. c.7.* libertati virginum prospicere volens, sustulit omnia statuta, & consuetudines, quae dictae *libertati*, inquit, *aliquo modo officere possunt.* 11. Nec obstant Ordinum mores aut statuta.

Insuper ad haec decernenda non opus est scriptis litibus; sufficit verbalis disceptatio: ne quidem iudicialis summaria exigitur; qualis in Clem. *sapè de verb. signif.* sed velox expeditio, quam commendat *Nouella 79.* in causis monachorum: & vt monasticae regularum difficultates sine ordine iuris determinantur. qua de re egimus *in iur. pont. nou. anal. de accus. n.9.* quinimò sine lite vlla pater educit filiam. *d.l.3. de lib. exhib.* quae esse non potest inter patrem & filium *l.4. D. de iudic.* nisi, vt ex castrensi peculio, *ibid.* ita de hac causa spirituali, quae non pertinet ad patris potestatem omni ex parte; adeoque haec omnia non tam ad formulas actionum, quàm nobile officium iudicis pertinent. 12. Expeditè ac planè haec peragenda.

Sed neque excludi potest per appellationem huiusmodi exhibitio, eductio, seu separatio, & in loco tuto constitutio, ob rationes legum supra citatarum; & quoniam in materia raptus etiam appellationi locus non est. *d. l. vn. §. quibus, & si appellare voluerint, nullam damus licentiam:* deinde 13. Et appellatione non obstante.

quia

quia in his, quæ non patiuntur moram, appellationes respuuntur: *l. si res dilationem. D. de appell. recip.* vt in momentanea possessione: *l. vnic. C. si à momentanea*, adeoque sequestratione: *Clem. vni. de sequest. poss. & fruct. & ibi DD.* Denique quoniam nullum est in ea re grauamen, multò minus per diffinitiuam irreparabile: quo casu appellationes recipi vetat Concilium Trident. ordinationesque contrarias nullius facit momenti: *s. 24. c. 20.* & si in contrarium quid fiat, friuolum reputari, & ad exhibitionem, separationem, & loco libero constitutionem executiuè procedi potest: tam per censuras, quàm brachij secularis implorationem, seruato *c. 3. s. 25. Concil. Trid. & c. 4. s. 25. de for. & iuris. Concilij prouincialis Mechliniensis 2. & statutis Curiarum ecclesiasticarum eiusdem prouinciæ tit. 2. de officiali ar. 8.* & Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem initis *anno 1541. §. de caus. testam. vers. 2. in V. & poterit* (Iudex ecclesiasticus) *sententiam suam per censuras exequi, vel per iudicis secularis requisitionem.*

14. Et executio fieri per censuras, & brachij secularis implorationem.

CONSVLTATIO XVII.

An in nobilium canonicarum collegiis tenues ac frequentes præbendas obtinentibus locum habeat vnio beneficiorum simplicium?

1. An hæc collegia sint laica, adeoque incapacia?

Potissima quæ in hoc negotio considerari potest difficultas est, quod huiusmodi collegia laica omninò videantur, ideoque incapacia beneficiorum vt laici. *c. in ecclesia. X. de instit. c. ex literis. X. de transact.*

Sed cùm pluribus superioris inferiorisque Germaniæ locis talia collegia sint fundata, & collegæ etiam vtriusque sexûs præbendas possideant ab origine sua pluribus nunc sæculis, ab isto tot sæculorum vsu è contrario inferendum est istiusmodi collegium potius esse ecclesiasticum.

2. Imo Abbatissa vt spiritualia exerceat.

Sed & Abbatissa, quæ collegij caput est, dignitatem, suoque modo beneficium obtinet, iurisdictionem ecclesiasticam exercet, clericos & canonicas suspendit, ac corrigit: *c. dilecta. X. de maior. & obed.* solemni modo, ex iuris dispositione, sicut aliæ veri nominis Abbatissæ, eligi debet: *c. indemnitatibus. §. penult. de elect. in 6.* omnes notas ecclesiasticæ in suo sexu dignitatis habet, membra autem & caput diuerso iure censeri non possunt. *c. requisisti. X. de testam.*

3. Nuptias canonicæ contrahere possunt.

Neque refert, quòd canonicæ nuptias iniri possint: quoniam ex eo non sequitur laicas esse; sed id tantùm, quod potius seculares sint, quàm regulares, id est, voto status religiosi, atque ita perpetuæ continentiæ obstrictæ.

4. Vt canonici.

Siquidem rectè dicit Bonifacius VIII. *in d. §. penult.* istiusmodi canonicas iuxta quarundam prouinciarum consuetudinem, nec propriis renunciare, nec professionem facere regularem; sed viuere, vt in secularibus ecclesiis canonicos seculares.

5. Seu clerici seculares.

Atqui canonici seculares nec voto se obligant, nec ad continentiam perpetuam tenentur (nisi quod nunc Concilium Tridentinum cathedrales sacris initiari iusserit *s. 24. c. 12.*) adeoque dimissis præbendis ad nuptias conuolare possunt.

Nec iterum refert, quod canonicæ clericali charactere non insigniantur; quoniam tonsura Ordo est, vel ad ordinem tendit; fœminæ autem propter sexum Ordinum non sunt capaces, neque initiantur; tametsi suo modo & clericæ, & diaconissæ, & presbyteræ vocitentur, nec minus quàm viri in sortem vocentur, & partem Domini (quam clerus sonat, *c. cleros distinct. 21.*) ob eamque rationem moniales, quibus nec character clericalis datur, à nemine ecclesiasticæ esse negantur.

6. In sortem Domini vocati.

Sors ergo Domini, & destinatio vitæ ex publico instituto suscepta, statum personasque ecclesiasticas facit, & à laicis discriminat.

Duo siquidem *sunt genera Christianorum*, inquit Hieronymus, *c. duo 12. q. 1. est autem vnum genus, quod mancipatum est diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt clerici, & Deo deuoti videlicet conuersi. κλῆρος enim græcè latinè sors.* & infra, *aliud verò genus est Christianorum, vt sunt laici. λαὸς enim græcè, est populus latinè.* Sic & Iustinianus *Nouella, Quomodo oporteat Episcopos in princ. const. 6.* distantiam inter sacerdotium & imperium ponit, *quod illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis sit præsidens.* vt ecclesiasticorum destinatio sit vacare rebus diuinis; laicorum autem rebus secularibus immorari. Sic Isidorus *in d. c. cleros. generaliter*, inquit, *clerici nuncupantur omnes, qui in ecclesia Christi deseruiunt.* & Spigelius *in lexico V. clerici ex Alciato lib. 5. pararg.* aliam clerici ex græca deriuatione significationem facit, quod quilibet in decuria sua distribueretur, vt sibi mandato munere fungeretur, vel quod ad hæredium, patrimoniumque diuinum sint adsciti, quod olim sorte diuideretur hæreditas. vnde & cùm clerici tondentur, pronunciandum illis proponitur illud Dauidicum; *psal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* & Concil. Trid. *s. 23. c. 6.* tam in clericis coniugatis, quàm aliis requirit, vt alicui ecclesiæ adscribantur, atque ministrent.

7. Decurijs suis adscripti.

Iam verò canonicæ seculares adscriptæ suis ecclesiis secularibus, in iis viuunt vt canonici seculares, horas canonicas decantant, orationi, & cultui diuino vacant, in sortem & partem domini sunt vocatæ, vt canonici: neque priuatâ tantùm deuotione, sed ex publico instituto: quod consuetudinem quarundam Prouinciarum vocat Bonifac. VIII. *in d. §. penult.* sed ex re ipsa verius institutum est ecclesiæ, non quidem vniuersalis, sed

8. Seu ecclesijs.

9. Sic & cano-

Con-

nicæ ex instituto ecclesiæ nationalis. Concilij Nationalis sub Ludouico Pio Aquisgrani celebrati: quod tam canonicarum secularium, quàm canonicorum institutum probauit; ordinationesque præscripsit. & impressæ nunc exstant *in tom. 2. Conciliorum antiquorum Galliæ sub Ludouico Pio Imp. ad annum Christi 816.* & nos *in Iur. pont. nou. anal. tit. de regul. num. 4. & seqq.* scita nonnulla ex eo prælibauimus; ex illis, aliisque docuimus canonicas seculares quoad subiectionem fori episcopalis, subsidia portionum canonicarum, reparandarumque ecclesiarum censeri ecclesiasticas; visitationumque intuitu: atque vt eas admittant ex Clem. attendentes *de stat. monach. vbi* si exemptæ sint, delegata; sin minus, tamquam subiectæ, ordinariâ authoritate ab

10. Eoque vt Ecclesiastic. Episcopis visitentur. sed & re ipsâ atque vsu notorium est respectu nominationum beneficialium collegia hæc pro ecclesiasticis haberi; cùm in illis hæ obtineant, quæ tamen in laicis patronis nullatenus locum habent.

Quo in genere Charond. *lib. 7. resp. 195.* longâ dissertatione contendit Vniuersitatem Parisiensem esse corpus laicum: atque inde deducit hunc effectum, quod propterea patronatibus illius, tanquam laicis, Pontifex derogare non possit; sed collationes seu præsentationes

11. Vt intuitu Nominationum Louaniensium censentur. illius intactæ semper censeantur: cùm ergo hic contrarium effectum habeamus, vt per bullas Pontificias nominationum Louaniensium derogatum sit iuribus patronalibus horum collegiorum, & in illis receptæ sint nominationes Louanienses, per quas restringuntur, & impediuntur collationes seu præsentationes patronales; sequitur hæc collegia esse ecclesiastica, non laica.

12. Et aliis Id quod corroborant, & hæ insuper notæ, quòd imprimis origo eorum sit ecclesiastica, siquidem deuotionis causâ structa sunt, & in veteribus scriptis etiam quædam monasteria puellarum vocantur. monasterij nomen non est populare, aut laicum; nec quæ Deo à Pontificibus dedicantur laica manent. Nomē porrò monasterij, etsi principali significatione indicaret locum regularem, tamen vsus etiam ad secularia collegia transtulit, tā fœminini sexus, vt *Munster-Bilsen*, quàm & cathedrales virorum; vt *Monasteriense, & Vltraiectinum*, atque alibi: eo fortè quod populus, penes quem est vsus vocabulorum, vulgò non animaduerteret differentiam inter regulares & canonicas domos, quas viderent symbolizare in diuinis officiis peragendis, & multâ vitæ ducendæ parte, in communi refertorio, dormitorio, &c. quæ etiamnum exstant in multis collegiis secularibus, cum ambitu, aliisque plurimis ædificiis quasi religiosis. ad quem modum accipiendum est, quod *ex Concilio Triburiensi* dicitur *in c. quicumque. 12. q. 5.* vt qui ex gradu ecclesiastico sine testamento, & cognatione decesserit, hæreditas eius ad ecclesiam, vbi deseruiuit, deuoluatur; similiter de sanctimonialibus: cum sanctimoniales proprij nominis hæreditatem non habeant, nec testamentum scribere possint.

Sed &, vtcumque res olim fuerint, præsens horum collegiorum status est, vt sint ecclesiæ collegiatæ seculares, & tales agnoscuntur ab Ordinariis locorum, cæterisque passim omnibus, capitula habeant, & ecclesias, quæ non sunt nomina laica. 13. Nominantur collegia ecclesiastica.

Visitantur insuper Collegia authoritate ecclesiasticâ, vitæ instituta ab eadem accipiunt, & Ordinationes adhuc cùm opus est, in processionibus non tantùm inter ecclesiasticos procedunt, sacerdotes, sacellanos producunt, & canonicos de suo collegio; sed & supra reliquū clerum supereminent, dignissimum locum sustinente ipsâ Abbatissâ, pedo, Prælatorum ecclesiasticorum insigni, antè lato. 14. Visitantur ab Episcopis.

Quinimò in Synodis diœcesanis interueniunt per suos deputatos, vt patet in impressis illarum plurium decretis. 15. Sijnodis per suos syndicos interueniunt.

Denique, vt vno verbo absoluamus, viuunt canonicæ, sicut ait Bonifacius VIII. *in suis ecclesiis secularibus, sicut ipsi canonici viri, secundùm consuetudinem quarundam prouinciarum:* vt inquit ille, seu vt verius supra diximus, secundùm institutum à Concilio Nationali Aquisgranensi eis præscriptum, quæ certè omnia nullatenus sunt plebæa, popularia, aut laica, sed ecclesiastica, vt status ipse virorum canonicorum. 16. Habent vt canonici seculares.

Id quod ex iuris ratione firmari potest per ea, quæ tradit Cucchus *in institut. maior. lib. 3. tit. 8. de personis ecclesiasticis nulli Ordini adscriptis. L. Molina tom. 3. de tribut. tract. 2. d. 671. & in terminis Syluester in summa V. ecclesia 1. §. 6.* vbi post Archidiaconū expressè dicit mulieres canonicas seculares nuncupatas esse ecclesiasticas, gaudentes priuilegio personæ, & fori.

Et, quamuis *ibidem ex Archidiacono* asserat statum earum non esse approbatum, quod ipsi Pontifices in supra allegatis constitutionibus dicunt; sed magis reprobatum, id tamen non dicunt ipsi Pontifices: nec verè reprobatus est, vt rectius docet Azor. *inst. moral. lib. 13. c. 9. §. 5.* Bonifacius quidem VIII. & Clemens V. protestantur se per ea, quæ de illarum visitatione, electione, &c. ordinarunt, statum illarum nolle approbare vt religionem; non tamen improbant eam viuendi normam, & institutum, vt ait Azor. qua in re est animaduertendum Honorium III. *in d. c. dilecta* non adiicere eandem clausulam, sed simpliciter iubere Abbatissæ canonicas, & clericos obedire, & reuereri eius suspensionem, salubria monita, & mandata obseruare. 17. Quamuis illarum status non sit approbatus. 18. Vt religio. 19. Sed neque improbatus.

Eundem tamen Honorium III. immediatè successisse Innocent. III. qui paulò antè damnauerat omnes religiones, quæ non essent de regula aliqua approbata. *c. fin. X. de relig. dom.* qui propterea promptior, & procliuior esse debuisset ob recentem illius constitutionem in Concilio generali latam ad canonicarum damnationem, si ea mens illius, aut Concilij fuisset.

Nec ad rem facit c. perniciosam 18. *q.* 2. quoniā ipse textus solutionē Azorij probat, quod mulieres, de quibus ibi agitur, sanctimoniales 20. Soluitur c. pernic. 18. q. 2.

les esse volebant, nec tamen viuebant secundùm regulam Basilij, Benedicti, aut Augustini, & hospites minus religiosos inhonesto, & detestando flagitio suscipiebant, quæ hic non quadrant.

Prout nec quadrat quod d.c. perniciosam *in fine* prohibet, ne sanctimoniales simul cum canonicis, vel monachis in ecclesia in vno choro conueniant ad psallendum, quoniam nec canonicæ in vno choro psallunt cum viris canonicis, sed loco distinctæ sunt, quamuis non ferratis cancellis vt moniales, pro honesta patriæ libertate, quam non omnium aliarum nationum genij æquè admitterent.

21. Ob eamque fortè causam noluerunt Pontifices institutum hoc generali ecclesiæ decreto approbare; ne in aliis, calidis fortè regionibus, hîc innoxia libertas huius instituti, ibi vergeret in religionis & castitatis detrimentum; & *ad inhonesta & detestanda flagitia*: vt loquitur d.c. *perniciosam*: Non omnis fert omnia tellus. quædam hîc salubria remedia, sub alio climate sunt venena. Alioquin & Sedes Apostolica reuelatam, vt volunt, à Saluatore regulam S. Brigittæ, Principis Suedicæ, terræ frigidæ, quæ vtriusque sexus regulares coniungit, quamuis ædificiis religiosis & choro distinctos, approbauit.

Cur institutum hoc alibi minus receptum?

22. Nec sanè sine iniuria dici possent collegia tam irreprehensibiliter viuentia videri reprobata. In quo tamen minus peccarit Archidiaconus aut Syluester, exteri homines, qui vitam canonicarum laudabilem, de longe auditam, non tam facilè potuerunt apprehendere, quàm nostæ nationis homines oculis videre. nec illi fortè Concilij Aquisgranensis, non œcumenici, notitiam habuerunt.

Ab exteris minus agnitum.

23. Ad extremum, id lubet hîc tantùm addere, hæc collegia in Belgio, & vicina Germania non tantùm esse fundata, seu dotata à principibus personis, sed & à Pontificibus summis, Archiepiscopis, atque Episcopis locorum summis priuilegiis aucta, atque iam olim vnionibus beneficiorum, tam curatorum, quàm simplicium.

Priuilegijs, beneficiorũ vnionibus donatum.

Canonissarum ergo collegia secularia sunt, non regularia: canonissæ absolutè seculares, non regulares: quod iam satis est dictum: sed seculares canonicæ, non laicæ; ecclesia illarum non laica est, sed collegiata secularis, sicut virorum: in ea viuunt sicut canonici: vt dicit Bonif. VIII. non vt regulares: non tamen magis laicæ, quàm viri canonici.

24. Ecclesiasticũ seculare, non regulare, vel laicum.

Nec rectè tamen dicitur, ad odium illis conflandum, quod canonissæ dimissis præbendis ad nuptias conuolare soleant: quod idem est, ac si dicas consueuerint: quasi omnium is mos sit: *vt in l. palam. D. de rit. nupt.* palàm quæstum facere dicitur non tantùm, quæ in lupanari se prostituit; verum etiam, si qua, vt assolet, pudori suo non parcit: si qua verò cum vno & altero se commiscuit, non videtur palàm quæstum facere; nec solere id dicitur, quod vnus facit, aut alter; sed quod passim omnes. atqui ex his collegiis non omnes ad nuptias conuolant: quod aliquæ nubunt; non tanti est, vt solere, aut consueuisse generatim dici possint: vt collegij ea consuetudo dicatur esse omninò, aut mores.

25. Canonicis permissum nubere non obest.

Liberum porrò esse earum institutum voto continentiæ regulari non astrictum: sed quod, quandocumque illis placuerit, possint nubere; non facit eas laicas; non magis, quàm canonicos viros, qui eandem libertatem, & facultatem de iure habent; exceptis nunc cathedralibus canonicis: tametsi nec quoad hoc Concilij Tridentini decretum sit vbique receptum; vt constat in ecclesia Leodiensi, aliisque pluribus Germanicis. 26.

Vt viris canonicis, non cathedralibus.

Atqui c. sicut vnire. *X. de excess. Prælat.* indistinctè permittit ecclesias, & beneficia suæ diœcesis vnire non tantùm iis, quibus nuptiæ sint interdictæ; vt & c. pro translatione. *X. de off. leg. & c. nisi specialis eod. tit.* & disertè præbendæ vnionem fieri exprimitur *in c. extirpandæ. § qui vero. X. de prabend.* & Episcopum id posse in *c. exposuisti eod. c. nullus de iur. patron. Clem. si vna de reb. eccles. non alienand.* idemque vsus, & generalis consuetudo, quam ponderat d.c. *nisi*. probari posset mille diplomatibus vnionum Capitulis factarum, quorum collegis permissa est facultas vxorem ducendi: quam tamen, vt diximus, Concilium Tridentinum restrinxit in Capitulis cathedralibus: sed in iis dumtaxat; & disertè permisit nouissimè Concil. Trid. *s.* 24. *c.* 15. in locis insignibus, vbi præbendæ sunt tenues, simplicium beneficiorum fieri vniones: quales etiam olim, vt diximus, innumeræ factæ Collegiis canonicarum fœminarum. 27.

Vniones beneficiorum ecclesijs indistinctè permissum.

Quinimò, ne hæreamus in nomine, nemo est, qui negare possit religiosum saltem locum dici posse has ecclesias collegiatas seculares; quo sensu religiosæ dicuntur omnes piæ domus, hospitalia, xenodochia, nosocomia, &c. quamuis ad puros laicos peregrinos, pauperes, senes excipiendos instituta; sed & his ecclesiarum, beneficiorumque vnio fieri possit: vt expressum est in Clem. *fin. de reb. eccles. non alien.* si vna, inquit, ecclesia alteri ecclesiæ, seu dignitati, vel præbendæ per Episcopum vniatur, aut religioso loco donetur, &c. *nequaquam id poterit impugnari.* præsertim, cùm vnio facta est accessoriè; quæ operetur extinctionem, & suppressionem nominis, & tituli beneficij vniti; ita vt amplius beneficium dici non possit, sed iudicetur vt prædium eius, cui fit vnio. *ita Garcias de benef. p.* 12. *de vnion. c.* 10. *n.* 12. *vbi multis probat.* 28.

Et locis religiosis, vt saltem sunt huiusmodi collegia.

Verum quidem est, extra iuris volumina constitutionem esse Concilij Constantiensis, vt, *si non ex rationabilibus causis, & veris, vniones fuerint factæ, reuocentur iustitiâ mediante:* id quod & in Concilio Tridentino *s.* 7. *c.* 6. decretum est, quodque nisi *ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis, coram loci Ordinario, vocatis: quorum interest, verificandis factas fuisse constiterit, per obreptionem obtentæ præsumantur,* 29.

Vnio rationabilem causam exigit.

at

ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant. & conuenit regula 21. *Cancellariæ*, vt *in vnionibus commißio fiat ad partes, vocatis quorum interest.* sed nihil horum aufert Ordinariis potestatem iure competentem, quò minus vniones facere possint, si causa sit legitima, vel rationabilis, seu, vt loquitur d. c. exposuisti, *si euidens necessitas, aut vtilitas exigat* (quo casu etiam tenetur Ordinarius vnionem facere, aut superior supplere potest: *c. nullus. X. de iur. patron.*) & dummodo forma seruetur, vt vocatis quorum interest causa cognoscatur, & verificetur.

29. Qualem? At verò in nostra quæstione causa legitima & rationabilis accedit, vtilitas ecclesiæ, tenuitas præbendarum, & ex vnione supplementum necessarium distributionum: quam causam probat ipsum Conc. Trid. *s. 24. d. c. 15.*

30. Causa cognita demū irritanda. Enimuerò Concilium Constantiense vniones sine rationabilibus causis, & veris factas *reuocabimus*, inquit, *iustitiâ mediante*: id est, partibus in iudicio petitorio auditis, vt tantisper sustineatur vetus possessio, donec titulus fuerit reuocatus, causâ illius vtique petitoriâ cognitâ. sic Cancellaria Brabantiæ vnionem monasterij Bogardorum Louaniensium in petitorio cognoscendam remisit ad Iudices ecclesiasticos. rectius quàm Galli, tanquam ex abusu, si quem commententur, factas ipsi in seculari iudicio rescindunt, &, perinde ac si factæ non essent, de causa pronuntiant. *Rebuff. de vnion. reuoc. n. 30. in prax. benef.* sed dum Galli abusum crepant, ipsimet sacris constitutionibus quàm maximè abutuntur: Constantiensisque Concilij decreto apertè

31. ab ecclesia aduersantur: vbi qui loquuntur, *reuocabimus iustitiâ mediante*, non sunt laici.

Praxis autem Belgica reuerentior est, vt conformiter Concilio ipsi Iudices ecclesiastici vniones iniustè factas reuocent iustitiâ mediante, & partibus in petitorio auditis: & *in d. c. sicut vnire.* Episcopus vnionem malè factam soluit: & Trid. *s. 7. c. 6.* & eius est tollere cuius est statuere. *l. quod iussit. D. de iudic.* Rebuff. *vbi sup. n. 15. & seq.* ita de iure fieri tradit. sed neque abusus apparere potest, vbi & causa liquet, & forma seruata est.

Et sanè Bonif. VIII. in extrauag. *vnam de maior.* distinguens spiritualem & secularem potestatem, *generaliter*, inquit, *si deuiat terrena potestas, iudicabitur à potestate spirituali: si deuiat spiritualis minor; à suo superiore: si suprema; à solo Deo, non ab homine poterit iudicari: testante Apostolo, spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur.* Ita Bonif. sed Genius Gallicus hæc ferre non potuit, sed aures Clementis V. fatigauit, donec obtinuit Extrauag. *meruit de priuil.* Sed Principes & patria nostra semper fuit religiosior, quam vt secundùm praxim Gallicam iudicia sua sacrorum canonum contemptu deformarent, & ipsi acta ecclesiæ rescinderent.

32. audita parte Et quidem iustitiâ mediante fieri vult reuocationem Concilium Constantiense; id est, auditâ parte: vt nec noceat, si quod diploma impetretur, aliter etiam à Pontifice, aut S. Cong. Concil. Trid. Interpp. *tunc demum relationibus*, inquit, *l. 2. C. de relat. plena veritas est, cùm vel allegationibus repelluntur, vel probantur assensu, ideoq́; parti exemplum datur, & refutatoriæ preces offeruntur, & acta necessariò sociantur. l. 1. & 3. C. eod.*

Per hæc eadem quæ dicta sunt soluitur, quod solius Papæ sit beneficium dare laico, beneficium secularizare, laicos ad id habilitare, alterare statum beneficij, & cætera id genus: cùm vel locum saltem religiosum esse suffecerit, vt xenodochium, nosocomium, &c. vt *in Clem. fin. de relig. dom.* quomodo etiam per Concilium Tridentinum *s. 23. c. 18.* iubentur beneficia simplicia vniri Seminario puerorum Grammaticorum, qui locus religiosus dumtaxat est.

Præsertim cum vnio fit accessoriè, quo casu beneficium vnitum amittit statum, & per incorporationem ad instar prædij redigitur. *Garcias de benef. d. p. 12. c. 10. n. 12. & seqq.* quando vnio facta sit loco regulari, nec requirit eiusdem generis homines. *c. vnic. de cappel. monach. in 6. & simil.* quamuis in collationibus secularia beneficia secularibus, regularia regularibus danda sint. *Concil. Trid. s. 14. c. 10. s. 25. c. 21. de regular. c. cum de beneficio. de præbend. in 6.* 33. Vnio accessoriè facta minus impugnari potest.

Rursum quod obiici potest in materia odiosa, vt est vnionum, fœmininum non comprehendi sub masculino; atque ita quod hîc est statutum *à Conc. Trid. s. 24. c. 15.* de canonocis viris, non obtinere in canonissis: respondendum est primò, quòd vnio non simpliciter vigore Concilij Tridentini, sed etiam iuris communis fieri possit: quippe quòd authoritatem tribuit Ordinario faciendi vniones præbendis, cùm necessitas aut vtilitas id exigit, vt ex pluribus iuris locis supra est demonstratum. 2. Concil. Trid. *d. c. 15.* decretum sine distinctione sexus loquitur, vt liceat Episcopis in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis insignibus, vbi frequentes & tenues sunt præbendæ, beneficia simplicia vnire: in explicatione quidem tenuitatis vtitur vocabulo masculino, vt sustinendo decenti canonicorum gradui non sufficiant; sed id vniuersale decretum ad sexum non restringit, & frequentioris sermonis gratiâ accidit. nec verò odiosa vnio est, cùm eam necessitas vel vtilitas exigit; sed ea solum, quæ olim solebat fieri in gratiam personarum: vt propterea hic non debeat considerari sexus, & persona, sed causa. vnde Rebuff. *in prax. benef. tit. de vnion. n. 9.* temporales vniones in gratiam seu ad vitam personæ factas non recipi ait in Francia. 34. Quod in viris Canonicis quoad vnionem statutum est in fœminis obtineat?

35. Vniones gratiosæ & personales sublatæ. & Conc. Constantiense statuit reuocandas vniones gratiosas, seu sine rationabilibus, & veris causis factas. *licet*, inquit, *Apostolicæ Sedis authoritas interuenerit.* sed submissiori loquendi modo Concilium Trid. *s. 7. c. 6.* decernit, vt subreptitiæ præsumantur, & viribus careant; nisi aliter à Sede Apostolica declaratum

ratum fuerit. vt ei gratiosas adhuc vniones facere permittat ex plenitudine potestatis, si ita mentem suam esse declaret. Itaque cùm ecclesiæ collegiatæ canonicarum nobilium hîc omnes sint insignes, & in quibusdam frequentia, & tenuitas præbendarum, locus esse Concilij decreto potest, sine sexus aut personarum acceptione: tametsi neque sint collegia simpliciter fœminina, sed & viri canonici annumerentur, & magis dignum trahat ad se minus dignum.

36. Non obstat quod beneficium vnitũ sit de patronatu huius collegij.

Nec obstabit vllatenus, quod beneficium fuerit de patronatu eiusdem collegij; adeoque quod illius consensus in rem suam datus non sufficiat, sicut in Episcopo & Capitulo dicitur *in d. Clem. fin. de reb. eccles. non alien.* quod eorum consensus non sufficiat, vt suæ mensæ vniatur: quoniam longè hæc distant: quoniam episcopus cum sibi vel Capitulo vnit rem suam, tantùm ipse agit: & procliuius est vt in propriis cæcutiamus: at in nostro casu interuenit Ordinarius, consensus autem collegij iudicio superioris accedit, & valdè, quamuis in rem suam. sic rectè etiam consul apud se ipsum adoptatur, in rem suam consentiens *l. si consul. D. de adopt.* multaque similia voluntariæ iurisdictionis sic rectè peraguntur. *quæ notat ibi gloss. ad V. filius.*

Et verò sicut non requiritur ipsius rectoris beneficij consensus, ita nec, si vacat, defensor super eo dandus est, vt disertè decidit *d. Clem. fin.* multò minus insolito hîc modo vocandus est aduocatus regius in causa, vbi nulli patronatui aut iuri regio præiudicari potest, sed collegio beneficium accedere, & conditio illius fieri melior.

37. Nec quod beneficia libera vniri non debeant beneficijs patronatui subiectis.

Nihil etiam nos moratur, quod beneficia libera non possint vniri beneficiis iuris patronatus: *ex c. 9. s. 25. Conc. Trid. glos. in c. nobis c. dilectus de iur patronat.* Ideoque multò minus illa, in quibus Ordinarius & Pontifex ius habent collationis, ad ea, in quibus nihil habent iuris: quia plus iuris habet Prælatus in collatione, quàm patronus in præsentatione. *c. dilect. de off. leg.* sed nec argumentum *d. c. 9.* nec hæc ratio ei suffragatur: non *d. c. 9.* quia lex prohibitoria non potest extendi ad non expressa: sed quod non inuenitur lege prohibitum, manet permissum: quod non mutatur stare non prohibetur. sed & prohibitio *d. c. 9.* non fundatur in excessu aut quantitate iuris patroni, vel collatoris; sed ne *beneficia ecclesiastica in seruitutem redigantur*, inquit, *d. c. 9.* & ne beneficia libera eiusdem naturæ cum iis, quibus vniuntur, efficiantur, *atq; sub iure patronatus constituantur*, vt iterum inquit d. c. 9. itaque hæc ratio nostræ quæstioni non quadrat. & verò cùm libera beneficia patronatis vniri non debeant *d. c. 9.* nec possint patronata liberis sine consensu patroni, *c. suggestis. X. de iur. patron.* fieret, stante d. argumentatione, vt penè nulla vnquam vniri possent: nam semper vnionem prohiberet maius ius, quod habet Ordinarius aut Pontifex in collatione liberi, quàm patronus in præsentatione ad subiectum patronatui: quæ absurditas conuellit eam argumentationem; cùm velint iura fieri vniones, cùm necessitas aut vtilitas exposcit. *d. c. exposuisti.*

Restat enodandum, quod argui potest, an Episcopus solus vnionem facere possit, cùm sit alienatio, an opus sit consensu Capituli? vt *in d. clem. fin. de reb. eccles. non alien. & d. c. 15. s. 24. Conc. Trid. vtrobiq; in V. consentiente capitulo*? & iuris quidem ordinarij est, vt in vnionibus consensus accedat Capituli; sed, vt in cæteris iuris scripti decretis, excipitur; si consuetudo aliter obtineat. atqui his in regionibus passim episcopalia negotia, & singulatim vniones, per episcopos expediuntur non interueniente Capitulo; sed Concilio vicariatus. vsus is autem notorius est tam quotidianâ praxi, quàm infinitis hodiernarum, & veterum vnionum literis, vbique exstantibus. & ab hoc non videtur aliena intentio erectionis nouorum Archiepiscopatuũ & episcopatuum in Belgio; cum in omnibus reseruatæ sunt nouem præbendæ, quarum possessores teneantur in negotiis episcopalibus consilium, & operam præstare coniunctim & diuisim, quandocumque fuerint requisiti: & Concilium quidem Tridentinum ad eum morem in aliis sæpius non totius Capituli, sed aliquorum de capitulo tantùm, episcopis consilium adiungit: vt in publicandis indulgentiis: *s. 21. c. 9.* in iudicandis personis capitularibus: *s. 25. c. 6.* in constituendis rebus, & legibus seminarij: *s. 23. c. 18.* &c. vt mirum nullatenus videri debeat, si ex vsu & moribus nostris, Episcopi selectarum à se aliquarum personarum operâ in rebus Episcopalibus vtantur potius, quàm totius Capituli: vbi vel numerus aliquando minus rectè iudicat, dum numerantur, non ponderantur suffragia; vel segnius expediunt commissa negotia plures. Quibus ex causis, quamuis Sede vacante Capitulum per se totum administrare possit; *Abbas in c. irrefragabili. de off. Ordinar.* tamen Concilium Trid. *s. 24. c. 16.* mandat constitui œconomum, & officialem seu vicarium, qui administrent.

38. An vnio ab Episcopo solo possit fieri?

CONSVLTATIO XVIII.

Annus probationis an debeat esse continuus?

DIsputat Panorm. *in c. ad Apostolicam. X. de regular.* clarius resoluit Siluest. *in sum. V. Religio. 5. n. 4.* vt debeat: suadent verba, & ratio. Hæc quidem; quia is annus inductus est, vt nouitius religionis experiatur austeritates, & religio eius mores: neutrum æquè contingit in interrupta probatione, atque in continua. verba; quia *c. 1. de reg. in 6.* requirit totum annum. non totus est, qui interruptus est: non annus est, sed plura tempora quod

1. Continuus sit oportet.

quod eò magis apparet, quò magis disiunguntur. tempus continuum, hebdomada, mensis, annus, lustrũ, sæculum, communi more loquẽdi intelligitur: de momento in momentum currit. *l. 3. §. minorẽ. D. de minor. l. interdum. §. quoties. & ibi Barth. D. de Publican. glos. in Rubr. 1. de diuers. & temp. præscrip. Ioann. Andr. in c. 1. de reg. in 6.* sed olim quidem defectus continuitatis non inducebat nullitatem professionis: quippe nec integritatis anni. id enim ex professo decidit *d. c. ad Apostolicam.* sed hodie Concilium Tridentinum. *s. 25. de reg. c. 15.* decreuit, vt qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem non admittatur, & professio anteà facta, sit nulla. disertè annus integer exigitur sub pœna nunc nullitatis: correcto *d. c. ad Apostolicam.* sed an continuus is sit oporteat, non æquè exprimitur, non minùs tempus dumtaxat, quàm annum requirit, non minor videtur quantitas temporis, quamuis interrupta. sed non minus requirit, quàm annum, annus vt sit continuum, vnumque tempus vt sit oportet, non plura, vt supra diximus, & ibidem initium computationis à suscepto habitu etiam præscribitur, quali maximè casu de momento in momentum tempus currere censetur. *Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 24. n. 16. & seqq.* quod iuuant verba textus Concilij, vt non minori tempore steterit: qui interrupit, non per annum stetit. adde ad sensum communem loquendi rectè videri per *integrum* à Concilio continuum exigi; quin & ad sensum iuris; decisi scilicet *in d. c. ad Apostolicam. d. c. 1. de reg. in 6.* vbi *vt diximus* continuus requiritur, etsi non sub pœna nullitatis; quod Trident. correxit: vt ius corrigens, & ius correctum eodem sensu loqui intelligatur. *vt optimè post Concil. L. Miranda in Manual. Prælat. regul. q. 22. ar. 4. & Nauar. cons. 16. quod Mirandæ est. 34. de regular.* dicit in sacro pœnitentiariæ prætorio ita iudicari. atque pluribus aliis conciliis, itidem exigit temporis continuitatem. quin & circumfertur declaratio Concilij interp. quæ censuit 17. *Nou.* 1597. annum probationis debere esse continuum, non interpolatum.

2. *Quis interruptus?* Cæterùm hæc intelliguntur quando Nouitius annum interrumpit motu suo: si verò ex obedientia, atque de assensu superioris intra annum probationis extra monasterium aliquo tempore fuerit, non censetur interrumpere. Intra monasterium esse censetur, si pro tempore alibi de iussu ac voluntate superioris fuerit. nec vllo iure prohibetur, ne vllo tempore nouitius de licentia superioris extra monasterium esse possit. nullitas autem sine expresso iure inducenda non est, quam Patrum sanctionibus est statuta. optimè rursus Miranda *vbi supra ar. 5. Nauar. de Regul. consil. 22. quod Mirandæ est 42. & aliis consil.* additque Nauar. censuisse S. Congreg. interp. valere professionem Nouitij, qui partem anni extra monasterium egerat, de superiorum iussu.

CONSVLTATIO XIX.

De fundatione citra vitam communem regularium.

FVndatum est monasterium M. ab Adyla filia Regis Francorum, & Comitissa Flandriæ, cum triginta præbendis pro totidem religiosis virginibus, & duodecim canonicis viris. adiectis deinde aliis bonis à successoribus Comitibus, sic quod singulis certæ portiones darentur, & singulæ post annum 25. administrarent præbendam suam, & peculium, quod à parentibus in subsidium esset concessum, assumpto habitu S. Benedicti. nam de ordine & regula non satis quicquam dicitur. tametsi sola habitus aut veli assumptio religiosam reddebat; *c. super. c. consult. c. ex parte. X. de regular.*

Porrò anno 1060. fundatio hæc facta est. literæ referuntur in Codice diplomatum Miræano. quando nondum præceptum erat, vt religiosam vitam suscipientes tenerentur se mancipare alicui ex ordinibus à Sede Apostolica approbatis, sed iuxta institutum primi fundatoris, aut præscriptum Ordinarij multi viuebant. præsertim qui ex nobili vita ad monasticam transibant: vt Adyla prima fuit Præfecta huius congregationis, cuius norma ab Episcopis Morinensibus ordinariis, & Archiepiscopis Remensibus sæpius fuit confirmata, & pecuniariæ pensiones auctæ, & ipsa Romam profecta habitum ab ipso S. Pontifice accepit, cui verisimile est institutum communicasse, & probationem accepisse. 1. *Olim permissa.*

Fundationis huius norma remissior est, quàm regula S. Benedicti, canones aut Concil. Trid. præscribant. *c. non dicatis. c. 9. 12. q. 1. c. monachi c. ad monasterium de stat. monach. Conc. Trid. s. 25. c. 2.* Non tamen quam admittant. *c. insinuante X. qui clerici vel vouentes. c. de viduis 27. q. 1.* vbi permittitur moniali, quæ se & sua obtulit, remanere in domo quidem sua, & administrare omnem substantiam. ita quod id non pugnet cum voti substantia. (aliàs enim neque Abbates neque Priores neque Procuratores eandem habere possent) dummodo ita se habeant, vt ex nutu superiorum, siue immediatorum, siue summi saltem Pontificis pendere administrationem suam sciant. valde tamen ea vita recedit à perfectione religiosa: adeoque recipi deinceps est prohibita. *in d. c. cum ad monasterium. §. tales, & Concil. Trid. s. 25. de reg. c. 1.* iubet, vbi collapsa est vetus regularis disciplina, instauretur; & religiosi, vt, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sint alicuius regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, nec non communem vitam, victum, & vestitum conseruanda 2. *Remissior quàm Regula D. Benedicti aut communes iuris canones.* 3. *Exinde in posterum prohibita.*

pertinentia fideliter obseruent. vbi proximè post essentialia religionis, communis vita
4. Periculosa. iniungitur. periculosus enim sanè est status in communi non viuentium. *Thomas à Iesu in comment. d.c. non dicatis. p. 4. c. 3.* non tamen prohibitus, si iam olim à primæua fundatione sic fuerit institutus: *d. c. insinuante. d. c. de viduis.* rectè idem *Thomas ibid. primum*, inquit, *existimo (idq; indubitatum esse debet apud omnes) illos ordines (vel monasteria, vt paulo ante*
5. Vbi tamen fundatio contraria, tolerata, *loquitur) qui in sua primæua constitutione communem vitam suis professoribus non imposuerunt, non teneri ad obseruantiam eius. Id expressè constat, quia cùm hæc vita communis obseruatio non sit de essentia paupertatis, ac præterea in hoc ordine profitentes, ad eius obseruantiam ab initio non fuerint adstricti, non est à quo ad huius communis vitæ obseruantiam obligari possint.*

6. Etiam à Tridentino, sed non consuetudines aut vlla priuilegia etiã in fundatione obtenta. Fundatio igitur primæua à Concilio non reiicitur aut mutatur; sed consuetudines & præscriptiones immemoriales, & priuilegia etiam in fundatione obtenta. *c. 22. s. 25. de reg. Trid.* vnde (extra causam primæuæ institutionis) optimè idem Thomas ait *post. Trid.* eiusmodi viuendi modum defendi non posse, nisi causâ euitandi scandali. quod est
7. Tametsi nonnumquã tolerentur maioris mali vitandi causâ, à malo, & potius tolerantia; quam permissio. quamquam tolerare aliquando superiores coguntur, vitandi maioris mali causâ, vt medici tenentur leuioris morbi curam omittere, dum maior morbus id exigeret.

Sed in iis quorum primum institutum à vita communi alienum est, non obtinet dispositio *c. 1. & 2. Concil. Trid. de reg.* quia illic disciplina vetus, vel primæua institutio non reperitur in aliquo collapsa, vel laxata;
8. Sed fundatio contraria mutari non potest apud inuitos. sed eadem est, quam fundatrix instituit. quæ eapropter immutari non debet: *nec est*, inquit idem Thomas, *à quo ad communis vitæ obseruantiam obligari possint* tales religiosi, quia non debet durior imponi conditio religioso, quàm ea quam præscripsit fundator, atque ille vouit, & in qua per annum probatus est. *glos. in c. 1. in ver. putes de stat. reg. in 6. in c. relatum ne clerici vel vouentes. Oldrad. cons. 96. incip. nunquid Ferrettus cons. 176.* propter libertatem votorum. *c. super eo & ibi DD. & in c. ad nostram 10. de appel.* quare nec reformatio induci potest, quando relaxatio facta est iure permittente. *Hiero. Gabriel. Cons. 166. incip. Darthusiensis ecclesia.*

Cæterùm quæcumque extra fundationem sunt consuetudines, & vsus immemorabiles à Conc. Trid. tolluntur. *d. c. 22.* cuius tamen executio si maius malum, aut scandalum in-
9. Reformatio aliquando suspendenda scandali vitandi causâ vbi fundatio etiã non est. ferret, retardari potest. & Ordinarij tantisper supersedere, *Thomas à Iesu d. c. 3. post Nauarrum, & alios.* vbi tamen plures conditiones requirit, vt hæc tolerantia locum habeat, & tolerati, quoad eius fieri possit, securi sint. Enimuero si quæ monasteria chartas fundationis non habeant, sed immemorabilem
10. Hæc probatur chartis, famâ, consuetudine, vsum, cum fama fundationis; locum tituli supplebit vsus, & pro fundationis probatione erit, cum fama, aliisque præsumptionibus.

Ad extremum si quæ monasteria taliter olim habita post Concilium Trid. vsum suum continuauerint, per annos iam amplius 40. pacificè, visitantibus, seu scientibus, & non contradicentibus superioribus; censebuntur iam præscripsisse contra Concilium, quod præteritis non futuris præscriptionibus derogauit. 11. Præscribitur decreto Concilij Trid. per 40. annos,
d. c. 22. & propterea mitibus consiliis & inductionibus in huiusmodi cœtibus vti conuenit, quibus ad vitæ communis, & reformatæ rationem traducantur. atque imprimis adhiberi eos concionatores & confessarios, qui beneficio suauis suadæ de animæ periculo, & perfectionis merito benignè dissertantes, eò animos transferant, quò rigido iure flecti non possint. quin etiam assensu Sedis Apost. & Principum patronorum obtento nouitios non admittere, nisi qui parati sint communem vitam, reformationemque suscipere.

CONSULTATIO XX.

Controuertitur de mutando habitu Regulari Ordinis Bogardorum.

QVæstio hæc inter religiosos non est de tribus capellis, sed de aris & focis. demonstrant id Constitutiones Ioan. XXII. 1. Habitus regularis & finis cuiusque Ordines distinguit, & summa habetur illius ratio.
in ext. 1. de verb. signif. Clem. V. & Nicol. IV. quæ ibi citantur, Clem. 1. c. exiit in 6. eod. cùm enim regulares tria vota religionis substantialia omnes habent, solo fine ad quem quisque ordo institutus est & dirigitur, & habitu distinguuntur. *Less. de iust. l. 2. c. 41. d. 2. n. 17.* quorum ille plerumque magis clam, hic palam est. vnde non tantùm antiqui canones, *c. vidua 20. q. 1.* mandant, vt religiosi diu noctuque veste vtantur secundùm regulæ statuta, etiam quoad formam & colorem exactè obseruent, *c. præcipimus 21. q. 4.* sed etiam recentiores constitutiones *c. vt periculosa. ne clerici vel monachi in 6.* vbi habitum dimittentes excommunicantur: Concil. Trid. *s. 14. c. 6. s. 25. de reg. c. 19.* vbi vetat audiri eum, qui dimisso habitu contendit se non esse ritè professum: & vt apostatam puniri iubet, atque in ordinem redigi; nullamque licentiam dari occultè habitum ferendi. quibus successerunt rigidæ constitutiones Sixti V. *data 5. id. Ian. 1588.* & alia quæ incipit *Pastoral.* quibus præter clericos & religiosos etiam professores militiarum sacrarum ad habitum obligat. *de quo Rodrig. Tom. 2. q. reg. q. 77. ar. 2.* atque hæc adeo quidem obtinent, vt etiam habitum suæ religionis dimittens & alterius induens incidat in censuram. *d. c. vt peric. d. Rodrig. ibid. ar. 6.* quemadmodum etiam ob ordinum distinctionem, quam diximus omninò vetitum est, ne generàtim vnus alterius vestibus vtatur. *idem Rod. ar. 4.* ac tantæ considerationis demum & effectus est

est habitus, vt ex illius professis proprij delatione sequatur tacita professio, adeò stricta, vt ne quidem sacramento eius præsumptio excludatur. *c. vidua 4. X. de reg.* Quibus ex causis nihil est mirum, si tanta constantia aliquando Societas Iesu obstiterit Sixti V. intentioni imponendi ei aliqua habitus insignia, quæ à S. Ignatio fundatore non erant profecta. Itaque Fratres Bogardi optimâ ratione atque iure subnixi sunt, dum refugiunt habitus mutationem, eumq; retinere contendunt, quem ab origine sua, aut saltem ab annis amplius centum detulerint, cùm sub Ordinem tertium S. Francisci se conuentualiter redegerunt, aut ab eo exigua coloris distantia absit; quippe qui paulatim à subnigro in nigrum desierit: sub quo nigro omnes excepto vix hic vno aut altero professi sunt, & saltem nunquam eum detulerint, quem eis Generalis imponere contendit, griseum scilicet: quamuis tempore prædictæ subiectionis in vsu esset.

2. Rigor supra regulam inuitis regularibus imponi nequit.

Etenim superiores quamuis cum definitoribus, & secundùm formam in agendis arduis per statuta ordinis præscriptam procedentes, non possunt quippiam vltra regulam præscribere, neque aliud eâ austeriùs indicere. *c. gesta. dist. 74. Iustum est*, inquit, *vt nemo crescere compellatur inuitus: c. non est. 15. q. 1. c. præsens. 20. q. 3. in verbis si eo tempore tam dura obseruantia intellexisset regulam, nunquam eundem filium coëgisset portare cucullam:* & infra, *quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit: quod autem non diligit facile contemnit: nullum ergo bonum nisi voluntarium. c. integritas 22. q. 1. glos. in d. c. gesta.* vt enim Christus religiosam & virginalem vitam liberæ voluntatis, non necessitatis fecit (qui potest capere capiat) *d. c. integritas*, quamque libertatem astruit Trid. *s. 25. de reg. c. 16. 17. 18.* ita censendum est de singulis eius voti atque instituti partibus, vt omninò quidquid non fuit in voluntate explicita, vel implicita vouentis, iniungi ei non possit. *bene* D. Bernard. *lib. 1. de præcept. & dispen. nihil Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi: vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* superioritas enim huiusmodi ad regularem obseruantiam est limitata, & nisi quod iubetur directè vel indirectè saltem eò spectet, non tenetur subditus obedire. cùm obligatio religiosi tota sit ex voto suo, & authoritas Prælati ex regula. Rodrig. *tom. 3. q. 19. ar. 3. tom. 1. q. 44. art. 1. tom. 3. q. 19. ar. 7. & vbique DD. quos allegat.* vbi *ar. 7.* resoluit non teneri religiosum à superiore iussum ire ad Indos, nisi speciali professione teneatur, vt Patres Societatis. Sic ad indictam de nouo austeritatem, ne quidem ex superiorum, & maioris partis consensu religiosus aliquis tenetur; sed singularis eius consensus requiritur. quia austeritas concernit singulos de religione, vt singulos. *Siluest. in sum. V. religio 6. §. 6. post. D. Thomam & alios* ex regula quod omnes *de reg. iur. in 6.* Ideo enim annus probationis inductus est in subsidium fragilitatis humanæ, vt nouitius asperitates monasterij, & istud mores illius valeat experiri. *c. ad Apostolicam. X. de reg.* vt vix recipiatur in S. Pontifice, vt, quid ad votorum substantialium aut regulæ obseruantiam non necessarium, statuere possit.

3. Nec ergo habitus non promissus.

Cùm ergo sub hoc habitu Bogardi omnes professi sunt, quo nunc vtuntur, & griseus numquam ab eis receptus, siue alia quædam vitæ instituta, quæ ex Regula tertia S. Francisci adsciscì potuissent; quinimò cùm anno 1571. virtute cuiusdam Bullæ Pij V. magna instantia actum esset, vt Bogardi, tanquam profitentes eandem tertiam regulam subiicerentur fratribus de obseruantia; obtineri tamen id non potuerit, multis licet processibus formatis; multò minus nunc aliquid est innouandum. Erat enim tunc constitutio Pontificis generalis de omnibus sub tertia regula militantibus fratribus de obseruantia subiiciendis; nunc Generalis tantùm Bogardorum in Belgio sine consilio aut consensu Definitorum, maiorisúe partis Ordinis (qui nec vnquam in inducenda nouitate sufficit, *vt suprà ex Siluest. demonstratum est*, & an sufficiat in antiqua disciplina olim suscepta, atque interim intermissa reducenda plus satis controuersum est) nouitatem nunquam receptam ad regulæ obseruantiam (in qua nostri Bogardi Italis non cedunt) non necessariam inducere intendit. Secundò eadem nunc militat ratio quæ olim cùm eadem controuersia moueretur mutationem retardauit. imo maior, vt tempora in deterius deinceps sunt prolapsa, & quinquaginta atque amplius insuper annorum adiectione intentio Bogardorum firmata post contradictorium iudicium. Et certè valde attendendum est, quod loco versemur tam vicino hostibus, & prompto ad scandala: quodque generatim Belgica ingenia magis liberæ voluntati, quàm coactioni sint nata: prompta quidem ad promissa seruanda, neutiquam ad non promissa cum rigore vrgenda: memoriâque repetendum sit illud Hieronymi ep. 62. citò indignatur libertas, si opprimitur: nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit. Ideoque si quid rigidius statuatur (esto, possit) metuendum sit præter graue murmur, & motum populi, ne illi qui iam eum Ordinem professi sunt, à pristina pietate auertantur (ne quid deterius opinemur) & alij ad eum bene affecti retrocedant: nihil igitur innouari consultum est, aut potest.

4. Nec obstat Breue in contrarium impetratum.

Duo tamen obiiciuntur; impetratio Breuis vnionis, & constitutio Nicolai IV. Ad primum quod attinet; mandatum contraria omnium vt supponitur mandantiū voluntate finitum fuit. *l. si verò. 12. § penult. cum simil. D. mandat.* At dici posset; videtur rem non fuisse integram: erat tamen *l. si mandaßem. 15. D. eod.* quippe ante impetrationem vnionis, & expeditionem Breuis. omnis enim gratia informis est per regulas Cancellariæ ante litera-

rum expeditionem: denique rei non integræ, dummodo non plenè perfectæ, & ab aduersario acceptatæ; non alia consideratio est, quàm ne quis damno afficiatur: *d. l. 15. in fin.* denique hoc mandatum (esto peractum fuerit) in solorum mandantium gratiam datum fuit, qui fauori suo renuntiare possunt. *l. penult. C. de pactis.*

5. NequeConstitutio Nicolai IV. Secundum punctum plus habet difficultatis. cùm enim tertiam olim regulam receperint, institutis illius alligari, & cum Nicolaus IV. habitum griseum eis deferendùm mandauerit, eum abiicere non posse videntur: sed

6. Non recepta. receptio non fuit absoluta, sed secundum quid. Substantialia regulæ susceperunt, statuta & instituta sua ei non contraria sarta tecta seruarunt, neque hoc vetuerunt Constitutiones Apostolicæ, acceptationem alicuius ex approbatis regulis præcipientes. Ad Constitutionem

7. Vel pridem præscripta. porrò Nicolai IV. specialiter quod attinet; primo ea confirmata à Nicolao V. anno 1453. 18. Kal. Maij; adeo vt ducenti nunc penè sint anni, ex quo ea constitutio, vel confirmatio vel recepta non est, vel vsu contrario abrogata. Quod si ergo patientia in aliis arguit titulum contra patientem: *l. 3. §. dare. D. de vsufructu. glos. in c. cum ecclesia. X. de caus. possess. & propriet. verbo breuitatem temporis. ad hoc potest dici excom. n. 11. & 12. vers. venio ad quæst. C. de pact. Bald. cons. 396. n. 2. in 1. part.* & arguit licentiam, & consensum, *glos. in c. 1. de probib. feud. alien. per Frederic. verbo permissione, & l. qui agros. C. de omni agro deserto. lib. 11. l. 1. §. penult. D. de his qui notantur infamiâ*: quid dicemus de superiore, qui scit, & patitur, potest, & debet obuiare delicto, si quod sit, quod nisi fecerit, committere censetur? *l. quid ergo. §. 1. vers. certè & ibi Barth. §. si quis. D. de his qui not. infam.* nihil certè minus, quàm de aliis. atque omninò superioris longam patientiam, vim priuilegij habere. *iuxta Bald. in l. 2. n. 4. vers. ista regula est vera. C. quæ sit longa consuetudo.* Quæ omnia multo maximè in consuetudine immemoriali, & plurium sæculorum locum habere debent, cuius tanta est prærogatiua, vt quamuis lex aut constitutio omnem consuetudinem abroget, eam tamen non comprehendat, *Garsias & ab eo allegati tract. de benef. parte 3. c. 2. n. 190.* itaque cùm tanto annorum spatio Prælati omnes, Nuntij Apostolici, & per eos S. Pontif. sciuerint, viderint, & passi sint hanc consuetudinem, quomodo non censebimus licentiam, consensum, titulū, priuilegiumque dedisse?

8. Quam nec reg. primæua S. Francisci iuuat; quæ vilem habitum tantùm exigit. Vel ideo magis, quod reg. S. Francisci non præcisè formam, aut colorem, sed vilem vestem præscribat. vnde olim orta grauis contentio, & per Ioannem XXII. in *ext. quorund. de verb. sig.* ea verba regulæ Sancti Francisci, *fratres vestimentis vilibus induantur*, declarando ordinatum, quod forma habitus & vestimentorum, quoad colorem panni, & vilitatem arbitrio Prælatorum relinqueretur. Cùm igitur iudicio Generalis totiusque Ordinis Bogardorum color, forma, & vilitas panni per tanta tempora approbata sit, nihil est vlterius obiiciendum, sed potius censendum (abrogatâ vel non receptâ d. Nicolai IV. constitutione) reditum esse ad puram regulam S. Francisci. vt facilè res omnis redit ad naturam; reprehendendosque omninò esse, *vt docet Rodrig. vbi supra q. 77. art. 1. in fin.* qui sinistrè sentiunt, aut loquuntur de habitu sic approbato.

Qua in re valde insuper expendendum est, quod habitus griseus à Nicolao IV. præscriptus, non fuit datus Bogardis vt religiosis; quales post Bullam Nicolai V. factis votis substantialibus religionis esse ceperint; sed vt secularibus: neque is à Nicolao V. disertè eis præcipiebatur: ideoque non malè existimare prædecessores potuerunt olim, eam iam cessare eatenus, & puram regulam S. Francisci sequi se potuisse; quæ accepit modo relatam interpretationem, & declarationem Ioannis XXII. per quam color & vilitas habitus ad superioris arbitrium remissa fuit. quæ ratio hac in controuersia facit, vt non sint temerè mutanda, quæ certam semper habuerunt interpretationem. 9. Bogardis griseus olim vt laicis datus regularibus factis non assumptus.

Quamobrem, hæc concludendo, existimo nullo iure Generalem circa habitum aliquid immutare posse, ad idemque obediendum Bogardos inuitos non teneri; quamuis ritè & iuxta Ordinis præscripta quoad cogendi modum procederet: nunc verò cùm citra consilium, & consensum Definitorum, & formam in eo Ordine præscriptam procedat, omninò impunè non pareri. *l. fin. D. de iurisdict. omn. Iud.*

De Conuersione coniugatorum.

CONSULTATIO I.

Soluto per monasterij ingressum matrimonio non consummato quid statuendum sit de bonis?

Sponsalia gratis inita, gratis per leges dissoluuntur, *l. 1. C. l. 10. D. de sponsal.* si arræ interuenerint, iis amissis, aut duplicatis: *l. Deo. C. de Episc.* si osculum; dimidiâ parte donationis sponsæ relictâ, non tamen sponso; si ille superstes fuerit: *l. si à sponso. 16. C. de donat. ante nuptias*: alioquin tota per mortem infirmatur donatio. *d. l. 16. §. osculo.* quemadmodum soluto matrimonio ex quocumque impedimento cùm matrimonium non existit, neque dos, neque donatio propter nuptias esse intelligitur: *c. etsi necesse. X. de donat. inter vir. & vxor.* omniaque inuicem sunt restituenda. *d. c. etsi. d. §. osculo. c. 2. in fin. de coniug. seruor.*

Enimuerò

1. Sponsalia & nuptiæ per ingressum monasterij soluuntur.

Enimuerò si pars altera elegerit conuersionem monasticam, non tantùm sponsalia dissoluuntur, sed & nuptiæ: *l. Deo nobis. C. de episc. & cler. Auth. de nupt. c. 2. seu §. distrahuntur. Auth. vt liceat matri & auiæ, c. 12. seu §. prædictis.*

2. Restituit sponsus accepta non amittit, aut duplicat arras.

Sed sponsus aut sponsa non amittit, aut duplicat arras; sed restituit dumtaxat quidquid accepit, & coniuges id tantùm obtinent lucri, quod legitimè vel ex pacto haberent, soluto per mortem matrimonio. *d. l. Deo nobis. §. vnde. d. §. distrahuntur.*

3. Sed per canones non est licitus ingressus post consummationem.

At verò per canones non licet indistinctè coniugibus monasterium ingredi; sed tum demum, si matrimonium non est consummatum: quia tunc non sunt vna caro effecti. *c. verum. c. ex publico. X. de conuers. coniugat. c. desponsatam 27. q. 2.* alioquin post copulam obtinet illud Christi apud Mattheum *c. 19.* vt *quod Deus coniunxit, homo non separet*: *d. c. 2. in fin. d. c. ex publico in fin.* imo adeò iubetur ad vxorem reuerti, qui eâ inuitâ monasterium est ingressus; *c. 1. X. eod.* vt eâ mortuâ nec ad monasterium redire teneatur. *c. 3. X. eod.*

4. Restituit ingressus accepta.

5. An omnia?

Altero ad monasterium transeunte præscribit *d. c. ex publico.* indefinitè, vt vterque restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse. Sed an ea indefinita locutio hic æquipolleat vniuersali, an admittat distinctionem *d. §. vnde. d. §. distrahuntur.* vt lucrum faciat in sæculo manens, per conuersionem alterius, quod habuisset per mortem superstes; præsertim cùm *d. §. distrahuntur* huiusmodi causam æquiparet; & conuersus, *quantum*, inquit, *ad matrimonium, videtur mori, aliud pro alio vitæ eligens iter*, dubitari potest: lex vna per aliam capit interpretationem, & non dedignantur sacri canones imitari leges.

6. Omninò:

Sed tamen cùm in hac materia spirituali canones debeant præualere, & indefinitam legis permissionem distinctione correxerint, vt non liceat coniugibus conuerti, & soluere matrimonium copulâ consummatum, sed tantùm consensu contractum; & indefinitè adiunxerint, conuersis & remanentibus omnia vtrimque esse restituenda: satis procliue est dicere indistinctè illud obtinere: præsertim cùm & alius canon Concilij Wormatiensis *in c. 1. X. de donat. inter vir. & vxor.* generatim disponat, vt cùm mulieres pro aliqua licita causa fuerint separatæ, totam dotem recipiant: atqui lucrum de quo diximus ex dote decidendum foret, adeoque tota reddi non posset.

7. Ratione libertatis ne quis à monasterio retardetur.

In qua re etiam ratio admodùm fauorabilis se offert, ne per occasionem huiusmodi lucri minuatur libertas ad monasterium transeundi; & in matrimonio coniuges inuiti detineantur, quam valde considerat *d. c. etsi, & c. gemma. X. de sponsal.*

8. Vt è contrario, & in

Denique eandem Concilium Tridentinum in casu conuerso admodum vrget: *s. 25. de regular. c. 16. præcipit*, inquit, *sub anathematis pœna, vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant: ne hac occasione discedere nequeant, quòd totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat; nec facilè si discesserint, id recuperare possint.* & argumentum à matrimonio spirituali ad carnale, vt validum in hoc proposito admittit Zerola *in prax. verb. moniales §. 3. & Euerard. in loc. legal. à matrimonio carnali ad spirituale, & altero à spirituali ad carnale.* regressu ad mundum.

Sed quoniam in casu proposito P. & B. non tantùm sponsi, sed & nupti fuerunt; matrimoniumque inter illos sententiâ Iudicis validum, ratumque declaratum fuit; & tamen ex inspectione septem obstetricum non consummatum; dataque B. licentia monasterium ingrediendi; illaque in eo professâ; cùm ex actis constet coram notario & testibus P. & B. coniugalem thorum ingressos, & in mutuis complexibus esse conspectos; non sine ratione quæsitum videtur, an thalami ascensus, & ad copulam nixus insuper aliquid videatur attulisse iuris, quod per professionem non sit sublatum?

9. An thori coniugalis assensus aliquid hic mutet.

Et sanè quidquid attinet ad lucrum ex lege, aut pacto ex re alterutrius faciendum, non discedendum à iure videtur, de quo iam dissertauimus, ex ratione *c. final. X. de sponsal.* quoniam *non fuit*, inquit, *verum matrimonium ex forma contractus: nec præsumptum, cùm conatus non habuisset effectum*: vnde hic similiter dicendum videtur, cùm matrimonium ratum ex forma contractus non sufficiat ad lucrum faciendum; nec conatus copulæ effectum habuerit; non sufficiet ad huiusmodi lucrum sine effectu conanti attribuendum.

10. Nequaquã sine consũmatione.

Præsertim cùm hic agatur de præiudicio vxoris professæ, & sponsum dumtaxat non sponsam velit *d. l. 16. C. de donat. ante nupt.* per osculum amittere dimidiam donationis antenuptialis: quod autem in sponsa quoad osculum, id in nupta quoad nixum huiusmodi recipiendum videtur. *l. oratio. D. de sponsal.*

11. Nec quicquam ex osculo lucratur sponsus.

Id quidem verum est iure controuerti, an traductione in domum & ascensu thori coniugalis, an ex matrimonio demum re ipsâ consummato lucra nuptialia debeantur: *de qua re VVesenbec. in paratit. D. de sponsal. n. 7. de ritu nuptiar. n. 2.* & multorum locorum verecundius sonantia statuta ex solo ingressu thori coniugalis ea attribuunt, scilicet ex præsumpta consummatione; sed an locum etiam obtineant, cùm veritas indagari debuit, & in contrarium deprehensa est, quæri posset: sed vbi Statuta ciuitatis disertè consummationem exigunt, eo scrupulo carent: sed neque alibi veritatem deprehensam præsumptioni cedere existimem.

12. Nec traductio in domum hic sufficit.

13. Sed probata aut præsumpta consummatio.

Id solum superest, cùm matrimonium ratum etiam sit verum; quod consensus non concubitus facit; societas etiam contracta sit ea, quæ solo consensu ineatur; an effectus etiam omnes societatis coniugalis per conuersionem alterius coniugis tollantur? & non dubitem ea etiam esse restituenda, quæ illata sunt,

14. An communio bonorũ locum hic non habeat?

15. Habet quoad lucrum obueniens restitutis cuique iis, quæ attulit. sunt, quæque ita per Statutum communicantur, vt soluto per mortem coniugio non prærogarentur, sed æquis partibus diuiderentur. quia *d. c.* 1. *X. de donat. inter vir. & vxor.* totam dotem restitui iubet, & *c.* 2. *ibidem.* res communiter in coniugio acquisitas diuidi.

Sed quid dicendum de fructibus dotis, qui constante matrimonio obuenerunt? plana æquitas videretur, vt eos maritus retineat, pro oneribus matrimonij, *l. dotis fructus. D. de iur. dot. glos. in d. c.* 1. siue saltem, vt tanquam fructus societatis coniugalis referantur in rationes societatis coniugalis; subductoque calculo æquis partibus diuidantur. Hoc siquidem lucrum constante matrimonio obueniens, cùm maritus est dominus dotis, vel rei in societatem coniugalem collatæ, alterius generis esse videtur, quàm fructus ex re per vxorem percepti, cùm nondum dotalis esset, aut coniugibus communis.

16. Etiam quoad fructus deductis oneribus matrimonij:

17. Saluâ arbitrij æquitate, si maritus onera non sustinuit lite pendente. &c. Nihilominus si consumpti non sunt, nec fortè à marito percepti, sed lite pendente vxor res suas sibi habuit, suo succo vixit, vt maritus indemnis sit, & lucrum videatur captare ad æquum arbitrium circumspecti Iudicis negotium posset referri: præsertim à tempore litis contestatæ super validitate & consummatione matrimonij, & facultate transeundi ad religionem; dum maritus victor euasit in quæstione validitatis; vxor in quæstione consummationis, & facultatis transeundi ad monasterium.

De religiosis domibus.

CONSULTATIO I.

Antiqua monasteria euerti non debent sub prætextu solo, quòd non deprehendantur esse regulæ à Sede Apostolica approbatæ.

REligionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, vetuit generale Concilium (Lateranense sub Innocentio III. *anni sui Pontificatus* 18. *ab incarnatione autem Christi* 1215. *vt scribit Ioannes Andrea in c.* 1. *de relig. dom. in 6. Siluest. in sum. V. excom.* 9. §. 20.) ne scilicet quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat: similiter, qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam & institutum accipiat de approbatis: *ita Innoc. c. vlt. X. de relig. dom. Greg. X. in d. c.* 1. *eod. in 6.* qui & addit (ob effrænatam præsertim mendicantium multitudinem importunâ extorsione, vel temeritate nihilominus productam) *cunctas affatim religiones, & Ordines mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiicimus, & quatenus processerant reuocamus.*

Vbi duo sunt notanda: primum; Innocentium & Concilium generale loqui de Ordinibus tum futuris, non qui iam tunc extabant; *ne quis de cætero*, inquit, *inueniat*; & Greg. *post dictum Concilium adinuentos*, & §. *cæterum. d. c.* 1. vt solent leges futura prospicere, non ad præterita retrogredi. 1. Quid considerandum in antiquis?

Secundum; visum aliquibus fuisse à Concilio generali sub Innocentio requiri approbationem, sed non Sedis Apostolicæ, sed à Gregor. X. qui sedit Romæ an. 1271. & Concilium Lugdunense 2. celebrauit, quoad cunctas affatim religiones, & ordines mendicantes, etiam confirmationem Sedis Apostolicæ requiri.

Nam rectè Lessius *de iust. lib.* 2. *c.* 41. *d.* 1. *n.* 12. *aduerte*, inquit, *non esse per se necessarium, vt hæc approbatio fiat immediatè à summo Pontifice*; religiones enim SS. Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti, non videntur initio fuisse sic approbatæ; sed ab Episcopis, quibus tunc suberant, ipso vsu admissæ sunt, non repugnante summo Pontifice, deinde sensim à Conciliis, & summo Pontifice laudatæ & confirmatæ. priuilegiis videlicet magis & gratiis spiritualibus, quàm literis in confirmationem Ordinum conceptis.

Quamuis enim Panor. aliique *in d. c. vlt. & alij alibi* approbationem competere negent Episcopis, & exigant à Sede Apostolica; id tamen aliqui volunt acceptum ferendum d. Concilio Lugdun. & Greg. X. addita Extrauag. Ioannis XXII. *Sancta de relig. dom.* non Innoc. III. aut Concilio Lateranensi, quasi illud indiscretam priuatorum deuotionem cohibuerit, non Episcoporum tunc consuetam potestatem: & priuatis quidem id tunc inhibendum fuisse, ob iustam, quam allegat Concilium, rationem: nam olim religionis causâ coire non erat prohibitum. *l.* 1. *D. de colleg. illic.* ideoque ne quis de cætero nouam religionem inueniat intelligendum esse, ne quis priuatus: quod id per antithesin colligatur, dum addit, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit, vnam de probatis assumat; quod non ita conueniat Episcopo, vt priuato.

Et propterea Greg. X. dicere aliter *adinueniat, vel assumat*; & rursum subiicere prohibitioni, nisi Sedis Apostolicæ confirmationem meruerint; ac per hoc demum exclusam Ordinariorum etiam potestatem: ideoque quod Extrauag. Ioan. XXII. Episcopis dicit non licuisse ritum viuendi aliquibus concedere contra formam Concilij generalis, de Lugdun. sub Greg. X. accipiunt.

Ita quod & argumentum Panormitan. cesset, quod Episcopis non competat facultas dispensandi super prohibitione Concilij, quod in eos ea non dirigatur, aut comprehendat Lateranense; sed priuatos tantùm, ad abrogationem *d. l.* 1. *D. de colleg. illic. & simil.* sed Lugdunense tantùm.

Itaque Ordines ab Episcopis ante Gregor. X. approbatos,

X. approbatos, quamuis non à Sede Apostolica aliter confirmatos, & domos erectas, non aliâ interueniente Sedis Apostolicæ authoritate, legitimas esse. dummodo non priuatorum arbitrio, sed Episcoporum iudicio stabilitæ fuerint.

Vnde cùm Conuentus Leprosarij G. authoritate Ordinarij stabilitus fuerit à Waltero quondam Episcopo T. an. 1236. feria sexta post festum S. Martini, ab eoque regulam suam, (seu potius statuta quædam ad functiones præsertim hospitalis, & curam Leprosorum pertinentia) tot annis ante Greg. X. receperit, omninò statuendum esse non ei nocere, quod non habeat literas in forma confirmationis à Sede Apostolica, pro erectione sua aut regulæ, quæ sit de approbatis ab Ordinariis.

Eò magis, quòd moniales istæ à diuersis Pontificibus diuersas gratias & priuilegia obtinuerunt, & sic laudatæ, & confirmatæ sunt indirectè, vt de regula S. Benedicti, aliisque iam dictum est.

Sed huiusmodi interpretatio offendit communem doctrinam, quæ huiusmodi prohibitionem ad Concilium Lateranense refert; & d. c. vlt. loquitur de Ordinibus approbatis, nec esse videtur Episcopi Ordinem generaliter approbare, & Gregor. X. verborum sensus ita videtur habere, præsertim dum annullat Ordines mendicantes post Concilium adinuentos, qui Sedis Apostolicæ non meruerint confirmationem: & quamuis queritur de Ordinum multiplicatione generatim, ac præsertim mendicantium; cùm tamen ad annullationem adinuentorum venit, tantùm complectitur mendicantes.

2. Quoad verò hanc domum procliue est credere, sub fertili Ordine S. Augustini esse erectam, cum additamentis seu statutis Walteri. tum quia constat postquam Belgæ, Galli, aliique cum Godefrido Bullonio & subsecutis Principibus in terram Sanctam expeditiones susceperunt, pluresque ex illis mutili vel impetrata missione redierunt; lepram huc simul retulisse, & sparsisse. quæ nec ante ita hic ardebat, & postmodum omissis istis expeditionibus admodum deferbuit: adeoque circa ea tempora plures religiosas domos, & xenodochia extructa fuisse, passim in Belgio, atque alibi, vbi leprosi curarentur; ministrantibus vtriusque sexus personis: quæ deinde vel simul, vel plerumque sub altero tantùm sexu religiosam vitam susceperunt; aut alterum posterioribus temporibus sexum dimiserunt; pleræque sub regula S. Augustini, & habitu albo superiori. Ita Antuerpiæ ter Siecken, Louanij ter Banck, Bruxellis, Mechliniæ, &c. ita vt tam argumento à communiter accidentibus, quàm ab habitu inferendum sit, quod cum istis aliis, vt habitus ferè communis est, ita communis sit Ordo S. Augustini. qui & in plerisque xenodochiis hic receptus est; & admodum conuenit; vtpotè qui non graues horas præscribit, vel quæ tempus distrahant, ægrorum curationi, peculiarique instituto sint impedimento. Ita nuper vidi literas Iacobi Croy Episcopi Cameracensis an. 1507. hospitale de Calfort visitantis, vbi narrat eas Dominas vocatas, & ita se habuisse vt nescirent sub regula S. Augustini se esse professas. In xenodochio Antuerpiensi Visitatores anni 1429. 19. Octob. ne imposterum dubitari contingeret, declararunt illud esse Ordinis S. Augustini. sed & antea Henricus Episcopus Cameracensis per literas, quas sigillatas adhuc vidi datas an. 1258. dicit in populo controuersiam natam cuius Ordinis essent xenodochia; & declarat omnia sub suo Episcopatu, & quę ab eo statuta, aut suis prędecessoribus receperāt; esse Ordinis S. Augustini.

Facilè antiquum monasterium præsumitur esse de certa regula approbata ex circumstantiis & indiciis.

Nam etsi habitus non facit monachum, probat tamen; vel facit vt præsumatur quis esse talis, qualis est ipse habitus. *l. item apud Labeonem.* §. *si quis virgines. D. de iniur. & ibi Bart.* ita monachus, clericus, virgo, ancilla, meretrix, matrona, &c. in iure nostro, & ab authoribus passim ab habitu præsumuntur, & probantur. *Mascard. de probat. & quos numerosè allegat V. habitus conc.* 848.

Et si vlla in re habitus vim aliquam habet, in distinctione sanè religionum habet maximam. *Extrauag. 1. de verb. sig. Clem. 1. & c. exiit in 6. eod.* cùm enim omnes religiosi tria vota substantialia habeant, solo fine & habitu distinguuntur: *Less. de iust. lib. 2. c. 41. d. 2. n.* 17. cui etiam id à sacris canonibus tributum est, vt si quis habitum professorum, vbi distinctus est, per certum tempus detulerit, præsumptione iuris, & de iure pro professo habeatur. vti latius de habitu, quanti in regularibus sit momenti dicimus *De Regular.* Consult. 20. 3.

Præsertim habitu.

Quod si porrò nec lubeat dicere Walterum S. Augustini Ordinem, vel alium de approbatis, præter additamenta, vel statuta prædicta isti domui dedisse, consectarium erit & planius, vt dicamus Walterum pro more ecclesiæ Gallicanæ, facultatis Ordinariorum retinentissimæ, sub qua tunc sedes eius & oppidum G. erant, æstimasse Constitutionem Concilij sub Innoc. III. Romæ factam tunc vsu hîc non fuisse receptam, sic vt immediata Sedis Apost. approbatio requireretur. 4.

Rursus consideratio antiquorum monasteriorum.

Quod non magis mirum esset tunc post tantillum temporis intermedium non fuisse in eo rigore receptum in Gallia, sub qua, vt dictum est, erat T. diœcesis, quam nunc non recipi Concilium Trident. aut vltimum Lateranense sub Leone X. aliaque, Extrauagantes omnes, totumque Bullarium, vt & Gallici scriptores passim aiunt nunquam in Gallia fuisse receptū Sextum Decretalium à Bonifacio VIII. editū.

Tum quia passim circa & post illa tempora, infinita in Belgio monasteria, præsertim monialium, non aliter sunt erecta. quorum religiosas omnes excucullare valde videretur sacrilegum. & verò ipsum Concilium Lugdunense apertè significat etiam postmodum multitudinem Ordinum & religionum sine Sedis Apostolicæ authoritate inuentam,

Eoque

Eoque non obstante stetit hactenus conuentus religiosus leprosarij G. adeoque vel ritè institutus ante Gregorium X. vel saltem vi constitutionis illius non reuocatus, fluxu nunc quatuor sæculorum satis munitus est, vt & inhibitioni, & pœnis, & nullitati, si qua foret, præscriptum satis esse intelligendum sit, si vires vllas præscriptio vnquam habet.

Adeò vt cùm hactenus pro vero Conuentu religioso sit habitus, professionem solemnem emittens, sub forma, quam antiqui canones, & rei naturâ requirunt, non possit de statu regulari earum personarum iam dubitari. Cùm & Concilium Lateranense, Lugdunense, aliorumque prohibitio sit iuris positiui, cui etiam publicè, & passim recepto tanto tempore ter decies præscriptum foret.

Alioquin enim & singuli successiuè Episcopi hactenus incurrissent censuras *d. extrauag. sancta*, qui ritum viuendi harum monialium dederunt, visitando, ordinando, statuendo firmarunt, talibus ibi comminatas: quod tam absurdum est, quàm ab eorum, aliorumq́, rectè sentientium opinione alienum.

Cùm etiam videamus tempore Innocentij III. iam pridem præscriptum fuisse alteri Concilio Romano habito sub Innocentio II. abroganti consuetudinem monialium quæ non militarent sub regula Basilij, Benedicti, vel Augustini. *c. perniciosum*. 18. *q*. 2.

Et verò non nescierunt Episcopi nostrates & beginas passim & alicubi hospitalarias sorores sub habitu religioso esse, quæ nulla vota, aut tantùm temporaria emittant, obligantia quantisper ibi degunt, quæ & abire & dimitti possunt: quales & hic haberi potuissent, nisi votum harum solemne reputassent. & sanè non sunt facilè mutanda, quæ certam semper interpretationem habuerunt.

5. Vt vt antiqua se habeant, nihil dissoluendũ.

Quidquid sit, cùm hæ religiosæ emittant tria vota substantialia religionis, in manu superioris, ex authoritate Ordinarij, in ecclesia, publicè & solemniter, sumpto sanctissimo Sacramento in testimonium & adiutorium; sciri non potest, quâ conscientiâ dicantur aliqui asserere licitum illis esse inire matrimonium, exuere habitum votiuum, paupertatem, & obedientiam.

6. vota regularia semper obligarunt.

Ruina, inquit Sapiens *prouerb*. 20. *homini deuorare sanctos & post vota retractare*. parum sane videntur apprehendere, quàm sacra sit obligatio voti. *c. licet. X. de voto*. quomodo & habitum dimittentes excommunicentur: *c. vt periculosa. ne cler. vel in* 6. *Trid. s*.14. *c*.6. *s*.25. *c*. 19. *c. vidua* 20. *q*. 1. *c. percipimus*. 21. *q*. 4. quid de obligatione, & voto virginum senserint Patres, Canones, Concilia, & nominatim Carthaginense IV. quod mulieres, quæ se domino deuouerint, & veste laicali abiectâ sub testimonio Episcopi, & ecclesiæ in religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierint, eiusmodi primam fidem irritam facientes, tanquam Dei adulteras excommunicat. Et consonant 27. *q*. 1. *c. nec aliqua. c. viduas. c. si quis sacro*, *c. sciendum. & dist*. 27, *c. virgines*.

Quin & Bonifac. VIII. *in c*. 1. *de vot. in* 6. de non solemnibus etiam, sed simplicibus votis ait, *quod quantò manifestius sunt emissa, tantò propter plurium scandalum, & exemplum durior pœnitentia transgressoribus debeatur*. 7. Etiam simplicia.

Neque enim, quia non omnia matrimonium irritant, ideo respectu vouentis aliquid obligationis minuunt. Celestin. III. *c. rursus qui clerici vel vou*. sed tantùm respectu potestatis ecclesiæ circa dispensationes, matrimonium, &c. 8. Quamquã hæc matrimonium nõ soluant.

Sed neque Bonifacij sensus est, vt quæcumque religiones non habent literas confirmatorias à Sede Apostolica, non irritent matrimonium: quis enim id sentiat de Benedictina, Basiliana, Augustiniana, Antoniana, de quibus supra, aliisq́ue? quæ *vt supra* authoritate tantùm ordinaria, non improbante, sed vsu, tolerantiâ, priuilegiis, gratiis, probante Pontifice, præsertim antè Greg. X. Constit. steterunt hactenus, conformes d. Concil. Carthag. IV. aliisq́ue canonibus, & decretis in habitu religioso sub testimonio Episcopi, & ecclesiæ Deo deuotæ. 9. Non opus in antiquis Sedis Apostolicæ approbatione.

Semper enim in Ecclesia fuit etiam antè Constitut. Innoc. III. Greg. X. Bonif. VIII. lex irritans matrimonium, post solemnia, aut ritè facta vota monastica. *Malder. de iust. tract*. 10. *c*. 5. *dub*. 3. *versic. dico quarto*.

Sed neque hic opus est hac disputatione, non inito hactenus per aliquam matrimonio. nec ineundum à talibus probabit, quicumque cum Patribus & Conciliis sentiet. sed & ipse Bonif. VIII. *d. c. vn*. comparat tantum inter se matrimonium & votum, quoad vinculi & indissolubilitatis in concursu prærogatiuam: alioquin inter se collata, & respectu vouentis nihil differunt. *d. c. rursus*. Tantùm abest, vt religiosis de quibus agimus, permitti possit matrimonium, vel singulis vel omnibus.

Sed retinendæ sunt in antiquo tot seculorũ instituto, nisi perfectiorem Ordinem ritè suscipere spontè voluerint. 10. Nihil mutandum.

Cogi enim non possunt, ad aliam perfectionem, quàm illam quam vouerint. *c. gesta. d*. 74. *iustum est*, inquit, *vt nemo crescere compellatur inuitus*, *c. non est* 15. *q*. 1. *c. præsens* 20. *q*. 3. *c. integritas*. 22. *q*. 1. vt enim Christus religiosam & virginalem vitam, liberæ voluntatis, nõ necessitatis fecit, (qui potest capere, capiat, de virginibus præceptum Domini non habeo). *d. c. integritas*, quam etiam libertatem astruit Trid. *s*. 25. *de reg. c*. 16. 17. 18. ita censendum est de singulis eius voti & instituti partibus: vt etiam omninò quidquid non fuit in voluntate explicita vel implicita vouentis iniungi ei non possit. benè D. Bernard. *l*. 1. *de precept. & dispens. nihil Prælatus prohibeat eorum quæ promisi: nec plus exigat, quàm promisi: vota mea nec augeat, sine mea voluntate; nec minuat sine certa necessitate*. Digna Religioso, & sancto sententia: si rogaretur de casu quem tractamus, quid sumeret? quid concluderet? 11. Circa inuitos.

Anathemati subiicit S. Synodus Trid. *s*. 25. *c*. 18. *de reg*. etiam quâlibet dignitate fungentes,

res, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumq; mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis (inter quos hic non est) ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem: quique concilium, auxilium, vel fauorē dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensū, vel authoritatem interposuerint. adde quod idem Concilium libertati virginū prospiciens *c.* 17. inquiri iubeat diligenter an coacta, an seducta sit voluntas earum, pia ac libera fuerit.

Præterquam quod qui de ordine aut domo non approbata religiosas has esse contendunt, & pertinere ad eas decretum Greg. X. *d. c.* 1. *de relig. dom. in 6.* consequenter de illis cum Gregorio censere deberent, qui *in fine eiusdem capituli* ita statuit; *ad hæc personis Ordinum (ad quos constitutio præsens extenditur) transeundi ad reliquos Ordines approbatos, licentiam* (non coactionem) *concedimus generalem*; *ita* (nota) *quod nullus ordo ad alium, vel conuentus ad conuentum se ac loca sua totaliter transferat, Sedis eiusdem permissione, super hoc specialiter non obtentâ.* quamquam alioquin ij, ad quos decretum illud non pertinet, collegialiter strictiorem Ordinē possint assumere. *c. cùm dilectus. X. de his, qui vi vel metu.* quòd, qui his permittunt, vel approbatas censeant, aut in *d. c.* 1. impingant, oportet.

Permittunt, inquam: nam nisi sponte hæ moniales, & nullâ potestate coactæ alium Ordinem assumant, relinquendæ sanè, & manu tenendæ sunt in antiquo instituto, sine innouatione: vt iuxta Ecclesiasten *c.* 5. *quodcumque vouerint, reddant: & Psal.* 75. *voueant & reddant Terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum.* nisi quod Pius V. 15. Kalend. Dec. 1568. Congregationes in communi viuentes sub distincto à laicis habitu regulam eligere pluralitate vocum voluit, aut habitu exui.

Præter hæc omnia considerandum est seriò, quod Greg. X. annullat tantùm religiones non approbatas Mendicantium; alias perpetuæ prohibitioni tamen subiiciendo: hæc autem domus non est mendicans; sed fundata opulentis reditibus. qui causa sunt tam operosæ nunc controuersiæ: & tamen per d. c. 1. hanc domum, vtpotè non mendicantem, præseruant.

Quibus conformiter Ordinarius, consulto Regis Concilio declarauit vnam huius domus sororem esse veri nominis religiosam, consequenter incapacem hæreditatis, quam sibi vt agnatæ proximæ petierat; postquam pars maior conuentus Ordinem S. B. receperat, ipsa ad ritum priscum, & nunc quasi sibi viueret.

12. Neque circa bona.

Sed vt quidam de his personis, ita & de illarum bonis non conuenienter sentiunt, applicantes, quæ de aliis hospitalibus sunt statuta, *in Clem. quia contingit, de relig. dom.* innouata *in Concilio Trident.* nam vbi Clemens disertè ait, *præmissa ad hospitalia militarium Ordinum aut religiosorum etiam aliorum minimè extendi volumus.*

Sed tamen quid illis incumbat ita subiicit; *quorum tamen hospitalium rectoribus in sanctæ obedientiæ virtute mandamus, vt in illis secundùm suorum Ordinum instituta & antiquas obseruantias prouidere pauperibus, & hospitalitatem debitam exercere procurent.*

Et quia Concilium Trid. *s.* 25. *c.* 8. decretum se refert ad eandem constitutionem Concilij Viennensis, & relatum inest suo referenti cum omnibus suis qualitatibus; *l. asse toto & ibi Bart. & DD. de hæred. inst.* atque etiam attento *cap.* 15. *s.* 7. quod dictæ Constitutionis formam omnem seruari mandat, eandemque innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis; etiam id procul dubio sequitur, ab eodem Concilij decreto excepta esse loca quorumuis Ordinum, quæ, & sicut ea Concilium Viennense excepit, vt in iis solum seruandum sit, aut iniungi possit, quod mox recitauimus.

Etiam id ergo in Conuentualibus hospitalibus, quod ibi de casu quo non reperiantur id genus pauperes, quibus relictum est, vt ex arbitrio Ordinarij cum duobus de Capitulo applicetur proximiori vsui, vti expedire visum fuerit; cur enim ibi diuagari disquirendo, & seligendo pium vsum iubeantur, cùm in regularibus hospitalibus, pius vsus, pia causa domi & in promptu sit? cùm etiam hospitalitatum aliorumque piorum institutorum meritum, dignitatem, & pietatem excedat regularis Conuentus, fundatio, retentio, promotio? vnde & omne votum solui potest susceptione religionis. *c. scriptura. X. de voto. vbi Gregor. XIII.* emendatus codex pro ratione hæc supplet verba; *scriptura sacra testimonio declaratur, quòd spiritualis homo propositum non mutat, cum pro salute animæ suæ vtilius aliquid meditetur.* cum ergò defecit materia, in quam ferebatur præcisa voluntas testatoris; scilicet leprosi in hospitali, vbi & religiosæ sunt, non alia foris pietatis materia quærenda est pro testatoris voluntatis executione; cùm domi ea sit, quæ & laudabilis magis, & meritoria ab ecclesia habeatur, scilicet retentio, & augmentum Conuentus regularis.

13. Hospitalia conuentualia deficientibus certis personis in alium vsum non mutanda.

Et in casu quidem nostro ea materia est, quæ ab antecessoribus instituta, successoribus hactenus, & superioribus, & Nuntiis, qui in partibus fuerunt, vsu & permissione probata, à Pontificibus priuilegiis donata. quod non est in iis, de quibus Conc. Vienn. *in d. Clem.* disponit, quos curatores tantùm alienorum bonorum vocat, & declarat. At hæ nostræ pondus & æstum diei cùm & olim tulerint, & rediturum fortè quandoque exspectare debeant; non est quod alibi pia causa quæratur, in quam nec cadit ea ratio; sed bene per tot secula meritis laborum præmia relinquantur.

Cur enim ad dubium Ordinarij, & canonicorum arbitrium recurratur, vt alteri pio vsui applicetur, cùm supersunt ij, qui ius habent accrescendi non tantùm, sed & quibus relicta

ea bona sunt, adiecto tantùm onere hospitalitatis?

Neque enim si cuius prædium seruitutem debet, partem aliquam dominij amittere eum oportet, si is cui debetur, aut non vtitur, aut non superest.

Neque quantisper aliquis eorum superest, qui re vel verbis coniuncti sunt, locus alteri fieri potest, sed totum superstiti accrescit.

Vt non tantùm ex æquitate, sed & iuris rigore, id quod d. Clem. statuit, & mox diximus, seruandum sit, quoad religiosos Ordines hospitalitatem annexam habentes.

14 Sed disciplina & hospitalitas & pauperũ eorum cura retinenda.

Et sufficit ad iustas querelas auerruncandas attributa superioribus authoritas ad ea onera cogendi, & ad institutum religiosè peragendum & regularem disciplinam retinendam, restituendamúe, & aliàs iuxta d. Concilium Viennen. & Trid. prouidendum; ne querelæ verti debeant in eos, si qui munere sibi delegato, & potestate in id commissâ, non id fieri curauerint, quod Concilia mandauerunt. prout tamen hactenus d. Conuentus & innocenter vixit, & leprosum nullum reiecit, sed debitum pietatis officium exhibuit.

Sed demus id esse etiam in his obseruandũ, quod d. Concilium in aliis statuit; non tamen liberum arbitrium Episcopo & duobus illis de Capitulo concessum est; sed restrictum, scilicet, vt prout eis expedire magis visum fuerit, fructus conuertantur in alium pium vsum, non quemlibet, sed *qui*, inquit, *eorum institutioni proximior sit.* id est, si leprosarium est, nec sint leprosi, recipiantur infecti eo morbo, qui ad lepram proximè accedit, aut similes miserabiles personæ, in quibus opera misericordiæ illius, quæ leprosis exhibentur, locum habent, quasi gradu proximi ad succedendum in eam hæreditatem, quæ pauperibus relicta est. Concilio quasi ex voluntate defunctorũ, velut similitudine calamitatis secundo eos loco substitutos vocante, quando primo loco instituti leprosi deficiunt.

Præsertim attentâ S. Congreg. interpretatione, quæ inter Declarationes impressas passim circumfertur his verbis, ad d. c. 8. *in hospitalibus, in quibus non habentur laborantes proprio morbo iuxta institutum hospitalis, ordinentur accipiendi proximiori morbo laborantes: non tamen eiiciendi sunt, si qui pauperes diuerso morbo laborantes, aut alij miserabiles recipiantur. cùm vera Concilij mens fuerit prouidere, ne qui possident hospitalia, omnes fructus in vsus suos conuertant, sub prætextu, quòd non inueniantur infirmi secundùm propriam institutionem.*

Quid autem cum huiusmodi curatione leprosorum commune habent seminaria, scolæue, quamuis pauperum? vbi requirit Concilium vsum isti instituto proximum? cùm nec Seminario quidem vniri possit monasterium in vim c. 18. *s.* 23. *Concilij Trid.* vt probamus infra, *tit. de excess. Prælat.*

Quod in hoc casu maior ratio suadet, quæ pro religione facit, scilicet quò minus subtrahatur materia exercitio virtutum, quas hæ religiosæ vouerunt, ne materiâ substractâ metaphysica reddantur vota. Diceret iterum S. Bernardus; *Prælatus vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.*

Quadrat optimè quod Ioannes XXII. *in Extrauag. commun. de relig. dom. extra ratio.* vel de beginis (iis quæ non sunt sub damnatione Clementis V. in Extrauag. Ioan. XXII. *d. c. sancta eod. tit.*) statuit, *locorumq́*, inquit, *Ordinariis nihilominus iniungentes, vt eas sub prætextu huiusmodi* (scilicet d. Extrauag. sancta) *nullatenus molestari permittant: & si quid forsan ex hoc in bonis aut iuribus à quibuscumque contra eos attentatum est hactenus, vel attentari contigerit in futurum, per illos prædictos Ordinarios authoritate nostrâ in statum reduci debitum volumus: inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.*

Rectè Eugenius Papa *in c. 3. X. de relig. dom. de xenodochiis*, inquit, *& aliis similibus locis per solicitudinem Episcoporum, in quorum diœcesi existunt, ad easdem* (adde ex Tridentino, aut si eæ deficiunt ad similitudine proximiores) *vtilitates, quibus constituta sunt, ordinentur.*

Quibus constituta sunt, inquit Eugenius: *quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium*, inquit Conc. Vienn. & iterum, *ad ipsarum miserabilium personarum receptionem, & sustentationem debitam*: & ante *ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata.* Itaque fundatio, & donationes singulæ, omnesque singulorum bonorum tituli hîc excutiendi forent, an concessi ipsis pauperibus singulatim, an religiosis, an vtriusque coniunctim; an à religiosis in dotem allata, an successione obuenerint, an ab iis empta bona sint. Et si quidem iure agitur, nõ est vlterior rigor, quem ius admittat, quàm vt suum cuique secundum eos titulos tribuatur, saluo iure coniunctorum, de quo supra.

Sed siquidem propius sanctiones canonicæ debitam sibi reuerentiam reperiant, non extingui, non bona auferri, non aliud aut ex Tridentino, aut Viennensi Concilio, vt dictum est, his religiosis irrogari potest; quàm quod iam ante ex Viennensi citauimus; vt religione saluâ, onus hospitalitatis expleatur, domus & institutum nihil innouetur, & quatenus desint leprosi (vt & hoc detur) similitudine calamitatis proximiores recipiantur. Et lubet hæc finire repetitis verbis eiusdem Clementinæ; *Præmissa ad hospitalia militarium Ordinum aut religiosorum, etiam aliorum extendi minimè volumus, quorum tamen hospitalium rectoribus in sanctæ obedientiæ virtute mandamus, vt in illis secundùm suorum Ordinum instituta, & antiquas obseruantias* (etiam atque etiam nota) *prouidere pauperibus, & hospitalitatem debitam in illis tenere procurent, ad quod per Superiores eorum arctâ districtione cogantur.*

CON-

CONSVLTATIO II.

Innouata quæ & aucta circa regimen hospitalium?

COmmendatissima fuit veteribus patribus hospitalitas: eademque vt à sacris canonibus, ita etiam Concilio Tridentino inculcata, & sacra patrimonia in eam rem relicta, & ne in vsus alios vertantur grauibus decretis munita: & nominatim famosa constitutio Clementina *quia contingit de relig. dom.* bis expressè à Tridentino innouata, bis ipsa res præcepta. disertè renouata Clementina *in c.15. s.7. c.8. s.25.* res ipsa iniuncta *c.8.9. s.22.* adeo vt quadrupliciter à Tridentino huiusmodi administratores constringantur: 1. vt extra alios vsus bona non expendant, quàm in quos sunt relicta: 2. alioquin teneantur ad restitutionem, quæ remitti nequeat: 3. quòd malè administrantes perpetuò priuentur: 4. quòd vltra triennium præfici nequeant. quare & *c.9. ibid.* statuitur, vt omnes euitentur occasiones, ob quas diuersio fieri possit, ne hospitalia deinceps in beneficium, vel commendam secularibus clericis concedantur: ne, occasione acceptâ, quòd beneficij fructus in vsus suos vertere possint; impingerent in illud D. Pauli ad Hebræos *c.13. hospitalitatem nolite obliuisci.* 1. Quæ per sacerdotem administrentur secularia? vnde per transennam animaduerti potest hospitalia, quamuis ecclesiastica, non esse beneficia: cùm Clementina vetet clericis dari in beneficium; iubeat administratores prouidos & idoneos poni. Excipit tamen Clementina, *nisi in illorum fundationibus secus fuerit constitutum*; v.g. hospitale fundatum ad vsum sacerdotis, cui sacellum, companile, altare etiam sit structum, qui ibi diuina faciat, atque insuper pauperum curam gerat: quo etiam casu Constitutiones Gallicæ sacerdoti stipendium taxari iubent, cætera impendi in pauperes: quod etiam in conuentibus regularium, quibus incumbit hospitalis cura, Adã Steueneau *ad compilat. Ordin. tit.29. ar.4.5.* quod apud nos non obtinet, sed vbique fundationum termini attenduntur. & *c.8. s.25. Trid. de quibus consult.1.* 2. Regularia manent in suo instituto. De clericis secularibus dixi; nam regularium, etiam militarium Ordinum, hospitalia huc non pertinent; eosque Clementina excipit, *& ibid. glos. in verb. militarium.* pro exemplis nominat Ordinem S. Ioannis Hierosolomitani: qui nunc sunt equites Melitenses, pridem Rhodij; & S. Mariæ Teutonicorum. Officia porrò ecclesiastica, vel pauperum ministeria per rectores, & parochos in illis fieri consueta Clementina noluit mutari. Et quidem Trid. *d. c.15. s.7.* curandum Ordinariis 3. Ordinarij authoritas in hospitalia. iniungit, vt hospitalia, etiam ab exemptis gubernari solita, fideliter & diligenter administrentur, & *d. c.8. s.22.* necessariam concedit authoritatem, & ius visitandi, etiamsi cura hospitalium ad laicos pertineat, & ipsa loca exempta sint, & *omnia, quæ ad Dei cultum, animarum salutem, & pauperum sustentationem pertinent, cognoscendi & exequendi*: quod alioquin ius visitandi continet. in eumque sensum declararunt Interpretes Concilij Episcopos visitare posse omnia hospitalia, & loca pia suarum diœcesium, quocumque nomine nuncupentur; eademque corrigere, & emendare in casibus à iure permissis: etiamsi fuerint priuata laicorum. ita tamen (quod iidem Interpretes etiam declararunt) vt Episcopi cumulatiuè cũ aliis quibuscumq; inferioribus piarum dispositionũ executoribus constituti sint, non exclusiuè. 4. Cum aliis olim solitis. excipit tamen Trid. *d. c.8.* ea, quæ sub Regum immediatâ protectione sunt; eorũ licentiâ non habitâ: 5. Quæ sub regia immediatâ protectione vt visitentur? censuerunt tamen iidem Interpretes non obstare generalem, seu mediatam protectionem Regum, vel Principum secularium; dummodo aliàs ecclesiastica sint hospitalia, vel pro ecclesiasticis habeantur: & si opponatur exceptio de speciali, & immediata protectione Regis, ad Episcopum pertinere cognitionem illius, ac decisionem, vtique, vt quiuis Iudex cognoscit an sua sit iurisdictio. 6. Qualitas ea si cõtrouertatur quis cognoscat? *l. si quis. D. de iudic.* Cæterùm, an hospitalia sint ecclesiastica vel laica, cognosci potest ex eo, an accedente Episcopi authoritate sint erecta; an in iis altare aliquod sit, aut sacellum; nam ea sine authoritate Episcopi erigi nequeunt. 7. Hospitalia, an laica, an ecclesiastica qui cognoscatur? sed verò, in quantum loca pia sunt, Episcopis etiam ad reddendas rationes subiiciuntur *d. c.9. s.22.* & annuas quidem *d. c.9. d. Clem. sub fin.* 8. An priuilegiis derogetur, & cõsuetudinibus: vt Episcopo dentur rationes? sublatis etiam priuilegiis, & consuetudinibus contrariis: quibus ad hunc articulum Clementina non tam expressè videtur Adamo Steueneau derogare, etsi rectius eò etiam referatur clausula Clementinæ *statutis aut consuetudinibus non obstantibus in præmissis*, sed tamen disertè hæc priuilegiis non derogat, sed statutis tantùm & consuetudinibus: etsi extendi etiam eò intentio Clementinæ videatur. Atq; hæc ita Episcopis demandantur, vt tamẽ alios, vt dixi, non excludant, sed cum illis adhibeantur; nec aliter factæ liberationes administratoribus suffragentur. *d. c.9. in fin.* cum aliis ergo adhibentur Ordinarij, non eos excludunt. 9. In contẽtione vt numeretur votum Ordinarij? quare rursus Interpretes responderunt votum Ordinarij requiri omninò, illudque cum aliis computari; sed non nisi pro voto vnius; sic quòd maior pars votorum vel absoluat, vel condemnet. & sic edictum Principum *ad Synodum prouincialẽ Mechliniensem anni* 1607. *ar.25. in fin.* difficultates suborientes dicit resoluendas communi iudicio, illudque sumptu piorum locorum defendendum. *ar.26.*

Sed excipit rursus Tridentinum; si secus forte in institutione & ordinatione esset expressè cautum. 10. Quomodo fundatio excludere possit Ordinarium? nõ quod aliquis facere possit, ne leges in sua ordinatione locũ habeant: *l. nemo: D. de legat.1.* adeoque ne Episcopi curam piarũ dispositionum habeant; sed dumtaxat cautum fuerit ex Ordinariorũ assensu. *Siluester in verb. hospitale in 3. q. Diana de immunit. res.83.* quasi Episcopi acquirendo iuri renuntiare initio

possint, etsi non iam quæsito; ideoque iidem Interpretes rescripserunt stante prohibitione in fundatione hospitalis, quòd Ordinarius se non possit intromittere in illius visitationem; visitare illud vtique non posse: id quod allegans tamen liquidò probare debet: cùm Ordinarius in iure & Concilio fundatam habeat intentionem.

11. Quomodo fundator adhuc viuens? Sed & iterum fundator hospitalis aut pij loci, qui Episcopi authoritatem non adhibuit in fundatione, non tenetur admittere in directione, aut etiam exigendis rationibus, quàm diu ipse superstes est. quod & responderunt iidem Interpretes, & Thomas Nannius *cons. 61.incip.duo sunt.* extendit ad mercatorum collegium:

12. Quomodo collegium? quippe quòd nunquam moritur: sed vt admitteremus in primis Collegij fundatoribus; non videtur cum ratione iuris conuenire, vt perpetuò obtineat. alioquin omnia loca pia Communitatum, vrbium, & quarumcumque vniuersitatum, quæ semper viuunt, à dispositione Concilij exemeris. itaque in propriis omninò terminis antiquorum canonum ea accipienda sunt; vt primi fundatores eximantur, non successores; nisi illi ita cauerint. tametsi sentiam *cum Bellinseno tract. de charitat. subsid.q.38.n.3.& seqq.* Seminarij, aliisque ecclesiasticis subsidiis non obligari. Enimuerò

13. Indistinctè hic Ordinarij admittuntur. edictum *ad Concil. Mechliniense ar.23. & seqq.* indistinctè Episcopos adhiberi vult cum aliis interesse solitis. & vt vitarentur consuetudinum immemorialium, aliæque difficultates, accommodauerunt Principes Episcopis suam authoritatem, vt interueniant tanquam Principum Commissarij. quæ ratio facit, vt minus hîc excludi Episcopi possint, etiam obtentu fundationum contrariarum: quia non audebunt facilè Iudices seculares respondere, huiusmodi dispositionibus excludi etiam ipsum Principem; ergo nec ab eo missum: quando tunc Episcopi non aliam, quàm Principum authoritatem præ se ferunt.

14. An & soli exequantur decreta? Sed & idem edictum determinat aliam difficultatem circa executionem, cui competat. nam cùm Trident.*d.c.8.s.22.* velit, vt Episcopi omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant, & exequantur; dicuntur Interpretes Concilij censuisse, ad solum Episcopum spectare executionem, siue solus, siue cum aliis rationes audierit. *vt in Iur.pont.nou.anal.de relig.dom.n.3.* vbi, & quomodo id in Brabantia excipi possit, monuimus: tamen generalius edictum *ar.26. & 30.* ad Iudicem secularem referri magis cupit. & in Gallia Adam. Steueneau *in Comment. ad Ordin.compil. t.29. ar.9.* excessisse ibi vult Interpretes. & sanè animaduertendus est modus loquendi Concilij; *iuxta*, inquit, *sacrorum canonum statuta, cognoscant, & exequantur.* quatenus ergo cognoscunt, eatenus exequuntur: secundùm statuta canonum cognoscunt; iuxta eadem exequuntur. si illa soli cognitionem; soli etiam executionem deferunt: si cum aliis per præuentionem, aut cumulatiuè; sic iterum exequuntur. sed edictum loquitur conformiter tanquam in commissariis Regis, qui ad Regem meritò executionem referunt. sed si Episcopi alio iure, quàm edicti, & commissionis cognoscant; alio iure exequi possunt. idem loquendi modus facilè purgat Concilium Tridentinũ à calumnia, quam ei affricat Molinæus *in Consult. impia aduersus Concil. Trid.* quam & rectè diluit *Steueneau vbi sup.ad ar.1.verb.& autres.*

Porrò rectè ait Clementina, *ea, quæ ad certũ vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, & non alium, (saluâ quidem Sedis Apostolicæ authoritate) conuerti.* vt neque in melius iudicio Episcopi diuerti possint, contra fundatorum propositum. nam quisque in suo sensu abundat, & hæc oportet facere, & illa non omittere. quam ob causam diximus *in Notitia iur. Belg.tit.de Episc.cler. Orphan.* edictum Caroli V. 7.*Octob.*1531. non omnimodò sortitũ videri executionem. nec in Gallia omnibus probari potuit Ordinatio, de qua Steueneau, *vbi supra ar.*10. nimis indistinctè ea, quæ supersunt iubens erogari, post mobilia, & tecta sarta in dotandas puellas, pueros artificio aliquo imbuendos, similesque vsus, quia, cùm in eum finem, quo relicta sunt, impendi non possunt, erogari ea iubet Tridentinum in vsum simillimum. *s.25. c.8.* itaque singulæ institutiones seruandæ sunt; & cùm non possunt, reflectendum est ad vsum similitudine proximum.

15. Non mutanda voluntas fundatorum in hospitalibus, &c.

16. Nisi in simillimum vsum, si ipsemet nequis haberi.

De iure patronatus.

CONSVLTATIO I.

De patronatu laico in Ecclesiam translato.

EX literis fundationis Præpositi & Capituli H. (nunc per translationem A.) factæ à Domino Ingelberto, quibus dicitur hoc pactum inter illum, & Episcopum Cameracensem esse constitutum, vt ipse Episcopus ex rebus Ingelberti duodecim canonicos stabiliat, & ex illis vnum Præpositum, & de dono præbendarum Episcopus tertiam habeat, reliquas duas canonicis dare permittat. 1.

Reseruatio mensium in omni patronatu ecclesiastico obtinet.

Oritur quæstio, an Regula 8. Cancellariæ de reseruationibus mensium locum habeat aduersùs Capitulũ, quod habet ius suum à laico?

Non est dubium siue in territorio A. vt parte olim imperij, recepta forent Concordata Germanica, siue regulæ Cancellariæ; præbendã mense Maio, qui vtrouis modo Pontificius est. vacantem, reseruatã esse dispositioni Pontificiæ. Concordata enim loquuntur de omnibus omninò beneficiis, quorum ad inferiores collatores pertinet collatio, præsentatio, electio, seu quæuis alia dispositio: Regula autem

Can-

Cancellariæ complectitur omnia beneficia ecclesiastica qualitercumq; qualificata, vbicumque existentia in mensibus reseruatis vocatura.

Adeoque certum est beneficia patronatus ecclesiastici sub hac reseruatione regulæ octauæ comprehendi *Garcias de benef. p. 5. c. 1. num. 552.* vt & comprehendi generatim sub reseruationibus omnibus non factâ etiam mentione. *c. cùm dilectus. X. de iure patronat. Garcias ibid.*

2\. Ecclesiasticus est, quà uis à laica ad ecclesiã profectus, & in eo obtinet reseruatio.

Illud autem est ius patronatus ecclesiasticũ, quod licet originẽ habuit ex patrimonio laici, fuit tamen vel ab initio, vel postea fundatione, testamento, donatione, aut quouis alio titulo in ecclesiam translatum, *Garcias n. 553. 554.* cuius rei textus est disertus, præsertim quoad præsentationem, seu aliam prouisionem. *in c. vnic. §. fin. de iur. patronat. in 6.*

3\. Etiam in Belgio.

Et quamuis Garcias *n. 557.* referat, non recipi in Hispania, præsertim Castella, reseruationem in patronatis, etiam ecclesiasticis; tamen in Belgio infinitis exemplis in illis receptam constat. Idemque *num. 558.* negat iure defendi illam consuetudinem posse, ob toties repetitam regulæ per singulos Pontifices innouationem, & illius decreta irritantia, aduersùs quæ nulla iuuet consuetudo, aut præscriptio.

4\. Transactiones & sententiæ sic sunt interpretandæ.

Porrò sententia pro Capitulo A. lata anno 1250. aduersùs Episcopum Cameracensem, quâ Capitulum manutentum est in possessione octo mensium, quatuor Episcopo relictis; nihil ad reseruationes Apostolicas pertinet: quia res est inter alios acta, & quæ limites ponit inter Episcopum & Capitulum dumtaxat; in conformitatem supradictæ fundationis, vt Episcopus vnam, Capitulum duas præbendas conferre possit. quod ideo fundator tunc ab Episcopo stipulatus erat, ad tollendas difficultates, quæ poterant oriri ex eo, quod Episcopus, tanquam loci Ordinarius, & cuius iuris erat altare de H. contendere posset omnem collationem ad se spectare; Capitulum verò omnem ad se trahere, eo nomine quo deficiente collegâ, Collegium alium iure assumit. quare literæ hanc conuentionem pactum vocant. scilicet super modo & vicibus conferendi, inter Episcopum & Capitulum: cùm ipse fundator neque suis successoribus ius patronatus reseruauerit; sed sibi tantùm aduocatiam ad vitam, neque in Capitulum transtulerit.

5\. Nec vetuit fundator.

Poterat quidem fundator sibi successoribusque suis laicis ius patronatus seruare, quod tunc laicum fuisset, neque regulæ 8. subiectum: sed cùm id non fecerit, sed ecclesiæ remiserit; ecclesiæ potestas, & leges, in re nunc omnimodò ecclesiasticâ, quò minus locum habeant, nihil posuit impedimenti.

CONSVLTATIO II.

De iure patronatus ob præsentationis defectum amittendo.

PAtrono præstitutum est ad præsentandum tempus ecclesiastico sex mensium, laico quatuor: *c. vn. §. 1. de Iur. patron. in 6.* quo per negligentiam vel contentionem lapso, confert Ordinarius. *c. 2. X. de supplen. neg. Prælat. c. 12. c. 22. c. 27. X. de Iur. patron.* eoque consumitur omne ius patroni pro illa vice, sine præiudicio tamen in futurum. *d. c. 2. in fin. d. c. 27. in fin. c. licet. c. literas. c. dilecto. X. de supp. negl. Prelat.* quod si contempto patrono voluerit Ordinarius conferre, collatio nulla est. *c. 14. X. eod.* sed si is est in bonæ fidei possessione conferendi iure ordinario secundùm possessorem iudicatur; saluâ proprietatis quæstione. *c. cum olim. X. de caus. possess. & propriet.* — 1. Non præsentans intra debita tempora pro illa vice ius amittit. — 2. Sine præiudicio futuro.

Sed quàm diu salua est causa proprietatis? multa de acquirendo, vel amittendo per præscriptionem patronatu scribuntur, quæ per indicem videri possunt apud Tuscum V. *Ius patronatus. concl. 604.* & nouissimè Concilium Tridentin. superuenit, *f. 25. de reform. c. 9.* sed de amittendo iure patronatus per non vsum, quo ecclesiæ vel beneficiis agnoscatur libertas, non alteri acquiratur patronatus; promptius est dicere tempus ordinarium sufficere: quod in seruitutibus discontinuis decem est annorum inter præsentes, viginti inter absentes. *l. penult. & vlt. C. de seruitut.* quod ferè hodie ad vniformem triginta annorũ præscriptionem consuetudo passim vsurpata censetur reiecisse. quæ tamen apud Batauos, si Grotio credimus, ad trientem centenariæ est extensa. *in Isagog. Iur. Holland. lib. 2. p. 7. ad fin.* sed in personis ecclesiasticis, & rebus spiritualibus canones ferè aliam ignorant, quàm quadraginta annorum. *c. de quarta. X. de præscript.* vnde patronatus ecclesiasticus per non vsum non videtur perire, nisi annis quadraginta; laicus autem communi amittendarum seruitutum regulæ esse subiectus: nec referre quod rei spirituali etiam sit annexus, ob quod nec vendi possit, *d. c. 9. Trid. f. 25. c. de iure. X. de Iur. patron.* quoniam ipsa personæ laicæ negligentia nihil habet spiritualitatis, & ipsa plenam habet rei suæ moderationem; vti, abuti, dilapidare, donare, amittere pro lubitu potest. *l. in re mandat. C. mandati.* quod non idem est in patronis ecclesiasticis, qui administratores tantùm sunt, & vix vsufructuarij; vt non æquè ius suæ ecclesiæ negligere, aut alienare possint: alienat qui patitur vsucapi: & quod in fauorem ecclesiæ, ecclesiasticarum rerum ac iurium est concessum, vt non nisi annis quadraginta amitti possint, non est in eius odium retorquendum, vt non citius ipsa suam libertatem possit consequi: & *d. c. de quarta.* disertè de clerico loqui- — 3. Saluâ præscriptione libertatis vt amittuntur seruitutes discontinuæ. — 4. Sed in ecclesiasticis spatio 40. annorum.

loquitur, & *d.c.vn.de Iur.patron. in 6.* aliud in clerico, aliud in laico patrono præsentandi spatium præfinit.

5. Sed impedito per turbas publicas aut priuatas non currit præscriptio.

Cæterùm indubitatum est nullam ei currere præscriptionem, qui iure factoue impeditus est agere, adeoque in illa rerum publicarum sacrarumque anni 1588. quæ hic innuitur inuersione, ac deinceps an patrono, de quo quæritur, licuerit quid agere, an impeditus fuerit, quantum iuris amittere ceperit vel non; ex circumstantiis particularibus expendendum est: apud Orthodoxos harum partium Iudices facilis foret præsumptio, vi metuque publico patronum impeditum nihil iuris amisisse, quin rebus mutatis captisque postliminio reuersis iustus patronatus in pristinum statum restitueretur, accedente etiam ratione *tit. C. ne rei dominica, vel templorum vindicatio, temporis receptione submoueatur, & l.2. ibid. & l. vn. C. de infirm. bis qua sub tyran. aut barbar. gesta sunt. Cod. Theod.* quo spectat quod Cuiac. *in parat. C. de præscript. 30. vel 40.* docet lege succurri aduersus eos, quorum possessio ab hostibus fuit occupata. Vt nihil dicamus de bona fide, quam in classe Prædicantium esse negarent, & sine illa vllam præscriptionem procedere.

Enimuerò verisimile est an. 1588. particularem loci, de quo quæritur, pastorem non mox vitâ excessisse, sed functionibus suis abstinere iussum; quare Orthodoxus patronus iure & religione fuit impeditus, ne eo viuo alium præsentaret. *c.2. & tot. tit. X. de concessione prabenda vel ecclesia non vacant.* ab eius ergo morte demum inciperet tempus currere, quo patronatus amitti, præscribiue possit.

Quod si Prædicantium classis, Ordinum nomine, non dato patrono quadrimestri ad præsentandum spatio, via regia ipsa pastorem aut prædicantem constituerit; & permissu publico licuisset patrono iure suo vti, exinde apud cacodoxos amittendi præscribendiue tempus, vt creditur, computabitur; sed Orthodoxi excusabunt etiam quasi religione impeditum se existimauerit, ne in re momenti tanti cacodoxis communicaret; & qui ecclesiæ subditisque tales dare debeat, qui præesse norint, & prodesse, *d.c.2.X. de suppl.negl* ne eum offerat, qui in animarum dispendia illos sit deducturus, illiusque proinde de peccatis participet.

Et verò notum est in multis Ordinum vnitorum locis in hanc vsque diem patronis non factam licentiam iure suo vtendi: itaque tempus omne, quod negligentiæ patroni imputari potest, ob quam iure suo posset excidere, inchoandum est ex quo publica lege, seu permissu licuit ei exercere ius sui patronatus, & in vacantem locum aliquem surrogare.

CONSULTATIO III.

Ius conferendi an laicis competere possit immemoriali consuetudine, eâque vniformi.

MVlta Concilium Trident. *s.25. c.9.* decreuit circa iura patronatuum: eosque dumtaxat admisit, qui ex fundatione vel dotatione competere ostenduntur, ex authentico documento, siue multiplicatis præsentationibus, per antiquissimum temporis cursum: atque insuper in iis, in quibus vsurpatio præsumi solet, vt continuatis præsentationibus, & effectum sortitis, & authenticis documentis demonstrari debeant. Itaque saluâ huiusmodi distinctione admittit Concilium immemorialem præscriptionem, vt ex ea titulus fundationis, dotationisque præsumatur. magna enim est energia huiusmodi temporis, vt pro titulo sit, & tali quidem, sub quali res ipsa obtineri possit: vt quidquid Papæ priuilegio dari potest per eam obtineri censeatur. *Nauar. de iur patr. conf. 8. n. 3.* Quinimò sicut ecclesia quibusdam Regibus & sublimibus Principibus indulsit, vt non tantùm præsentare; sed etiam conferre absolutè possint beneficia ecclesiastica: ita si qui patroni per immemoriale tempus huiusmodi iure conferendi vsi sunt; turbandi non videantur in ea possessione; sed credendi à Sede Apostolica eam olim gratiā promeriti, eoque iure legitimè contulisse, siue tanquam instrumenta, & executores gratiæ, si incapaces eos talis iuris statuamus: sin autem capaces: iure suo ex gratia. nam capaces esse est verius, positâ Sedis Apostolicæ gratiâ. nā qamuis hoc ius altiori quidem gradu spirituale sit, quàm patronatus; est tamen patronatus simplex etiā spiritualis; cuius sicut capacitatem canones ecclesiastici generatim tribuunt iis, qui fundant, construunt, vel dotant ecclesiam vel beneficium; ita & speciale indultum tribuit, quo ecclesia altiorem absolutè conferendi gratiā specialiter alicui facit, & fecisse præsumitur, si quis per tempus immemoriale ita fuerit vniformiter vsus. quamquam Wames. *cons. can. de rer. perm. c. 344. n. 12. & 14.* nec huiusmodi collationes ius spirituale tribuere; sed illud ab Episcopo seu Capitulo, &c. haberi debere asserat.

1. Tridentinū patronatus restringit.

2. Saluâ immemoriali præscriptione.

3. Et iure sublimium Principum.

4. Vt ij etiam conferre possint.

5. Et cui ecclesia facit gratiam.

6. Vt præsumitur ex immemoriali vsu.

Quinimo quamuis *c.12. s.14.* Trid. velit in casu fundationis aut dotationis institutionem Episcopo, & non alteri reseruari; fortè tamen nec reiicitur fundatoris voluntas, sibi hæredibusque suis absolutam beneficiorum donationem reseruans; vt antiquæ quædam chartæ habent. quarum occasione patroni aliqui omnimodam dispositionem imposterum vsurparunt. quæ tamen non eò extendi potest, vt excludat iudiciū Episcopi & examen, an ita cōstituti beneficiarij sint idonei, *iuxta d.c.9.§. ad hac.*

7. Vel volūtas fundatoris, etsi hāc Tridentinum non alteri, quàm Episcopi institutione velit reseruari.

8. *ad hac.* quodque iudicium etiam in his regionibus reiici non potest; quamuis Concil. Trid. receptio innouationem in præiudicium Principis aut vasallorum vetuerit. *vt diximus in Iur. Pont. nou. anal. de const. n. 6. de iur. patron. n. 3.* quia iudicium Episcopi non spectat ad diminutionem iuris patronatus; sed ad qualitatem & capacitatem præsentandi. quâ ratione *d. n. 5.* etiam diximus hodie à patronis præsentari non posse minorem 14. annis *propter c. 6 s. 23. Trid.* neque verò gratia ab ecclesia indulta in eius detrimentum potest detorqueri, aut per eam inidonei in ecclesiam introduci. nam id ius ipsum diuinum offenderet. Enimuerò Comites Flandriæ quædam beneficia absolutè conferre constat *ex c. vlt. X. de conc. præb. quod Boëtius Epo inter heroicas quæstiones examinat.* ad eorum exemplum quidam vasalli vsurparunt, qui in titulis suis habent se dominia sua cum iis prærogatiuis possidere, quæ Comitibus Flandriæ ibidem olim competierint, à quibus causam habent, & cum gleba iuris patronatus, seu collationis cessionem. quod vt non leui examine est admittendum; ita neque omninò reiiciendum. cùm etiam Concil. Trid. *à decreto d. c. 9.* exceperit patronatus, qui ad Imperatorem, & Reges, sublimesque ac supremos Principes pertinent. At verò meminisse oportet nos hic agere de immemoriali collationum eaque vniformi consuetudine ex gratia Apostolica saltem præsumpta; alioquin si quid non iis præsidiis fulciatur, non posse iure subsistere latè ostendimus *supra de præbend. cons. 4.* quinimò etiam vbi consuetudo est immemorialis istiusmodi prouisio iuxta Wames. nondum erit spiritualis, & fortè nec beneficia omninò ecclesiastica.

Qualis fundatio tamen examen Episcopi super capacitate promouendi, non excludit.

9. Comites Flandriæ quædam conferunt.

10. Sed vsus vasallorũ examinandus.

CONSVLTATIO IV.

Beneficium patronatus laici non confertur, aut pensione grauatur, sine patrono.

1. QVamquam ex suprema ecclesiæ potestate Pontifex derogare iuri patronatus laici possit; *Less. de iust. l. 2. c. 34. d. 9. n. 35.* tamen non solet conferre beneficia patronatus; nec valet collatio, nisi disertè derogetur. & præsertim si ad Reges, Duces, vel Marchiones pertineat. *idem Less. n. 36. Rota decis. 331. & Reg. Canc. 41.* sed subreptum censetur Pontifici, & destituendus impetratis mendax orator. *Petrus de Vbald. in tract. de permutat. benef. q. 6. nu. 36. Fred. de Senis tractat. de perm. benef. q. 50. n. 52. DD. in Clem. 1. de rer. permut. Felin. in c. cum Bertold. n. 15. de sent. & rer. iud. Roch. de Cur. in tract. de iur. patron. v. honorific. q. 3. nu. 4. Steph. Bertrand. cons. 199. viso consult. v. 2. p. 1. & cons. 455. v. n. 3. vol. 4. Rota dec. 5. alias 307. permutatio in nouis & dec. 10. alias 528. nota n. 4. Mantic. tit. de iur. patron. Rebuff. prax. ben. tit. de permut. n. 21. Papon. l. 3. Arrest. tit. de benef. de patron. lay. a. 1.* quamquam nec in Belgio eiusmodi derogatio admitteretur. sed literis placitum executorium denegaretur. Ad rationem collationis trahitur constitutio pensionis, vt etiam effectu suo careat, si eam Pontifex reseruarit super beneficio iuris patronatus laici, illius mentione non factâ. *argumento c. cum dilectus de iur. patron. Archid. in c. 2. de præb. l. 6. in terminis Gigas de pension. q. 24. n. 4. An. Rob. rer. Iud. l. 1. c. 7.*

Porrò qui taliter constitutam pensionem soluerit an incurrat realem simoniam quæsitum est: & cum id, quod nullum est, nullum producat iuris effectum, & reseruatio huiusmodi subreptitia sit; non videbitur producere effectum canonicæ pensionis; quæ solutionem huiusmodi defendat, quò minus temporale datum pro re spirituali censeatur. At verò ipsa pecunia quæcumque soluitur semper est temporalis, sed causa solutionis & animus attenditur; studiosa voluntas requiritur dandi quid temporale, vti pretium rei spiritualis, vt simonia sit. *c. sicut Episcoporum 1. q. 2. c. tua. nos. c. etsi quæstiones. c. fin. c. veniens. c. tuæ. c. cum esset. & ibi glos. & DD. de simonia. Nauar. in manual. de simonia. c. 23. n. 100. VVames tom. 2. cons. 187. n. 1.* atqui quamuis irrita sit eiusmodi sine patroni consensu facta reseruatio, vel collatio; tamen non ipso iure ac facto; sed demum vbi patronus ita velle se declarauerit; vt communius traditum est. *Flamin. de resig. benef. l. 2. q. 2. n. 18. & seq. Felin. in tract. quando literæ Apostol. nocet patrono, amp. 9. c. decernimus 16. q. 7. & quæ ibi traduntur & DD. plerique, quos supra post Felin. citauimus*, cùm illius solum intersit, neque de eius iure queri alteri concessum sit. Quare cùm Rex declarauerit ad postulationem *A.* non obstante eiusmodi subreptione in collatione, quasi ex simplici permutatione factâ, subiecitâ pensionis sub Pontificio beneplacito conuentione, se eam collationem velle ratam esse; sic tamen vt præbenda ipsa non intelligatur onerata; cum per huiusmodi patroni consensum omnia conualescunt: *Flam. vbi supra n. 27. Put. dec. 5. de rer. permut. & qui citantur.* cessabit ex subreptione nullitas; rataque manebit collatio: quin & ipsa pensionis reseruatio extra præbendæ onerationem, id est, quatenus non vltra vitam aut possessionem d. A. porrigatur. sicut quamuis locatio rerum ecclesiasticarum in longum tempus non sit permissa, tamen sustineatur sic facta quoad tempus permissum, rescisso vetito, vt communiter receptum fatetur Couuar. *tom. 2. var. res. l. 2. c. 16. n. 5.* etsi ipse dissentiat propter specialem omnis nullitatis adiectionem, *in textibus ibi citatis*; sed ratio vtilis ab inutili separandi, vt in summis, & temporibus in aliis valde suffragatur, vt in donatione 300. sol. excedente, vt excessus solum resecetur, permissæ summæ valeat: *l. sancimus. l. penult. C. de donat.* quod ergo B. si compermutanti libuisset disertè remittere reseruatam pensionem, quæ vitam A exce-

2. Solutio talis pensionis simoniaca,

3. Nisi animus & causa excuset.

4. Quomodo irrita an irritanda?

5. In totum, an in partem:

excederet; nihil erat, quod cuiquam queri licuisset, si non placuisset, erat ei actio aduersus A. ad omnia reponenda in pristinum statum: quippe qui re ipsâ non aliter nec alio modo resignarat præbendam, quam saluâ d. canonicâ pensione; acceptando autem solutionem vnius canonis, quia in actionibus nostris semper delicti exclusiua interpretatio facienda est, censendus est B. consensisse in pensionem, quasi personalem A. vt supra inhærentem, non in successorem præbendæ iam transitoriam, vt diximus. ac si rebus sic hærentibus si A. & B. visum est ex nouo Pontificio beneplacito pensionem extinguere septem anticipatis solutionibus; non est quod quis vel hoc criminetur.

Accedit quod qualiscumque subreptio non inducat simoniam; sed amissionem vel retentionem gratiæ. *Nauar. de simon. cons.28. nu.5. cons.29.*

6. Vitium purgant circumstantiæ.

Sed & illud quod A. & B. iuramentum offerunt, intentionem suam procul abfuisse à simoniæ labe, quodque vterque vitæ hactenus inculpatæ fuerint; nobiles, non indigi, sacerdotes: quod in tota alioquin actione palam processerint, vsi consilio secretarij Nuntij Apostolici, & notarij in eiusmodi praxi admodum periti, aliorumque; atque licet etiam is inficiatur, qui non intelligit se illicitum quid admittere; *c. per tuas 37. X. de simon.* tamen traditum est authoritatem viri alicuius docti excusare à culpa & pœna. *Nauar. d. cons.29. n.3. l. cum pater. §. Titio de leg.2. glos. fin in fin. c. ad audient. de his qui vi aut met. VVames. cons.561. n.5. tom... vbi ex Petro de Palud.* docet, si quid ad simoniam pertinens à non id volente fiat, non esse simoniam. deest quippe studiosa, ac deprauata voluntas; actusque agentium non operatur vltra eorum intentionem. Itaque nec in adeptione præbendæ vitium tituli contractum est (quod alioquin etiam A. citra culpam propriam ad spontaneam dimissionem obligaret in foro conscientiæ, *c. insinuatum. c. de hoc autem de simon. c. constitutus de transact.*) attentâ prædictâ declaratione Principis: nec in solutione pensionis; attentâ consultorum peritorum authoritate: & quod si hoc casu posteriori quicquam accusationi obnoxium esset; tamen sententiam exigeret; non statim titulum annihilaret, vel ex eo profluentem perceptionem fructuum.

7. Nec pœna Pij V. obtinet, vbi quis ritè adeptus beneficium, aliàs simoniam committit.

Pœna quidem priuationis obtentorum, & inhabilitatis ad obtinenda à Pio V. *Const. incip. cum primum* inducta est, sed loquitur de iis, qui adepti fuerint beneficium simoniacè. ergo A. qui non simoniacè, vt dictum est, adeptus est; quamuis re ipsâ in solutione pensionis irritæ simoniam commisisset, sub casu d. constit. quæ strictè retinenda est in propriis terminis, vtpotè noui iuris, & pœnalis, non censebitur comprehensus. Constitutio porrò ipso iure priuationem inducit, cum *d. c. insinuatum. c. de hoc. c. constitutus* sententiam videantur exigere: verb. *reuocata in irritum V. sunt deponendi. V. amoueas.* constitutio autem hæc declaratoria tantùm opus habere videbitur quoad forum; etsi pœnæ incursus ea non egeat. *Crauet. cons.266.*

8. Pœna extrau. detest. siue mortali non incurritur.

Sed & pœna excommunicationis, quam Extrauag. *detestabile in Com. de Simon.* comminatur, (eam incurrunt, qui etiam non circa suam prouisionem simoniam committunt) non videbitur locum habere in eo, qui mortalem culpam non admisit. *Nauar. in Manual. c. 27. n.9.* quæ non credetur reperiri in eo, qui non vnum duntaxat, sed plures eximiè peritos consuluit, etsi errarint. *Nauar. d. cons.29.*

9. Nec in quibusdam beneficiis permutatio Simoniaca, est quod coram Principe solo inita est.

Sed neque A. grauat quod permutatio, quæ de iure admitti debet per Episcopum, *c. quæsitum. X. de rer. permut.* archidiaconum, vel alium iurisdictionem ecclesiasticam habentem, *Zabarel in Clem.1. n.15. de rer. permut. Pet. de Vbald. de permut. benef. q.4. n.25.* apud Principem sit peracta, & ab eo collatio facta: quia id moribus in multis Belgicæ patronatus Regij ecclesiis obtinet ab immemoriali tempore: non difformiter ad *c.40. X. de testib. c. vlt. X. de colla. eccl. non vacan.* tametsi admissio Capitularis etiam pro institutione habenda sit in collegiatis beneficiis: & consequenter pensionis constitutio super beneficio iusto iam titulo possesso facta est; non autem nundinatio priuatæ conuentionis, citra legitimam authoritatem.

Nec error in stylo Simoniam inducit.

Sed difficultas est in tenore literarum, vbi Pontifex admissâ resignatione reseruat, constituit, & assignat super præbenda sic vacante; & d. B. per alias literas per Officialem ordinarium conferri à Pontifice iussâ; cùm reuera iam B. non amplius posset resignare cùm A. per Principem prouisus, & per capitulum admissus esset. & sic ex eodem tenore constat falsâ seu simulatâ resignatione esse subreptum Pontifici. Sed iam mox diximus subreptionem non inducere simoniam; neque defectus est in substantialibus; vt puta resignatione hîc vel Romæ factâ, inæqualitate fructuum, consideratione ne resignans ex ea nimium patiatur dispendium, consensu A. in pensionem, assignatione Pontificis re ipsâ factam, & separato actu à literis per quas actum alij agendum demandat, scilicet Officiali Ordinario collationem præbendæ resignatæ. Vnde hoc actu non perfecto alter vires non amittit: vtile ab inutili aut imperfecto non vitiatur: ideoque nihil admissum simoniacè, si etiam pensionem soluat bullis non leuatis licet, dummodo Pontifex re ipsâ assignationem fecerit. *Rebuff. de pacif. poss. n.126.137.* Permutantes etiam referuntur peritorum consilio stylum secuti, quo dicunt in Curia Rom. debere resignari beneficium, si quando super eo ibidem reseruatur pensio.

Sed replicabis; gratiam irritam fore voluisset Pontifex, si totum negotium narratum fuisset; & sic pensionis non ritè constitutæ solutionem accipiendam, ac si nihil constitutum foret; adeoque solutionem ex causa irrita factam in se omninò esse temporalem: sed responderi rursum potest, quòd actus irritè gestus animum tamen nostrum prodere potest: itaque

itaque qui pensionem irritam, quam ratam putat, soluit, quoad se verè voluntatem Simoniacam non habet; esto res in se ipsa simoniaca sit. nullum porrò delictum sine animo deprauato est, ac dolo: culpa etiam expertorum consultorum authoritate cessit; vt diximus, adeoque cùm primordia quæsiti tituli non maneant infecta; A. retinere beneficium, & fructus percipere iure poterit.

CONSVLTATIO V.

Aduersùs ius patronatus præscribitur.

ANnis centum patronus iure patronatus non vsus præscriptione submotus esse censeri debet; atque consequenter is qui hactenus contulit liberè deinceps cõferre potest. ea virtus est præscriptionum, & fauor libertatis, & emancipatio à iure patronatus. cui admodum fauet Concilium Tridentinum *s.25. c.9. s.14. c.12.* quod etsi plenè in hac materia in his ditionibus non sit receptum; tamen admodum fauorabile est in casu, quo ius commune habet conforme; vt in centenaria præscriptione. præsertim quando qui patronatum prætendit iuxta *d.c.9. & 12.* authentico documento, & aliis iure requisitis non ostendit illud sibi competere, & quidem ex fundatione, vel dotatione de propriis vel patrimonialibus bonis facta: qui est verus patronatus; cæteri magis per vocis abusum.

1. Collator aut patronus nõ potest sibi conferre, aut præsentare.

Quamquam verò non potest collator sibi conferre aut retinere beneficium, quod alteri conferre potest vel simplex vel aliud, prout in patrono expresè id est decisum *c. per nostras. 26. c. consuluit. 15. X. de iur. patron.* solet tamen hæc praxis probari, vt patronus, qui sibi pro subleuanda necessitate beneficium sui patronatus conferri desiderat, ius suum nominandi, seu præsentandi pro ea vice in manus Ordinarij reponat, & ab illo sibi petat conferri.

2. Sed cesso in eam rẽ iure ab Episcopo prouideri.

De Censibus.

CONSVLTATIO I.

De Visitatione.

1. Visitare debent Episcopi & superiores.

ANimarum curatio peragi non potest, si morbi nesciantur: hi sciri non possunt, nisi vt medici ægros visitant, venas explorant, idonea morbis remedia præscribunt, ita pastores oues erraticas per deserta quærant, inuentas ad caulam reducant. Episcopis ergo, superioribus atque inferioribus prælatis, quibus ius visitandi competit, grauiter incumbit, vt diœceses suas, & districtus impigrè peragrent, fidem promoueant, errores auferant, mores emendent, vitia eradicent, virtutes stabiliant: id quod seriò admodum inculcat Concilium Trid. *s.24. c.3.* Episcopis quidem omninò omnibus quocumque gradu sint, vt propriam diœcesim quotannis obeant: superioribus etiam permittit, vt suâ obita, prouinciam peragrent, causâ tamen in Concilio prouinciali prius probatâ; inferiores autem, vbi hactenus visitationem exercere legitimè consueuerunt, debeant quidem assumpto notario de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantùm districtum suum visitare. Visitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius habet visitandi, prius ab Episcopo approbentur. (per quos tamen fungi officio non impeditur Episcopus) quinimò inferiores ipsi peractæ visitationis rationem reddere tenentur. *d.c.3.* 2. Et inferiores.

3. Nõ Vicarius nisi ei discretè committatur.

Porrò Episcopi Vicario non tribuitur authoritas visitandi, quasi illo decreto ei demandetur: sed Episcopo tantùm; vt si ipse impeditus sit, per vicarium generalem visitare possit. impedimentum ergo Episcopi, & eius delegatio requiritur; non iure Vicariatus transit visitandi potestas. vt sentiat Barbosa *& ab eo citati ad d.c.3.* Vicarium Episcopi, nisi expresè id ei committatur, visitare non posse; quamuis secus sit in Vicario generali Sedis vacantis. nam vt in Capitulum transit omnis Episcopi iurisdictio; *Azor. inst. moral. p.2. l.3. c.37. q.6.* nisi ius disertè aliter decernat; ita per hoc in illum eius exercitium, quoad omnia loca quæ ipse Episcopus poterat visitare: nisi fortè exempta, quæ iure tantùm delegato, si statuamus, de quo mox videbimus, quòd in Capitulum transire non potuerit, visitare solent. Vicarius porrò Episcopi de iure communi etiam ad visitationes est Archidiaconus. de quo accipiunt quidam *c. non debere. d.80.* & id disertè habent *c.1. & 6. X. de off. Archid.* cui propterea iure proprio seu magistratus competit.

4. Aut sit Sedis Vacantis.

5. Aut Archidiaconus.

Sed restrictius de eo loquitur Tridentinum *d.c.3.* ex quo & posse Episcopum præscribere inferioribus terminum expediendæ visitationis, comitatum, & equitatum; ne ecclesiis sint oneri, aiunt pridem decisum esse, nam etsi Alexander III. *in c. cum Episcopus de censib.* pridem illum præscripserit, qualis excedi nullibi posset; non tamen qualis singularibus locorum circumstantiis omninò responderet. sed enim in veteribus canonibus procuratio non in pecunia dabatur; Trident. autem optionem visitatis tribuit, an in annona, an in pecunia præstare velint. quod & in ipsis Episcopis obtinet. & pro ea optione sæpius iudicatum refert Steueneau *in Comment. ad Ordin. compil. lib.1. t.3. ar.1. verb. leur pretendu.* vbi citat *ex Concilio Cabilonensi, vt cum gratiarum actione, non cum quadam iudiciaria inuectione stipendia sua exigant.* & ex D. Augustino; *non exspectent mercedem, nisi vnde salutem.* & repetit Tridentinum *d.c.3. versic. monentur.*

6. Sed is qui hodie.

7. Procuratio vt soluenda & quomodo optio competat?

Episcopus autem visitare etsi non impeditur ab inferiorum visitatione; non potest tamen actum ab illis agere, ab illis punitos iterum

8. Acta ab inferioribus an rursus agere

possint Episcopi? rum punire, absolutos ad incudem reuocare: nisi notorium sit per collusionem, seu aliàs non rectè actum esse. sub notorio comprehendo id quod ex actis liquidum esse possit: ideoque inferiores Episcopo rationem reddunt, depositiones testium, atque integra acta exhibent. ex quibus si constet perperam esse rem gestam; integrum erit Episcopo emendare, sub modo visitationis: id est, non compilato processu: nam alioquin si inferiores iuridicè processerint; non nisi viâ appellationis; quod non ritè gestum est, corrigi poterit.

9. Vt visitent loca commendata? Visitatoribus Episcopis, aliisque superioribus etiam conceditur, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, vt visitent quæcumque beneficia, etiam monasteria commendata, & exempta, in quibus non viget regularis obseruantia; *ex c.8.s.21. Concilij Tridentini* & alioquin superiores monere vt corrigenda corrigant, alioquin ipsi suppleant: secundùm tamen regularia instituta, non obstantibus quibuscumque in contrarium. *c.20. de regul. Concilij Trid.*

10. A visitatione & correctione non datur appellatio suspensiua. Quæ porrò in visitatione ordinata sunt ad morum correctionem, per appellationem aut querelam non impediuntur, aut suspenduntur, vt respondit S. Congreg. *apud Zerol. in prax. p.2. verb. V. sit. q.5.* & pridem decretum est *in c. ad nostram de appellat.* & in Trident. *s.13. c.1. & s.24. c.10.* tametsi appellanti actorum copia dari debeat, etiam gratis; atque intra 30. dies. *Trident. s.13. c.3.* etsi hic Concilij locus disertè loquatur in criminalibus causis; propriæ autem visitationum sunt correctoriæ. *c.1. de censib. in 6.* quæ etsi etiam de criminibus instituuntur; non tamen nisi de notoriis; iisque etiam emendandis extra ordinem, non pœnâ ordinariâ puniendis. *d. c.1. diximus in Iur. pont. nou. anal. de accusat. n.9.* merces tamen Notarij acta scribentis soluenda est omninò; & appellans acta suo sumptu transfert ad superiorem, erogatorum partem recuperat ab aduersario, si iis vtatur; & consuetudo consonet. *Trident. s.24. c.20. post medium.*

11. Sed deuolutiua, cum actorum copia gratis quoad Episcopum in criminalibus, non quoad notarium.

12. Vbi Episcopi tanquam delegati procedunt, appellatio ad Metropolitanum etiam potest introduci. Si autem appelletur ab iis, quæ Episcopus decreuit, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus; non ideo necessariò ad eandem Sedem tanquam delegantem appellatio ducenda est; sed proponi potest apud Metropolitanum. vt sæpius responderunt Interpretes. quod non tantùm in hac materia accipiendum videtur iis in casibus, quibus Episcopis competit iurisdictio suo iure; & authoritas delegati ad illam corroborandam adiecta est; sed etiam dum constat non nisi delegatam iurisdictionem cópetere. nam d. c.10. *nec in his*, inquit, *exemptio quoquo modo impediat, & s.14. c.4. quibuscumque exemptionibus minimè suffragantibus*: casum ergo notoriæ etiam exemptionis complectitur. quod dicit *d. c.4. in verb. quoscumque seculares clericos qualitercumque exemptos, qui aliàs suæ iurisdictioni subessent*: & tamen Interpretes appellationem ad Metropolitanum admittunt. quod eò magis dicendum est, quod ex pluribus Concilij Tridentini locis constet mentem illius satis fuisse exemptionum effectus præscindere, quantum populi salubris directio exigit, vt Episcopi *aptius*, inquit Concil. *s.24. c.10. quem regunt populum possint in officio, atque obedientia continere.* & referunt quidam diu in Concilio Tridentino fuisse actum, vt omninò omnis exemptio tolleretur; sed visum reuerentius, vt ea Episcoporum delegatio fieret, quâ effectus idem obtingeret. vnde fit, vt conueniens dicatur, ne appellationes in visitationum causis in Romanam Curiam introduci debeant; sed adiri possint Metropolitani: quo effectus habetur perinde ac si cessaret exemptio. quò celerius causæ expediantur, vt mores boni firmentur, praui eliminentur.

13. An & eâ sede vacante tractet Capitulum? Qua eadem de causa expedire etiam illa poterit Capitulum Sede vacante, quæ Episcopis iure Ordinario quamuis speciali tribuuntur, & accessoria tantùm est delegatio, vt de facultate tributa per Conc. Trid. *c.6. s.24. diximus in Iur. pont. nou. anal. de pœnit. & remiss. n.8.* tametsi etiam de iis, quæ non personæ, sed dignitati delegata sunt, non malè dubitatur etiam apud authores, quos citat Sanchez *de matrim. lib.8. d.2. n.10.* quoniam perpetuò commissa dignitati transeunt in naturam ordinariæ iurisdictionis, non electa personæ industria, sed potius exinde iure magistratus competunt: *Sanchez lib.2. d.40. n.13.* Ideoque facultas tributa *d. c.10. s.24. s.6. c.4. s.14. c.4.* Episcopis notoriè exemptos visitandi, & corrigendi; Sede vacante Capitulo competere non abs ratione dicemus; succedereque Capitulum in omnem omninò iurisdictionem, quæ personæ specialiter non fuerit delegata; sed dignitati perpetuò commissa. ideoque, quod ait Barbosa *ad d. c.3. n.8.* non posse Capitulum monialium cœnobia exempta visitare, quæ poterat Episcopus vt delegatus; accipiendum esse de delegatis eius personæ, non dignitati. & sic Trident. *s.25. de reg.* & nominatim *c.5. & fin. ibidem*, Episcopis etiam Sedis Apostolicæ authoritate curandâ committuntur ad Capitulum spectare Sede vacante.

14. Visitationes & Capitula Regularia. Ad imitationem Episcopalium visitationum successerunt visitationes regularium præsertim exemptorum: sicut & Capitula illorum generalia, in quibus visitatores deputantur, imitata sunt Synodos Episcoporum, in quibus Cistercienses inter primos exempti ab Innocentio III. dicuntur *ex longa consuetudine plenius informati. c. in singulis. X. de stat. monach.* hos secuti sunt Ordines mendicantes, & commendat Innocent. III. præcipitque vt in singulis regnis seu prouinciis fiant huiusmodi Capitula singulis trienniis, ad quæ superiores

15. Quid in iis agendum? cuiusque Ordinis conueniant, & ad morem Cisterciensium ea celebrent: in iisque ordinentur, qui omnia monasteria tam fœminarũ, quàm virorum eiusdem prouinciæ visitent, corrigant, atque reforment. quam Constitutionem innouat Trid. *de reg. c.8.* mandatque

16. Congregationes monasteriorum in Congregationes redigi singulorum regnorum seu prouinciarum monasteria, quæ Capitulis generalibus aut Episcopis non subsunt; nec

qui Capitulis generalibus non subsunt. nec suos habent ordinarios regulares visitatores: in eamque rem Metropolitani ea conuocent: cui, si obsequentes non fuerint; Episcopis locorum, tanquam Sedis Apostol. delegatis, subdantur. Differt ergo Tridentinum ab Innocentij Constitutione; quòd illa etiam complectatur ea monasteria, quæ ordinario subsunt: *d.c.in singulis. versic. ita quod si & §. porrò*: conueniunt in eo, quòd in Capitulis visitatores deputentur, qui teneantur suę Congregationis monasteria frequenter visitare, & eorum reformationi incumbere. *d. c.8. §. ipsis autem. d. c. in singulis. §.ordinentur.* non vetat tamen, etsi non mandet, monasteriis Ordinario subditis, quin redigere se possint in Congregationes. quod permisit *d.c.in singulis.* neque enim disertè illud abrogat, vt neque ex toto innouat, sed illius dumtaxat formam obseruari præcipit ab iis, quos in Congregationes redigi iubet. quod cap. 8. Weymsius *ad constit.24.à Concil. Trid.innouat. const.14.* rectè enarrat, & Innocentianam constitutionem explicat. sed nos reuertamur ad visitationes.

17. Visitationes. Quas in omnibus regularibus Tridentinum requirit. *d.c.8. c.20. c.22. de reg.* vbi, quæ à Tridentino decreta sunt; omnibus Episcopis, & Ordinum superioribus, vt executioni mandentur, grauiter præcipit. vnde tam generales, quàm prouinciales idoneis temporibus visitationes peragunt. quæ pluribus Concilij Tridentini locis & commendantur, & ne quibus remoris earum finis retardetur, vbique prouidetur.

18. Sine sumptu superfluo. Quò etiam spectat, ne ipsi visitantes vllis morâ aut sumptu graues sint; ne sua quærant, sed quæ Iesu Christi; ne ipsi, comites, aut ministri munera etiam sponte oblata accipiant, sub grauissimis pœnis; victu frugali, comitatu, & equitatu moderato peregrè contenti sint. nam in ciuitate sua procurari non debent.
19. Frugali sub procuratione. sed neque illic, vbi priuilegium, vt in curatis Ordini Melitensi vnitis; vel consuetudo habet, vt gratis visitentur. & vbi eadem habet, vt laici visitantem procurent, retineri in ea possint volentes, non cogi innuit. *Barbosa & citati ad d.c.3.* nullatenus in vna visitatione binę procurationes haberi possint, quamuis plures visitentur; nisi fortè vnus prandium, alter cœnam præstet.
20. Non bina vno in die.
21. Nec vltra cibaria. sed neque hic victus, præter cibaria, quidquam continet: non medicinas, aliaúe necessaria. *VVeyms. ad d. c.3. n. 24.25.* vt & pastus; non mercedes equorum sint soluendæ.
22. Et pastus equorum. *Barbos. & citati n.32.* non tamen excluditur solutio cathedratici, Synodatici, vel charitatiui subsidij, sensuumúe aliàs debitorum. *Barbos.nu.42.* quamquam rectius
23. Saluo cathedratico, etsi aliàs oportunius exigendo. hæc extra visitationem recipiantur: tum quò minus simul grauent; tum quò magis vitetur species mali: dum causæ solutionum in aperto non sunt, nec omnes, qui has vident, illas satis distinguunt.

CONSVLTATIO II.

Census à quo soluendus?

VNio ecclesiarum de S. B. & B. facta Coll. M. L. disertè Episcopali ecclesiæ Cameracensi in recognitionem abstractionis fructuum dictarum ecclesiarum reseruat denarium aureum salutum.

Sed ex verbis eiusdem vnionis seu consensus quibus is denarius soluendus dicitur ex fructibus ipsarum ecclesiarum incorporatarum vltra ea, quæ iam antè ex iis ad dictam ecclesiam spectare, & pertinere solebant, & aliis iterum verbis, quibus dicitur; & quòd iisdem vicariis prouideatur, quòd poterunt absque sui detrimento competenter satisfacere de aureo denario supra d. &c. quòd ipsi vicarij ad solutionem d. denarij teneantur, & sint astricti; ex his inquam, aliisque eiusdem substantiæ verbis mota est quæstio cùm per annos plures denarius ille salutus non esset solutus, & Episcopus Antuerpiensis, qui in ea parte in Episcopi Cameracensis locum successit, seu eius Sigillifer reliqua exigeret, quis ad solutionem iustè compellaretur, prædictum Collegium, an Vicarij? cùm hi querebantur paucis annis fructus se recepisse, ac iniquum fore successorem reliquis obligari. Collegium autem in vicarios solere hoc onus reclinare, neque se ante hac soluisse.

Statuendum verò est vtrosque esse obligatos, Collegium, & Vicarios: Collegium; quia instrumentum sonat, censum saluti ex fructibus reseruari: id quod & ea ratio exigit, vt quibus per vnionem istorum fructuum beneficium conceditur, ab iis beneficij recognitio præstetur. & qui sentiunt commodum, sentiant onus. Vicarios etiam ius commune *c.2.§.2.de decim.in 6.c. de monachis. X. de preb.* obligat; verba instrumenti obligant, vt eos quasi repræsentantes suarum ecclesiarum per vnionem Rectores Episcopus habeat obligatos. quem etiam prouida ratio mouit, vt intra diœcesim subiectos habeat debitores; neque cum Collegio extra diœcesim de iuribus legis diœcesanæ ire disputatum cogatur. Sed tamen nec ea clausula eximit originarios debitores; id est, rectores, seu qui nunc per vnionem in rectorum iura successerunt, & fructus percipiunt rectorum, tametsi eis Vicarios correos disertè adiiciant. 1. Vtrique obligantur.

Quæ vt planiora sint, memoriâ repetendum est, quod prisci ecclesiæ canones decreuerunt, omnes ecclesias cum dotibus suis in Episcopi potestate consistere; itque ad ordinationem ipsius pertinere. *c. decret. 10.q.1.* adeò vt contrarium quispiam fundator aut patronus statuere non possit; *c. si quidam ibid.* aut à diœcesana lege segregare. *c. si ex laicis. c. nouerunt. c. de his ibid.* eamque ob causam, tam Ordinarij 2. Episcopis omnes ecclesiæ subiectæ.

Ordinarij curam eis impendere, & quotannis visitare, *c. decreuimus cum seqq. ibid.* quam ipsæ ecclesiæ subiectionem agnoscere, cathedraticum, aliaque episcopalia iura soluere tenentur: *c. placuit 10. q. 3. & seq. c. cum olim. X. de cens.* ideo clerici Episcopis tributa præstant; quia hæc est probatio subiectionis. *c. 2. X. de cens.* ita tamen, vt census nouos imponere, *c. 3. c. prohibemus ibidem.* aut præter cathedraticum, & iura consueta (quæ referuntur *in c. conquerente. X. de offic. ordinar.*) alias exactiones Episcopi imponere non possint: *c. ecclesf. X. de cens. d. c. conquerente.* nisi rationabilis causa id postulauerit. *c. cum Apostolus. §. prohibemus. X. de cens.* Rationabilis causa est, quando Episcopus ecclesiam alicui Collegio vnit, aut in vnionem consentit: vtpotè cùm imposterum libera eius dispositio tollatur, contra terminos vnionis statuere nihil possit, quod beneficium aliquâ annuâ pensitatione recognosci æquissimum est, atque consuetum. vt in d. vnione iusta causa refertur, *ne ecclesia Cameracensis per eum fauorem dispendia pateretur*; cùm ergo omnes ecclesiæ cuique Episcopo sint subiectæ; & in subiectionis argumentum eiusmodi iura præstari, ac reseruari soleant; & de iure à loci presbytero, id est, parocho; *c. inter 10. q. 3. c. nec. num. 10. q. 3.* adeoque iis, qui iura parochorum per vnionem in se transferunt; resoluendum, vt diximus, omninò est à prædicto collegio eandem recognitionem soluendam esse: adeoque ipsos ecclesiarum incorporatarum fructus eidem recognitioni obnoxios rectè conueniri, & arrestari. sicut Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt in vectigalibus ipsa prædia non personas conueniri. *l. 7. D. de publican.* scilicet, quia ipsa prædia obligata sunt, & personæ, non nisi ratione eorum. vnde & sequitur illatio *in d. l. 7.* quæ huic negotio quadrat, *possessores etiam præteriti temporis vectigal soluere debere.* vnde & fluxit *tit. C. l. 4. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.* & traditum est in huiusmodi oneribus in optione esse Episcopi, quem conuenire velit possessorem etiam, vel antecessorem, qui suis annis fructus collegit. *Azor. inst. moral. p. 2. l. 9. c. 14. q. 6. §. quæres an successor. Duaren. de sacris ecclesiæ minist. l. 6. c. 4. in fin. per c. 1. X. de solut. & quæ ibi not.*

3. Cathedraticum, aliaque iura præstant.

4. Seu rectores illatum.

5. Fructus possidentes.

6. Et successores etiam pro reliquis.

Sed & iterũ quia Vicarij etiam fructus percipiunt ex prædictis ecclesiis ad onera episcopalia fructibus incumbentia compelluntur. *d. c. 2. §. 2. de decim. in 6. d. c. de monach. X. de præb.* sicut quilibet pignorum possessores ad debiti solutionem tenentur. ita quod disertè Vicarij prædicti per idem instrumentum ad d. saluti solutionem obligentur. sicut aliis verbis fructus indistinctè omnes prædictarum ecclesiarum obligantur; & per eos etiam tam Vicarij, quàm Collegium, qui simul eos percipiunt: sicut argumentatur *d. l. 7. D. de public. ipsa prædia conueniri, & ideo possessores soluere debere.*

7. Adeoque & Vicarios.

Quibus attentis rectè dict. Sigillifer omnes decimas prædictarum ecclesiarum tam d. Collegio, quàm Vicariis competentes arrestari curauit; vt Collegium & Vicarij inter se collisi simul solutionem expedirent, neque alterius contra alterum exceptionem oppugnare teneretur.

Verumenimuerò controuertitur, quâ actione Collegium conueniatur? à persona sanè exigi possunt iura Episcopalia: *d. c. nec numer. in verb. ab eius loci presbytero noueris exigendum,* actione vtique personali; sed & reali ab ipsis ecclesiis: *c. inter cætera. in verb. per singulas suæ diœcesis basilicas annuâ illatione sibi expetat inferri*; vt in electione sit exigentis. sic vt in personas solutioni refractarias, & rebelles per sententiam excommunicationis possit procedere. *c. cum nuper. X. de cens.* Realis autem hæc actio, an rei vendicatio sit, quasi pro fructuum parte; an confessoria, quasi pro seruitute ex rebus debita; vt in decimis Doctores quærunt, *Azor. inst. moral. p. 1. l. 7. c. 23. q. 9.* nihil interest hic disquirere; cùm hodie de actionum nomine quærendum minimè sit. satis est fructus conueniri; vt ex iis obtineatur solutio debita iurium Episcopalium, quæ censuum, & pensionum *d. c. inter cætera in verb. ab hac solutionis pensione & tot tit. de censib.* nomine etiam nuncupantur. quamquam authoritate potius & potestate eiusmodi iura, quàm aliquâ actione exigantur. sicut ipsa tributa, & vectigalia officio Iudicum, Præsidumque. vnde & Episcopi ea ipsi exigunt, & rebelles constringunt. *d. c. cum nuper. X. de cens.* cùm aliàs in actionibus nemo sibi ius dicere soleat.

8. Actione personali & reali.

9. Per censuras.

10. Authoritate magis, & officio quam propriè dictâ actione.

Neque quidquam facit, quod Collegium alleget non à se, sed à Vicariis hactenus solui solitum; quia esto de eo contendere cum Vicariis posset; non tamen cum Episcopo: cui cùm à Vicariis solutum fuit contra Collegium agere non licuit; ideoque nec præscriptio locum habet, cùm aliquis soluit, nam quâcumque vitâ impedito agere non currit præscriptio; & postquam Vicarij soluere per has turbas desierunt, non tantum temporis effluxit, quantum in ecclesiasticis requiritur. præterquam quod nulla præscriptio obtinere dicitur aduersus ea, quæ signa sunt subiectionis; adeoque cathedratica, & similia iura Episcopalia. *vt post Abbatem in c. pastoralis de donat.* docet Piasc. *in prax. Episc. part. 2. c. 2. num. 9.* in nudo possessorio fortè aliquid valeat hæc ratio; sed nihil in petitoria indagine. ideoque rectè vtrique coniunctim conuenti sunt; sed si seiunctim; securius contra Vicarios ageretur, quos disertè magis literæ vnionis obligant, quàm contra Collegium, quod iuris ratiocinatio dumtaxat.

11. Nec præscriptione tolluntur recognitialia iura.

CON-

De consecrat. eccl. vel altar.

CONSVLTATIO I.

Sacer locus prophanatus ad priores dominos, & pristinum statum redit.

CVm impetratur vt reliquiæ transferantur, locus desinit esse religiosus. *l. ante. D. de relig.* tum maximè, si cadauer in fundum alienum illatum est, si decreto Pontificum, aut iussu Principis efferatur. *iuxta l. ossa. eod.* puro vtique rursum fundo dominus vtitur.

1. Sacra bello capta fisco cedunt. Quod si sacra loca vi belli ceperimus, esse desinunt sacra, & fisco cedunt. *l. Diuus. D. de Iur. fisc. glos. in l. cum. D. de relig.* vt & è contrario cùm sunt ab hostibus capta, omnia desinunt religiosa vel sacra esse. *l. cum loca. D. eod.* 2. Etiam ab hostibus. & quòd si ab ea calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reuersa, pristino statui restituuntur. *d. l. cum.* 3. Liberata postliminio vtuntur priores domini.

Quæ ratio argumento in contrarium sumpto facit, vt si sacer locus execratione prophanetur, pristino domino, pristino statui restituatur.

4. Cœmeterium execratum redit ad Collegium, dominum. Itaque locus à Capitulo A. concessus ad sepulturam, & cœmiterium, si ab eo vsu discedítur, execretur, prophanetur; redit ad Capitulum, pristinum dominum, & pristino statui restituitur.

Ita Eugenius IV. cum Cap. Ant. permisit execrationem certæ partis cœmiterij, cuius fundus olim à Capitulo in eam causam datus, per illius diploma restitutus est, & pleno ibi dominio inædificatum est, &c.

Sic olim eundem fundum Dux Brabantiæ dederat ad constructionem claustri, & vsum canonicorum; postea cùm ex mutatione & incremento vrbis visum id mutare, & ædificia alia imponere; nouâ diu pòst donatione rursum per Capitulum impetrari debuit, & Dux medietatem ad se retraxit.

Quin & Batavi patronorum laicorum hæredibus bona restituunt, olim relicta in fundationes missarum, &c. quas eorum secta non admittit.

Mutatâ re vsusfructus extinguitur, inquit Vlp. *in l. quid. 10. D. vsufruct. quem amittit.* vt si stagni vsusfructus legetur, & exaruerit, ita vt ager sit factus; si balnei vsusfructus legetur, & habitatio fiat, vel taberna, vel dieta. *l. si bal-* 5. Re mutatâ in aliam formam cessat viusfructus. *nei ibid.* nam mutato ministerio, ex quo dependet fructus, intelligitur res mutata. *Bald. ibid.* & abit ab vsufructuario, ad quem pertinet tantum vti saluâ rei substantiâ. Itaque quod cœmiterij causâ, & sepulturæ concessum est, si in habitationem vertatur, redit ad concedentem.

Quòd si concedens etiam permiserit in cœmiterio ad ædilium vtilitatem esse tabernas, eæque concidant, destruanturque; non possunt ædiles domos ædificare. neque enim per tabernas dietasúe proprietas demonstratur; aut eam sibi quis per illud ius potest adscribere. *l. qui tabernas. D. de contr. empt. l. Senatus. §. Marcell. D. de leg. 1.* 6. Nec per concessionē tabernæ proprietas destruitur.

De ædificandis Ecclesijs.

CONSULTATIO I.

De erectione nouarum parochiarum.

DE genere prohibitorum est parochiarum antiquum statum aut fines immutare, earumque pristinam dispositionem conuellere. *c. licet. c. quicumque. c. inter 16. q. 3.* vt nec præscriptio admittatur in contrarium. *ibid. & c. super. X. de paroch.* adeoque illicitum est Ordinariis nouas parochias erigere pro arbitratu suo, sed dumtaxat ex causis iure expressis, prædictos canones modificantibus; vt ex nimia distantia, aut itinerum difficultate. & *ita*, inquit glos. *in c. ad audientiam. X. de eccles. ædif. difficultas aliquid permittit, quod aliàs prohibetur*, allegatque ibidem plura similia. 1. Nouæ parochiæ erigi nequeunt pro lubitu, sed causis duabus tantùm.

Itaque videndum est quibus ex causis priores illi canones sint modificati. & duas tantùm recitat *d. c. ad audientiam*; nimiam distantiam & itineris difficultatem: *vt subditi non valeant congruo*, inquit, *tempore ecclesiastici interesse officiis.* ideoque Concilium Tridentinum. *f. 21. c. 4. de reform.* ob numerum populi non permisit erectionem nouæ parochiæ; sed adiunctionem tantùm concessit aliorum sacerdotum; assumendorum à rectore, ab eodemque amouibilium, non coadiutorum aut Vicariorum perpetuorum: *Barbos. & citati in Collect. ad d. c. 4. n. 3. 4.* qui numero populi in ecclesiasticis sacramentis ministrandis, & cultui diuino peragendo sufficiant: & per antithesim *in iis verò* (ecclesiis) inquit, *in quibus ob locorum distantiam sine difficultate parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, & diuina officia audienda accedere non possunt, nouas parochias constituere possint* (Episcopi) 2. Sed sacerdotes pro numero populi assumendi.

Non ergo pro arbitrio, nec quacumque ex causa; sed dumtaxat nimiæ distantiæ, & difficilis ad ecclesiam accessus, sine magno incommodo, possunt Ordinarij nouas parochias erigere.

Vnde si sub eadem parochia oratorium sit, 3. vel capella, vbi etiam distantibus per alium sacerdotem prouideri potest, non est erigenda noua parochia. *Riccius in prax. decis. 554. in fine post Menoch. cons. 477. & Costam quos sequitur Barbos. in Collect. Trid. ad d. c. 4.* ibidem Riccius *post plures quos citat* plura requisita ad erectionem parochialis enarrat, & nominatim consensum maioris partis parochianorum. sed & Rebuffus *in prax. benef. l. 1. de erect. in curat.* Si oratoriū aut capella est intra parochiā, constitui ibi potest sacerdos.

requi-

requirit vnam ex causis, quas diximus, & plura. insuper consensum rectoris: quod etsi Tridentinum abrogauit; non tamen nisi in casu de quo loquitur: scilicet nimiæ distantiæ, & magni incommodi difficilis itineris, ex arbitrio Episcopi. *Barbos. ibid. num.* 8. ideoque non oblato huiusmodi casu, non suffragatur Concilium Trid.

4. Etiamsi pars intra, pars extra vrbem sit.

Quin & Barbosa *in Collect. Trid. ad d. c.* 4. *s.* 21. refert à S. Congreg. Interp. Conc. Trid. 12. *Augusti.* 1628. decisum, non licuisse Episcopo Laudensi dismembrare à parochia extra muros ciuitatis sita partem parochianorum habitantium in ciuitate; sub prætextu quòd ad illos non detur aditus de nocte; sed esse construendam capellam per Abbatem parochum intra ciuitatem: quamuis Lapus *alleg.* 67. in casu contrario vbi ecclesia sita est in vrbe, & parochiani in suburbio, erectionem admittat. quin & ob disparitatem rusticorum, ne cum ciuibus in eandem ecclesiam conuenire debeant, & præ verecundia habitus, morumúe minus conueniant. *& eam sequi videatur VVeyms. ad* 24. *Const. Concil. Trid. const.* 19. *num.* 13.

5. Quamuis magna sit latitudo, cũ est huiusmodi capella.

Sed & idem Barbos. *ad d. c.* 4. *n.* 11. etiam suppositâ distantiâ 12. milliarium scilicet Italicorum, si in loco distante est capella, non permittit erigi nouam parochiam, idque ab iisdem Interpretibus Concilij decisum ait, *ex Aldano* 17. *August.* 1616. *probibente*, inquit c. plures 16. *q.* 1. etiamsi ad hoc cohonestandum adessent rationes *d. c. ad audientiam. plures*, inquit, *baptismales ecclesiæ in vna terminatione esse non possunt; sed vna tantummodo cum suis capellis. d. c. plures.* quippe in necessitate extra fontem baptismus conferri potest; & decimæ baptismalibus ecclesiis debentur. *c. de decimis* 16. *q.* 1. sed hoc reiicerem ad arbitrium Iudicis, nam non omnia in capellis fiunt, ad quæ parochiani tenentur ex iure communi & Tridentino.

6. Nec veteri parochiæ minuendæ decimæ.

Quamobrem vt ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec vllâ possessione priuentur, vt nouis oratoriis tribuantur, etiam constitutum est. *c. eccles. ibid.* quinimò si quis ecclesiam in fundo suo ex assensu Episcopi ædificat, *omninò*, inquit c. *quicumque* 16. *q.* 1. *eidem prouidendum est Episcopo, vt aliæ ecclesiæ antiquiores propter nouas suam iustitiam, aut decimam non perdant; sed semper ad antiquiores ecclesias persoluatur.*

7. Nec possessori præiudicandum.

Quare erectio nouæ parochiæ, quæ fit ex necessitate, facienda est inprimis sine præiudicio possessoris: *Barbosa ibid. n.* 12. *post Piasec.* & etiam veteris ecclesiæ. *c. quicumque. d. c. eccles. c.* 1. 2. 3. 4. *X. de noui oper. nuntiat.*

Vnde etiam in casu *d. c. ad audientiam* non ipso iure in nouam ecclesiam transeunt decimæ, intra nouum illius ambitum consistentes; sed ex arbitrio Episcopi; siue de decimis, siue de aliis prouentibus fit applicatio. ita decisum refert ibid. Barbosa *n.* 17. *post Aldan.* 11. *Martij* 1617.

Assignatur, inquam, arbitrio Episcopi: id est, vt Iudicis, seu boni viri: in quo versatur, ne vetus egeat, sed nihilominus decenter & congruè sibi sufficiat. & propterea c. ad audientiam, iuxta cuius formam procedi mandat Concilium Trid. loquitur in casu, quo vetus ecclesia ita reditibus abundat, quòd præ- 8. Nisi abũdet.
ter prouentus intra ambitum nouæ consistentes, minister veteris *conuenienter*, inquit, *valeat sustentationem habere.* aliàs, inquit glos. *in verb. conuenienter* non permitteretur.

Quinimò debet, inquit Rebuffus, *vbi supra* curatus compensari de eo, quod sibi detrahitur. 9. Saluo honore pro facultatibus.
per d. c. ad audientiam. c. de monach. de præbend. & c. 1. *illo tit. in* 6. idque *in d. c. ad audientiam* significatur his verbis; *prouidens tamen vt competens in ea honor pro facultate loci matrici seruetur.* vbi glos. *in verb. honor* censum annuum intelligit.

Plura sunt quæ Rebuffus, aliique DD. passim in eiusmodi nouis parochiis erigendis requisita notant; ad quæ etiam controuersiæ huiusmodi erectionum allidi debent, & excuti.

Et præcaueri præiudicia patronorum, parochorum veterum, & aliorum in eadem ecclesia sacerdotum, & ministrorum; ne cuipiam ex suo iure aliquid detrahatur: & patroni fortè postmodum aliquando frustra duplici portione congruâ pro duplici loco assignanda grauentur, aut aliàs vtilia aut honorifica illorum iura reddantur inutilia.

Quibus præmissis si examinetur libellus Ordinario oblatus apparet non reperiri causam, cur separari debeat à parochiali ecclesia SS. Vicus de S. quippe nec distantia reperitur, nec difficultas itineris, quò minus tempestiuè incolæ ecclesiasticis officiis possint interesse. & capella de S. manente in statu, in quo est, posset sacellano illius dari potestas, vt in casu necessitatis subsidiariam parocho SS. operam præstaret ad incolarum de S. commoditatem.

Quod autem in informationibus asseri videtur, sine sacramentis aliquos aliquando esse defunctos; exemplum de quo testes loquuntur, non ob distantiam accidit, sed morositatem parochi, qui mox officium requisitus non præstitit.

Quod si occupatus non omnibus posset sufficere, non esset ideo erigenda noua parochia; sed adiungendi alij sacerdotes, qui officium supplerent. sed id non est verisimile, cùm aliàs melioribus temporibus duplo maior esset incolarum numerus, tamen parochus ab Episcopo assumptus fuerit, vt fungeretur munere Decani christianitatis, vnde sequitur abundè suis posse sufficere.

Quod autem allegatur de infantibus sine baptismo mortuis, non etiam accidit propter distantiam, sed debilitatem paruulorum; quæ aliquando talis est, vt nec domo efferri possint, nec pro causa nouæ parochiæ erigendæ sufficit.

Quod insuper petitur erigendæ parochiæ 10.
vniri minuta decima, contrariatur canoni- Ne minutæ
bus, quos supra citauimus: cùm nec parocho, quidem de-
nec

tionæ auferendæ non abundanti. nec fabricæ veteris eccleſiæ aliquid ſit ſuperabundans, quinimò ea decimâ ſublatâ prioris eccleſiæ parocho non ſufficerent reliqui prouentus ad congruam ſuſtentationem: vti etiam aliis eiuſdem eccleſiæ miniſtris ita iura ſua minuerentur, & oblationes fabricæ, vt imposterum ſibi non ſufficerent. non eſt autem diſcooperiendum vnum altare, vt cooperiatur aliud.

Offert dominus ſupplicans ſupplementum competentiæ; & ex eo petit ſibi addici ius patronatus nouæ eccleſiæ; id quód etiam contrariatur Concil. Trid. *ſ.14. c.12. & 25 c.9.* vetanti ne ius patronatus alicui addicatur, niſi qui in ſolidum fundauerit, aut dotauerit de ſuo. & propterea *in d.c. ad audientiam*, etiam vbi dominus loci de ſuo ſupplebat, nec tamen obtinuit ius patronatus: ſed tantùm vt Rector veteris eccleſiæ ſacerdotem præſentet cum canonico fundatoris aſſenſu: & ſi is tergiuerſetur, ipſe Epiſcopus ſacerdotem ibi inſtituit.

11. Nec ſupplens partem defectus ius patronatus poteſt acquirere.

Et verò Rector matricis eccleſiæ, cùm de eius bonis dotatur noua parochia, in fundo ſuæ parochiæ meritò acquirit ius præſentandi: ſaltem quod exigit Garcias *de benef. p.5. c. 9. n.57. & poſt eum Barboſ. vbi ſupra n.14.* ſi ex prouentibus contribuerit: ſed ſiquidem ipſe ſit ſub patronatu, non videtur acquirere ſimpliciter; ſed cum *canonico*, inquit d. c. *ad audientiam. fundatoris aſſenſu*: fundatoris vtique matricis eccleſiæ; non eius qui ad nouam aliquid confert: quia illum vocat *d.c. ad audientiam*, tantum villæ dominum. & pro veteri patrono facit, quòd intra ambitum eccleſiæ ſuæ parochialis noua ædificetur, iura autem eius per totum ambitum extendantur.

12. Saltem in ſolidum ſed magis rector veteris eccleſiæ.

Porrò Tridentinum *d. c.9.* adeò aduerſatur laicorum patronatuum abuſibus, vt ſi inueniantur non ob maximè euidentem eccleſiæ neceſſitatem conſtituti, in totum reuocari mandet. Vti ſi non in totum ex patronorum bonis ſint conſtituti. &, ne iniuriam cuipiam videatur inferre, *reſtituto*, inquit, *patronis eo, quod ab eis idcirco datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducantur.* & licet hîc Tridentinum ſit receptum ſine mutatione iurium patronatuum Principis & Vaſallorum; id tamen ad præterita non futura ſpectat: vt conſtitui noui ſaltem non poſſint aduersùs prohibitionem Concilij.

13. Et non dotantibus in ſolidum aduerſatur Tridentinū.

At, inquies, villæ dominus ibi iugera aliquot contulit: & Alex. recipi non iuſſit: ſed neque iuſſit ei reſeruari ius patronatus: ſed rectori matricis.

14. Nec veteri patrono præiudicandum.

Quinimò demus hunc caſum *ob d. c. ad audient.* excipi *à d. c.9.* vt poſſit accipi à nouo patrono ſupplementum; tamen rectoris etiam ratio habenda eſt, & veteris patroni: huius; quoad hoc quod diximus de canonico aſſenſu: illius; quoad præſentationem: vt, ſi dimidium conferat dotis, alternis ſaltem vicibus habeat illam; aut ſaltem pro parte quà confert. quia ſecundùm naturam eſt, vt quâ parte quis ſentit incommodum, ſentiat emolumentum, & honorem. Ad pleniorem intellectum vide *in Reſponſis noſtris. h.t.r.1.*

CONSVLTATIO II.

De reſtaurandis eccleſijs.

Melitenſium equitum originem, progreſſum, res geſtas, Statuta, Ordinationes, priuilegia, exemptiones, immunitates magnis voluminibus proſecuti ſunt I. Boudoin & Naberat: breuiter tetigit Choppin. *monaſt. lib.2. tit.1. n.24. de ſac. polit. lib.2. tit.8. n.22.23. l.3. t.2. n.9.10. & alibi.* 1. Melitenſium origo.

Immunitas ſanè data eſt ab omnibus oneribus, collectis, talliis, tam à Pontificibus ſummis, quàm Imperatoribus, Regibus, & Principibus; noſtris imprimis; Philippo ſcilicet duce Burgundiæ 23. *Maij* 1420. Philippo Auſtriaco 10. *Decemb.* 1497. Carol. V. 25. *Auguſti.* 1536. 20. *Maij* 1540. 2. Immunitas.

Nominatim vectigalium & portoriorum, pontium, & portuum oneribus; omnibuſque aliis tam Pontifices, quàm Principes eos eximunt, & quibuſuis indictionibus, etiam decimis Papalibus Bonifacius VIII. *in c.1. in princ. in Extrauag. commun. de dec.* ſed clarius Martinus V. à decima per ſe impoſita immunes declarat, 13. *Decemb.* 1428. & confirmat Eugenius IV. 23. *Martij* 1431. de nouo concedit 5. *Feb.* 1432. & Concilium Baſilienſe 7. *Iunij* 1434. omniaque anteceſſorum priuilegia confirmant Sixtus IV. 25. *Iunij* 1472. Innoc. VIII. 1. *April.* 1485. Leo X. 10. *Auguſt.* 1517. Pius V. 15. *Maij* 1566 Concilium etiam Trid. *ſ.23. c.18.* à contributione Seminarij eximit: & in Gallia Henricus II. & Car. IX. probante parlamento diſertè declarauit à quacumque cleri tributione nummariâ Melitenſes equites eſſe exemptos. *Chop. d. n.24. monaſt. l.2. t.1. l.3. t.2. n.10.* 3. Vectigaliū.

Immunitas etiam decimarum prædialium eis præ cæteris religioſis eſt conceſſa. nam quamuis iis generatim obligentur omnes, qui ſe non oſtendunt exemptos, *c. à nobis. X. de decim.* etiam monachi, *c. alia cauſa c. generaliter 16. q.1. c. duo 12. q.1.* & poſtmodum tamen videantur religioſis generatim in communi viuentibus decimæ remiſſæ, *c. quaeſt. c. decimas 16. q.1. c. quia, tua 12. q.1. c.2. de dec.* & deinde conceſſum ſit Ciſtercienſibus, Hoſpitalariis, & Templariis ne de laboribus propriarum manuum decimas ſoluerent; aliis vix aliud, quàm ne de noualibus, quæ colerent propriis manibus, ſeu ſumptibus, hortis & animalium nutrimentis: *c. commiſſum. c. ex parte. X. de decim.* quod diu obtinuit. *gloſ. in d. c. ex parte V. laborum ſuorum.* niſi aliud ſit pactum; *c. ex multiplici ibid.* enormis læſio ſit parochiæ: *c. quid per nouale. X. de verb. ſignif.* & iuris pridem in re competentis: *c. dilecto ibid.* vel tacita per ſolutionem renuntiatio priuilegij: *c. accidentibus,* 4. Decimarum.

bus, *c.si de terra. de priuileg.* vel ipsi monachi populum regant: *c.moderamine.16.q.1.* ita vt etiam priuilegiarij de possessionibus acquisitis, vel acquirendis post Concilium generale decimas soluerint. *c.nuper.X.eod.* eoque in statu eos ius commune relinquit; nisi quod c. statuto *de dec. in 6.* declaret non vltra mediam partem noualium decimas priuilegio concessas intelligi, alterâ medietate relictâ parochiali ecclesiæ, vbi alij reliquas possident, aliaque id genus dubia: & Clement. religiosi *eod. tit.* puniat suppositis personis, seu aliàs fraudantes decimas. Extra ius commune Martinus V. aliique secuti Pontifices etiam priuilegia extenderunt ad fundos, quos traderent aliis excolendos, aut post Concilium acquisiuissent: *vt recitat Choppin. de sac.polit.lib.3.tit.2.num 8.* quamquam in Cistercienfibus Curiam referat iudicasse, immunes non fore, si non suis manibus, vel sumptibus colerent.

Tamen pleniorem recitat *n.9.* Melitensium exemptionem, vt si non illi tantùm, sed & eorum coloni colerent, immunes essent; dummodo non in perpetuum feudum aut emphyteusim terræ concessæ sint. quod & admisisse Curiam refert Choppinus *de pol.sac. l.3.t.2.n.9.* coarctasse tamen tempus infra decennium, quasi tanti temporis coloni perpetui censeantur.

5. Munerum spiritualisi, & patrimonialium.

Ex quibus constat quanta gratia & fauore vndique isti milites sint excepti, quoad vacationem munerum spiritualium, vt decimarum; & patrimonialium secularium. quæ prosequitur Choppin. *d.l.3.n.10.* vbi & Richardi Regis Angliæ literas recitat, quòd sint liberi & quieti de exercitu, equitatu, & de thelonneo, & peagio, & pontagio, & passagio, & vinagio, foagio, & domibus, venditionibus, & de omnibus querelis, placitis, auxiliis, & de taillagiis, & de omnibus operationibus ciuitatum, castellorum, villarum, & vt pacem habeant in omnibus. quæ ferè & aliorum Principum priuilegiis comprehensa sunt.

6. An etiam portionis congruæ, & reparandarū ecclesiarum?

Verùm in controuersiam venit; an adeò sint exempti, vt etiam decimas possidentes ad onera non teneantur portionis congruæ, vel reparationis ecclesiæ; an verò hæc ita decimis inhæreant, vt ad quemcumque transeunt possessorem? *iuxta c.vnic. 10.q.3.* vt viarum, aggerumque reparationes, quæ fundis vicinis incumbunt, ad quoscumque dominos abeant: *l.ad instructiones.7.C.de sacrosanct.eccles.*

Sanè *in l.placet.C.eod.* remotis sordidis muneribus extraordinariis, & subindictis, & translationum metu, nihil præter canonicam illationem (seu ordinarium tributum) & quam aduentitia necessitas poposcerit, imponi potest. *l.iubemus l. nullam. C. de sacrosanct. eccles. Auth.iteni nulla.C.de epis. & cler.* de quo argumento Choppin. *lib.3. t.2.* & spectat eò ratio tituli Codicis *sine censu & reliquis fundum comparari non posse*; sed & hæc ipsa, quatenus ad ærarium Principis extra ordinem exiguntur, tam Pontificiis, quàm Principalibus priuilegiis, de quibus diximus, sublata videntur.

7. Immunitas à realibus oneribus ad vsum fisci, extra ordinem, non quæ rei naturâ insunt.

Igitur quærendum est an onus portionis congruæ & reparationis ecclesiæ decimis sit absolutè innexum? & quoad illud quidem etiam teneri saltem in subsidium contendit Choppinus *de sac.polit. l.3.c.4.* etiam feudales laicorum decimas. tametsi anno 1577. in Blesensi Congregatione Ordinum regni, vbi clerus feudales decimas ad onus congruæ portionis vocandas contendit. equestris ordo intercessit, res autem mansit indecisa. sed apud nos *edictum Regium ad Synodum Cameracensem ar.31. & edictum Principum de reparand. eccles.* disertè decimas laicorum feudales ab vtroque onere eximit, si non probentur, post Concilium Lateranense ab ecclesia profectæ. 8. Portio congrua natura decimis inest etiam laicis in subsidium: sed id hic habet difficultatem. 9. In Belgio habentur laicæ immunes, quæ ante Conc. Lat. fuerint, ab oneribus ecclesiasticis.

Quoad autem Melitenses equites, *Choppin. ibid.n.20.* multò firmius se tueri videntur, eò quòd sicut ipsorum prædia à decimis sunt immunia, ita multò magis censendum est de ipsa decima, vt parte: *l.quæ de tota.D de rei vindicat.* tamen nec eos aduersùs congrua parochi alimenta recipiendos concludit. eamque sententiam præsupponit Papon. *l.1.t.10.ar.4. & 5.*

Et quamquam Choppinus oppugnet doctrinam Cardinalis *in Clem. 2. de iur. patronat.* qui propter ea verba Constitutionis *personam ecclesiasticam* negat à laica licitè peti; tamen Rex noster & Principes *in citatis supra edictis* Cardinalis sententiam amplexi, feudales laicorum decimas ab vtroque onere eximunt; & è contrario grauant quascumque ecclesiasticas, seu à manibus mortuis possessas. cuius rei rationem Nauar. *de redit.eccles.monit.5. & 57.* habet hanc; quòd laicæ decimæ sine vllo onere possideantur. *quia*, inquit, *non sunt amplius ecclesiastica bona, sed profana & libera, sicut alia bona, quæ suis laboribus & sumptibus alibi acquisiuerunt.* in eandemque sententiam iuit Soto *de iust. & iur. lib.9.q.4. ar.1. & 4.* quòd liberè & sine onere huiusmodi decimæ possideantur, concessæ in compensationem laborum: quales ideò concessiones Nauarrus vocat, debitorum solutiones: quin & idem Soto *lib.10. q.4. ar.3.* dicit & eas decimas quæ post Concilium Lateranense, consentiente Pontifice laicis sunt concessæ, liberè & sine onere possideri: agens de decimis, quæ suppressis à Clemente V. Templariis circa annum 1312. datæ sunt illustribus quibusdam Gallis. 10. Et videtur ius cōmune conforme.

Porrò Melitenses non tantùm ecclesiasticos, & manus mortuas esse, sed etiam veri nominis religiosos, certum est: Nauar. *de reg.cons.12. n.1.* vtpotè qui profiteantur solemniter tria vota substantialia religionis: adeoque decimas penes illos existentes tanquam primææuæ naturæ restitutas, vt ratiocinantur edicta, vtrique oneri subiectas esse, etiam consectarium est. Ad quem modum ad congruam portionem quæcumque pia loca obligat Concilium Trid. *c.7.s.7. c.13. s.24.* sicut omnes priuilegiatos c. statuto. §. *vbi. de decim. in 6.* quin etiam hospitalarios nominatim ad quartam parochialem ex oblatis sepulchralibus obligat c. in nostra. *X. de sepult.* ad eccle- 11. Sed Melitēses nō sunt laici. 12. Et sic ad onera ecclesiastica obligati.

ecclesiarum reparationem omnes, qui fructus aliquos ex ecclesiis prouenientes percipiunt idem Trid. *s.21. c.7.* quasi quæ iam olim ante Concilium Lateranense penes laicos existunt, non amplius ab ecclesia censeantur prouenire, in ordine ad hæc onera.

Vnde concludendum foret eo iure, atque edictis generatim decernentibus decimas Melitensibus competentes congruæ portioni, & ecclesiæ reparandæ hîc esse subiectas. & Naberat. *in instruct. Ord. tit. de pen. non reparant. fol.* 50. reparationes refert, à Visitatoribus indicendas, quæ parochiales ecclesias spectant, vt fontium baptismalium, &c.

13. Nec ipsi in propriis ecclesiis diffitentur.

14. An decimæ naturâ suâ teneantur ad reparationē ecclesiarum?

Verùm, ad ius commune altius quæstionem reuocando, in ea est sententia Pecquius *de reparand. eccles. c.14.* vt decimæ sint institutæ non tantùm pro ecclesiæ ministris; sed etiam fabrica ecclesiæ sarta, tecta habenda. Vnde in generali bonorum ecclesiasticorum distributione fabrica etiam habuit suam quartam: *c. mos est. c. cognouimus. c. vobis, c. concesso. c. quatuor autem 12. q.2.* vnde qui hodie eam possident dicendi sunt cum eo onere possidere: *d. c. vnio. vbi glos. & DD. Pecq. d. c. 14.* vbi & leges Longobardorum in eam rem citat; & æquum est eum, qui lucrum amplectitur, onus annexum non contemnere; & secundùm naturam est, vt qui commodum sentit, sentiat etiam incommodum; ac res transeat cum suo onere, ad quemcumque possessorem: *l. si me & titium. D. si cert. pet.* & in terminis nostris *d. c. vnio. & c. priscis 10. q.3.*

15. Qui possident quartā fabricæ olim addictam cū suius onere possident.

Nihilominus ad quem modum ea bonorum ecclesiasticorum partitio in toto desiit, postquam singuli beneficiarij res suas sibi habere ceperunt, & populus his illisúe singulatim dare legare; nec pauperes Episcopi hodie quartam suam à clero, fabricis, pauperibusúe reuocant; nec clerus egentior ab opulentis Episcopis; nec pauperes ab Episcopo, clero, & fabricis; ita ad exactam rationem non vtique fabrica quartam suam à clero, Episcopis, aut pauperibus. Desiit autem ea communio & partitio iam à pluribus seculis, etiam ante originem Templariorum, & Melitensium: adeoque his data legata, præsertim à laicis, non habuerunt adiunctum partitionis onus.

16. Sed ea partitio abrogata iam ante ortos Melitenses.

Et verò nusquam iure cautum est, ecclesiasticas decimas præcisè ad refectionem ecclesiarum teneri; præsertim magis quàm reliquas ecclesiæ facultates, ex quibus fuit generatim sumpta olim quarta fabricæ; & de quibus loquitur *d. c. priscis d. c. vnio,* quo more & modo Concilium etiam Trid. ad reparationem obligat fructus, & prouentus quoscumque ex ecclesiis prouenientes, aut ad eas spectantes: & *c. de his. X. de eccles. ædif.* de bonis quæ sunt ecclesiæ contribui iubet, quatenus ministris supersunt, vt eorum exemplo cæteri inuitentur. tametsi decimæ congruam parocho portionem tribuendam habent sibi inhærentem. *d. c. statuto. §. vbi. de decim. in 6.* sic & c. ex parte *vlt. X. de his quæ fiunt à maior. part. cap.* Ecclesiam Rotomag. iubet restaurari non ex quantitate decimarum, sed ex pluralitate suffragiorum Capituli eam redituum in genere partem, quam resoluerint, contribui.

17. Nec præcisè decimæ sed omnia bona partiebātur.

Ratio etiam quadripartitæ diuisionis olim sumpta est ex ecclesiastica disciplina, quia dum omnes viuebant in communi, singulorum necessitatibus prouidebant Episcopi, & œconomi: in eam rem intentionem suam Christifideles bona sua ecclesiæ offerentes dirigebant; post diuisionem autem à fidelibus data, oblata, legata, extra præscriptos ab iis fines non sunt porrigenda. *Clem. quia contingit de relig. dom.* adeoque ex prædiis clero datis nulla quarta debetur hodie fabricæ, pauperibus, Episcopo: decimæ etiam quæ ad ecclesiam redierunt, iam postquam singuli res suas sibi haberent, datæ, legatæ in rem certam, rigore quidem dati, legati singulis sine communione manerent, nisi vt ratiocinantur edicta, per reuersionem ad ecclesiam naturam primæuam recuperarent.

18. Nunc vt quisque legarit, ita ius est.

Sed id omni parte non est verum; non enim redeunt in dominium commune, vel in partitionem, nec accrescendi effectum pariunt, vt aliæ: *c. statuto. §. fin. de dec. in 6.* sed eò tantùm id spectat, vt inter ecclesiasticas facultates & spirituales rursus sint censendæ, vt loquitur Papon. *l.1. t.10. ar.4.* & iam amplius dicendæ non sint tales decimæ liberè & sine onere possideri; quomodo possidentur, quæ penes laicos remanent: in quantum autem teneantur, canonum decretis relinquitur. scilicet *d. c. de his* vt de omnibus bonis, quod superest ministris ecclesiæ, ad populi exemplum tribuatur.

19. Sed neque decimæ à laicis ad ecclesiā reuersæ ad quadripartitæ diuisionis naturam redeunt; sed vt ecclesiasticæ deinceps censeantur, non sine onere, vt laicæ.

Hinc conficitur decimas præcisè non esse præ aliis bonis ecclesiæ obligatas, iisúe inhærere onus reparandæ ecclesiæ, præsertim non vt seruitutem aliquam; sed ex officio Iudicis, prout æquum, & bonum atque ad exemplum ei videbitur: & quod secus diuersimodè obseruatur, à moribus vtentium, & consuetudinibus locorum esse introductum. nam si ad veteris etiam testamenti vsum prouocemus, populus vnà pariterque cum clero contribuebat: Leuitæ quidem annuè deponebant decimam decimæ; de populo alij tertiam partem sicli. 2. *Esdræ, c.10.* quam superflui depositionem etiam desiderat Gelasius; *c. vobis. 12. q.2.* & communem bonorum contributionem, cleri exemplum, populi imitationem desiderat. *c. de his.*

20. Decimas nō habere onus reparandæ ecclesiæ inhærens vt seruitutem, sed vt officio Iudicis, vt æquum & bonū fuerit contribuant.

21. Vt & alia bona contribuant ad excitationē populi.

Conficitur vlterius multò minus onerandas præ cæteris bonis eas decimas, quæ, postquam desiit communis bonorum distributio, & singulis sua cesserunt, datæ legatæ sunt alicui loco ad certi pij operis causam; præsertim cum isti non superest. *d. c. de his.*

22. De iis quæ supersunt, præsertim decimæ in certū vsum datæ.

Minimè autem quod à fidelibus datum legatum est Hospitalariis, Templariis, Melitensibus pro subsidio terræ sanctæ: in quam causam relicta non tantùm non superfluunt hodie; sed nusquam sufficiunt: & eum in iure fauorem aliàs habent, vt nec quarta Episcopalis, nec

23. Maximè Melitensiū in subsidium terræ sanctæ olim datæ.

nec parochialis inde detrahatur. *c. in nostra de sepult.* vt officio Iudicis, ex bono & æquo ex his ad aliena opera diuertendis non videatur esse locus.

24. Ob quam causam meritò hodie immunes habeantur, vt olim ideo ipsæ ad laicos abierunt.

Sed potius, ad quem modum apud maiores nostros Martelli, aliorumque Principum temporibus decimæ pro tanta parte concessæ sunt in præmia militum aduersùs Saracenos aliosque gentiles pugnantium; ita hodie saltem possint immunes esse quoad eam decimarum partem, quæ exigitur ad reparationes ecclesiarum similiaque onera, quæ non tam veniunt iure aliquo actionis, quàm officio Iudicis.

25. Nec cum effectu hactenus restitutæ.

Quamuis autem post mortem Martelli Carolomannus anno 742. coram Prælatis Galliæ inter cæteros articulos *decimas*, inquit, *occupatas à prophanis restituimus*; non tamen id effectum obtinuit. Vnde 400. pòst eoque amplius annis Concilium Lateranense de recuperatione desperans, vetuit ne aliæ decimæ, quæ adhuc penes ecclesiam essent, deinceps laicis concederentur. *c. probibemus de dec.*

26. A Principe concedi posset ea immunitas sicut à cõsuetudine similia in reparandis ecclesiis variantur.

Et cùm dubium non sit tantùm posse Principem, cui quod placet legis habet vigorem, quantum consuetudinem; consuetudo autem passim diuersimodè de reparationibus ecclesiarum decernat; eaque nihilominus suo quæque loco est seruanda: *Pecq. & quos citat d. tract. c. 9.* vt etiam legibus Longobard. *l. 3. tit. de Episc.* cautum fuit, *vt ecclesias baptismales, seu oracula, qui eas longo tempore restaurauerint mox iterum restaurent: vt de restauratione ecclesiæ, vel pontis facienda, aut strata restauranda generaliter faciant homines, sicut antiqua fuit consuetudo*; sequitur posse Principem derogare consuetudinibus huiusmodi. vt sanè fecerunt Principes nostri ad postulata cleri Mechliniensis, *prouin. Synod.* 1607. *t. 25.* vt aduersùs leges dare priuilegia, si qua causa ei suadeat: iusta autem olim si fuerit causa dandi totas decimas, deductis parochorum alimentis, militibus aduersùs Saracenos pugnantibus; dubitandum non est, quin tam iusta nunc foret in gratiam Melitensium, ex voto perpetuo bello aduersùs infideles addictorum, derogare consuetudinibus; dare priuilegia aduersùs ius commune, aut edictum; vel potius illud interpretando in hoc afflictissimo præsertim statu rei Christianæ, & Turcæ isti insulæ propugnaculo eiusdem reip. Christianæ imminentis, non esse locum edictis generalibus; sed pro hac vice ea aduersùs Melitenses obtinere nõ debere quoad ecclesias Ordini non proprias; sed vbi decimas tantùm possident: vti S. Cong. Concil. Interpp. sub *his fructibus reparandæ ecclesiæ ibi affectu, non comprehendi* qui parocho pro victu sunt necessarij aliàs declarauit.

27. Et fortè à Sacra. Cõg. Interpp. vt ea pro parochis declarauit in necessariis ad victum:

In eamque rem posset Pontifici Ordo, aut illius Romæ procurator supplicare; & quod ibi obtineretur, credi potest Principum beneuolentiâ hic admittendum fore: vel S. Cong. Card. Concil. Trid. Interpp. proponi negocium, quasi petitâ interpretatione *d. c. 7. s. 21. Trid.* num sub eius generali dispositione comprehendantur decimæ Ordinis Melitensis, præsertim pro subsidio terræ sanctæ specia-tim concessæ à laicis; & postulari gratioso medio fauorabilis interpretatio, facta SS. relatione. Neque posset id quod impetraretur tanquam declaratio iuris, nec quod tanquam gratia, reiici, quasi in præiudicium tertij obtentum, quia, vt diximus, ecclesiæ non tam iure actionis, quam ex Iudicis officio competit restauratio aduersùs decimas, ecclesiasticósve prouentus. 28.

28. Obtenta concessio à Pontifice nõ potest iure hic oppugnari.

Sic Henricus IV. in Gallia exemit sacros milites, & ecclesiasticos à restaurandis ecclesijs hæreticorum furore prostratis, sed non à sartis tectis seruandis, quæ superessent. Et hic in Concilio Priuato ab Archiducibus 23. Martij 1619. declaratum est Melitenses non obligari ad congruam parochorum portionem ob priuilegia Papalia, quæ bona illorum eximunt, quasi illorum nomine veniant etiam decimę. *l. 69. D. De verb. signif.* quod intelligendum non est de ecclesijs incorporatis; quin proprios vicarios alant. *Trid. s. 7. c. 7.*

29. Causa hæc specialis præscriptione, & consuetudine decidi potest.

Interea, dum id quod diximus, obtentum non est, aduersùs particularem ab ædilibus ecclesiæ T. motam controuersiam obiici potest præscriptio: *Crauetta cons. 116. n. 8.* quòd cùm non reperiantur vnquam hæ decimæ talliatæ, censeatur libertas præscripta: *idem cons. 111. n. 3.* ex patientia & omissa exactione cùm euenit reparandi casus: *Balbus de præscrip. p. 5. t. 1.* vnde non exactus creditur exemptus, etsi aliàs teneretur: *Crauetta d. cons. 111. n. 7.* adeoque sufficit allegare cursum temporis negatâ exactione: *Corn. cons. 263. l. 4.* quinimo neque exacta præscriptio requiritur, sed sufficit consuetudo: *Pec. d. c. 9.* quæ nonnunquam vel vno solemni actu inducitur: *c. cum de beneficio in verbo vno de preb. in 6.* atque hic à memoria hominum præsertim turbidis his temporibus sæpius reparata est ecclesia T. nullatenus interpellatis Melitensibus, & singulátim circa annum 1564. quando interpellatum fuit Capitulum T. & contribuit; & quando impostẹrum, præsertim circa magnas impensas, seu noua opera contribuere deberet, solemniter conuenit, non cum ædilibus tantùm, sed & magistratu, quibus ex causis non consuetudo tantùm, sed & præscriptio causæ Melitensium valde suffragatur, & possessorio iudicio omninò videbitur suffectura.

30. Cui non aduersatur edictum cũ fine controuersia est.

Neque in contrarium facere videtur edictum *de reparand. eccles.* quod generatim decimas Ecclesiasticas in contributionem vocat; quia ar. 1. decernit, *que l'on se reiglera & conduira selon le pied ancienement obserué, & les concordats particuliers, ou aucuns se treuuent, & à faulte de ce, &c.* vbi non concordata tantùm particularia, sed & modus antiquitus citra controuersiam obseruatus retineri iubetur; & demum in defectum concordatorum, & antiqui vsus, succedit edictum.

De

De celebrat. missarum.

CONSULTATIO I.

De reductione anniuersariorum, &c.

1. Voluntates vltimæ non facilè mutandæ.
COmmutationes vltimarum voluntatum non nisi ex iusta & necessaria causa fieri possunt; *Concil. Trid. s. 22. c. 6.* ex Sedis Apostolicæ authoritate, *Clem. quia contingit. de relig. dom.* cuius literas Ordinarij, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, summariè & extraiudicialiter examinant, an veritate nitantur, vel tacitâ veritate non sit subreptum, priusquam executioni mandentur. *d. c. 6.* duo tamen casus Ordinario disertè permittuntur, *s. 25. c. 4.* si nimius sit missarum anniuersariorumque numerus, quàm vt sacerdotes haberi possint; aut ex temporum diuinorumque officiorum recta ratione satisfieri illis queat; vel tenuis relictus sit prouentus, qui non respondeat taxæ loci; ita vt nemo onus velit ita subire. non ergo pro arbitrio Ordinariis missarum anniuersariorumque reductio permissa est; sed pro iustis & necessariis causis, neque omnibus, sed binis dumtaxat, quas *d. c. 6.* exprimit. In beneficiorum fundationumque qualitatibus requisitis aliquid minuere etiam vetat Trident. *s. 25. c. 5. & d. c. 6. s. 22.* Ordinariis nullam mutandi facultatem tribuit: sed neque aufert, si aliquibus ex causis iure anteriori dicamus competere. vt citati *apud Barbosam in Collect. DD. ad d. c. 6. s. 22.* septem astruunt. nam Sedis Apostolicæ extensior est numerus causarum, & potestas.

2. Excipiuntur duo casus ex nimio numero missarū, aut nimia prouentuum tenuitate. quando Ordinarij possunt prouidere.

3. In quocumque genere fundationū inter viuos, seu per mortem.
Loquitur porrò Concil. *d. c. 4. s. 25.* de variis defunctorum relictis, generali relictorum vocabulo: siue per testamentum, siue donationem causâ mortis, siue donationem inter viuos, aut alium quemcumque modum relicta sint, & vt maturiori consilio fiat commutatio, adiungit vt fiat in Synodo diœcesana; vel quoad regulares in Capitulis eorum generalibus. adeò vt rectè resolutum dicatur, cùm Synodi non habentur Episcopum debere requirere consilium sui Capituli; quamuis sequi non teneatur. *Barbos. de offic. Epis. p. 2. alleg. 29. n. 6. & 12.*

4. In Synodis, aut cum Capitulis.

5. In fundationibus præteritis, & futuris.
Facultas etiam data est generaliter sine restrictione temporum: & propterea illa verba *contingit sæpè* quæ sunt præsentis temporis, commiscentur cum verbis præteriti, *variis relictis*, &c. vt dispositio hæc iuris & præterita & futura comprehendat, vt in omnibus iuris ratio sit eadem, vbi æqualis causarum æquitas, aut necessitas: quamuis aliqui secus senserint, & à iure Concilij ea, quæ post Concilium euenerunt, excluserint. quin & illa, quæ in limine fundationum imposita fuerint, quorum opinionem nec ratio Concilij, nec verba textus iuuant, tametsi S. Congregatio ex authoritate Vrbani VIII. anno 1625. decreuerit, ne Episcopi onera post Concilium vel in limine fundationum imposita moderentur, sed ad sedem Apostolicam recurratur; & ne qui deinceps seculares sine Episcopi, regulares sine Generalis aut Prouincialis assensu huiusmodi onera perpetua acceptent: nec pecuniam attingant; sed in æde sacra reponatur: siue in prima fundatione, siue in redemptione fortè redituum, donec rectè impendatur in comparationes bonorum aut redituum: nec verò superiores illi assensum præbeant, nisi constiterit in illis ecclesiis, atque ex huiusmodi dote congruè ea onera deinceps ferri posse. 6.

6. Etsi noua constitutio Vrbani VIII. in futuris aliter disponet.

Vtitur verò S. Congregatio vocabulo *prohibet atque interdicit*; non verò declarat, vnde etiam dicere licet noui iuris esse hoc decretum, non Conciliaris: & vt in Italia facilis est ad S. Sedem accessus, adeóque decreti non incommoda obseruatio; ita in dissitis regionibus odiosa est Concilij restrictio; nec hactenus hic recepta: nisi fortè apud regulares, ad quos à suis superioribus Româ mitti talia solent: vt non dirigunt superiores seculares ad Episcopos regionum dissitarum. nolo tamen diffiteri vtiliter statui posse in prouinciis, quæ de depositione apud ædem sacram, & Episcoporum præuiâ cognitione, antequam nouæ fundationes, aut pecuniæ acceptentur, decretum habet: sed antequam ea à superioribus curentur edici, atque promulgari; acta hactenus secundùm canonum & Concilij formam non rectè hic impugnentur: nec quæ in Conciliis prouincialibus & diœcesanis Belgicis circa hæc decreta hactenus, aut ab Episcopis executioni mandata, aut etiam pro locorum & temporum ratione, rerumque indies increscente caritate, sæpius sunt mutata. 7.

7. Nondum vbique recepta.

CONSVLTATIO II.

An regulares duas missas celebrare teneantur occurente festo cum feria in quadragesima, aut aliàs priuilegiata?

MIssarum celebrationem de festo, de feria, defunctorum anniuersariis secundùm exigentiam temporum omninò iniungit Honorius III. *in c. cum creatura de celebrat. miss.* ibique in pluribus, si tempus exigat, celebrandis torporem vetat obrepere. Gauantus *in Comment. ad rub. missal. t. 1. p. 3. tit. 10. n. 11.* *tanquam de re grauissima*, inquit, *statuit S. Rituum Congregatio missam de feria priuilegiata in cathedralibus & collegiatis nullatenus omittendam esse.* quod vtique præcipit Rubrica *missal. de commend. n. 2.* vnde quæsitum est, an id ad regulares etiam pertineat? & Gauant. *tit.* 1.

1. Huiusmodi diebus pluralitas missarum à iure iniuncta est.

2. In cathed. & collegiatis.

 11. n.

11.*n.*12.*& Emanuel Rodrig.tom.* 1. *quæst. reg.q.* 43.*ar.*12. *& Diana de celebrat. miss. resolut.*76. censuerunt regularium ecclesias in quadragesima, ac vigiliis seu feriis priuilegiatis ad duas missas non teneri. quia inquit Rodrig. & cum eo Diana, non habentur vt collegiales, in odiosis saltem; quod non placet Gauanto; sed ea ratio; quod ecclesiæ regularium propriè vocentur conuentuales.

3. *Regulares sunt collegiatæ.* Enimuerò rectè Gauantus non est ausus dicere ecclesias regulares non esse, aut vocari collegiatas: vt Rodrig. Diana, & ab eo citatus Villalobos; nam reuera collegiatæ sunt: cùm eis competant insignia, ac notæ omnes, quæ assignantur collegiatis; & societatem plurium hominum collegiumque habeant. & sicut cathedralis ecclesia dicitur, quòd ibi Episcopus cathedram habeat: *c. postquam dist.*50. sic collegiata, quòd ibi sit collegium simul viuentium: *c. qui manumit.* 12.*q.*2. vbi glos. *corpus*, inquit, *dicitur societas hominum non habitantium simul*; *collegium verò simul habitantium.* quod hodie quidem minus secularibus, quàm regularibus conuenit. quamquam & illi olim communiter vixerint.

4. *Collegiatæ diuiduntur in seculares & regulares.* Et verò in iure sæpius collegiatarum ecclesiarum diuisio fit in seculares, & regulares: vt nominatim in Clement. *vt ij de ætat. & qualitat. ordinand.* cuius dispositio sub iis verbis innouatur in Concil. Trident. *f.*24.*c.*4. *quicumque in cathedrali*, inquit, *vel collegiata seculari, vel regulari diuinis mancipatus officiis, &c.* ecce distinctionem collegiatarum in seculares, & regulares; eamque quoad mancipatos diuinis officiis, quorum itidem respectu Honorius ait, creaturam non habere quod pro meritis respondeat creatori, eaque ex causa secundùm temporum congruentiam ordinat pluralitatem missarum. *d. c. cum creatura.* eandemque suam decretalem inscribit vniuersis ecclesiæ Prælatis; adeoque etiam regularibus. vt & c. ea noscitur, *de his quæ fiunt à Prælat.* agens de monachis ecclesias eorum vocat collegiatas, sicut & ipse Roderic. *t.*3.*q.*6.*ar.*7. ideo moniales obligat ad missam conuentualem, quòd *monasteria*, inquit, *religiosorum, & religiosarum sunt collegia.*

5. *Regulares sæpius dicuntur conuentuales.* Fatendum id quidem est regulares ecclesias frequentius dici conuentuales; atque vsum hodiernum loquendi collegiatas sumere plerumque pro secularibus; non regularibus; aut cathedralibus; tametsi & hæ vtræque sint collegiatæ. Id ergo vnicè in quæstionem rectè vocatur, an in huiusmodi rubricis aut declarationibus collegiatarum vocabulum accipiendum sit in eum sensum, quem & latinitas ei dedit, & canonum Conciliorumque sacrorum vsus recepit, id est, generalem; an specialem, seu primam ac magis obuiam collegiatarum speciem, id est, secularium?

6. *Quomodo vox ergo collegiatæ hic accipienda?*

7. *Generaliter nisi ratio cogat ad speciem alteram.* At verò cùm quid generalibus verbis ponitur, generaliter id accipiendum est, nisi iuris ratio nos cogat, vt de vna tantùm specie id accipere possimus, exclusâ alterâ. vnde natum tritum illud axioma pluribus legibus & canonibus firmatum; *vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debere.*

Porrò Gauantus *p.*3. *t.*11. *n.*7. diuersas rationes tradit, cur huiusmodi diebus duæ missæ sint cantandæ in ecclesiis collegiatis: quæ, si examinentur in sua origine, non minus, ne dicam, amplius, in regularibus obtinebunt, quàm in secularibus. vt sanè captari non debeat ambiguitas verbi *collegiatarum* ad eos eximendos à præscripto diuinorum officiorum ritè ordinato; qui maximè volunt, vt creaturæ, pro meritis respondere creatori, peractione diuinorum officiorum, adeoq; pluralitate missarum secundùm temporum exigentiam: vt ad hanc pluralitatem ex illa causa argumentatur Honorius. 8. *Quæ hic ratio?*

Sed & cùm de legis interpretatione agitur, procul dubio in illam peccat, qui verba amplexus negligit voluntatem: dubia ergo vox *collegiatarum* ex legis voluntate, fine, & anima interpretationem capere debet: atqui hæc manifesta est ex decretali Honorij, vt quæque creatura pro meritis respondeat creatori; ne torpor negligentiæ obrepat; pluralitas missarum secundùm temporum congruentiam celebretur: horum curam Honorius iniungit vniuersis ecclesiæ Prælatis; scribit vniuersis, ergo etiam regularibus: ratio, finis, animaque huius legis comprehendit vniuersos: ex hoc ergo fonte cùm defluxerint rubricæ missalis Romani à Pio V. secutisque Pontificibus ordinatæ, declarationesque S. Congregationis Rituum, omninò interpretandæ sunt secundùm suum fontem, finem, voluntatemque primæ legis. 9. *Vox dubia sumenda secundùm legis finem, causam, voluntatem:* 10. *Quæ hic?*

Quinimo cùm hæc ipsa quæstio, abstracta à rubricis missalis, declarationibusque S. Congregationis, an apud regulares iis, quos diximus diebus, duæ missæ sint celebrandæ, iure communi sit definita *in d. c. cum creatura*, ac veteri Ordinum ferè omnium consuetudine optima legum Interprete, neque eædem rubricæ aut declarationes expressè contrarium statuant, sed saluâ verborum proprietate, secundùm illud accipi possint; vtique manendum est in prioribus terminis. cùm sæpius in iure statutum sit à priori lege non esse recedendum, nisi quatenus expressis verbis sit ei derogatum. 11. *Vt iure cōmuni debeāt duę celebrari etiam à regularibus.* *Vbi plures sunt qui celebrant.* 12. *Lege nouā nihil clarè mutante manendum in antiqua.*

Et sanè Romanæ Rubricæ, aut supra citata Cardinalium declaratio, non tam ibi occupantur circa diuersitatem personarum diuinis officiis mancipatarum, quàm circa ipsa officia congruenter ordinanda; scilicet vt in ecclesiis siue regularibus, siue secularibus, vbi vnici aut pauci sunt sacerdotes celebretur missa de festo aut feria, cuius officium præualet; vbi autem sunt plures; vnus de feria priuilegiata, alter de festo celebret. sic etiam ipsæ rubricæ missalis Rom. *tit. de commemorat. n.*2. de collegiatis ecclesiis sensum suum manifestant: *vbi*, inquiunt, *plures sacerdotes quotidie celebrant.* & *tit.*4. *n.*3. *de mis. vot.* missam principalem conuentualem vocat; nec tamen is sonus, qui magis monasticus est, quàm secularis, facit, vt non con- 13. *Rubricæ missalis Pij V. aut Cōg. Rit. declarationes nō cogunt ad mutandum.*

conueniat in secularibus ecclesiis; dum res expenduntur, non voces ad rigidam crysim vocantur. adeoque generaliter & indistinctè recipienda est Declaratio apud Gauantum *in Indice decret. n.33. ante suos commentarios* in hæc verba; *non potest omitti altera missa ex duabus cantandis de festo, & de feria*; scilicet in quibuscumque & qualibuscumque ecclesiis, vbi numerus sacerdotum eam officij diuini ordinationem commodè possibilem facit. quod malè Rodericus aut alij odium, aut ordinationem odiosam vocant: rectius dixisset fauorem esse, & fauorabilem dispositionem: vtique vt summa ratio est, quæ pro religione facit, ac cultu diuino ritè ordinando: vt hæc causa esse non possit strictè, & pro digniori tantùm specie accipiendi vocem *collegiatarum*.

Dices à Pio V. mutatum Breuiarium, præscriptamque formam, quæ omninò sit deinceps seruanda; adeoque satis derogatum prioris iuris communis decretis, quatenus textus Breuiarij illa non resumit, ac sequitur: at respondendum est, eadem decreta resumi, & secundùm illorum intentionem rubricas esse accipiendas; adeoque in eum

14. sensum interpretandam vocem *collegiatarum*, qui conueniat supradicto decreto Honorij. & verò mutatio Breuiarij, reliquique officij per Pium V. facta non alia est, quàm vt ad veterem formam, ritus, & ecclesiæ Romanæ præscripta reducta sit. *cùm intelligeremus*, inquit Pius, *in bulla Breuiario præscripta eos* (qui ad reuidenda diuina officia erant commissi) *ab antiquis Breuiariis nobilium vrbis ecclesiarum, ac nostra Vaticana bibliotheca non discessisse; grauesq́; præterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse; ac denique remotis iis, quæ aliena & incerta essent, de propria summa veteris diuini officij nihil omisisse; opus probauimus, &c.* at verò vetus Romanum Breuiarium, reliquumque officium ad ritum priscum, sacrorumque canonum præscriptum omninò fuit formatum; non ergo ab illis in nouo discessum. Quare hoc ipsum, quod proposuimus, argumentum pro nobis facit: vt sicubi hodiernæ rubricæ dubiæ esse videantur, omninò interpretandæ sint ex sensu veteris Romani Breuiarij atque officij, vsuque olim consueto, ac sacrorum canonum tenore. Quapropter in Missali Benedictino reformato, nunc Romæ impresso, in festorum feriarumque priuilegiatarum concursu duæ missæ celebrandæ præscribuntur. quod exemplum idcircò reliquorum regularium causam meritò traxerit.

Nec mutatio breuiarij, reliquique officij, imo contra facit.

De reliquiis, & Vener. Sanct.

CONSULTATIO I.

De miraculis & cultu Sanctorum sine lite statuendum.

VT sancti æternâ pace fruuntur, ita nullas sub eorum nomine causas ad strepitum forensem vocari posse statuendum est. sed ab omnibus sub ea pietate coli, quam ecclesia pacificè determinat.

Ideoque Sacrosanctum Concil. Trid. *s.25. de inuoc. & vener.* omne iudicium super eorum cultu, veneratione, inuocatione, miraculis & mirandis defert Episcopis locorum, 1.
qui adhibitis in consilium Theologis (non forensibus peritis) & aliis piis viris, ea faciant, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerint.

Per Episcopos adscitis theologis.

Quòd si autem omninò aliqua de iis rebus grauior quæstio incidat, Episcopus, antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Episcoporum in Concilio prouinciali sententiam exspectet. 2.

Si grauior quæstio per Metropolitanum in Concilio prouinciali.

Hæc est ratio ecclesiæ in huiusmodi controuersiis procedendi, non per formam forensis strepitus, per priuatos delegatos Iudices de huiusmodi rebus ecclesiæ publicis cognoscendi, aut statuendi.

Et iure merito. ne sicut priuati de meo & tuo litigant, & in multas contentiones, & simultates dissecantur; ita vnitas ecclesiæ, & charitas, quæ non admittit æmulationem, & per priuatas lites, delegationes, dum tot sententiæ sunt, quot capita, in diuersas opiniones circa huiusmodi difficultates distrahatur.

Et quidem tam restrictè adhuc Concil. Trid. Episcopis iudicium circa has difficultates defert, vt in grauioribus Metropolitani, & comprouincialium Episcoporum sententiam exspectare teneantur; & ne quidem 3.
seorsim (quia singuli facilius affectibus, aut aliàs vincuntur quàm vniuersi) sed in Concilio Prouinciali (vbi sanctitas Congregationis vnumquemque arctius officij monet & mouet) sed nec hoc omnimodò, sed *ita tamen*, 4.
inquit Concil. *vt nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice nouum, aut in ecclesia hactenus inusitatum decernatur.*

Non seorsim.

Sed nec in prouinciali hactenus quid in ecclesia inusitatum: sed id foret ad Pontificem referendum.

Porrò nouum, & in ecclesia inusitatum est, vt ad inuocationem vnius sancti, exhibitâ imagine alterius sancti, quem æger nec nouit nec inuocat, sed credit imaginem repræsentare priorem, quem inuocat, si sanetur, vt definiatur sanatus mediante imagine, in qua, vt 5.
dictum est, errauit, & miraculi gloria attribuatur non sancto inuocato, sed ei vel in totum, vel in partem, quem æger nec nouit, nec inuocauit, nec repræsentari per imaginem sciuit.

Vt miraculi gloriam tribuere sancto nõ inuocato.

Adeoque ad talem definitionem faciendam nec Episcopus nec Concilium Prouinciale adeundum est, sed ipsa Sedes Apostolica. tantùm abest, vt priuatus aliquis Iudex delegatus, ea de re cognoscere, aut quispiam definire valeat. quin nec Nuntij quippiam simile commissum habere solent in facultatibus ab eadem Sede eis concessis.

Quod porrò fecit Episcopus A. de quo queri videntur N. N. fecit plano, & in ecclesia vsitato modo, adhibitis in concilium Theologis,& aliis piis viris iuxta præscriptum Concilij Trid. declarando miraculum accidisse in sua diœcesi circa sanationem A. Beginæ L. suæ diœcesis, ad inuocationem B. iuxta iuratum ipsius A. testimonium: an autem ab illius gloria C. exclusa sit, vt conqueruntur; an participare de ea possit C. ob imaginem suam ægræ exhibitam, quam tum illa, tum socia, quæ exhibuit, crediderunt esse B. nec ægra, nec exhibens C. vllatenus nossent, nec laudes illius, nec miranda vnquam inaudiissent, vt vtraque declarauit; ipse Episcopus A. nec decidit, nec attigit; nec vt talis pro participatione quidpiam definire posset; vtpotè noua & inusitata; sed recurrendum esset ad Sedem Apostolicam. sed vt Doctor hanc controuersiam paucis explicat Ioann. Malderus *in Meditationibus theologicis. die XIX.* docetque non fieri per imagines nisi concurrente prototypo; & huius cultu interueniente. Vnde sequitur, inquit, *non esse præsumendum, facere Deum miracula sanitatis per imagines, quando neque applicantis, neque eius, cui applicantur, fides aut deuotio exercita circa prototypum concurrit. nisi aliàs miraculosa fuerit imago; aut infirmitas sit ex vexatione dæmonis.*

CONSVLTATIO II.

De Canonizatione & Beatificatione.

1. *Coli vt sanctus nemo potest sine authoritate ecclesiæ Romanæ.* PRohibuit Alexander III. *in c.1. h.t.* aliquem vt sanctum coli, additâ causâ; *cum etsi*, inquit, *per eum miracula fierent, non liceret eum pro sancto sine authoritate ecclesiæ Romanæ venerari.* Iustissima sanè causa: ne ex populi errore, Satanæ se transforment in Angelos lucis; reprobi pro sanctis, vitia etiam sub specie virtutum colantur: vt *in d.c.1.* homo in ebrietate occisus. hæretici etiam atque scismatici Orthodoxorum lauream occupent, aliisque de causis. *Rocca de canoniz. sanct. c.6.*

2. *Quod iam olim vsitatum.* Ecclesiæ ergo iudicium rectè requiritur. quod etiam factitatum est iam olim in primitiua ecclesia. nam de S. Fabiano recitat ecclesia, quòd *septem subdiaconos creauit, qui res gestas Martyrum à septem notariis scriptas colligerent.* ex quibus verbis constat iam antè etiam huius rei curam fuisse. ab his notariis propagati sunt, qui hodie dicuntur protonotarij Sedis Apostolicæ. quæ & in literis suis eos non nisi notarios nominat. atque antiquam esse adeò tradit Rocc. c. 5. Contelorius *de canonizat. c.3.* hanc obseruationem, vt ex veteri testamento deducatur: *Eccles. c.44. laudemus viros gloriosos*, &c. & olim quidem etiam Episcopi de causis Martyrum colendorum cognouerunt. & Papæ adeò pridem canonizationes vsurparunt, vt quæ sint prima exempla canonizationum dici nequeat.

Sed requirit Alexander *d.c.1.* authoritatem ecclesiæ Romanæ: nec tantùm quasi pro vniuersali canonizatione; sed etiam quoad particularem in loco cultum. dum illis, ad quos scribit, inquit; *illum ergo non præsumatis de cætero colere.* quod ferè pertinet ad hodierni moris beatificationem: quâ certæ religionis, regionis, aut loci personis, aut sub certis formulis cultus alicuius permittitur; & non aliis, aut aliter: canonizatio autem cultum in ecclesia vniuersalem permittit: *Luc. Castellin. de dilat. canonizat. in prælud. latè.* & Martyris quidem vt Martyris, confessoris vt confessoris, virginis vt virginis. *&c. c.1. hoc tit. in 6.* 3. *Tam canonizatione quàm beatificatione.*

Et Contelorius quidem *ad finem d.c.3.* canonizationem quoad formam inductam esse ait ex d.c.1. & 2. *h.t.* sed non rectè. quippe Alexander *in d.c.1.* specialiter tantùm præscribit dispositiuè de homine occiso ibi non colendo; nec constitutionem aliàs generalem edit: sed anteriorem quasi præexistentem in causam vocat, *cùm non liceret*, inquit, &c. antiquior ergo forma est; constitutio tamen intercidisse videtur: quâ ante Alexandrum huiusmodi authoritas ecclesiæ reseruata sit Romanæ. 4. *Vnde ea orta?*

Ecclesiæ porrò Romanæ authoritas censetur ea, quæ est Pontificis: vt *in c.2. h.t.* dicitur *inuentas de nouo reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.* Concilium quidem œcumenicum, præsertim annuente Pontifice, videtur huius facultatis capax: *Rocc. de canonizat. c.4.* sed non Collegium Cardinalium; ne quidem Sede vacante: nec legatus quispiam; Concilium prouinciale, nationale, diœcesanum, aut Episcopi; minus Prælati quasi episcopalem tantùm iurisdictionem habentes; aut alij quamuis remotissimi ab Vrbe: *Contelor. latè ibid. c.4.5.6.7. Luc. Castellin. de dilat. canoniz. in animad. gener. additam.* sed solus summus Pontifex: *ibid. c.8.* quem in re tanta deceat tamen adhibere consilium Cardinalium: & si necessitate nullâ aut lege teneatur. *vt ibidem c.9.* vbi causas latè deducit, in quibus secundùm canones solet Pontifex requirere Concilium Cardinalium. omisit tamen d.c.1. *h.t. in 6.* quod *in fine* in nostris terminis loquitur. Quod negotij pondus suadet, quod proximum est fidei, vt ne quis ab ecclesia proponatur colendus vt sanctus, qui talis non sit. in fide autem negotiisque ei vicinis Christus rogauit Patrem, vt non deficiat fides Petri. ideoque receptum est vt credatur ob pietatem publicam Pontificem errare non posse in canonizatione sanctorum. *c.10. Contelor.* & si aliàs in re- 5. *Solus Pontifex canonizat, & beatos declarat.* 6. *Sine errore.*

in rebus facti possit errare ecclesia. *c. à. nobis l. 2. X. de excomm.* & de gloriæ certitudine eorum, quos Romani Pontifices catalogo sanctorum asscripserint specialem librum dedit Lucas Castellinus *Rocc. de canonizat. c.* 39. 40. 41. 42.

7. Forma hodierna. Formam Alexander non præscribit aliam, quàm interuentum authoritatis ecclesiæ Romanæ: quæ vel literis, vel etiam viuæ vocis oraculo consueuerat interponi: sed eam extensè describit Ioannes Andreæ *in d. c. 1. h. t. Rocc. de canonizat. c.* 34. per actiones 12. denique *c.* 36. 37. 38. vbi *ad fin. tract.* subiungit ceremonias in canonizatione seruari solitas. breuiter *his temporibus*, inquit Contelorius *d. c.* 9. *ad fin. per bullas vel breue huiusmodi facultatem* (aliquem cultum publicum exhibendi, Pontifices) *impertiri consueuerunt, examinatâ prius causâ in sacro Rotæ tribunali, & postea in S. Rituum Congregatione, & de Illustrißimorum eiusdem Congregationis Cardinalium consilio, in causa verò in ordine ad Canonizationem, seruatur vlterius id quod in lib. 1. sacrarum ceremoniarum sect. 6. disponitur. & ita se habet praxis.*

8. Præscripta nupera. Et porrò Vrbanus VIII. multa ad formam faciendæ canonizationis adiecit. vetuit enim 2. *Octobris* 1625. ne cuiuscumque cum sanctitatis aut martyrij fama quacumque defuncti imagines, aut quidquid venerationem, aut cultum præseferat in ecclesiis, oratoriis, locis publicis, seu priuatis ante Apostolicam beatificationem, seu canonizationem ponantur; posita amoueantur; ad sepulchra, tabellæ, imagines ex cera, aut argento seu alia quacumque materia, tam pictæ, quàm fictæ atque exsculptæ appendantur; seu affigantur; lampades siue alia quæcumque lumina accendantur, sine recognitione ab Ordinario omninò ad modum, quo ibi præscribitur, facienda, Sedisque Apostolicæ referenda, & probanda. Declarauit tamen postea intentionis suæ non fuisse prohibere oblationem, & receptionem tabellarum, & votorum, ita vt approbantibus Ordinariis secreto aliquo seorsum loco custodiri, ibidemque iam amota collocari, & asseruari possint. vt si quando Dominus talium virorum merita beatificationis, seu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ. *vt ea decreta refert Contelorius c. 22. & Barbosa in Collect. DD. ad Concilium Tridentinum s. 25. decreto de inuocatione sanctorum.* & nuper audire noluit idem Vrbanus VIII. de commissione aliqua decernenda, nisi votis priùs amotis. Insuper idem Vrbanus 15. *Ianuarij* 1628. vetuit de canonizatione aut beatificatione alicuius deinceps agi, nisi post 50. annos ab obitu illius. nisi in certis congregationibus ad effectum delegandi ad probationes recipiendas, ne illæ obitu testium perirent: & probationes in Vrbem remissas examinandi an aliquâ nullitate laborent; illasque actu repetito sanandi: quæ deinde ad finem anni 50. seponendæ sint. quod decretum, & mox citanda, refert Contelorius ad calcem sui tractatus. & *De dilatione canonizationis in longa tempora* specialem tractatum scripsit Lucas Castellinus. Iterum 28. *Semptembris* 1624. decreuerat processus confectos, & in Vrbem remissos decennali silentio donandos: nec vlterius quicquam interim mouendum. à quibus tamen excepit 22. *Augusti* 1626. eorum causas, qui iam à 50. annis essent defuncti. Vetuit etiam S. Congregatio 12. *Martij* 1631. ne Nuntij Apostolici suâ authoritate facerent, fieriue permitterent quidpiam circa inquisitionem super alicuius sanctitate: nisi per speciales literas remissoriales, compulsoriales, aut similes id eis esset demandatum. Atque itidem eodem die omnibus omninò prohibuit, vt non per se aut alios vllas capiant informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, vel extraiudiciales testificationes requirant: sed si cui superiori ecclesiæ aut officiario quæpiam reuelentur, is possit eas recipere sub sigillo secreti ab ipsis, in quorum gratiam contigerint. teneatur tamen quàm primùm eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci, declarando quòd etiam sic receptæ, non faciant vllum probationis gradum.

9. Præuia sanctitatis fama. Ad formam vlterius pertinet quod sicut *in c. qualiter & quando 24. X. de accusat.* requiritur, vt antequam ad inquisitionem super crimine aliquo procedatur, præcedat infamia: iuxta illud Genesis; *descendam, & videbo virum clamorem, qui ad me venit, opere compleuerint*; ita etiam antequam processus canonizationis instituatur, requiritur vt antecedat fama sanctitatis: & tum ex Apostolica delegatione instituitur primùm inquisitio super fama sanctitatis in genere, eiusque rei acta in Vrbem mittuntur: iisque examinatis aliis literis mandatur fieri inquisitio in specie super miraculis, aliisque singularibus indiciis sanctitatis: tam quibus in vita anteacta præluxerint, quàm quibus post mortem claruerint. vt illis rigidè examinatis ecclesia demum statuat, quod rei veritas, & Dei gloria, & sanctorum requirat: & solet ferè procedere pedetentim ad beatificationem beati, cultum certo loco aut ordini astrictum, ac demum crescentibus semper miraculis ad vltimum ecclesiæ iudicium, canonizationem & cultum publicum. *Luc. Castellin. de dilat. canoniz. in Animad. general. p. 1.*

10. Et super illa inquisitione. Ecclesiæ enim iudicio est opus. *etiamsi*, inquit Alexander, *per aliquem miracula fierent.* possunt enim vel fraudes esse, vel falsa testimonia, & homines pios *variis*, inquit Innocentius III. *in d. c. 2. X. h. t. figmentis, aut falsis documentis decipi: sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consueuit.* cuius rei Concilium Tridentinum necessarium remedium censuit *s. 21. c. 9. de reformat.* omnium quæstuariorum abolitionem.

11. Super vita et miraculis. Igitur instruendum Ecclesiæ iudicium: de miraculis, vitæ sanctitate, ac virtutibus inquiri oportet. & summa quidem diligentia: vt in re summi momenti. *late Luc. Castellin. vbi sup.*

sup. secund. punct. etsi enim apud Deum non sit distinctio Iudæi & Græci; sed de quacumque natione aut ordine Christianus canonizari possit; *Conterol. vbi sup. c.* 11. tamen oportet vt vitæ merita suffragentur; eaque miraculis clarescant. vt meritò Alexander *d. c.* 1. *h. t.* hominem in ebrietate occisum vetuerit coli: cùm pro tali vix permittat ecclesia orari. pia ergo obdormitio, & præuia vitæ sanctitas requiritur, & quæ mortem sequantur miracula. *c. venerabili. X. de test. Rocc. de canoniz. c.* 7. 8. 33. *Castellin. de dilat. canoniz. ad fin. de mirac. post mort.*

12. Virtutibus. Vitæ sanctitas supponit baptismum; solus enim baptisatus est capax canonizationis, atque is omnis quacumque ex natione. *Contelor. vbi sup. c.* 11. qui tamen in Christianis facilè probatur, aut præsumitur. nisi enim quis renatus fuerit, & mandata seruauerit, non potest ad vitam ingredi: nec promissum illud exspectare, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* sanctitas porrò elucet maximè in virtutibus theologicis, & cardinalibus, vt inde & cæteræ propagantur. de quibus rectè Contelor. *c.* 13. 14. 15. atque appositè admodum ferè omnes theoricè & practicè explicat, & applicat Rotæ Relatio *super Canonizatione S. Thomæ de Villanoua, quam cum d. suo tractatu de Canonizatione edidit Contelorius.* quamuis tamen virtutes omnes actu fuisse in singulis necessarium non sit. Vt anachoretis corona datur etsi solitariè egerint, virtutumque omnium in actum producendarum eis occasio non fuerit. *c. sancta quoque rusticitas.* 2. *q.* 7. & de virginibus cantatur ab ecclesia *Iesus corona virginum*; & claustris licet septæ, & bonis orbatæ, quibus liberalem charitatem exerceant, sanctitatis lauream tamen & brauium comprehendunt. *c. vidua.* 20. *q.* 1. *& in c. sanctimonialis. & habetur in c. Ioannes de regular.* Imò sanctè D. Ambros. *l.* 1. *de Virgin. non ideò*, inquit, *laudabilis virginitas, quia & in martyribus reperitur; sed quod ipsa Martyres faciat.* sanctitatis quoque probationes, argumenta, atque indicia bellè exequitur idem Contelor. *d. c.* 18.

13. Sed maximè miraculis. Sed Alexander *in d. c.* 1. tanquam summam assignat sanctitatis probationem, miraculorum patrationem: *etiamsi*, inquit, *per eum miracula fierent.* quippe euidentissima illa signa sunt: dummodo veritas adsit; ars, & fraus absit. cuius rei iudicium meritò infallibili decisioni summæ Sedis reseruatur ab Alexandro. ad effectum vtique permittendi cultus publici: qui nec adhiberi nunc potest, etiamsi euidentissimè de miraculorum veritate constaret. & quidem vsus est Alexander etiam numero plurali, *etiamsi*, inquit, *miracula fierent*: vt significaret pluralitatem certiorem fidem facere: vt & praxis habet, vt plura miracula ante canonizationem exspectentur. *Contelor. c.* 20. *n.* 9.

14. Iisque diligenter discussis. Adeoque in miraculis scrutinio opus est diligentissimo. *d. c. venerabili in fin.* ob vafritiem dæmonis, & multimodas naturę vires in herbis, lapidibus, aliisq; rebus naturalibus existentes. ad miraculum enim requiritur vt quod factum est, siue quo modo factum est, naturæ vires excedat. *c. cum Martha.* §. *quæsiuisti. de celeb. miss. c. cum ex inuncto. de haret. c. reuera. de consecrat. dist.* 2. vt causam habeat occultam, effectum manifestum: factum sit à Deo ad merita, aut preces alicuius sancti: & in sanationibus ferè requiritur, vt fiant in instanti. *c. ad eius vero* 5. *dist. c. multiplex. de pœnit. dist.* 1. nisi fortè sanatio talis sit mali, cui natura non possit mederi, etiam per morosa remedia. vt in cæco Marci *c.* 8. qui homines prius vidit vt arbores, ac deinde iustâ claritate. ad illudque malum cognoscendum solent interrogari medici; an malum, aut curationis modus, artem & naturam superarit? tametsi nec illa cautio vndique sufficiat semper. nam & dæmones secretas naturæ vires norunt, & iis adhibitis miracula imitantur. qualia ex D. Augustino enarrat *Rocca de canoniz. c.* 11. aut præstigiis sensus humanos decipiunt. de quibus cognoscendis idem *c.* 15. & veris miraculis à falsis discriminandis. *c.* 9. 10. 21. 28. præsertim in apparitionibus. *c.* 15. 16. 17. 18. Vera miracula etiam gradibus distincta sunt. *c.* 23. 24. supra, contra, aut præter naturam *c.* 20. *& Castellin. de dilat. canoniz. punct.* 2. 3. Porrò nec remanens aliquamdiu debilitas, cicatrix, durities, nec dolor quidem in ipsa curatione, ministerium, aut adiutorium naturæ, vt lotio Naaman in Iordane, lutum & sputum Christi in cæco, nec reincidentia, vt in S. Petronilla, miraculo obstat; dummodo constet morbum & causam semel fuisse sublatam: nec tarditas impetrationis, vt in Chananæa. *quæ iterum latius Contelor. c.* 17. qui consequenter *c.* 18. *vt & Luc. Castellin. de dilat. canoniz. in secund. punct. & 3. & q. 2. animad. gen. & seqq. & p. 3. animad. gen.* prosequitur miraculorum probationem; quot, qualibusue testibus, historiis, chronicis, publicâ voce aut famâ, tabellis votiuis, aliisque documentis ea conficiatur: quæ sufficiat in re tam ardua: atque fidei vicina. In qua quamuis Papa errare non possit, habeatque promissam spiritus sancti assistentiam, qui docturus & suggesturus sit omnia; tamen mediis humanis in re, quæ facti sit, vti necessum habet, sufficiat, inquam, & indubitatam faciat fidem; saltem coniunctim, atque in genere ad probationem sanctitatis. in cuius cumulum etiam recipitur dictum vnius testis, etiam ipsius sancti. *Luc. Castellin. de dilat. canoniz. t.* 2. *animad. gen. de qualit. exam.* præsertim si quid iussu superiorum scripserit aut de se dixerit. admittit enim hic Sedes Apostolica coniunctionem probationum non plenarum: vt famæ & similium. quamuis non soleat sine specifica probatione miraculorum plenè factâ aliter canonizare. vt neque sine miraculis. *d. c. venerabili lib. sac. ceremon. sect.* 6. iisque etiam post mortem factis. nam non omnes, qui in vita fecerint, vel in nomine Christi dæmonia eiecerint, sancti erunt, vel salui. nam & Saul prophetauit, & Caiphas, cùm esset Pontifex. vt nec receptum sit Martyres canonizari nisi patratis

pratis post mortem miraculis. *Rocc. de Canoniz. c.35. Castellin. vbi supra ad fin.* Nam & qui tradit corpus suum, vt ardeat, charitatem autem non habet, tantùm est vt æs sonans, aut cymbalum tinniens: vt dicitur martyrium, commune bonis & malis. *c.vidi 1.q.1.* sed eos causa distinguit. qui pro fide Christi id subit, atque ex Dei dilectione; confitebitur eum Christus coram patre suo. & quamuis prioris vitæ næui aliqui fuerint; liberat tamen verum martyrium à culpa, & pœna. *c.cathecuminum. 35. de consec. dist.4.* si tamen in morte prodigiosum aliquid acciderit, vicem miraculi illud supplere poterit. vt in morte 26. martyrum in Iaponia accidisse dicitur. *In Relatione facta Vrbano VIII.* vt *in literis Vrbani V. mox citandis* vetitus fuit cultus eius, qui pro Iustitia martyrio confectus dicebatur, sine præuia Romanæ ecclesiæ authoritate.

15. Ex delegatione Apostolica. Atque hæ probationes in ordine ad canonizationem aut beatificationem fieri solent ex delegatione Apostolica. *d. c.venerabili.* declarauit tamen sæpius etiam Rota posse etiam capi informationes authoritate ordinariâ. *Contelor. c.4. n.20.* quamuis non soleat Sedes Apostolica ex processibus solâ authoritate ordinariâ factis ad canonizationem, aut beatificationem procedere. *ibid.n.22.*

16. Quid circa ea possit ex Trid. Ordinarij? Authoritatem de nouis miraculis cognoscendi, informationesque capiendi ordinariis disertè tribuit Concilium Tridentinum. *decret.de inuoc. venerat. reliq. sanct.* vt declarauit etiam S.Congreg. 7. *August.1596. apud eundem n.23.* idemque decretum intelligendum esse tam de miraculis sanctorum canonizatorum, quàm etiam de miraculis personæ non canonizatæ, decisum esse se instante dicit Barbosa, & authenticam penes se decisionem seruari. *in Collect. DD. ad Concilium Trident. ad d. decretum n.8.* idemque de reliquiis, vt possint Episcopi cognoscere, an sint veræ alicuius sancti canonizati, recipiendæ, & exponendæ: iique soli; quamuis adhibitis in Concilium Theologis. *n.11.12.13.14.* non tamen vlterius, quàm vt loquitur Concilium, vt admittantur noua miracula, vel nouæ reliquiæ recipiantur, & colendæ exponantur; sed hæ non nisi sancti canonizati: *n.10.* sed quoad miracula, ad effectum ne *vt diximus* probationes temporis lapsu depereant; sed & ad effectum prædicandi accipi possunt verba Concilij, *admittenda esse noua miracula, noue reliquia recipienda* recognoscente & approbante Episcopo, non autem ad effectum de quo Alexand. *in d.c.3.*

17. Publici cultus permissio ad Rom. Pontif. spectat. Vt liceat scilicet aliquem pro sancto venerari, tanquam is iam certo foret inter cælites beatus, dum à Papa nondum est in eorum numerum relatus; eoque cultu qui sanctis eximiè defertur, palam scilicet, & publicè venerando: vt loquitur Innocentius III. *in d. c.2.h.t.*

18. Quis publicus? Publicus cultus intelligitur ex iis, quæ ex decreto Vrbani VIII. supra retulimus, & literis Vrbani V. quas refert Contelor. *d.c.22. num.17.18.* aduersùs abusus tunc quorundam Mendicantium, qui quosdam *non sanctos; cùm sit eis*, inquit, *sub tali vocabulo à iure prohibitum, sed beatos publicè in plateis & eorum ecclesiis, in prædicationibus, & aliàs astruere moliuntur, & singulis annis in anniuersariis seu diebus obituum eorumdem in diuinis officiis solemniter efferunt, prout de sanctis ab Ecclesiâ Romana approbatis in eorundem etiam solemnibus festiuitatibus per ipsam ecclesiam obseruatur, ac populos fideles inducunt, vt in ipsis anniuersariis, seu diebus ab operibus manualibus abstineant, &, quod quæstus suspicione non caret, vt ad Ecclesias, in quibus eorundem humata sunt corpora, cateruatim pergant, & solemnes oblationes faciant, verbis persuasiuis inducunt, altaria in Ecclesiis præsumpserunt erigere, ac si forent vt sancti per Sedem Apostolicam approbati, personisq́; sepulturam illorum visitantibus quadam signa plumbea tradunt, sicut euntibus ad sepulchra sanctorum in certis tradi partibus consueuit, altaria quoque sub illorum vocabulis in suis Ecclesiis præsumpserunt erigere, ac si forent sancti per Sedem Apostolicam approbati.* primum ergo cultus gradum obtinet ad sanctorum honorem templa, & altaria erigi, *c.placuit. c.fabrica, de consecrat. dist.1.* festos dies indici; missam & officium diuinum celebrari, in litanias, martyrologium referri; ac deinde reliquias preciosis thecis includi, palam ostendi, solemniter efferri, cereos, lampades accendi, sepulchrum augustius quàm pro statu alioquin poni, ornari, imagines appendi, affigi; numismata, aliaúe signa visitantibus dari; effigiem cum radiis aut splendore pingi, fingi, sculpi, vestium, capillorum, ossium particulas dari, ægris, energumenis applicari, ad corpus, aut sepulchrum coronas, aut rosaria affricari, ieiunium seruari, pulsari campanas, ab operibus seruilibus abstineri, votiuas tabellas affigi, ad sepulchra aut olim loca ab illis habitata peregrinari, & si qua sunt huiusmodi venerationem præ se ferentia palam coram aliis fieri, seu publicè vt loquitur *d.c.2. h.t. & Clemen. cedit. de Iudæis & Saracenis* quoad inuocantes Mahometem, aut ad eius sepulchrum peregrinantes: qualia nemo ante canonizationem Romanam alicui defuncto palam exhibere potest, præterquam si per priuilegium ei permittatur; strictè vtique, & in rigidis terminis seruandum. *c.porrò de priuil. in 6.* vt quando tantùm deuenitur ad beatificationem, cùm certæ regioni, religioni, ordini, aut loco alicuius beati cultus permittitur, eiusmodi indultum extra loca, aut personas, quibus concessum, extendi non potest, sed in illis manet prohibitio iuris communis.

Declarauit tamen Vrbanus VIII. *d. decreto 2.Octob.1625.* per huiusmodi constitutiones se præiudicatum nolle iis, qui aut per communem ecclesiæ consensum, vt sunt prisci illi sancti, qui pridem antè Alexandrum III. publicè sunt culti, vel *per immemorabilem*, inquit, *temporis cursum, aut per Patrum, virorumq́; sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolica, vel Ordina-* 19. Quid tribuendum immemorabili consuetudini in hac re?

rij co-

rij coluntur. prout & S. Congreg. 20. Nou. 1628. declarauit tamen immemorialem consuetudinem colendi sanctum non canonizatum, aut beatificatum non suffragari vt missa, aut officium de eo dici possit, nisi & hoc ipsum ab omni æuo consueuerit. *quod decretum recitat Contelor. ad finem sui tractatus de Canonizatione.* eodemque decreto vetat imposterum scripta ac libros euulgari super vitis, gestis, miraculis, reuelationibus, seu quibuscumque beneficiis tamquam aliquorum non canonizatorum intercessionibus à Deo acceptis, sine recognitione Ordinarij; adhibitis in consilium theologis. qui *ne deinde*, inquit, *fraus, aut error, aut aliquid nouum, aut inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusq́; responsum exspectet.* quæ clausula restringere quidem videtur Concilij Tridentini verba illa, *nulla admittenda esse noua miracula, nisi probante Ordinario*: vt ab hoc admitti ea non possint, vt libris editis per orbem vniuersum vulgentur; non extendi tamen, tanquam correctoria, ad prædicationes hîc non expressas; quarum neque par causa est; loco strictior quippe; & vox audita perit.

20. Praxis Canonizationis, & beatificationis.

Praxis porrò canonizationis atque beatificationis, quam supra gentiles apotheoses augusta, atque solemnis est; tam diligentiorem curam, solicitudinem, atque circumspectionem ad cognoscendam veritatem, quæ toti orbi christiano in lucem præferenda sit, præambulam habet. eam Ioann. Andreæ *in d. c.1.X. hoc tit.* & exactissimè tradit Contelorus *c.23. & seqq.* tam quoad ea quæ in Vrbe fiunt, ante commissionem inquirendi de sanctitate in genere; quam illa in prouinciis expedita post secundùm commissionem inquirendi in specie super virtutibus, & miraculis: instruitque delegatos super suo officio, Iudices, Notarios, Nuntios, Procuratores, testes; refertque per extensum commissiones, articulos, interrogatoria, rotulum, & relationes; vt manuducere possit eos, quibus hoc negotium incubuerit; quò cautius agant, vbi maius periculum vertitur. *iuxta c. vbi periculum de elect. in 6.* non tantùm ob rei grauitatem; sed & quòd, dum in Vrbe acta examinantur, prima quæstio est an testes ritè examinati, cætera rectè gesta sint. si qua enim appareat nullitas, præsertim quæ vix sanari possit, aliis committitur, vt actum ex integro rectius agant. *d. c. venerabili.* vbi testibus per turbam auditis, iterum aliis committitur vt singulatim audiant. & in Vrbe quidem curiales in huiusmodi rebus plurimi, & versatissimi sunt; vt operæ pretium non sit de iis, quæ in Vrbe fiunt hîc dicere quidpiam: nec nostrum; ne sus Mineruam. In gratiam tamen prouincialium, lubet ex interrogatoriis *ex c.25. desumptum* proponere vnum articulum: qui est de testibus super miraculis in specie examinandis, & breui-loquum summarium *ex c. 23.* eorum, quæ agenda sunt receptâ delegatione in prouinciis.

Articulus ita habet; *Quoad miracula, de quibus testes in specie deponent, interrogetur quilibet super singulo, super quo fuerit inductus, quam causam, & rationem reddat; per quam concludat illud fuisse miraculum: & an illa sanatio, & curatio, de qua deponit, potuerit vel possit tribui remediis, medicamentis, & operibus humanis; vel potius illius vires excesserit, & supra naturæ facultatem emanauerit, & an fuerit in instanti, vel ex interuallo, & an inuocatio ipsius N. & intercessio illius apud Deum fuerit prius, & in ipso actu implorata, & orationes, & preces præcesserint, & quomodo id sciat, locum, tempus, & contestes, circumstantias, & causas exprimendo, per quas concludatur talem sanationem, & curationem tribuendam diuinæ gratiæ, meritis, & intercessionibus N. emanatam.*

Summarium est illud; *Præsentato Rotulo iudicibus subdelegatis, eoq́; quâ decet reuerentiâ recepto, & coram Notario, & testibus, si placet, aperto, postquam subdelegationem acceptauerunt, procurator seu promotor causæ petit deputari notarium, qui acta causæ scribat, & nuntium seu mandatarium, qui citationes seu monitoria exequatur, & vterque iurare debet de fideliter exercendo officium sibi demandatum, & tutius est vt iuramentum, & deputationem notarij, qui de suo iuramento rogari non potest, recipiat alter notarius, ipse verò notarius deputatus recipiat iuramentum Nuntij, & alia acta in huiusmodi causa per se ipsum scribat. Deinde instat deputari locum loci, & horam audientiæ pro testibus recipiendis, & repetitis omnibus actis, vsque tunc factis, iuribus & articulis productis, & in Rotulo remissoriæ contentis, inducit testes, & petit ad dicta iura acta, & articulos probandos admitti, & quemlibet illorum moneri,* ad subiiciendum se examini, & *citari ad iurandum de veritate dicenda, & iis peractis, receptoq́; iuramento, cum Iudicis decreto deueniatur ad examen, & prius testes super omnibus interrogatoriis, deinde super articulis singulatim recipiuntur.*

Perfecto examine Iudices ad procuratoris instantiam decernunt transumptari, seu fieri copiam processus in forma authentica, & probante, & illam collationari, seu auscultari cum suo originali, vnà cum alio notario ad hoc specialiter deputato, qui se in fine subscribit. Quod si aliqua iura seu scripturæ sint compulsanda, seu extrahendæ, compulsata postquam fuerint collationata cum suis originalibus ritè & rectè recognitis inseruntur in processu. Postmodum interposito per Iudices decreto, quòd omnia fuerint legitimè facta, procurator instat processum claudi & sigillari, & tradi alicui portitori, vt deferat & consignet S. Rituum Congregationi, vel Rotæ Auditoribus, vnà cum literis responsiuis, super quibus omnibus Iudex interponit decretum, & portitor electus iurat de fideliter deferendo & consignando processum, prout habuit in mandatis. Tandem se subscribunt notarij, seu notarius, & Iudices subdelegati, & apponunt proprium sigillum, quibus in fine supponitur legalitas facta per Episcopum, siue Communitatem, siue Iudices,

ces, & processus clauditur, & sigillatur, & traditur portitori iam electo, vnà cum literis missiuis, & responsiuis.

Tit. Ne clerici vel monachi negociis secular. se immisceant.

CONSVLTATIO I.

De clerico milite, beneficij identitate, aut pluralitate.

I. Clericus armatæ militiæ se addicens clericalem deserit titulum, fructusque beneficij amittit.

QVamuis armatæ militiæ priuilegia ad militiam cælestem transferantur, eodemq; ferè vtriusque milites iure censeantur: *vt liquet in top. Euerard. in loc. à milite armata militia ad cœlestem*, ipsæ tamen militiæ ex diametro inter se dissident: vt si quis in huius partes transeat, illam deserat. ideoque clericis in sortem, & militiam Domini electis armata militia sit interdicta, non tantùm ex generali titulo X. *ne clerici secularibus negotiis se immisceant*; sed etiam ex speciali antithesi professionis, quam Gratianus 23. *q.8. parte priori tota* exagitat. *c. nimirum ibid. in verb. contra professionem sui Ordinis secularem militiam exercere. c. cum A. c. non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites. ibid.* sed lachrymas, planctus, & orationes. adeò quidem vt, quicumque clericus in bello mortuus fuerit, pro eo ecclesia non oret. *c. quicumq;. c. clerici ibid.* sed & amittunt honoris sui gradum: *d. c. clerici cum seq.* quod ex Concilio Meldensi sumptum est: vbi clerici ad armatam militiam transeuntes ecclesiasticæ sanctitatis prophanatores dicuntur, & proprij gradus amissione mulctantur: quia non possunt simul Deo & seculo militare. sic apud Baron. ad an. 1196. cùm Episcopus Belouacensis ab Anglis in prælio aduersùs Francos captus Celestinum tertium rogaret vt pro eo intercederet, Rex ad Papam loricam Episcopi misit: *vide*, inquiens, *an tunica filij tui est an non? cui Papa, non filius meus est, aut ecclesiæ. ad Regis igitur voluntatem dimittatur, quia potius Martis quàm Christi miles iudicatur.* sic sub Carolo M. in Concilio Wormatiensi decretum ne sacerdotes in bellum mitterentur, neque ad tractanda arma, sed ad benedictionem dandam, & reconciliationem periclitantibus: quibus conformiter loquitur textus feudalis *lib. 2. tit. 21. de vasal. milit. qui arma bellica deposuit, desiit*, inquit, *esse miles seculi, qui factus est miles Christi*: & consequenter (quando, atque vbi in feudis nondum receptum erat, vt militiæ officium expleretur per substitutum) *nec beneficium*, inquit, *pertinet ad eum, qui non debet gerere officium: & eod. lib. tit. 26. §. qui clericus*, inquit, *efficitur, aut votum religionis assumit, hoc ipso feudum amittit.* & consonat titulus 30. §. *ex hoc.* vbi feudum per clericatum amittitur, neque redditur ad seculum regresso. & rursum *tit.* 36. & quoniam contrariorum eadem est disciplina, non minus dicendum est clericum transeuntem ad militiam armatam eo ipso beneficium ecclesiasticum amittere. quod suadent quæ ex Gratiano mox citauimus, & c. beneficium *de regularibus in 6.* vt solâ status regularis professione etiam ecclesiasticum beneficium amittatur. *vide Azor. inst. mor. p. 2. l. 7. c. 15. q. 1. DD. in c. fin. X. de cler. coniug. c. perpendimus. de sent. exc.* Aduersari tamen merito videbitur *c. in audientia. X. de sent. excom. clerici si tertiò commoniti*, inquit, *militaria noluerint arma deponere, de priuilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent.* inde videri potest requiri trina monitio præuia. Sed agit tantum de clerico arma militaria induto, non qui nomen militiæ dediti, & Sacramentum militare præstitit. agit illud de honestate habitus clericalis, & pœna illum mutantis: hic quærimus de emittente disertè professionem militarem. *Vide Martham, & citatos de iurisd. p. 2. c. 26. num. 13.* quamquam hic etsi sententiâ opus foret, quoad fructus durante armatâ militiâ collectos, omninò dicendum sit facilè huiusmodi militi clericatus desertori actionem dandam non esse, vel à Iudice audiendum. non enim simul & armatæ & clericalis militiæ stipendia quis potest mereri, stante simul professionum, officiorum, & exercitiorum contrarietate.

Vt omittamus vim reo factam, decimas per vim oblatas, prata, terrasque inuasas, ideoque sicut in secularibus etiam dominus, rem suam vi occupans, amittit; *l. si quis in tantam. C. vnde vi*, ita & in spiritualibus decretum esse, vt beneficium, etsi ritè collatum per vim occupans, illud perdat. *c. eum qui 23. de præb. in 6.* 2. Vt illud vi occupans.

Quin, vt benignius actorem tractemus, tamen audiendus non est, nisi reo spoliato antè omnia restituto. *tot. tit. X. de rest. spol.* quæ exceptio etiam post annum competit, vt quæ agenti temporalia, excipienti sint perpetua. sed neque illius tituli beneficium, vt interdictorum, annuum est; neque c. redintegranda, 3. *q. 1.* sed ad annos 30. durare creditur. 3. Et spoliatus etiam post annum restituitur.

Sed omissis personalibus vitiis, ad rem transeamus. quæstio huius causæ fundamentalis est; pluralitas an identitas hîc sit capellaniæ, quis eam probare teneatur, & an sit probata?

Et rectè traditum est nec præsumi identitatem nec pluralitatem: sed eum, qui in alterutra intentionem suam fundat, eam teneri probare. *Mascard. de probat. verb. identitas rerum concl. 874. Tuschus verb. identitas concl. 2. n. 4. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præs. 19. n. 1. 25. & seq. qui plures authores eam in rem citant, idem Tusch. verb. pluralitas. concl. 368. num. 17.* manet ergo regula *ex lege 2. D. de probat.* vt ei incumbat probatio, qui dicit, non qui negat. eaque talis requiritur, vt contrariis indiciis, præsumptionibusque non eneruetur, vel res ma- 4. Identitas aut pluralitas beneficij an præsumatur, an probanda sit, & à quo?

 neat

neat aliquatenus in incerto. siquidem rei incertitudo semper impedit condemnationem. *l. idem Pomponius* 5. §. *fin. D. de rei vindicat.* & quamuis iterum iuris Interpretes per indicia & coniecturas, famam, vulgi opinionem, & in antiquis per semiplenas probationes, admittant censeri probatam identitatem, vel pluralitatem, quando vsus fauet; non tamen, quando contraria est possessio, aliter ea interuerti potest, quàm plenâ probatione: *Mascard. concl.* 393. *n.* 12. præsertim si longissimi temporis priuilegio sit munita. *c. ex literis.* §. *quod si ambarum. X. de probat.* quia etiamsi res eius non sit qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio. propter quam causam, cùm obscura sint vtriusque iura, contra petitorem iudicari solet. §. *retinendæ. instit. de interdict.* id est commodum possessionis. porrò pro possessore est habendus, cuius antiquior est possessio, vt hîc est rei; præsertim cùm possessio via facti, vt supra, est interuersa, & pro spolij restitutione etiam agitur, vt hîc. Accedit alter fauor reorum, qui eis, cùm iura partium sunt obscura, potius defertur, quàm actoribus. *c. cum sunt. de reg. iur. in* 6. quod etiam in finium quæstione sequitur Lucius III. *in d. c. ex literis*, *cum promptiora sint*, inquit, *iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum.* in exceptione autem proposita de pluralitate capellaniarum supplicans factus est reus, rescribens excipiendo super pluralitate, & reconueniendo factus est actor: itaque plenè deberet pluralitatem probare, antequam posset fieri in reconuentione condemnatio, ex causa collationis tanquam vnius ex pluribus capellaniis actori factæ. quamuis etiam ea posita superesset quæstio, an plures huiusmodi capellaniæ vnitæ non sint, aut præsumantur eo ipso, quòd per longissimum tempus ab vno possessore omnes fuerint obtentæ.

Quoniam vbi per annos 40. beneficia, tanquam vna vel vnita, ab vno possessa fuerunt, habenda sunt pro vnis, aut vnitis. ideoque S. Corg. *apud Zerol. verb. vnio.* §. 6. respondit in hæc verba; *duæ parochiæ, quæ per consuetudinem, quæ per* 40. *annos viguerit tanquam vnitæ, cum semper sine dispensatione collatæ fuerint, earum sic possessor non est molestandus.* & Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præs.* 80. vnionem, quando ecclesiæ sunt pauperes, & tempus diuturnum, præsumi asserit. Zerolæ decisionem etiam refert *Garcias de benef. p.* 12. *c.* 2. §. 3. *num.* 243. & quamquam cum Menoch. diuturnitatem temporis velit immemorialem, alij tamen quos citat, authores rectius 40. annorum statuunt. ea enim est ordinaria in ecclesiasticis, ac iusta præscriptio. nam quod ipse *num.* 233. *ex c.* 1. *de præscript. in* 6. ideo velit immemorialem, quia vnio sit contra iuris dispositionem, sanè non rectè: quia vt vnio & omnis alienatio ex lubitu tantùm est prohibita; sic ex necessitate, & iusta causa non tantùm permissa, sed etiam præcepta est aliquando: adeoque per cursum 40. annorum iusto casu ritè facta præsumetur, ideoque idem Garcias *n.* 238. 239. *ac alibi eo capite passim.* vnionem tunc præsumi admittit per 40. annos, cùm facta est æquè principaliter, neutro beneficio extincto, seu accessoriè vnito: vt hic dicendum foret; si vna non sit capellania, vnitas esse vtrasque æquè principaliter, omninò neutram præcellere.

At verò eò minus hic dubitandum est; quòd non constet plures olim fuisse capellanias, sed dubitatur an plures tantùm fuerint fundationes, seu augmentationes, & sic de statu beneficij, & origine quæstio est: quo in genere decisum est; beneficium esse habendum pro tali, qualiter vltimo per 40. annos habitum fuit, & ab vno vel pluribus pacificè gubernatum. *c. cum de beneficio. de preb. in* 6.

De immunitate ecclesiastica personarum & rerum.

CONSVLTATIO I.

Triplex est immunitas ecclesiastica; prima templorum, 2. personarum, 3. rerum. de ea, quæ ad templa pertinet, vltimò edita est constitutio Greg. XIIII. ad quam scripsit insignem Commentarium Gambacurta, & post illum Antoninus Diana *p.* 1. *tract. de immunitate ecclesiarum* plerasque, quæ circa illam moueri possunt, quæstiones resoluit. De personarum immunitate idem Diana dedit tractatum secundum *p.* 1. qui simul & de rerum immunitate multa tradit: sed & idem præstitit *p.* 3. *tract.* 1. *& Martha tract. de iurisdictione per plura volumina.* atque hæc personarum, rerumque tractatio hoc in genere ferè permixta est. De templorum immunitate alibi diximus: de personis nunc & rebus, quod ad onera pertinet, paucis videndum est. Exemptionem personarum vel iuris diuini esse, vel proximè inde defluere alibi diximus, *& probant latius authores quos citat Diana d. tract.* 2. *p.* 1. *resol.* 1. illa facit vt à potestate seculari indici etiam eis non possint aliqua onera personalia. natura enim ratioque exigit, vt nemo quid statuat, nisi in subditum. & hæc quidem exemptio à potestate seculari non magnam patitur controuersiam quoad potestates inferiores: *ex Auth. Frederici, item nulla communitas. C. de sacrosanct. eccles.* sed de potestate supremorum Principum, ac Regum, si iuris diuini non sit exemptio clericorum, non parum superest difficultatis. quippe, si exemptio procedat etiam ex priuilegio Principum, ea quæ intrinseca sunt maiestati, negant politici abdicari à Principe posse: *vide Tuschum verb. Imperator iura imperij alienare non potest n.* 37. *& seqq.* & sanè quæcumque generali concessione supremitas ipsa remissa non censetur. *quæ de re diximus in Iudice lib.* 4. vnde & factum, vt à legibus ciuilibus præsertim authenticis, tam multa

1. Propter exemptionem personarum ecclesiasticarum non possunt laici eis onera imponere inferiores citra dubiú, sed quid de supremis Principibus?

multa ſint decreta circa perſonas, & res clericorum. quin etiam vſus multorum Regum ac ſupremorum Principum obtinuerit, vt in tributis, vectigalibus, atque indictionibus clerum, eiuſque bona nonnunquam attingant. vt v.g. dum onera rebus aut perſonis propter res, generatim indicunt, & generali locutione clerum comprehendunt, imo exprimunt neminem fore exemptum, non clericum, non nobilem, non lateralem Principis aulicum. quod vt vt ſit, ſeu accipi poſſit; circa bona tamen, vt à poteſtate Principis ſupremi non facilè ſint omnimodo exempta, pronius recipitur: ob cauſam c. ſi tributum. 11. q. 1. c. *conuenior.* 23. q. 8. & quamquam c. non minus. c. *aduerſus.* X. *de immunit.* c. *clericis eod. in* 6. conſuli ſummum Pontificem in oneribus imponendis decernant; idque fieri oportere aliquando Cancellario Franciæ reſponderit Curia Pariſienſis, *vt eſt apud Papon. ar. l.* 5. *tit.* 11. *ar.* 11. non tamen id ita ſemper vſurpatur. & Faber *Cod. ſui lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 26. repentinis neceſſitatibus imputat, vt ſæpè id fieri non poſſit. *nec rurſus*, inquit, *Princeps ferè vllus eſt, qui non in ſuo territorio eam ſibi poteſtatem & authoritatem longâ ſiue conſuetudine, ſiue præſcriptione acquiſierit, vt de his omnibus* (de cauſis agit & ſubſidiis, quibus clerus, eiuſúe bona teneantur, quarum iudicium licentiamque imponendi, canones Pontifici reſeruant) *cognitio ſit ipſius Principis.* eaque ferè inter cæteras cauſa eſt, cur Bullam Cœnæ non publicari aut recipi tam multis locis videamus: dum illa §. 18. perſonis eccleſiaſticis, & earum, atque eccleſiarum bonis aut fructibus abſque Pontificis expreſſa licentia directè vel indirectè onera vlla imponi vetat à quoquam, etiamſi imperiali aut regali præfulgeat dignitate. ſed & lex placet C. *de ſacroſanct. eccleſ.* vetat, ne eccleſiæ prædia *ſordidorum munerum fæce vexentur, nil extraordinarium ab hinc ſuperindictumúe flagitetur, nulla tranſlationum ſolicitudo ſignetur, nihil præter canonicam illationem, & quàm aduentitia neceſſitatis ſarcina repentina popoſcerit eius functionibus, aſſcribatur*, vbi præter veterem canonem, atque ordinarium tributum excipit, quod ex repentina neceſſitate imponi poteſt, tributum: authoritate vtique Principum. vt etiam lex *neminem ibidem* angarias, & parangarias, & plauſtra præſtare vult etiam eccleſiæ poſſeſſiones, cùm profectioni imperatoriæ fuerint neceſſariæ. quas tamen angarias ſeu parangarias iterum clericis remittit, & extraordinariorum munerum neceſſitatem *lex* 2. & *l.* 32. §. *priuilegiis*, & nouarum collationum *l.* 1. C. *de epiſ. & cler.* & perſonalium munerum quorumcumque ordinum clericos expertes eſſe præcipit lex *presbyteros ibid.*

Itaque onera perſonalia, vt etiam ſunt angariæ, & parangariæ, quæ etiam ſolent, præter præſtationem operæ, coniunctam habere aliquam impenſam, *vt in d. l. neminem: Spigel. in lexico in V. angaria.* hodie quidem in clericis

2. Realia onera rebus

ceſſant: realia olim rebus impoſita quaſi per modum hypothecæ, cum rebus in eccleſias tranſierunt; ex ratione tituli C. *ſine cenſu, aut reliqua fundum comparari non poſſe*: tametſi Diana *p.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 17. à communi, & ſe ipſo diſſenſerit. quin etiam onera realia, quæ ex rei natura videntur naſci, iuſtè tranſeunt in quemcumque poſſeſſorem, qualicumque priuilegio munitum: v. g. viarum reparatio, quæ fundis vicinis incumbit, & aggerum, litorumque aduersùs impetum fluminum, aut maris inundationem, omnibus fundis ineſſe videtur, qui aquis opprimi poſſunt, aut oppreſſi volunt liberari. quippe ſecundùm naturam eſt commoda cuiuſque rei eum ſequi, quē ſequuntur incommoda. *l.* 2. *D. de reg. iur. c. qui ſentit onus, ſentire debet & commodum; & econtra eod. in* 6. adeò vt Imperatores nec ſuas poſſeſſiones, nec eccleſiaſticas ab huiuſmodi oneribus immunes eſſe voluerint. *l. ad inſtructiones. C. de ſacroſanct. eccleſ. edictum Caroli V. de reparandis aggeribus datum* 23. *Maij.* 1531. *quod habetur vol.* 1. *edict. l.* 2. *r.* 2. tametſi enim Diana *& authores, quos citat d. p.* 1. *tract.* 2. *& tractatu de parlamentis reſol.* 22. *t.* 2. *r.* 25. contendant huiuſmodi legem eſſe correctam per d. Auth. *item nulla communitas. d. c. non minus. d. c. aduerſùs d. articulum* 18. *d. bulla Cœna*, tamen id ſanè à vero abeſt. omnia enim illa iuris loca agunt de oneribus per poteſtates imponendis: at hæc innata rebus, atque intrinſeca ſunt: quamquam executricem magiſtratus manum requirant: qui non tam noua onera imponere, quàm innata, &, quæ neceſſitas parturiit, exequi videtur. & conſequenter vt à pedagiis & guidagiis clericos eximit c. quamquam *de cenſib. in* 6. non eſt illud intelligendum de ea pecunia, quę à perſonis, iumentis, nauigiis, vehiculis exigitur in cauſam neceſſariam reparandarum viarum ac pontium, dum nec in alios vſus impenditur. à qua non oportet excuſari clericum, nobilem, Principem, cuius in commodum ea impenſa cedit: ſed cùm huiuſmodi onera iure quodam dominico, & in vſum domini exiguntur, tunc nouæ pedagiorum exactiones prohibentur *in c. innouamus. X. de cenſib.* ſine Regum & Principum aſſenſu. ſic Pontifex *in c. ſuper. X. de verbor. ſignif.* interpretatur pedagia & guidagia interdicta, *quæ*, inquit, *non apparent Imperatorum vel Regum vel Lateranenſis Concilij largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine, cuius non exſtet memoria, introducta.* largitione inquit Pontifex: liberalitatem ergo ſignificat, & beneficium gratuitum; non verò quod exigitur propter ſolam impenſam viis & pontibus neceſſariam, quæ fundis inhæret, & vtentibus agnaſcitur: ita vt huiuſmodi impenſæ complectantur omnes etiam priuilegiarios: alia porrò pedagia & guidagia, quamuis iure permiſſa, non complectantur clericos. *per d. c. quamquam.*

Quod autem attinet ad exemplum Dianæ *quod d. reſol.* 22. *citat ex Martha de iuriſ. p.* 4. *cent.* 1. *caſ.* 1. *in fin.* quod ad reparationem aggerum Arni fluminis clerus Piſanus à Clemente VIII. tantùm fuerit in ſubſidium condemnatus, non ſufficientibus facultatibus laico-

X 2 rum,

impoſita vt ad eccleſiam tranſeant?

3. Eccleſia ſuſtinet onera, quæ rebus naturâ inſunt.

4. Quid de pedagiis?

5. De ripis fluminum reſtaurandis.

rum, est dicendum non exemplis, sed legibus esse iudicandum: nam præterquam quòd Martha refert huiusmodi discussionem laicorum non esse seruatam, fieri potest vt id non acciderit propter laicorum impotentiam, quam dicit notoriam; sed quòd impensæ fundis non fuerint necessariæ, sed voluntariæ ac pro parte voluptuariæ, ad ornatiorem fluminis ductum, aut vrbis decorum: qualis impensa fundis flumini adiacentibus non est intrinseca: voluptuariæ autem, seu quæ ad oppidi splendorem faciant, ad ecclesiasticas facultates non ita æquum est porrigi, vt ad opes ciuium: quorum impar causa est, quosque primariò ciuitatis decora respiciunt, clericos vix secundariò. in voluntariis autem oneribus indicendis omnes priùs conuenire oportet, & consentire, eo modo saltem, quo corpora politica consentire censentur, alioquin non vocati non consentientes clerici obligari non possunt. *Griuel. decis.* 11. *n.* 26. 27. 28. 29. 30. *decis.* 69. *n.* 10. 11. 12. Quare clericos constat à personalibus oneribus liberos esse, quamuis non à patrimonialibus illis quæ rebus insunt, aut imposita perpetuò fuerunt antequam in ecclesiam transirent: sed & ab illis quæ inferiores potestates volunt imponere, *per d. Auth. item nulla* & titulum C. *noua vectigalia imponi non posse*, sed neque Reges aut supremi Principes pro lubitu, sed necessitate, *d. l placet.* imponendi facultatem seruant, tametsi nec hanc æquè canones. & per leges quidem à patrimonialibus oneribus neque primipilaris, neque veteranus, aut miles, aliusúe qui priuilegio aliquo subnixus, nec Pontifex excusatur. *l.* 18. *§. ab huiusmodi. D. de muner.*

Quapropter frequentissima est controuersia cuiusmodi sint onera, quæ passim irrogantur; personalia, realia, an mixta: vt subtiliter & latè disputatum est inter clerum, nobilitatem, ac parlamentum Comitatus Prouinciæ, aduersùs Statum popularem. *apud Paponem d. t.* 11. *ar.* 39. vbi notæ personalium, realium, mixtorumque onerum in omnem partem discutiuntur, quoad taxam focorum, iuxta quam in

6. Precariis Brabanticis. Prouincia onera imponuntur ab anno 1471. quo census, adæratio, & peræquatio facta est. quemadmodum & apud Brabantos anno 1451. focorum iugerumque numeratione factâ, cuique Prælato, oppido, ac pagò sua taxa ex Ordinum assensu scripta est. quæ, quoniam apud nos etiamnum viget, discussionem hîc aliquam paulò ampliorem permittit.

Imprimis Prælati roganti Principi annuerunt certam summam cum cæteris patriæ Ordinibus, illamque inter se partiti sunt, postulatâ exactionis futuræ formâ, eaque à Principe concessa, seu præscriptâ. vbi more ergo gentis non est via, & potestate regiâ facta indictio, sed consentientibus Ordinibus Precaria imposita, atque in singulos distributa, quam porrò ipsi suis quique locis inter suos partirentur. quapropter formam illam extra

7. Illis clerus per pagos; suorum sphæram excedere non possunt: ita vt alios, aut aliter quosquam grauare neque-ant. quare decisum est per Concilium Brabantiæ inter Capitulum & municipium *de Gheele* 2. *Decemb.* 1606. priuatis municipij oneribus, seu collectis Capitulum, eiusùe bona neque quoad proprietatem, neque quoad culturam Capituli propriam, subiici potuisse. aut vibes grauari nequit, extra formam à Statibus, à Principe impetratam;

Habet porrò illa Precaria quoad exactionem adiunctam authoritatem Principis, vt spectet ad sarcinam repentinam aduentitiæ necessitatis, ab immunitate ecclesiastica exceptam *in d. l. placet.* omnesque comprehendat, quos patrimonialia onera contingere possunt, exceptis ecclesiarum bonis ritè à Principibus amortizatis, aut per 70. annos cum immunitate possessis. quæ exceptio in reliquis firmat regulam. quare istiusmodi Precariæ indictio expressè *ar.* 7. onerat bona ecclesiasticorum patrimonialia, & sibi non ecclesiis acquisita, vt contribuant ad ratam aliorum incolarum, vbi degunt in Brabantia. 2. eidem Precariæ subiiciuntur bona ecclesiasticis personis intra, aut extra Brabantiam residentibus, intuitu ecclesiæ competentia, siue pro nouis fundationibus, siuè aliàs empta, aut acquisita, soluendæ vbi bona sunt sita. Ad quem modum *ar.* 11. redit hypothecati contribuunt in loco situs hypothecæ, *ar.* 12. omnes exteri ratione bonorum; quæ habent in Brabantia itidem in loco situs: incolæ autem Brabantiæ *ar.* 6. ex omnibus bonis in Brabantia sitis in loco domicilij sui. quibus ratione patrimonij *ar.* 7. vt dictum est, assimilantur clerici; vt soluant in loco domicilij, vt onerum huiusmodi exactio valde difformiter fuerit permixta, cùm in his videantur personalia, in illis realia; sed vsus pœnè per Brabantiam vbique nunc obtinuit, vt foris pro modo iugerum tanquam realia exigantur: vrbes, & municipia vrbium priuilegio nixa, diuersimodè quotam suam corrogent: plerumque ex assisiis, & vectigalibus in cibum, ac potum impositis.

8. Quæ illarũ forma.

Igitur quod attinet ad patrimonium clericorum, ad contributionem vocatur; neque hic immunitatem habet: tametsi ex conditione personæ mutari aliàs soleat conditio bonorum. *l. per curatorem* 90. §. 1. *D. de acquir. hæred. l. vlt. C. de inoff. testam.* & bulla cœnæ *ar.* 18. collectis grauari vetet personas Ecclesiasticas, atque earum (personarum, adeoque eis propria) & ecclesiarum bona. & Diana *tract.* 2. *de immunit. resolut.* 39. *cum citatis ibidem* iure negat grauari posse patrimonialia. & *resol.* 42. nec alia quibuscumque titulis acquisita. quamuis ibidem fateatur in regno Neapolitano consuetudinem esse contrariam. quã tamen sine priuilegio Pontificio non admittit, nisi quoad bona quæ cum onere gabellæ ante impositæ, perpetuæ, & inuariabilis ad ecclesiam transierunt. sed neq; apud nos Bulla cœnæ huiusmodi Precariæ instructionem, aut consuetudinem perfregit, quæ ad collectas vocat propria clericorum bona. 9. Patrimoniũ clericorum grauatur, an iure?

10. Bona ecclesiæ recens quæsita. Grauioris considerationis est, quòd neque bona ecclesiæ data, legata, empta, seu quouis titulo

titulo quæſita à Precaria eximantur, niſi à Principe fuerint amortizata, aut per annos 70. cum immunitate poſſeſſa. ſed vetus eſt huiuſmodi quæſtio. damnata ſtatuta *in d. Auth. itē nullas.* à Frederico Imperatore generaliter, quæ quoquo modo libertatem eccleſiaſticam læderent: & ſpecialiter ab Alexandro IV. Martino V. Pontificibus, & Carolo IV. Imperatore ea, quibus vetantur in eccleſiam bona immobilia transferri, *diximus in Iur. Pont. nou. anal. de for. compet. n.* 18. *de immunit. eccleſ. num.* 4. de qua re videri etiam poteſt Diana *ab eoq; citati tract.* 2. *reſol.* 57. 63. 103. *p.* 3. *tract.* 1. *r.* 14. inde tamen pleraque proceſſerunt, *vt ibidem diximus*, quod antiquitus ſolis nobilibus immobilia ſeruarentur, vt militaria & feudalia ſeruitia reipublicæ melius præſtarent: & eccleſiaſtici dum per ſe militare non poſſent, & pecuniam ſoluere ſubterfugerent, politici corporis nerui inciderentur. quare veteres quaſdam facultates eccleſiis conceſſas vidi, eâ lege vt bona in eccleſiam transferenda taxabilia manerent, qualiter antea fuiſſent; quâ acquirendi facultate non facta à Principibus, æſtimarunt illi, & cogi poſſe eccleſiam vt bona è manu mittat, vel, ſi benignius agatur, vt realia onera non ſecus ac ſeculares ferat, ideoque ſecundùm leges ciuiles ad indicta cõmuniter rebus onera, etiam eccleſiarum poſſeſſiones obligari: præſertim ſi communis neceſſitas & vtilitas cleri verſetur, vt populi. *vt apud Papon. d. t.* 11. *ar.* 15. 16. 17. 18. 19. totaque diſſertatione illa ampla *quæ præmittitur ar.* 39.

11. Amortizata ſunt exempta. Quinimo procurator Fiſcalis apud Papon. *vbi ſupra ar.* 39. non ad exemptionem proficere amortizationem contendit; ſed tantùm ad retentionem; tametſi Curia deciderit bona ritè amortizata exempta ab oneribus eſſe habenda. quapropter & hic effectum illum tribuit Inſtructio; vt amortizata libera ſint, aut cum immunitate poſſeſſa per annos 70. idque non tantùm quoad proprietatem; ſed & vſumfructum, quando clerici huiuſmodi bona ſuis expenſis colunt. vt iudicauit Curia Gratianop.

12. Etiā quoad culturam, ſi clerici eam ipſi faciant. *Papon. arreſt. lib.* 5. *t.* 11. *ar.* 21. & Brabantiæ ſæpius inter *Municipium de Helmont & Abbatiſſam de Bynderen* 29. *Nou.* 1614. *Abbatem Auerbodienſem & Poſtulanum contra municipium de Balem* 9. *Iulij* 1636. *Paſtorem van Eſch contra communitatem ibidem* 24. *Nou.* 1636. *Caputulum & municipium de Gheele* 2. *Dec.* 1606. ſed & Senatus Pariſ. apud Ann. Robert. *Rerum iudicat. l.* 2. *c.* 2. colonos exemit quoad antiqua non tantum, ſed & noua prædia in lite Carthuſianis mota.

13. Cauſa onerū nunc ferè hic religionis, & regionis defenſio, vt clerum tangat, & ab eo feratur. Onera quæ hodie apud nos frequentantur maximè indicuntur ob neceſſitatē belli, quod aduersùs hæreticos Deo Regique rebelles, per dodrantem ſeculi nunc geritur. ea cauſa clero populoque communis eſt. ei ſuſtinendæ communicant vtrique humeros. ex Ordinum aſſenſu in id quod rebus in cibum ac potum neceſſariis imponitur, clerus contribuit vt populus. vt traditur ab iis, quos citat Chriſtin. *vol.* 1. *d.* 229. *num.* 16. quamquam Diana nec ex cauſa belli *d. tract.* 2. *reſ.* 78. nec ex modo *reſ.* 82. eam collectam quâ vel tacitè & indirectè grauetur clerus admittat: & ſi iuſtè grauari laicos ſtatuat: *tr.* 3. *r.* 3. *p.* 1. & faueat lex *fin. & tot. tit. de quib. mun. nem. lic. C. lib.* 10. & quod rebus immobilibus authoritate Principis indicitur, æquè clerus perſoluit. vt quod intra paucos annos ſæpius à focis & caminis fuit exactum, nemine quantumuis priuilegiato, excepto: vtique ex Ordinum aſſenſu, qui rempublicam quidem repræſentant; etſi non omnem clerum: ſed ſingulares hic conueniant quidam Prælati regulares dumtaxat ante nouorum hic Epiſcopatuum erectiones. quare & idem Diana *d. t.* 2. *r.* 40. in communi neceſſitate, quæ ſingulos tangit, vt peſtis, communem collectam conſentiente clero admittit: in eaque nec opus ait authoritate Romana, quia canones, qui eam exigunt, loquantur de cauſa publica, non ſingulorum etiam priuata.

Cæterùm veteres illæ Precariæ, quæ hodie regiæ appellantur, inſtitutæ ad annuos reditûs luendos, quorum ſors aliquando Regi in publicam neceſſitatem data eſt, reales eſſe creduntur, per focos & iugera olim diſtributæ: vt & illæ quæ ad illarum formam ab Ordinibus corrogantur. adeoque ab illis, niſi in recentibus aliter ſit expreſſum, excepta ſunt bona amortizata non tantùm, ſed & ipſi coloni talium bonorum. vt 9. *Iulij* 1636. eſt pro Abbate Auerbodienſi & Poſtulanenſi contra municipium de Balem iudicatum. vbi & onera Statuum Brabantiæ realia vocantur, ſeu quę pro realibus habeantur. Prælatis quidem ſuam ſemper quotam ex ſuo aſſenſu ſeparatim ab vrbibus ac pagis ſoluentibus. 14. Precariæ veteres pro realibus habentur, ita vt bona amortizata & coloni ſint ab iis immunes.

Quam cùm & pagi quilibet conficere debeant, permittuntur res pro oneribus realibus taxare: extra illa non poſſunt illorum bona grauare, qui ibidem domicilium non habent: vt *idem Concilium Brabantiæ declarauit pro Anna Coninckx contra collectores de magno Sundert* 16. *Iunij* 1574. *& Senatus Burgundiæ apud Griuel. deciſ.* 11.

15. Munus recipiendi militem reale quoad hoſpitium domus, expenſæ à locorū incolis non bonorum proprietariis luendæ. Quæ ſententiæ latæ ſunt ob hoſpitia & expenſas militum, cùm hi collectores ob illas ſuper fundis, & reditibus hypothecatis illarum reſtaurationem partiti eſſent. quod magis ideò notabile eſt, quod munus hoſpitis, ſeu militis in domo recipiendi, non perſonæ, ſed patrimonij onus ſit. *l.* 3. §. *munus. D. de muneri.* vtique quoad hoſpitium, non expenſas oneraue extraordinaria. *Griuel. vbi ſup. n.* 12.

16. Ideoque nō à clericis vel vt proprietariis vel vt incolis. Ideoque cùm clerici à muneribus perſonalibus liberi ſint, *d. l. presbyteros. C. de ſacroſanct. eccleſ. c. generaliter* 16. *q.* 1. ac nouis collationibus, *l.* 1. *C. de ſacroſanct. eccleſ.* vacationeque huiuſmodi munerum gaudeant; ſubiungit, quod neque hoſpitem, id eſt militem, *vt vbi gloſ. & DD. & ex legibus infra citandis plus ſatis liquet*, ſuſciperent.

Cæterum patrimonialia onera quædam poſſeſſoribus indicuntur ſiue municipes ſint, & incolæ, ſiue non ſint; quædam non niſi ſint incolæ, ſeu municipes. *L. reſcripto.* §. *nam quadam,*

dam, quædam talia ſunt, vt neque ætas excuſet, neque alia prærogatiua. §. *munera ibidem*, ſic munus militis recipiendi omnes contingit: *l.vlt.§.vlt.& penult. l.ſunt munera. D. de vacat.* paucis ibi exceptis, & *in d.l.1.* clericis, *& in l. 9.& 10. C de met.l.12.* quibuſdam ſublimibus perſonis, *adeo*, inquit, *d.l.10. vt nemo vel ex ſacro reſcripto vel ex diuina annotatione, ſeu pragmatica ſanctione contra hanc legem vti poſſit excuſationis auxilio.* Vnde, ſi domorum in ciuitate numerus militum numerum excedat, *per vices*, inquit, *l.3.§. cura. D. de munerib. ab omnibus quos id munus contingit ſuſcipi oporteat.* & quidem, ſi miles illuſtris ſit; pars dimidia domus; alioquin tertia tantùm eſt præbenda. *l.2..C. de metat. lib.12.* vt prædiorum ſanè vrbanorum, domorum, ſeu habitationum, non agrorum munus hoc ſit; neque hos ob illorum cauſam onerare oporteat.

17. Numerus domorum & militum per vices æquandus.

18. Quoad hoſpitalitatem:

Enimuero *ſolam*, inquit *l.5.C.de metat.hoſpitalitatem ſub hac obſeruatione concedimus, vt nihil ab hoſpite, quod vel hominum vel animalium paſtui neceſſarium creditur, poſtuletur*; & infrà, *in tantum*, inquit, *inhiberi ſceleratum morem iubemus, vt ipſis quoque præbentibus impunitum eſſe non patiamur, ſi quid ſponte contra præceptum noſtrum probati fuerint obtuliſſe.* vnde & ſubiectus eſt titulus *de ſalgamo hoſpitibus non præbendo*: quo omne genus exactionis militibus interdicitur, vt nec culcitræ, lignum, oleum, *l. 1. ibid.* nec cænaticorum nomine recipi quicquam poſſit: *l.3.C. de erogat. milit. annon. lib.12.* nam annonariæ ſpecies, *l.4.* fœnum *l.8.* cæteraque omnia neceſſaria præbenda eis ſunt ex publico. *tot. tit. ibid. & Auth.130. de tranſ. milit.* qualia etiam multa conſtitutionibus Principum noſtrorum decreta ſunt. *quas enarrauimus in Notitia Iur. Belg.tit.de re militari.*

19. Non quoad expenſas, & cõcuſſiones.

At verò nec publica illa annonæ militaris cura, nec militum diſciplina ita hodie ſeruatur, quin non tantùm libra carnis in diem, & ſeſqui libra panis, atque vnum poculum cereuiſiæ, quod ſingulis *ex edicto 22. Febr.* 1582. 25. *Ian.* 1593. in tranſitu tribui decretum eſt, non ſufficiat; ſed enormes fiant concuſſiones: earumque redimendarum cauſa magnæ pecuniarum ſummæ erogentur: quæ poſtea vel per ſymbola perſonarum, vel per collectas rebus, atque agris impoſitas diſtribuantur: & ſi focis non agris imponantur, æquum videri poſſit, quoad ipſum munus hoſpitij, vt tertiam partem penſionis domus conſiderat *lex 9. C. de metat. lib.12.* dum per omnes ſic præſtaretur, quod per vices præſtari vult ab omnibus quos contingit, *d. §. cura*: quoad verò impenſam carnis, panis, & cereuiſiæ, edicta non dominos hoſpitiorum onerant, ſed incolas, ſeu ruſticos. *nominatim edictum 25. Ioan.1623.* 27. *Maij* 1596. quoad vlterius excuſſa, & extorta vis maior eſt, caſus & fortuna: quam ferre debet is, in quem incubuerit, ea à nullo præſtatur. *l.contractus. §. animal. D. de reg. iur.l.1.§. quod ſi ſatis.D.de magiſtrat.conuenieud. l.ea quidem 1. C. commodati.l. quæ fortuitis. C.de pignorat. act.l. damnum.C. locati.Del Rio latè ad d. l. contractus. §. animalium. & ſpecialiter in verb. tumultus.* quâ conſideratione hæc ſolent reſpectu exterorum vocari perſonalia, vt rebus eorum imponi nequeant, ſed tantùm incolis: quorum corpus politicum tanquam perſona vna hîc conſideretur. quo modo loquendi plerumque vſum eſt Concilium Brabantiæ in ſententiis ſupra citatis, dum de expenſis militum ſtatuit. ſolent ad vitanda maiora incommoda in pagis huiuſmodi concuſſionum onera partiri, ex eoque oriri inter incolas & exteros, dominos & colonos, domorum & agrorum poſſeſſores controuerſiæ quam plures.

Quod attinet ad clericos, cauſa illorum expedita eſt *per d.l.1. C. de epiſ. & cler.* quomodo & Pius V. *conſtitut. quam refert P. Matthæus in ſeptimo decretal.lib.3.tit. 16.c.1.& 2.* decreuit, vt pia loca ab hoſpitiis militum libera eſſent: & *in c.præterea de Iure patronat.* præcipitur, ne quis exigat ab eccleſiis iuris patronatus *fodrum, albergaria, regium.* fodrum interpretatur Boëtius Epo *heroic. quæſtion. de regal.n.24.& 25.* papula equorum; Albergaria, hoſpitium: vtrumque ex Germanica voce *foeder & herberghen.* regium autem gloſſa *in verb. regium, quod Regi*, inquit, *debetur, ſiue tributum Regi debitum. 11. q.1.c.ſi tributum & 23.q.8. c. conuenior.* fortè propius de aliis militaribus expenſis, v.g. angariis & parangariis quaſi regio iure aut more exactis, rectè quis hic intellexerit, ob duo vocabula militaria, quibus coniungitur. 20. Clerici vtique exempti:

Quare rectè traditur à Fabro *Codicis ſui lib. 9. tit.29. deſin.26. Choppin. de ſacra polit.eccleſ. l.3. t.2. n.3.* pia loca ab hoſpitiis militum libera eſſe debere. vbi & refert idem conſtitutionibus Gallicis eſſe cautum, & ſenatuſconſultis eſſe firmatum: *dempto*, inquit, *eo caſu, ſi obſidione cincta mœnia proponerentur, vel ſummum aliud patriæ periculum impenderet.* 21. Niſi in vltima neceſſitate.

Nec hæc difficultatem iure patiuntur in ipſis clericorum domiciliis: de quibus generatim Conſtantinus ſcripſit *in d.l.1.* quòd hoſpites milites non ſuſciperent: & de familia illorum etiam alibi habita rectè accipitur; dum eadem lex 1. etiam illorum mancipia eximit, & *l.2. C. eod.* ita immunitatem concedit, *vt omnibus*, inquit, *clericis huiuſmodi prærogatiua ſuccurrat, vt & coniugia clericorum, ac liberi, eorum quoque miniſteria* (nota) *immunes ſemper ab huiuſmodi oneribus perſeuerent.* & conſonat c. eccleſiarum *ſeruos. 12. q.2. & c. generaliter. §. nouarum 16. q.1.* quamuis ſublimes etiam perſonæ non omnes domos ſuas, ſed vnam vix, aut alteram immunem habeant. *l.10.C.de metat.l.12.* 22. In clericorũ domiciliis. 23. Et domibus eorũ ſumptu inhabitatis.

An verò coloni, inquilini, conductores, qui non nomine, expenſa, & periculo clericorum habitant, colunt ue, ſed ſuo; eandẽ prærogatiuam poſſint obtendere; non parum controuertitur: & cùm his in locis pridem ceſſauerint perſonarum ſeruitutes, coloni ferè venerunt 24. An & à colonis? vt hi ſint immunes?

nerunt in ministeriorum, seu mancipiorum locum;; & æquiparantur serui fiscales, & coloni, & fisci priuilegiis gaudent: *leg.5.6.7.vlt. C.vbi caus. fiscal. l. viros C.de comit.consist. l.12. l.in sacris la 3. C.de prox. sac. scrin.l.12.* & validum est argumentum à fisco ad ecclesiam. *Euerard.in loc.legal.à fisc.ad eccles.*

Sed & Pius V. in mendicantibus disertè statuit, *vt apud P. Matthæum d.c.2.* vt ab hospitiis militum aliisque omninò oneribus libera essent monasteria illorum, ac prædia, eorumque coloni: cæteros priori iuri reliquit. Barbosa autem *in Collect. DD. ad Conc.Trid.s.25.c.20. n.3.* in milite non recipiendo *n.10.* in gabellis non soluendis etiam de parte coloni decisum à S. Congreg. refert pro immunitate colonorum. & sanè de partiariis, vt domus, agri, aut fructuum pars, quæ clericis manet, libertate eorum gaudeat, ratio liquida esse videtur: cùm res ecclesiæ, earumque fructus grauari vetentur per canones, quos supra citauimus, *& nominatim articulum* 18. *Bullæ cœnæ,* & ita sentit *post Panormitanum aliosq; recentiores* Diana *p.3.t.1.resol.19.* quæ ratio eadem facit, vt fructus pendentes, rei quamuis elocatæ, quod fundi pars esse censeantur *l. fruct. pendent. D. de rei vendicat.* grauari non possint, vt ibidem pro Melitensibus iudicatum refert Diana.

Sed cùm à fundo separati, & in horrea sunt auecti, pars, quæ clericis cessit, immunis vt sit ea ratio facit: at quæ colono; cùm iam in eius dominium deducta mercede transierit; ita ipsa grauari potest, sicut & ille in loco domicilij per capitationem, pro modo facultatum, quas vndecumque habet. *per ea quæ habet Papon.ar.l.5.t.1.ar.2. Faber in Cod. sui lib. 9.t.29.d.2.9.10.11.14.*

25. Dum grauantur ad ratam rerũ culturam? Cæterùm quatenus habitat; quatenus colit, pro quantitate iugerum, quæ exercet, vt collectari possit, non eandem causam habet: quippe sapit hoc aliquam realitatem, & onus rei, seu si mauis personæ, sed saltem ad mensuram, considerationemque rei impositum, vnde & grauamen propius redundat in ecclesiam, quam si quisque, non vt colonus, sed vt incola, pro modo facultatum, collectetur. prædia enim minoris elocantur; & videtur vsus, aut fructus rei, quæ pars dominij est, *l.4. D. de vsufruct.* per latus coloni figi, atque grauari. cùm tamen bona ecclesiastica omni sui parte debeant esse libera: *c.quamquam de censib.in 6.c.4.& 7. X. de immunit.* directè vel indirectè grauari non possint: *c.vlt.ibid. c.vnic. de cler. coniugat. in 6. d.ar.18. Bullæ cœnæ,* & quandocumque per consequentiam onus afficit ecclesiam, colonus eximendus sit, etiam ex illorum sententia qui aliàs illum grauant. (vt fideiussori datur exceptio, quæ principali, *l.1. §. exceptio. D. quar. rer. except. non dat*) saltem dum arbitrio boni viri nimium illud videri potest. *Menoch. de arbit. l.2. cas.562. num.47. & 55.* qua de causa Concilium Brabantiæ iudicauit colonos decimarum, perinde ac decimas, à precariis esse exemptos: *pro monasterio S. Bernardi contra incolas de VVestmal, Soetsele 22. August. 1598.* & bonorum amortizatorum. *pro Abbate Auerbodiense & Postulense contra Balenses 9.Iulij 1636. vt infra.*

Denique semper, quando onus personale est, incolas tantùm afficit, & in loco domicilij tantùm soluitur. *l. vnic. C. de mulier. & in quo loco lib.10. Tuscus & quos citat V. collecta concl. 447.450. & V. onera person. concl. 125. & instructio precariarum Brabantiæ 1451. ar.6.* idque pro modo facultatum: cuius ratio conditionem personæ sequitur, non possessionum, quæ patrimonij causam redolent: *d.l.6. §.munera.D. de munerib.* earumúe culturæ, quæ ex obiecto & subiecto realitatem sapit. quod euidenter patet, quando exteri colunt extra locum domicilij, & fructus auehunt in horreum domicilij, & taxari prætenduntur in loco culturæ, vbi fructus pendent, aut in motu sunt ad auectionem; fieri enim potest vt conductor homo sit pauper, & ad ratam conducti prædij decuplum soluat eius, quod diues alius de suo succo viuens incola. sed & qui agros tantùm habent non domos, ad hospitia militaria non tenentur, adeoque nec agrorum coloni, qui eodem in loco domicilium habent, si ad mensuram iugerum ratio sit ineunda.

Ideoque pro huiusmodi militum non realibus hospitiis, sed personalibus expensis, & concussionibus, dum casum, qui quemque, in quem incidit, tantùm teneret, volunt in commune conferre, personas tantùm incolarum afficere possunt; idque ex æqualitate facultatum vndique expensa, non ad ratam iugerum fortè quæ colunt, quæ & inæqualitatem sæpè manifestam continet, & possessionum dominos nimium respicit: inter quos, dum iuris est inæqualitas, iniqua videtur, quæ sic concipitur, oneris æqualitas.

Sed tamen, quia in Brabantia rarò solet taxa aliqua imponi secundùm integras facultates; æquum tamen erit in personalibus oneribus, quæ non tangunt proprietarios alibi agentes, vt proprietarij tamen ibidem domicilium fouentes ad ratam contribuant: vt, si & ipsimet fundum suum colant, æquum est contribuere assem, vbi soluunt coloni ecclesiastici, vel proprietarij alibi agentes semissem. eoque nomine Abbates Auerbodiensis & Postulensis pro suis colonis impetrarunt suspensionẽ vnius semissis eius assis, quem Balenses incolæ in singula iugera pro expensis militum, & personalibus oneribus soluerent, ad quæ pro rata ferenda coloni illorum erant condemnati per sententiam, *de qua plenius infra.*

Eaque collectandi ratio, vbi iam olim supra memoriam vsitata est, mutari non debet; vt quod personalibus symbolis colligi soleat, nunc ad mensuras rerum redigatur. quoniam ea, quæ memoriam superant, vim priuilegij, legitimi tituli, atque contractus, seu constituti habent. *l. hoc iure. §. si aquam versic. ductus. D. de aqu. quotid. & æstiu. l.1. §. fin. D. de aqua* 26. Collectandi ratio iam olim vsitata vt non facilè possit mutari.

de aqua & aqua plu. atqui in hac collectarum materia Concilium Brabantiæ iudicauit seruandos esse contractus, *inter Capitulum & municipium de Gheele 2. Decembr.* 1606. vt sanè contractus vt expressi, ita & taciti, ex immemoriali consuetudine præsumpti, ipsaque consuetudo, mutari, alterariúe non debeat, etiam in collectis. *l. si publicanus. §. in omnibus. l. locatio. §. earum rerum. D. de vectigal. & publican.* Vnde & præscribi non modum tantùm sed & vectigalia iure traditum est. *c. super quibusdam. § præterea. X. de verbor. signif.* adeoque in collectis iudicandis reginam esse consuetudinem iudicio Curiæ feudalis & Concilij Brabantiæ assertam refert Christin. *d. dec. 229. n. 13. d. 269. n. 13.*

27. An ea sit præscriptibilis? Cui rei nihil obstat, quod *ex Egidio Thomato adfertur tract. de munerib. patrimonialibus. §. exactis ecclesiasticis personis n. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & passim*: quòd respectu munerum & præstationum patrimonialium non detur præscriptio: præsertim quòd quotidie nascantur, dum indicuntur, & non entis non potuerit esse præscriptio: cùm præscriptionum lex generalis sit, neque disertè collectæ excipiantur. vnde oportet, vt in illis regula obtineat. & ratio, quæ allegatur, inefficax est. alioquin omnes annuæ præstationes essent impræscriptibiles, cùm singulis annis nascantur. & in terminis præscribi indictiones, & super-indictiones, non tantùm præstandas ciuitatibus, & communitatibus, sed etiam Principi; saltem quæ non spectant ad recognitionem supremæ potestatis, rectè tradit Couar. *& quos allegat p. 2. in relect. c. possessor malæ fid. §. 2. n. 9.*

Et in terminis collectarum d. Instructio ann. 1451. *ar.* 8. vsum, consuetudinem, præscriptionemúe admittit, eam saltem, quæ sit 70. annorum, vt ecclesiæ bona per tot annos, quasi tempus immemoriale, cum immunitate possessa, sint exempta à precariis, vt amortizata: & Lætus introitus Brabantiæ *ar.* 57. addicit prælatis obseruantiam consuetudinum, atque vsuum suorum.

28. Necessitas ab ecclesia cognoscenda. Quòd denique adfertur clericos ipsos teneri; ac multò magis eorum colonos, quando vrgens est necessitas, aut vtilitas, talis quæ non minus clericos, quàm ciues respiciat: ne populus, vidua, & pupillus nimium grauetur: *Thomat. de munerib. pat. §. exactio munerum 2. n. 53. 56. 57. 59. 60. §. non obstat. n. 1. 6. 7.* notandum quòd huiusmodi vocabula magnum examen requirant, inspectionem, & circumspectionem: *vt apud Fabrum C. lib. 9. de muner. patrimonial. tit. 29. def. 26.* & non ad ius, sed libertatem cleri, arbitriumque saltem vt boni viri id pertinet: *c. aduersus. X. de immunit. eccles. Gutier pract. q. l. 1. q. 3. num. 6. & seqq.* &, propter imprudentiam quorundam in ea necessitate, & necessaria cleri subuentione iudicanda, decretum est, vt recursus fiat ad summum Pontificem: *ibid. §. propter.* cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. id cum non satis obseruaretur, Bonifac. VIII. *in c. clericis eod. in 6.* laicis exigere, *vt d. c. aduersus.* clericis etiam soluere prohibuit: quod ibi adiectum non erat, sub pœna excommunicationis. quamquam id temperatum sit, *per extrauag. Bened. XI. Quod olim, & Clem. vnic. eod.* de obligatione huiusmodi in subsidium, cùm laici non sufficiunt, cleri est diligenter cognoscere, an, & quando id sit. *Diana tract. 2. res. 133.*

Et quidem non entia per se non præscribuntur, sed præscriptio inficit matricem ne nasci possint: ætas nimia sterilitatem parit, præscriptio in sua causa tollit effectus, potestatemque indicendi. atque ita quod vsurpauit vetustas, & præscriptio firmauit, mutari alterariúe non debet, *d. §. in omnibus, §. earum.* 29. Quomodo in futurũ à collectis immunitas præscribatur? neque per hoc tamen ita coloni eximuntur, vt à communibus oneribus personalibus personę illorum sint immunes, sed ne contribuant vt coloni; id est, ad ratam mensurarum quas colunt, quæ forma taxandi realitatem sapit: præsertim dum exigitur à cultore non incola; 30. Coloni pro ratione facultatum quas habent, non culturæ ecclesiasticæ taxandi. cùm quilibet in oneribus personalibus non in loco culturæ, & contractus, sed domicilij collectari debeat. *vt diximus.* denique causam iustam subesse non sufficit, nisi & adsit auctoritas indicendi collectam; quæ, quatenus hic foret requisita in clero, supra est dictum, & generaliter aliàs clerum communiter cum populo grauantes incidere in censuras docet Diana *d. tract. 2. r. 45.* adeoque vel per latus solum coloni lædi non potest: vt fieri videtur, quando non pro facultatibus personæ, sed ad modum rerum cultarum collectantur coloni ecclesiastici. 31. Ne per indirectum ecclesia luat.

Nihilominus quoniam, quæ de immunitate colonorum ecclesiasticorum est controuersia, numerosos & graues vtrimque habet auctores, vt Menoch. *de arbit. lib. 2. cas. 562.* pro affirmatiua refert DD. quindecim, pro negatiua plures, & post illum rursus Diana *p. 3. de immunit. tract. 1. res. 19.* affirmatiuam tenet, & alios iterum citat; non est mirum, si in diuersis conciliis contrariæ *vt apud Christin. vol. 1. d. 229. n. 17. 230. n. 7.* quin etiam in ipso Concilio Brabantiæ aliquæ sententiæ latæ sint, quæ nonnihil videantur pugnare. quæ tamen vt iuxta se positæ distinctius clarescant, visum est eas, quæ mihi ad manum fuerunt, hic referre. omissa imprimis illa, quæ inter Annam Ioannis Coninex contra collectores magni Sundert lata est 16. *Iul.* 1574. de bonis illius, Antuerpiæ habitantis, in Sundert sitis, expensis militum, aliisque personalibus oneribus non grauandis, imprimis inter monasterium S. Bernardi & pagos de Westmal & Soursele 22. *Aug.* 1598. *& inter D. Balthasarem Nardi personam, & incolas de Vechel* dictum est, non decimas tantùm, sed & conductores à precariis regiis, similibusque oneribus esse immunes: inter Abbates Auerbodiensem, ac Postulanum contra municipium de Balen 9. *Iulij* 1636. quoad realia onera, quæ ex consensu Statuum Brabantiæ imponuntur, & quæ pro realibus habentur, habebunturúe, eorum colonos fore liberos: quoad verò personalia, 32. Controuersa de colonis quæstio quid de his fere pronuntiarum in Brabantia?

tam

tam quoad expensas militum, quàm alias, eosdem ad ratam aliorum incolarum ex causa culturæ, & negotiationis contributuros: inter municipium Helmondanum, & Abbatissam Binderensem 29. *Nouemb.* 1614. hanc grauari non posse extraordinariis oneribus, tam contributionum Principibus faciendarum, curruum castrensium, pastuum, fortificationum, militum & similium, quàm Batauis, ex causa aut ad ratam culturæ suæ, propriiúe vsus: Inter pastorem contra communitatem de Esch. 24. *Nouemb.* 1636. decimas illius pastoratus, bona, & iumenta immunia esse debere ab omnibus precariis regiis, & pagi oneribus, quàm diu rura sua per famulos suos colit: casum elocationis aliter non exprimens sed iuri relinquens; in oneribus verò contributionum hostilium, ad ratam aliorum contributurum: inter Capitulum & municipium de Gheele 2. *Decemb.* 1606. 1. clerum fore immunem à metatis, hospitiis, & oneribus militum, quantum ad municipium attinet; si autem ipsi milites, absque metatione se ingesserint, à Curia summariè statuetur, quod æquum videbitur: 2. quòd clerus quoad decimas, & bona amortizata, & conductores exempti erunt ab omnibus municipij oneribus: 3. quoad impositiones Statuum Brabantiæ, & taxas illarum loco emissas, contribuent pro rata culturæ: vtique quoad ea, quæ esui & potui, iugis boum, & equorum, &c. tanquam personalia onera imponuntur: 4. quoad patrimonialia, acquisita, seu quæ clerus ab aliis conducit; in precariis ordinariis, extraordinariis, & municipij muneribus soluent vt alij: 5. quod executio non fiet super personis clericorum, nec domiciliis eorum, nec mobilibus, sed super redituum debitoribus, defructuatoribus, & conductoribus bonorum illorum secularium, non amortizatorum: aut in subsidium super eadem bona secularia, aut hypothecas: scilicet quoad fructus; nam quoad fundos ipsos, qui debitorum sunt, aut ecclesiæ, pro alieno clericorum debito subhastari nō possunt. Cæterùm de tributis, vectigalibus, indictionibus, muneribus, immunitatibus varij scripserunt; ad mores nostros sæpè etiam propius Christinæus *decisionum vol.* 5. *dec.* 18. *vsque* 58. *vol.* 6. *d.* 16. & nos aliquid diximus *in Iudice l.* 4. *c.* 30.

CONSVLTATIO II.

An à Clero Domini melius cathallum iure exigant in Flandria?

Comites Flandriæ olim succedebant in medietatem omnium mobilium iis, qui non liberæ erant conditionis, etiam clericis. remisit hoc onus clero Robertus Frisius, *vt Audegerstius in Annal. Flandriæ cap.* 56. *Marchantius lib.* 1. *Fland. de class. stat. eccles. in fin. & nos in Iur. Pont. nou. Anal. de testam.* & Margareta & Guido filius Comites Flandriæ, omnibus omninò seruis, & ancillis: reseruatis dumtaxat aliquot denariis in vita, & in morte meliori cathallo.

Quæritur an clerico moriente cathallum captum restituendum sit? Sanè in antiquis credendum est historicis, & ab historia etiam iuris decisio sumenda. Exempla sunt *in l. in quæst.* 8. *D. ad leg. Iul. Maiest. l. Cicero* 39. *de pœnis. l. postlimin.* 5. *D. de capt. & postl. reuers. l.* 1. *D. de cadauer. punitor.* 1. In antiquis credendum historicis.

Credendum ergo Robertum Frisium hoc ius clericis remisisse, præsertim Vrbano II. Pontif. vehementer eum increpante, & vt id faceret iubente.

Credendum etiam Historicis, qui dicunt Balduinum I. in districtus, & subalternos dominatus (*banieren*) seu baronatus diuisisse Flandriam, & singularibus dynastis attribuisse; adeoque quod generatim Robertus fortè fecerit, accipiendum, secundùm literas Margaretæ & Guidonis, quoad manentes sub Comitis propria, vt ipsi loquuntur, iustitia, & non aliena.

Ideoque vsum & consuetudinem immemorialem attendendam, ex ea historiam iuuari, & ius desumi, an loci diuisi incolæ eam libertatem sint consecuti, aut domini aliud præscripserint. vt rectè Conc. Mechl. 26. *Octob.* 1509. inter Episcopum Cameracensem, & Bailliuum baronatus de Rhodes iudicauit: partes prius admittendo ad probandum, cùm altera assereret, altera negaret à clericis defunctis cathallum optimum solere capi; ac tandem pronuntiauit, non deberi à clericis mortuis in tota terra de Rhodes. quamquam Leoninus generalius accepit in quodam consilio, ne posita quidem immemoriali possessione quasi ea improbanda sit, cùm ecclesiasticus ordo à potestate secularium sit immunis. *c. quicumque. c. omnes. c. volumus.* 2. *quæst.* 1. *c. si diligente de for. competent.* & irreligiosum sit obligatos existere seruituti, qui sacri Ordinis suscipiunt dignitatem. *c. de familiis de ser. non ordin.* adeoque quòd ordinari non possit, qui non absolutè libertatem consequitur. *c. eo lubentius de ser. non ordinand. & c. quicumque. dist.* 54. 2. Et in his consuetudini immemoriali deferendum. 3. Seruus ordinari non potest.

Cæterùm non videtur Concilium in ea Leonini sententia fuisse: alioquin non oportebat partes admittere ad probandum eam possessionem, quæ probata non iuuaret. Ideoque seruus quidem ordinari domino inuito vetatur, sciente eo ordinatus, & non contradicente, liber fit, & ingenuus. *Nouel.* 123. §. *si seruus.* adscriptitius autem inuito domino ordinari permittitur: sic tamen vt & Ordini honor seruetur, & ius patrono. ita scilicet debita domino agricultura præstetur; non tamen per ipsum adscriptitium iam ordinatum, sed per subrogandum *Auth. adscriptitios. C. de Episcopis & cler.* 4. Sciente domino ordinatus fit liber. 5. Adscriptitius illo inuito ordinatur. 6. Sed seruitia præstat per substitutum.

Itaque quidque sine dedecore Ordinis veteribus dominis præstari potest, non interuertitur per ordinationem: præsertim quod in re- 7. quæ sine dedecore Ordinis præstare

8. in rebus ipsis præstandum est, non imminutâ personæ dignitate. sic Nicolaus Burgundus *in tract. consuetud. Flandriæ tract. vlt.* negat seruitutem melioris cathalli corporis esse, sed bonorum. quod non incommodat dignitati clericali: & pro seruitute habendum non esse constat ex literis Margaretæ & Guidonis, quæ in libris edictorum habentur *vol. 1. l. 3. rubric. 30.* *omnes*, inquiunt, *seruos & ancillas totius terræ nostræ Flandriæ manentes sub propria nostra iustitia, & non aliena emancipamus, & tradimus libertati; & pro medietate omnium cathallorum suorum, seruitiis & angariis quæ exigebantur, soluere tenebuntur, vir tres denarios; mulier vnum quolibet anno, & in morte cuiuslibet ipsorum melius cathallum habere debemus.* Ecce personæ manumittuntur, & traduntur libertati: loco autem semissis hæreditarij melius cathallum; loco seruitiorum personalium denarij soluuntur: nihil amplius charta sonat seruitutis remanentis; sed debitum pecuniarium, & rei melioris hæreditariæ. Ordo autem pecuniaria & realia debita non extinguit, sed compatitur; dummodo ne egeat ordinatus. vt nihil per eiusmodi iura officiatur ecclesiæ libertati, & immunitati, dummodo antiquitus sint recepta, atque in iis nati, qui postmodum ordinati. nam vt huiusmodi exactiones, vbi insolitæ sunt, instituantur, aut ad clericos sine tali obligatione natos extendantur, nimis multæ sunt ecclesiasticæ, & imperiales Constitutiones, quæ obsistant. *l. 2. & Auth. nulla communitas. C. de Episcopis & cler. l. placet & Auth. cassa. C. de sacrosanct. eccles. c. non nimis. c. aduers. de immunit. eccles. c. 1. c. cler. eod. in 6. Clem. vnic. eod.* & in terminis ferè nostris à laicis decerpi aliquid ex bonis clericorum prohibet *c. 2. X. De success. ab intest.*

potest teneretur vt antè.

9. Ita & melius cathallum.

10. Quod non dedecorat personam, sed est bonorum seruitus.

11. Alioquin vbi non est immemorialis consuetudo, ius nô permittit à clerico exigi.

12. Fatendum tamen est valde hoc ius esse anomalum & variegatum: alicubi ex solo domicilio constituitur, & migratione tollitur; alicubi nec domicilio constituitur, sed origine agnascitur: alicubi sola in numerum ciuium asscriptione tollitur, quod origine, vel domicilio alibi contractum est: vt neque à climate, fundo, seu iurisdictione certo dependeat. in his statuendum, quòd, si clericus, cui ea obligatio agnata non est, domicilium figat, vbi locus solus nexum parit, vt clericum comprehendere non possit: vtpotè à iurisdictione seculari penitus exemptum, quæ in eum influere non potest. atque vbi migratio, & iurisdictionis mutatio agnatum nexum

Ea admodû varia.

13. soluit, clericum etiam per ordinationem exsolui, qui transeat in aliam ecclesiæ scilicet iurisdictionem. neque vllâ iniuriâ domini; si & migratio sine eius iniuria fieri censeatur. vt iure quidem quisque sibi potest domicilium constituere vbi lubet. *l. 3. 4. 6. 11. §. fin. l. 17. §. patris. D. ad municip.* nisi ei interdictum sit. *l. 31. D. eod.*

Clericum nihil potest afficere, quod non est origine contractum.

CONSVLTATIO III.

Quando ex indiciis, seu præparatoriis informationibus Iudex inauditum reum declarauit non gaudere iure asyli, vel appellari, vel coram eodem Iudice causa de nouo ritè cognosci potest.

EX Constitutione Greg. XIV. confugiens ad ecclesiam, & ab Episcopo declaratus commisisse crimen, quòd immunitate eum priuet, appellatione postpositâ seculari Iudici traditur. Pronunciauit Iudex non audito reo, nec habitis coram se actis, sed ex solis informationibus præparatoriis à Iudice seculari captis: quæsitum est an locus sit appellationi, seu potius querelæ, & officio iudicis? dicendum est, esse. Ratio est, quia eadem constitutio Gregorij disertè requirit cognitionem causæ: quæ implicat rei auditionem, & dum appellationem reiicit, præsupponit præuiam sententiam; sententia acta, atque instantiam inter partes concertatam: sine his sententia nasci non potest, vt partus non potest sine ventre. neque vlla est cognitio aut iudicium tam summarium, in quo inauditus aliquis condemnari possit, multò minus in causa viam sternente ad iudicium capitale, & sine qua illud irrogari non possit. *Clem. sæpè de verb. sig. in vers. non sic tamen Iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & legitimæ defensiones admittantur. Consignari, nec tradi possint* inquit Greg. XIV. *nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina expressa commiserint.* cognitionem requirit, sine qua omnis cessat ratio, per quam constet, quod rei crimina in constitutione expressa commiserint. Adeò vt si v.g. homicidium tam esset notorium, quàm Antuerpiæ ad ædem Diuæ Virginis molem turritam stare; cognosci tamen debeat de qualitate de liberati, casualis, defensiui, proditorij, assasinij: quæ qualitates circumstantias omnes, causas, modum, tempora discuti, reum audiri, defensiones, & causas ab eo contrarias deduci, & probari exigunt. Cùm ergo nec reus hic auditus, nec habita acta fuerint; & sententia non habitis actis lata sit nulla: & ab ea, quæ nulla est, nec appellandum dicatur: *l. 2. C. quando prouocare non est necesse*: inferendum est non esse nos in terminis Bullæ Gregor. XIV. appellationem non admittentis. vtpotè quæ præsupponit legitimam causæ cognitionem reo audito habitam, & sententiam post cognitionem legitimè latam; à qua tunc appellari vetat. Huius vim & priuilegium nullatenus meretur qualiscumque declaratio super informationibus tantum præparatoriis data.

1. Requiritur causæ cognitio.

2. Sine qua nô datur sententia.

3. Præsertim in re capitali.

4. In causa summaria probationes & defensiones admittendæ.

5. Cognitionem talem exigit Const. Greg. XIV.

6. Non habitis actis nô opus est appellatione.

tis. *l.5. & vlt. & tot. tit. C. comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones authoritatem rei iudicatæ non habere.* Quibus accedit ratio, quod Greg. XIV. vt iustitiæ cautum sit, promptè permittit fugientem extrahi, & incarcerari, vt post eam securitatem, non, vt canis è Nilo, Iudex reum lectis semel indiciis, seu præparatoriis informationibus (sine quibus nec capi quis potest) seculari potestati consignet; sed re summariè quamuis, attamen ad præscriptum *d. Clem.* cognita, & perpensa diiudicet. Alioquin solis sufficientibus informationibus, quæ & capturam præcedere debent, non opus esset ambagibus incarcerationis, & sequestrationis, donec cognitio habeatur à Greg. requisita: sed via regia sine sequestratione ex informationibus extrahi, & consignari reus posset. cuius consequentis absurditas vel inde magis patet, quod informationes præparatoriæ, vel apud ipsum Iudicem secularem, qui eas accepit, non alias vires aut effectum habeant, quàm vt ex eis reus decerni apprehendendus, & articuli accusatorij formari, non autem mortalis sententia proferri possit; sed interrogari reus, confiteri, vel conuinci, receptis etiam defensionibus eius & probationibus debeat. Quod si fortè non informationes tantùm habitæ, sed lis contestata, & causa omninò instructa fuerit, vt ex

7. Ex præparatoriis tantum contra asylum latū decretum nō habet priuilegium sententiæ.

confessione vel testimoniis ritè receptis constiterit de crimine non tantùm, sed eâ etiam qualitate, quæ asyli iure reum priuet, & is sub hoc statu causæ effracto fortè carcere, ad asylum fugerit, si quis dixerit aliena quamuis acta Iudicem ecclesiasticum, si nihil vltra rimandum sibi existimauerit, sequi, & cognitionem plenam ex illis capere, quòd reus verè crimen exceptum commiserit, & demum de mandato Episcopi reum curiæ seculari consignare posse, non eo casu adeò reluctabor: in præsenti autem, dum sine processu nulliter pronuntiatum est, appellatione opus quidem non fuit: *d. l. 2. & 4. C. quando prouocare non est necesse*, nec veri nominis appellatio, vt dictum est, adeoque exclusiua recursus ad superiorem interuenit; sed omninò superior prouidet, & ex integro causam cognoscit. *l. cum eo 6. d. tit.*

8. Ideoque appellatio non excluditur per illud, vt per sententiam ritè latam.

Quod vt fiat, iustè hic petet reus vt ex integro allegare defensiones, & probationes possit, nisi malit coram eodem Iudice, qui pronuntiauit, nullitatem deducere, & causam ab eo in debitum statum reponi. *l. si accusatoribus. C. de accusat. glos. ibid. in verb. eundem. Felin. in c. per tuas num. 8. de sent. excom. Imola in l. Iudex nu. 21. D. de re iud. Zabarel. in Clem. 1. n. 9. de re iud.*

9. Vel noua coram eodē Iudice causæ cognitio.

LIBRI QVARTI

TITVLVS I.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CONSULTATIO I.

De sponsalium vinculo & solutione.

1. Sponsalia obligant ad matrimoniū, & ad id sponsus cogi potest etiam censuris.

SPONSALIA de futuro contrahentes obligant sub pœna peccati mortalis ad procedendum à futuris ad ea, quæ sunt de præsenti. *Couar. in epit. de spons. c. 4. Sanchez de matr. l. 1. d. 27. & 29.* quod vsu ecclesiæ probari videtur, dum per excommunicationem etiam cogit nolentes. *c. ex literis. c. requisiuit. X. de spons. dixi in Iur. Pont. nou. anal. de spons. n. 2. optimè Cucchus inst. maior. de sponsal. n. 15. 20. 21.* traditum enim est communiter excommunicationi locum non esse, nisi vbi delictum est mortale. *Nauar. in manual. c. 27. n. 9.* medicina quippe grauior esse non debet morbo; nec medicus vrere, secare, nisi vbi aliter æger curari non potest. non ergo pro leui ac veniali

peccato quispiam à corpore ecclesiæ resecari. vt ex his constet ius ciuile correctum esse, quod sponsalibus renunciari permisit. *l. 1. & ibi Cynus. C. de spons. Papon. lib. 15. tit. 1. ar. 3.* vt neque per canones recipi dicendum sit, quod leges permittunt, vt si formosulus iuuenis edentulam desponderit in integrum restituatur. *Maur. in tract. de restit. in integ. c. 245.* nusquam enim canon legitur ex imparitate ætatis sponsalia soluens, nec praxis ecclesiæ est. *horrendus & incultus est vir? semel placuit: numquid vir frequenter est eligendus? c. hor. 32. q. 5. qua in re quod non licet fœminis, aquè non licet viris. c. apud. ibid. & in term. c. si vxorem ibid. glos. in c. quod semel. de reg. iur. in 6.* in impuberibus non aliis ætas resilire permittit *c. de illis 9. X. de desp. impub.* ob immaturum iudicium non ætatis disparitatem, quin imo sine distinctione sexus puberes exspectare iubentur impuberum ætatem. *c. accessit. d. c. de illis. eod.*

2. Nec ætatis imparitas soluit.

Quod si tamen notabilis deformitas superuene-

uenerit, aut tempore contractus ignota contrahentibus fuerit, licebit à sponsalibus resilire. quippe quæ intelliguntur obligare *rebus sic stantibus*, & excluso dolo, seu eo quod ad dolum rei inexistentem referri potest. vnde redhibitoriæ actionis æquitas edictum ædilitium meruit. *tot. tit. de ædil. edict.* eaque omnis ratio, quæ (ex iuramento contrahentium) mouisset eos, ne contraherent. quomodo ea, quæ in animo consistunt, probantur. *Couar. 2. var. c. 10. n. 2.* non tamen delicatè id accipiendum est, sed moraliter. secundùm communem agendi rationem, aliàs in foro externo iuranti non credetur. *Gutier. de mat. c. 23. nu. 9.*
3. Notabilis tamen deformitas ignorata, aut superueniens solutioni causam præstat. adeoque requiritur notabilis communi iudicio deformitas. qualis est fornicatio subsequens, aut ignorata præcedens in fœmina, aut grauis similis defectus. *Sanch. de mat. l. 1. disp. 57.* sub clara tamen probatione. *Sanch. l. 10. d. 12. n. 47.* seu vt loquitur Vlp. *in l. 1. D. de adult.* in ipsis rebus venereis deprehensione. *c. pen. X. de adult.*
4. Sub clara tamen probatione. Quamquam in sponsalibus soluendis quàm in matrimoniis leuior probatio sufficere videatur. non quia impedimenti semiplena probatio sufficiat ad sistendum sponsaliorum progressum: *c. 12. X. de spons.* cùm id accidat ob publicum fauorem & animæ periculum, & quando nihil simile concurrit, sed iura priuatorum tantùm controuertuntur, probationes ordinariæ requiruntur, & leges communes obtinent:
5. Nisi in contrahendis de animæ periculo agatur. sed quia sine plena probatione potest tamen orta esse infamia, quæ etiam apud bonos grauet, quæ secum proinde trahit grauem mutationem, aut deformitatem, subiectam dissolutioni, vt diximus, quando recipi potest illud Cæsaris, qui vxorem volebat non tantùm crimine carere; sed & omni specie mali: & Hieronymi *in c. dixit dominus 32. q. 1.* vt ob fornicationem vel illius suspicionem liceat vxorem dimittere. sed tamen & *glos. ibid. in verb. suspicio*, violentam exigit. ergo prudenter hæc tractanda sunt, vt ne rumores & detractiones malitiosè progressum impedire volentium pro fama & infamia recipiantur.

6. Turpis tactus punibilis. Sed & illud prudenter arbitrabitur Iudex quo loco, aut quomodo quidquam actum sit, etiam quod Sanchez, & ab eo allegati *lib. 1. disp. 55. n. 5.* tradunt sponsalia solui ob turpes tactus; quia est notabilis mutatio, & impudicæ vitæ signum, sufficiens ad legati amissionem, & patri filiam in his inuentam occidenti ad impunitatem. *l. 23. D. ad leg. Iuliam de adult.* & sponsi iustum fremitum, fortassis & gladium sumendum, *c. nec aliqua. 27. q. 1.* vasallum feudo priuandum, si sic vxorem domini attentarit, *feud. lib. 1. t. 2.* ibique Cuiac. *si manus*, inquit, *tulerit ad papillas, si sub vestimenta.* & idem *lib. 3. tit. 1.* conferri ait cum his (causis eripiendi feudi) causas diuortij, & reuocandæ donationis: adeoque si donatum, legatum, feudum ob huiusmodi turpitudinem reuocari potest an poterunt sponsalia solui.

7. Non tamen Vtique tactus huiusmodi non sufficere ad diuortium, quoad thorum in ipsa Hispania scripsit Sanchez *lib. 10. d. 4. n. 12. & seq.* mores porrò Belgici in osculis neque quod ius, neq; quod mores Italici, Hispanici, aliarumque gentium tribuunt, concedunt, *vt dixi in Iur. Pontif. nou. anal. tit. de cohabit. clericorum & mul. n. 2.* Tactus autem mores quidem nostri non probant; sed non pro tam infamibus hic habent: non ob peccatum in se, quod magis, quàm illæ nationes oderunt: sed quia non hic arguunt sequelam adulterij, aut in illud consensum, si desit opportunitas; vt alibi. vnde nec hic obtinet præsumptio Ouidij: *Oscula qui sumpsit, quod & ille & cætera sumpsit.* & lusus, & fustigationes quæ ab aliquibus in Belgio vsurpantur in festo Innocentium sine criminis sequela, alibi gentium summæ reprehensionis essent. notum est confessariis Belgicis admissos sæpius turpes tactus etiam ab iis, qui non tantùm non in crimen ceciderunt vlterius; sed præ morte illud auersabantur. — Sufficit diuortio aut soluendis sponsalibus.

Quin etiam si quid huiusmodi tactuum fuerit ab aliqua admissum, & sponsus illorum conscius ad copulam progressus est, cùm ea purget conditiones expressas; multò magis tacitas & subintellectas tantùm, atque remittat; *c. de illis. c. per tuas. X. de cond.* multò maximè per eam de moribus cessabit quæstio. extra fornicationem tamen, quæ nimium fœminam infamat, nisi habita sit copula per sponsum illius conscium, quæ ideoque maculam minuit, vt in coniugibus adulterium. *l. 11. C. ad l. Iul. de adult. l. 40. §. idem quæritur. D. eod. Sanch. lib. 10. d. 14.* vt Cucchus *inst. maior. de spons. n. 33.* etiam *c. is qui fidem de spons.* locum esse dicat, vt sponsalia transeant per copulam iure antiquo in matrimonium, etsi interuenerit fornicatio. Qui ergo cùm sponsa copulam exercet morum inquirendorum conditionem remisisse videbitur. *d. c. de illis. d. c. per tuas.* quorum dispositio non est per Concil. Trid. *c. 1. s. 24. de reform. mat.* abrogata, (nisi quod deinceps sponsalia non transeant per copulam in matrimonium) quia defloratæ interest purificari conditionem, & sponsum absolutè teneri ad ducendum, vt hactenus adhuc dispositio seruetur, quæ disertè, vt oporteret, non est mutata. quamuis Sanchez *l. 1. dis. 26.* cespitet. *vt dixi in Iur. Pont. nou. anal. de sponsal. num. 4.* — 8. Morū cognitorum quæstio per copulam cessat. — 9. Etiam post Trid.

Sed & imparitas ætatis, opum, familiarum, aliarumque qualitatum excessus in altero notitiam habente eòque magis disertè & maturè præmonito (vt quilibet scire conditionem illius præsumitur, quocum contrahit) donari videtur. *Sanc. l. 1. d. 14. nu. 2.* donatio autem necessitatem habet traditionis: *institut. de donat. §. alia.* sic vt puella nobilis quæ ignobili sciens prudens promittit, ab ecclesia implere promissa cogitur. *Sanch. ibid.* ita multo maximè si insuper accessit copula, exclusa censenda est omnis quæstio imparitatis. — 10. Imparitas nota donationem implicat.

Quæ eadem ratio facit, vt post copulam non sit de consensu aut dissensu patris & matris — 11. Post copu-

Iam de parentum conſenſu præpoſterè diſputatur.

tris diſputandum. ſed oportet vt ſponſus relinquat patrem & matrem, adhæreatque ſponſæ ſuæ, quæ per corporis ſui traditionem, dando vt ſponſus daret, faciendo vt faceret, præcluſit omnem locum pœnitentiæ. *Leſſ. de Iuſt. l. 2. c. 10. d. 3.* deteſtatur quidem eccleſia filiorum matrimonia, quæ inconſultis diſſentientibuſque parentibus illi affectant, rebus integris: libertatem tamen permittit, rata ea habet: *d. c. 1. ſeſ. 24. Trid.* ſed poſt promiſſum, poſt copulam, fidem fallere non docet, vitiatæ non permittit illudi. *c. 1. & 2. X. de adult.* imò ſponſi & ſponſę copulam transfert in matrimonium. qui effectus etſi à Trid. ſit ſublatus; non tamen cæteri; nec obligatio ad ſolemnizandum in facie eccleſiæ. ſic parentes quidem imparia filiorum coniugia ſeu aliàs inconſulta iure impediunt, rebus integris: at verò filios iam obligatos promiſſis, & copulæ maleficio vt eximant non permittit. *c. veniens 13. in fin. de ſponſ.* quin imò creduntur peccare mortaliter parentes, qui impediunt filios ſub mortali obligatos. *Gutier. de mat. c. 77. num. 8. Sanchez. l. 4. d. 22. n. 7.* & ſic iuſto filiæ matrimonio patrem reſiſtentem excommunicat d. c. veniens *in fin.*

12. Sed fides promiſſa ſeruanda eſt.

13. Et qui frangere cogunt peccant in parentes.

14. Nec ſponſum iam excuſat metus exhæredationis, &c.

Quapropter poſt huiuſmodi promiſſa & magis poſt copulam non eſt etiam admittenda metus exhæredationis allegatio. quam hic ex edicto Regio an. 1623. parentes facere poſſunt. quæ alioquin magnæ eſt conſiderationis: ſed quam ſuperet promiſſi fides, & momentum infamiæ, quam ex copula ſubit ſponſa, obtenta promiſſo matrimonij, ſeu ſponſalibus. Quod promiſſum quamuis non ſæpe clarè probetur, præſumitur tamen facilius nonnumquam ex circumſtantiis. *VVameſ. conſ. 527. de ſponſal. ſub fin.* nam cum ius præſumat defloratam à deflorante eſſe deceptam; deſcenſus facilior eſt ad hanc vel illam ſpeciem deceptionis, promiſſæ fidei, donorum, munerum, opum, &c. pro qualitate deceptæ. itaque virgo aut vidua hactenus publico teſtimonio honeſtè viuens à non admodum impari fide promiſſa decepta credetur; ab admodum autem diſpari donis, diuitiis. &c. præſertim ſi Iudex vtrumque coram adeſſe iubeat, ille moroſus, taciturnus, varius, compoſitus in omnem negationem videatur: illa autem ſæpius repetitis eiuſdem rei ſermonibus (vt ſolent) nunc in choleram, nunc in lachrymas, nunc in iuramenta frequens conformiter ſemper eadem dixerit. quod tum maximè credetur ſi poſt publicè celebrata fuerint ſponſalia. nam eadem obligatio contracta clandeſtinè credetur, & ex conſcientiæ motu ad hæc ſponſum proceſſiſſe: quamuis & ab his nunc reſilire cupiat. nam actus aliquis præſumitur factus ob cauſam præcedentis obligationis. *l. quædam. D. de rei vend.* ſic actus copulæ ob cauſam præcedentium ſponſalium. *d. c. is qui fidem.* Sed & edicti Caroli V. quod tanquam relatum ineſt huic an. 1623. referenti, pœna locum non habet vbi parentum diſſenſum ſupplet Iudex: quod vtique fit reo ad

15. Et fides promiſſa in honeſtis facilius præſumitur.

16. Aliiſque circumſtantiis.

ſponſam ducendam condemnato. nam qui iubet, permittit. & edicta hæc quantum fieri poteſt reſtringenda ſunt ne libertatem matrimonij & obligationem iuxta canones impediant. nec iudicia eccleſiaſtica aliter hactenus hîc recipiunt. præſertim cum ex præcognitis, vt iura ea omnes ſciunt, aut ſcire præſumuntur, diſſolutionem fundare quis non poſſit, ſed ſuæ culpæ imputare.

Verùm enimuerò ſponſorum ad matrimonium progreſſum magnum ſcandalum, capitale odium, diſcordiarum grauium, homicidiorumque metus non vanus, ſed in virum conſtantem cadens, retardare poſſunt. ſed vt dixi grauia hæc non leuia, aut vana eſſe debent. *Sanchez. d. diſp. 14. n. 4.* nam experientia indies docet minas, terroreſque magno boatu incuſſos leui malaciâ poſtmodum conſidere; præſertim in Belgis, quibus eius, quod aliis nationibus manet alta mente repoſtum, amicus vnus hauſtus amneſtiam gignit. Ita vt & grauis mali, & grauis metus eſſe debeat. vt Sylueſter *verb. ſponſ. q. 4. Panor. in d. c. requiſiuit* apparens vxoricidium aut ſimile in exemplum adferant. atque de eo quidem conſtare iuridicè debeat: *iuxta Ledeſma de mat. q. 43. art. 1. diſp. 3.* aut ſaltem *iuxta Sanchez. l. 1. d. 26. n. 6. ſub fin.* ex circumſtantiis prudenti iudicis arbitrio ſtatui poſſit. cuius rei rationem Sanchez & alij adferunt, quod contra charitatem iuſtitia non operetur id, quod ſine peccato fieri nequeat. vt ſi ex tali matrimonio orirentur homicidia, odia, rancores. ſed iterum ad prudentiam iudicis pertinet diſpicere, an non eadem aut grauiora incommoda orirentur, ſi ſponſa deflorata non ducatur vxor. quippe cuius conſanguinei infamiam fortè cædibus vindicabunt (quam rationem PP. adeò ſolent magni facere, vt ſit cauſa frequentiſſima in diſpenſationibus matrimonialibus ſuper conſanguinitate per ſacros canones cognatos coniungi impediente.) Igitur in ancipiti periculo minus malum eligendum eſt, & ferè illud cui iuſtitia aſtipulatur, quando neutra via iniri poteſt ſine læſione charitatis. At verò nec mihi ſatis vnquam probatum fuit, vt his in caſibus ob mali alicuius metum ſponſus abſoluatur. neque enim hic modus in iure tollendæ obligationis recenſetur. & *c. 2. X. de ſponſal.* tolerantiæ talis non permiſſus meminit. nec aliud allegata ab Interpp. ratio euincit, & minus malum tolerari hic, vt in lupanaribus iudicat Couar. *vbi ſup. num. 7.* ſed ex publico & nobili iudicis officio promanat: adeoque ſicut quando ob rem aliquam controuerſam cùm periculum eſt, ne ad arma veniant litigantes indicitur ſequeſtratio, neque ea tamen iuri partium derogat; ita in grauibus his ſponſorum conſanguineorumque imminentibus diſcordiis nihil partium iuri derogandum videtur; ſed poteſt, debetque iudex matrimonium interdicere, executionemque promiſſorum ſuſpendere, & diſpicere an tempeſtas fortè ſedari poterit. Quæ omnia cùm ita ſint, ad abſolutionem F. rei ſuffragari non poteſt imparitas ætatis

17. In Belgis non facile ſoluenda ſponſalia ob periculum diſcordiarũ amicorum.

18. De grauis mali graui metu conſtare debet, arbitrio prudentis.

19. Aliàs non eſt admittẽdum vt peccet fidem frangendo clarè, cũ de alio peccato tantùm eſt metus.

20. Suſpendi aliquando

progressus, non absolui sponsus potest. ætatis M. sponsæ, familiæ opum, metus exhe-redationis, ac discordiarum, allegatio sine sufficienti probatione tactuum non pudicorum; dum ex actis causæ constat singula hæc elidi per rationes iam deductas dum singulis applicantur. non suffragari, inquam, ad absolutionem seu rescissionem sponsalium; sed potius cogendum eum esse ad solemnizandum ritè matrimonium.

CONSVLTATIO II.

De dispensatione super denuntiationibus.

1\. Dispensare super bannis Ordinarius potest ex causa. PRouidè admodum Concilium Lateranense *c. cum inhibitio. X. de clandest. despons.* clandestina prohibet matrimonia: & ne quis sacerdos iis intersit: iubet vt præmittantur in ecclesia coniungendorum publicè proclamationes. quod decretum ita in omnibus prouinciis fuit exauditum, vt ex causa rationabili Ordinariis locorum super proclamationibus liceret dispensare. de qua consuetudine testatur Sanchez *de mat. lib. 3. disp. 7. n. 2.* adeoque is vsus inualuerat, vt Episcopis etiam inferiores denunciationes remitterent. vt refert Choppin. *de sacra polit. l. 2. t. 7. n. 6.* Episcopi & Decani Niuernensis desuper concordata à Curia Parisiensi an. 1400. & 1408. probata, & arrestis 1585. 1587. confirmata, & possessionem peruetustam ab eadem Curia an. 1396. laudatam. Nunc Concilium Trid. *s. 24. c. 1. de ref. mat.* Ordinario disertè attribuit hanc facultatem.

2\. Denunciationis omissio non viciat matrimonium. Et verò Concilij Lateranensis constitutio ex omissione denunciationum nullitatem non infligit, sed pœnas alias tum sacerdoti, tum contrahentibus; & his quidem, vt soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur; non quidem simpliciter; sed demum si in gradu prohibito, seu alio cum impedimento per canones dirimenti, etiam ignoranter, iniri præsumpta fuerint. *d. c. cum. §. penult.*

3\. Nec clandestina irrita sunt, quamdiu, & quæ ecclesia non fecit irrita. Quod & ipsum manifestè constat ex textu Concilij Tridentini, quod *s. 24. de reformat. c. 1.* clandestina matrimonia declarat rata, & vera esse matrimonia quam diu ecclesia illa irrita non fecerit; & anathemate damnat eos, qui ea vera & rata esse negant: & eos qui talia contraxerunt, & alia palam contrahunt in perpetuo adulterio viuere, eidemque malo ab ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non posse, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, vt paulò infra nullitatem introducit matrimoniorum sine parocho & testibus initorum. quo remedio nec opus erat, nec verò efficacius erat, si ex Concilio Lateranensi iam olim præscriptæ proclamationes omissæ matrimonia vitiarent. Vnde sequitur nec olim fuisse, nec hodie esse denunciationes de substantia matrimonij; sed accidentarias tantùm solemnitates, quarum omissio nullitatem nõ inducat. *latè Sanchez de mat. l. 3. d. 5. Riccius in prax. matrim. decis. 257.* vbi inter alios citat Vgolinũ, qui Concilij Tridentini interpretes ita declarasse refert, quibus accedit Gutier. *de matr. c. 56. Sahagun. hoc tit. n. 46. aliq; passim.* ipsiusque Concilij textus rursus id infert dũ *in §. qui aliter.* nõ ex omissis proclamationibus, receptoue vniuscuiusue prouinciæ ritu, sed ex sola parochi testiumque absentia nullitatem inducit.

Ipsas verò dispensationes super ipsis denunciationibus pridẽ post Conc. Lateranense cõsuetudine passim, & nimium fortè, vsurpatas prudentiæ & iudicio Ordinarij relinquit. qui modus loquendi cum eo coincidit, qui prudẽtiæ & conscientiæ alicuius committit; nam iudicium, & conscientia idem sunt; & ait gloss. *in c. statutum. §. assessorem de rescript. in 6. in verb. relinquatur. cum hoc conscientiæ relinquatur ipsius iudicis, ergo solus Deus hic, & nullus alius est Iudex vel cognitor, nec ex eo potest quis inferre quæstionem Iudici.* 4. Conscientiæ Ordinarij dispensatio relinquitur, qui nulli causam reddit.

Cùm autem & huiusmodi dispensationes causam requirant; gratiâ exempli, Concilium subdit; *quod si aliquando probabilis fuerit suspicio malitiosè matrimonium impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; vt eæ remitti possint.* id quod multò magis debet obtinere, si hostiliter impetendum, aut impediendum timeatur. 5. Malitiosi & hostilis impedimenti prima causa.

Quod verò attinet, quod obiici potest, edictum Blesense articulo 40. quasi ex eo iustæ nuptiæ contrahi non possint, nisi trinâ publicâ monitione præcedente; sanè vt validę non censeantur quoad accidentales formas, & ciuiles clandestinitatis vmbras, ad effectus ciuiles, de quibus Regum sit dispicere; recipi tamen non potest vt inualidæ sint quoad essentiam matrimonij. fidei enim iam non amplius controuersæ est post Concil. Tridentinum clandestina matrimonia rata esse, & vera; quam diu, non seculares Principes, *sed ecclesia*, inquit Concil. Tridentinum, *ea irrita non fecit.* quod & anathemate, vt diximus, eos damnat, qui ea vera, ac rata esse negant. 6. Quid censendum de edicto Blesensi art. 40. 7. Aut ad ciuilia tantùm pertinet;

Quod si quis præfractè vrgeat edicti verba; *ne pourront vaillablement contracter* ad matrimonij essentiam sacramentalem pertinere; dici is sibi patietur, si hoc ei dandum sit, edictum istud ab ecclesia quasi per ignorantiam facti dissimulari; saluo tamen ecclesiæ cum requireretur examine in materia hac sacramenti & fidei. multa autem sæpè tolerantur in patientia, quæ in iudicium deinde deducta irrita declarantur. sicut & Concilium Florent. ante duo secula tolerauit ad schismatis euitationem, ne Græci esse purgatorios ignes credere teneantur, quos credit Latina ecclesia. *Coninck de sacram. disp. 11. d. 3.* porrò post mortem Henrici III. latoris istius legis, Ligæ regimine durante, Parisiis, ac alibi publicatum est d. c. 1. *de reformat. Conc. Trid.* 8. Aut declarationi Cõcilij aduersatur.

Sed

9. Et extra Galliã nullatenus obligat.

Sed nec hac diſputatione de conſtitutione Gallica nobis eſt opus, qui tractamus de matrimonio extra Galliam contracto. quo in caſu Concilium Triburienſe definiuit *c.1. X. de ſponſal.* Francum qui vxorem in Saxonia duxerat ſecundùm leges Saxonum, cùm Saxones & Francigenæ non iiſdem vterentur, aliamq; ſuperduxerat; vt ille tranſgreſſor euangelicæ legis ſubiiceretur pœnitentiæ, & à ſecunda coniuge ſepararetur, & ad priorem redire cogeretur.

10. Ordinarius ſolemniſationem matrimonij committit, vt parochus.

Neque ad clandeſtinitatem facit, quòd matrimonium ex diſpenſatione ſuper omiſſione bannorum contractum ſit coram monacho, qui nec ex officio ſuo, aut ſuperioris regularis facultatem habet; cùm id ei ab Ordinario ſit commiſſum iuxta d. c.1. *de refor. mat. Conc. Trid. §. qui aliter in verb. de ipſius parochi aut Ordinarij licentia.*

11. Clandeſtina matrimonia eccleſiæ notificata recipiuntur tanquã à principio inita.

Præſertim cùm veteres canones ad vitium clandeſtinitatis purgandum non aliud requirant, quàm vt matrimonia clandeſtinè quamuis contracta eccleſiæ notificentur: vt, ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare, ab eccleſia recipienda ſint, & comprobanda; tanquam à principio in eccleſiæ conſpectu contracta. *ita c.2. X. de clandeſtin. deſp.*

12. Coram Ordinario aut parocho hodie, & teſtibus.

Atque ipſi deinde coniuges coram ipſo Ordinario M. ſub cuius diœceſi iam tum degebant, & pridem moram maiorem traxerant, quàm ad intentionem d. Conc. *Trid. c.1.* neceſſarium ſit, *iuxta c. fin. X. de paroch. c. nullus de temp. ord. in 6. c. is qui. de ſepult. in 6. c. quæſt.* 16. *q.1. c. ad apoſtolicæ. X. de dec. l. hæres abſens. §. at ſi quis. D. de Iudic. Sanchez de mat. lib.3. diſp.23. n.10. & ſeqq.* idem matrimonium coram ſolemni plurimorum, nobiliſſimorumque diuerſis ex nationibus teſtium corona renouauerint.

CONSULTATIO III.

Conſenſu per verba aut ſigna à parocho & teſtibus non plenè intellecto, nondum perfectum eſt matrimonium.

Præſentia parochi & teſtium in celebratione matrimonij talis requiritur, vt intelligant quod agitur. *l. coram* 209. *D. de verb. ſignif. coram Titio*, inquit, *aliquid facere iuſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat.* iuuant verba & ratio Conc. Trid. *ſ.24. c.1.* verba; *eorum mutuo conſenſu intellecto*, & ſubiungit, *qui aliter quàm præſente, &c.* vt intelligat mutuum conſenſum: ratio; intendit Concilium viam obſtruere clandeſtinis matrimoniis & adulteriis perpetuis, in quæ labebantur clam coniuncti, publicè dein cum aliis contrahentes: dum eccleſia iudicare non poteſt de occultis: igitur præſentes parochi & teſtes ita eſſe debent, vt fidem eccleſiæ facere poſſint de contractu matrimonij: non poſſunt; ſi non intellexerunt contrahentes. *ita Sanchez de matr. l.3. c.39. Gutier. de mat. c.69. & quos allegant. Riccius deciſ.243.* vbi quamuis idem Riccius obſcurè decidat; Sanchez & Gutierres obſcuram fateantur quandam Cardinalium declarationẽ; ex ratione tamen ſuperius data, clarè & conſtanter aſſerunt, quòd per quamcumque etiã affectationem, parochus non intelligat, quod agitur, non valere matrimonium: dummodo verè non intelligat contrahentium voluntatem; neque per verba, neque per ſigna. nam & hæc ſufficiunt, dummodo clara ſint, & indubitata. *Sanchez de matr. lib.2. diſp.31. n.5.* Ideoque nõ ſubſiſtit matrimonium attentatum inter A. & B. coram proprio parocho per fraudem ad hortum vocato, qui profugit ſtatim atque audiuit pronuntiantem A. *ego do*; & iuratus coram Iudice aſſeruit ſe vlterius nihil audiuiſſe: ex B. verò nec ſigna, nec verba intellexiſſe: quamuis teſtes aſſerant, vtrumque plenè pronunciaſſe, ego tibi do fidem meam chriſtianam; & parochum, ſi voluiſſet intelligere potuiſſe: nam ſiue noluit, ſiue perturbatus inopinato attentato, ſiue per clamores, qui probantur, non potuerit, parum intereſt; dummodo reuera non intellexerit. nam ſcire eum oportet: non velle *d. l. coram.* præſertim cum A. & B. iure improbato, & punibili more egerint, nec audientiam merebantur.

Sed an non præſumetur intellexiſſe, quod omnes alij adſtantes intellexerunt? valdè hac in re verſatur officium Iudicis, quem ex ſententia animi ſui æſtimare oportet quid credat. *l.3. §. ideoq; D. de teſtib.* 1. An præſumatur paſtor non intellexiſſe, quod cæteri intellexerunt?

Nihilominus quia paſtor eſt omni exceptione maior, dictum illius veriſimile faciunt circumſtantiæ, clamores, cholera, fuga. & teſtimonium parochi proprij circa actum celebrationis matrimonij tanquam ad officium ſuum pertinentem ſummam habet probationem. *Farinac. crim. dec.322. n.2. 324. n.2. 337. n.1. 3. 292. n.2.* præterquam quod quæ in animo & intellectu conſiſtunt, ferè iuramento probantur, etiam partis; multò magis eius cuius non intereſt, neutralis, ex officio publici teſtis, *Sanchez de mat. lib.1. diſp.62. in fin. poſt Couuar. Maſcard. & ab iis citatos.*

Cur igitur fugit ſi non intellexit voluntatem A. & B? procul dubio apprehendit malum aliquod propoſitum illos fouere; ſed non id ſufficit: requiruntur verba, vel clara ſigna actus re ipſa exerciti, contractique matrimonij; non ſufficit propoſitum exercendi vel cõtrahendi; non conatus ad matrimonium, ſed requiritur, actus contractuſque de præſenti re ipſa coram parocho exercitus, non ſufficiunt indicia voluntatis contrahendi.

Præterquam quòd verba ſuperius recitata applicari poſſint ad præſens, & ad futurum: *c. is qui fidem. X. de ſponſ.* atque ideò ex adiunctis & circumſtantiis determinentur; *Farinac. deciſ. crim.266. n.3.* adeoq; cùm tam ipſa B. poſtridie eiuſmodi attentati coram Iudice, & iterum aliàs præſente parte declarauerit mentem ſuam

suam fuisse dumtaxat sponsalia de futuro contrahere; idemque asserat ancilla B. sibi ab ea prædictum ante horti ingressum, quòdque non progrederetur ad matrimonium de præsenti, nisi habito parentum consensu; credendum est etiam ex intentione B. deficere matrimonium: quamuis moralis parochi præsentia non defuisset. atque ita superfore solam quæstionem de vi sponsalium.

CONSVLTATIO IV.

Consensu coram parocho & testibus re ipsa indicato iam perfectum est matrimonium.

Coram pastore Iacobus & Margareta, dispensati super bannis, præstiterunt iuramentum consuetum, quòd nullum sciant impedimentum; matrimonij contrahendi causâ venerunt ad templum; & iam ad altare constituti coram parocho & testibus, porrexerunt inuicem dexteras, stola super-imposita est, sponsus formam matrimonialem protulit; sed antequam sponsa incepisset vel verbum, superuenit Berta, quæ furibunda exserto cultro sponsum & sponsam inuasit; turbauit; totumque cœtum dispulit. Res hæc non amplius est integra; sed consensus coniugalis coram parocho & testibus satis expressus: matrimonium itaque iam perfectum est. Concilium enim Trid. *s.24. c.1. de reform. matr.* quoad ea quæ consensum inducunt, nihil innouauit, sed eius declarationem tantùm coràm parocho & testibus fieri exegit. Vnde ait; *parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat; ego vos in matrimonium coniungo, &c.* mutuum consensum intelligi tantùm requirit Concilium; quo indicato, iam contractum est matrimonium: ipsæ partes ministræ huius sacramenti iam illud perfecerunt, & procedit pastor ad ceremonialia ministeria. Verbis ad subsistentiam opus non est. *Sanchez de mat. l. 2. d. 31.* Serius ergo queritur Berta sponsum sibi deuinctum esse; restat tantùm ei succedaneum remedium eius quod interest ita esse deceptam, & desertam.

CONSVLTATIO V.

Species facti ita habet.

Adrianus Dordraci, & Margareta Roterodami domicilium habentes, nullibi factis proclamationibus, Amsterodami coram tribus sacerdotibus, quorum vnus Dordraci, alter Roterodami ex superiorum commissione parochi sunt, seu parochorum munere funguntur, tertius in primi loco vicariam operam parochialem præstat, porrectis inuicem dextris in mensa conuiuiali, atque his verbis respectiuè, *accipio te in maritum, accipio te in vxorem*, serio prolatis, de facto contraxerunt matrimonium, præsente insuper notario, aliisque testibus; indignantibus quidem dictis sacerdotibus, rem tamen, quæ gerebatur, probè intelligentibus:

Quæritur

An dictum matrimonium iure subsistat? præsertim cum præiudicio tertij, videlicet Paulæ, quæ à dicto Adriano deflorata erat, & prætendit factas sibi ante fuisse ab illo promissiones de illam in vxorem ducendo, vi quarum ad copulam inducta fuerit.

1\. Res hæc docet, quàm iustè motum fuerit Concilium Lateranense *relatum in c. cum inhibitio. X. de clandest. desp. &* Concilium Trident. *s. 24. de mat. c. 1.* vt matrimoniis contrahendis præmitterentur proclamationes in ecclesiis; vt detegerentur, si qua forent, impedimenta: iterumque idem Concilium Tridentinum matrimonium cum benedictione sacerdotis, præuiâ confessione & communione, aliisque seruatis laudabilibus consuetudinibus, quibus hac in re quæque prouincia vtitur, matrimonium iniri voluerit; vtpotè quæ res sancta sit, adeoque sanctè tractanda.

Omissio proclamationũ aliarumque solemnitatum non vitiat matrimoniũ præter solam parochi testiumque absentiam.

Nihilominus idem Concil. Trid. *d. c. 1. §. qui aliter* non aliam omninò inducit nullitatem, quàm si fuerit defectus proprij parochi, testiumque, vel alterius sacerdotis à parocho vel Ordinario licentiam habentis; quin etiam aliter contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

Itaque quando hæc forma Concilij seruatur, quamuis non ritè, non rectè agant contrahentes; validè tamen, & ratè contrahunt.

Siquidem non aliud olim ad matrimonij substantiam requirebatur, quàm contrahentium impedimento canonico carentium consensus, *l. nuptias. D. de reg. iur. c. matrimonium 27. q. 2. matrimonium*, inquit, *non facit coïtus, sed voluntas. c. sufficiat. c. omnis. c. cum initur. c. coniuges. ibid.* ideoque in quantum per Concilium Tridentinum id mutatum non est, mansit fine alteratione. quod enim non mutatur cur stare prohibeatur? inquit *l. sancimus. C. de testam.*

Quare, secundùm ea quæ proponuntur in facti specie, cùm adhibiti hîc fuerint contrahentium parochi, seu qui parochorum munere ex superiorum permissu funguntur, testesque plures cum notario, quorum defectum solum pœnâ nullitatis Concilium perstringit; dicendum est, quamuis prædictus Adrianus & Margareta grauiter peccauerint, vt supra refertur contrahendo, matrimonium tamen ratum atque validum contraxisse; etiam non obstante impedimento, quod idem Adrianus prædictæ Paulæ promissis matrimonialibus esset obstrictus. quippe impedimentum huiusmodi impediens tantùm est matrimonium,

non

non dirimens: vnde & poſt ſponſalia de futuro, alia per verba de præſenti præualent. *c.1. X.de ſponſ. duor. c.veniens. c. is qui fidem. X. de ſponſal.* nec verò ſponſalia poſt Concilium Tridentinum per ſecutam copulam in matrimonium tranſeunt. *Barboſ.in collect. DD.ad Concil. Trid.& citati ad d.c.1.n.152.*

Itaque, vt ſingulas ſeparatim circumſtantias examinemus, reuertamur ad proclamationes, vnde cepimus. & earum omiſſionem matrimonium non vitiare ex eo conſtat, quòd, vt diximus, vt ad matrimonij ſubſtantiam validitatemque iure vetere non requirebatur niſi ſolus contrahentium conſenſus, & dum Concilium Lateranenſe *in d. c. inhibitio* fieri deinde iuſſit proclamationes, non adiunxit ex omiſſione nullitatem, ſed alias pœnas tum contrahentibus, tum ſacerdoti ſic aſſiſtenti inflixit.

Quod & ipſum manifeſtè conſtat ex textu Concilij Tridentini: quoniam etſi Concil. Lateranenſe pridem decreuerat præmittendas matrimoniis denuntiationes, & clandeſtinos contractus vetuerat; dicit tamen Tridentinum *d.c.1.* nullum hactenus remedium ſuffeciſſe: ſuffeciſſet autem, ſi ex proclamationum omiſſione, aut clandeſtinitate matrimoniorum nullitas fuiſſet inducta. *vt latius in hanc rem textum d.c.1.excuſſimus conſult.2. h.tit.* & hanc ſententiam recipit ingens claſſis Doctorum *quos citat Barboſ. in Collect. ad Concil. Trid.ad d.c.1.n.21.n.66.*

2. Validè corā proprio contrahitur extra parochiam.

Succedit diſcutienda altera circumſtantia quòd Amſterodami contraxerint, qui alibi domicilium habebant: ſed quoniam exhibitio præſentiæ, quam parochus facit, eſt voluntariæ iuriſdictionis, præſtari poteſt à parocho etiam extra parochiam; ſibi tamen ſubditis. vt cenſuit S. Congreg. *Interp.concil. 16. Feb.1595. vt in eandem ſententiam iuerunt Gutier. de mat.c.62.n.5. & quos allegat, & citati à Barboſ.in Collect.DD.ad d.c.1.n.86.*

3. Proprio viri aut mulieris.

Deinde conſideranda eſt circumſtantia, quòd tres interfuerint ſacerdotes, & tam parochus viri, eiuſque Vicarius, quàm mulieris: cùm à quouis eorum ſolemnizari matrimonium poſſit, atque alterutrius præſentia ſufficiat: vt iterum interpretata eſt S.Congreg. *& aſſentiuntur Gutier. de mat. c.62. poſt alios quos citat Zerol.in prax. p.2. verb. §.1. Sahagun. h. t. & quos plurimos allegat Barboſ. in Collect. DD.ad Concilium Trident. ad d.c.1.n.13. & 14. & conforme eſt Concil. prouinc. Mechl. 1. tit.de mat. c.5. Mechl.2. à Sede Apoſtolica confirmato eod.tit.c.3.*

4. Etiam in menſa:

Quod attinet ad circumſtantiam præſentiæ parochi ad menſam, non ad locum ſacrum, aut cum ceremoniis ritibuſque eccleſiæ adhibiti: iterum deciſum à S.Congreg.*6. Iunij.1582.* eſt ſufficere taliter illum adhiberi, vt moraliter præſens ſit, id eſt, intelligat quod agitur *l.coram.D.de verb.ſignif. Barboſ.& citati ad d.c.1.n.79.* quamuis ob aliam cauſam acerſitus, vel inuitus adſit. *d.l.coram. Gonzal.ad reg.8. Cancel. gloſ.48.n.35. Gutier.de mat.c.69.*

5. Corā inuito:

n... Riccius deciſ.243. & quos citat ſatis multos. idem Barboſ.ad d.c.1.n.81.82.83.84. idemque & obtinere in teſtibus, vt ad aliam cauſam vocati, & inuiti ſufficiant, tradunt citati *ibid. n.141.142.*

Adeò quidem vt quamuis indignati fuerint iidem parochi, quod omiſſis eccleſiæ ritibus, matrimonium in menſa contraheretur; ea res ad nullitatem ſit inefficax: cùm verè interuenerit præſentia parochi teſtiumque: ex quorum ſolorum defectu, nec vllo alio, Concilium induxit nullitatem. vt diſſenſus parochi nihil hic operetur.

Eoque minus id mirum videri debet, cùm etiam interdictum Epiſcopi, vel Pontificis matrimonium illo contempto contractum nō irritet. *c.1.& tot.tit. X.de matr. contr. interdict. eccleſ.contract.* vtique cum partibus, quin & parocho titulum beneficij habenti, ſit inhibitio: quòd ſi autem titulum non habeat beneficij, ſed tantùm authoritatem ſubdelegatam; obſtare videretur inhibitio. quia beneficiariis parochis manente titulo auferri pro lubitu non poteſt iuriſdictio; ſed illum comitatur vt Solem ſplendor; auferri autem titulus non poteſt, niſi ex cauſis in iure expreſſis: vt neque ſuſpenſio ab executione officij aut beneficij, quin & coram ritè ſuſpenſo parocho contractum valet matrimonium: *citati à Barboſ. vbi ſup. n.92.* delegatis autem auferri poteſt pro delegantis arbitrio. quia iudicium ſoluitur vetante iudicare eo, qui iuſſit. *l.iudicium. D. de iud.* Itaque ſacerdotibus, qui ex beneficio parochi non ſunt, ſed tantùm ab Ordinario vel parocho habent licentiam, vt loquitur Tridentinum, aſſiſtendi matrimoniis, inhibente eodem Ordinario, vel parocho ceſſat licentia: adeoque validitas matrimonij ſublata licentia coram tali contracti. *citati à Barboſ. ad d.c.1.n.130.*

6. Contradicēte, aut interdicente.

7. A ſuperiore etiam vetito parocho qui titulum habet, non licentiam tantùm.

Reſtat quod conſiderari poteſt, quòd impenſa non tantùm non fuerit hic contrahentibus benedictio; ſed ne quidem parochus, conſenſu contrahentium intellecto partes eas egerit, quas ei præſcribit Concilium Tridentinum: *dicat, inquit, ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vel aliis vtatur verbis iuxta receptum vniuſcuiuſque Prouinciæ ritum.* Quoniam rurſus redimus ad priorem ſolutionem, quod Concilium ſoli defectui præſentię parochi & teſtium nullitatem affixerit, nulli autem alteri omiſſioni aut contemtui: & anteriori iure clandeſtina matrimonia rata erant: & ſic coniuncti, ſi aliam ducebant, adulterio polluebantur: *vt declarat Trid. d. c.1. in princ.* & ſi ita contrahentes poſtmodum ſua matrimonia publicabant, ab eccleſia recipiebantur tanquam à principio in eccleſiæ conſpectu contracta. *c.2.X.de clandeſt. diſpenſ.* & his conformiter, etſi parochus verba nulla pronuntiet, nihil officere validitati matrimonij tradunt citati *numero copioſo à Barboſ.in Collect.DD. ad d. c.1.n.45.* idemque de benedictionis omiſſione traditur *à citatis num.177.*

8. Non impenſa etiam benedictione: aut aliorum verborum à parocho prolatione.

Et in his quidem locis cùm sæpius similes casus occurrissent, sic quidem contrahentes canonicè puniti, coniugia tamen eorum pro validis agnita fuerunt.

9. Nec obstat tertij præiudicium, sed ei sua manet actio.

Præiudicium quod patitur Paula, nihil ex hac resolutione potest euertere; cùm in iure, vt diximus, liquidum sit, cùm data est vni fides de futuro, alteri de præsenti, matrimonium de præsenti præualere. *d.c.1. X. de sponsa. duor.* non cessat tamen eius actio super deflorationis reparatione, damnis, atque interesse. *ex c.1.X.de adult.& stup.* quin imo nec de illa in vxorem ducenda actio, si quidem promissa probare poterit, omninò videtur exstincta; sed sopita potius: cùm huiusmodi factum iure improbatum, modus non sit tollendæ obligationis. sed,quia lege christianâ est inhibita poligamia, exactio sistitur: adeoque si solueretur per mortem dictæ Margaretæ huiusmodi matrimonium, sublato legis impedimento, reuiuisceret obligatio ducendi in vxorem d.Paulam, si vt diximus, promissiones matrimoniales probare potuerit, aut in defectum probationis delatum à parte, aut à Iudice ex officio *iuxta c.vlt.§. fin.§.de iureiur.* fuerit iuramentum super iisdem promissionibus.

10. Etiam ad ducendum si sponsam mori contingat.

CONSVLTATIO VI.

Habitans in loco publicati Concilij Trid. contrahens in loco non publicati citra illius formam, an validè contrahat?

Titius & Caia hæretici, fixum domicilium habentes in loco, vbi Concilium Tridentinum est publicatum,singulatim quoad decretum *c.1. s.24. de reformat.* diuertunt per modum hospitij, seu transitus ad locum, vbi non est publicatum, ibidemque contrahunt matrimonium, non seruatâ formâ eiusdem decreti *in §.qui aliter* præscripta, eoque sic contracto domum redeunt, & domicilium continuant.

Quæritur

An matrimonium huiusmodi validum sit, an irritum?

In qua quæstione dissentire videntur Sanchez *de matrim.lib.3.disp.18.n.17.18.& 19.Basilius Pontius de mat.lib.1.c.7.nu.3. Petrus de Ledesma de matr.q.45.Enriques l.11. de matrim.c.3.n.8.Manuel.1.tom. sum.2. edit.c.219. nu.2.in fin.Siluius 3. part.quæst.45. ar.5.q.4. Malder. in meditat. theol. diei.27. de matrim.* quorum alij validum, alij inualidum docent esse huiusmodi matrimonium.

1. Rationes affirmantiũ:

Irritum affirmantium potissimum est argumentum,quòd lex subditum afficiat quocumque se transferat. *l.2.C.de commer.vbi Barthol. & Salicet.l.2. C.de vectigal. & t.l.fin. D.de decret.ab ord. faciend.c.fin. de constit. vbi DD. Pecquius de iur.sist.c.8. in princ.* vt interdicti & excommunicati ad alienum etiam territorium suum nexum trahunt. *c.quisquis 4.q.5.vbi glos. c.si quis presbyter 7.q.1.*

Accedit quòd Synodus reddat contrahentes contra formam præscriptam ad sic contrahendum inhabiles omninò: quod verbum est vniuersale; *Gonzales ad Reg.8. Cancel.glos.6. n.20.* comprehendens indistinctè omnes casus; *glos. in l. cum exceptione. §. quatenus. D. quod met. caus.* perinde ac si diceretur omni modo, omni parte: *Clement.1. vbi glos. verb. omninò de vita & honest. clericor.* Ideo quòd inhabilitas à decreto inducta ad sic contrahendum liget alibi existentem: vt etiam de statuto tradit personam inhabilitante Paris. *lib.1.cons.99.n.54. & Nicol. Burgund.tract.1.n.8.de consuet. Flandria.* inhabilitatem personæ ad actus personales directam etiam statuto inductam vbique tradit obtinere; tanquam qualitatem ossibus inhærentem: quod vtique eò magis in ea qualitate obtinere debet, quæ à iure communi infigitur: *per rationes & authores quas sibi obiicit Sanchez d.c.18.n.7.* præsertim canonico: cuius territorium est orbis quàquà versum patet, & qui parochianus est loci, vbi Concilium est publicatum; per breue diuerticulum ad locum, vbi non est publicatum, non desinat esse parochianus, & teneri d.c.1.quod semper in eum robur habet post triginta dies à publicatione: cùm nihil interueniat, quod eum faciat non esse parochianũ; ab eoue decreto eximat.cui accedit quod hæc sententia iuuet.intentionem Concilij; vt quæ narrat inconuenientia magis euitentur; & animabus consultum sit: quæ altera minus cauet, & prioribus incommodis rem subiicit: adeoque nec sufficienter occurrit clandestinis matrimoniis, quibus extirpandis Concilium laborauit, animaduertens priores prohibitiones non satis prodesse.

Qui validum huiusmodi matrimonium esse sustinent, eò maximè mouentur argumento, quòd extra domicilium existentes illius lege soluti sunt: *Sanchez n.27. vbi supra.* & præsertim quod ad solemnitatem actus, aut contractus inspiciantur iura eius loci,vbi contrahitur: *Sanchez n.15.* vt in terminis matrimonij deciditur *in.c.1.X.de sponsal.* 2. Contrà negantium.

Enimuerò decretum Concilij valde specialem publicationem requirit *in. §. fin.* & talem, qualis nulla exigitur in toto corpore iuris; scilicet quæ fiat in vnaquaque parochia, vt vbi sic publicatum erit, post triginta dies robur habere incipiat; vbi publicatum non erit, non habeat. adeoque innuitur totum eius robur ex loco quolibet, & publicatione locali dignosci; atque in rem seu locum dirigi, non in personam loqui generaliter, non de hic vel sic habitantibus, hospitantibus, proficiscentibus; generalitatem modificare & restringere ad loca publicationis: itaque quod generaliter dicitur de legibus præsertim iuris communis, in loco domicilij obtinentibus, aliquem existen-

3. Decretum Concilij s.24. de mat.c.1.est locale non directum in personã seu in rem.

exiſtentem ligare, reſtringendum eſſe per cauſam publicationis, quam ſic requirit §. finalis, vt robur non habeat niſi in loco publicationis. vnde qui contrahunt in loco non publicati decreti, ſentire ibi non poſſunt robur decreti. neque enim Concilium domicilium & ſcientiam dicit ſufficere *in d. §. ne vero*, deſiderat quidem publicationem ob ſcientiam, ſed non in eo ſiſtit; ſed pergit *verſ. decernit inſuper*: neque Concilium dicit quorum in parochia publicatum erit Concilium vbique obligabuntur; ſed *decretum in vnaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat*; in rem loquitur, & de vi legis agit localiter; adeoque omnis inhabilitas ad ſic contrahendum eo decreto irrogata non eſt ſimplex, ſed localis; & quæ ſurgit ex vi legis; quæ vbi loci ceſſat, ceſſabit inhabilitas; tanquam effectus ceſſantis cauſæ, cuius robur eo loci nullum ſit.

4. Ideoque ex vi decreti in loco publicati vel non publicati vbi contrahitur, pendet ſubſiſtentia matrimonij, & nullitas.

Quod magis apprehenditur ſi ponamus Titium habitare in loco publicati decreti, Caiam in loco non publicati, atque Caiam ducere in loco non publicati Concilij; non ſeruatâ illius formâ, quæ vtique non ligat Caiam; Titius ſi ſit inhabilis ad ſic contrahendum, illa habilis; matrimonium illud validum vt ſit requirit ratio habilis, & locus; vt non ſit, exigit inhabilitas alterius, ſi eum quòcumque comitetur.

Hæc quæſtio S. Congreg. Card. Conc. Trid. Interp. à me propoſita, an. 1628. reſoluta eſt, vt matrimonium ſit irritum; ſic vt initio narratum eſt; quaſi ob fraudem extra locum domicilij: vnde non videtur adhuc declaratum ſi citra fraudem contigiſſet, quid ſentiendum ſit. Quamquam Barboſa *in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. c. 1. n. 206.* ſimpliciter pro nullitate declarationem recipiat.

CONSULTATIO VII.

Milites an vt vagi à quolibet parocho validè iungi poſſint?

1. Non ſunt errones de quibus Cōcil. agit.

CONcil. Trid. *ſ. 24. c. 7. de reform. matr.* agit de iis, qui vagantur, & incertas habent ſedes, & improbi ſunt ingenij: vetat hoc genus hominum facilè ad matrimonium recipi; mandat ſeuerè coërceri: non autem videtur agere de omnibus, qui habitationem aut domicilium non habent, *iuxta l. eius. § fin. D. ad municip.* quamuis non ſit negandum omnes vt vagos, ita & domicilio carentes validè vbique contrahere: *Sanchez de matr. lib. d. 25. Gutier. de matrim. c. 65.* cùm ea deſcriptio & eos habendi modus, & pœna iis non omnibus quadret. deinde notandum, quòd omnia Concilij verba ſunt prohibitiua & negatiua, non permiſſiua libertatis alicuius, quoad vagos; aut conceſſiua iuriſdictionis, quoad parochos: prout licentia Ordinarij, quam Concilium exigit, ad iuriſdictionem etiam non pertinet, ſed examen & impedimenti cognitionem; ideoque ea non habita validè aſſiſtit parochus, etſi mulctandus: *Sanchez vbi ſuprà.* vnde ſi qua in ciuitate peculiaris ac proprius conſtituatur vagorum huiuſmodi parochus, coram aliis ibi contractum matrimonium erit irritum, tamquam non coram proprio contractum, cùm is ibi exſtet. nam quod generaliter vagorum matrimonium coram quolibet parocho validum ſit, non fit, vt Sanchez & Gutierres videntur ſentire, in vim *d. c. 7.* quod, vt diximus, nullam iuriſdictionem tribuit; ſed ideo quod *c. 1. ead. ſeſ.* decretum de contrahendo coram proprio parocho obligare non poteſt eum, qui non habet proprium; ſeu quia, qui nullum habet, omnes habet: cùm cauſa nulla ſit cur vnus ſit magis, quàm alter; ideoque poteſt coram omnibus contrahere, ſeruando reliquam Concilij diſpoſitionem; vt coram aliquo parocho contrahat, & teſtibus. vt Cardinales Conc. Interpp. declararunt de matrimoniis Hollandorum contractis iis locis, vbi parochus haberi non potuit, nec Epiſcopus, aut qui eius vice prouideret, validis habendis; ſi ſeruatum de cætero Conc. Trid. decretum fuerit, in quo ſeruari potuit; teſtes adhibiti, vt in reſolutionibus Nuntio Belgij miſſis: atque ita quod de improbi ingenij vagis inſinuat Concilium, vt parochus poſt ea, quæ præſcribit, præſtita aſſiſtere poſſit, cenſendum de reliquis, qui domicilio carent; etſi de iſto vagorum genere non ſint; valeatque matrimonium in vim iuris veteris; ſeruato nouo in quo poteſt.

2. c. 7. ſ. 24. de mat. Trid. nullam permiſſionem aut iuriſdictionem tribuit, quæ aliàs nō habetur, ſed omnimodò eſt negatiuum.

Ex his ſequitur milites non eſſe eos vagos, quos *d. c. 7.* deſcribit. quin nec vagi ſunt; ſed domicilium habitationemque retinent, vt ſtudioſi, mercatores, &c. quòd ſi porrò aliqui ſunt, vt viles procul dubio aliqui ſunt, qui nullum domicilium, larem, habitationemque retinent, iuxta *d. §. fin.* ſed quò militia vocat, omnia ſua ſecum portant, fortunas, lares, penates; hos quòcumque deferuntur hoſpites, nullos habere, ac omnes habere penè proprios parochos, vt Schytas, poteſt videri: quomodo dicit *l. 23. D. ad municip.* militem videri domicilium habere, vbi meret; ſi nihil in patria poſſideat: multi ſanè in patria nihil poſſident, igitur ij vbi merent domicilium videbuntur habere; & ſic eum ibi parochum ſortiri, vbi in præſidiis locantur, ſeu aliàs præſidio carentes morantur: non tamen quàcumque tranſeunt: *l. hæres abſens. §. proinde. D. de Iud.* Belgicis autem militibus quomodo per Delegationem Apoſtolicam & concordata prouiſum ſit, dicimus *h. t. conſ. 14.*

3. Miles domi nihil reliquum habēs domicilium habet, adeoque coniungi poteſt, vbi meret.

CONSVLTATIO VIII.

Consensus impeditur appositâ conditione, si sponsus nobilis non sit, contractum non fore, si is ignobilis deprehendatur.

ERror circa personam, aut conditionem seruilem, dirimit matrimonium. quin & circa qualitatem, si ita apprehendatur, vt variet personam. *optimè Sanchez de mat. lib. 7. d.* 18. error ergo circa virginitatem, nobilitatem, originem gentilitiam, nihil officit quantisper manet in terminis imaginatiuæ tantùm, taciteque obrepsit contrahentibus: verùm si errans paciscatur, si erratum fuerit, contractum irritum fore; errore detecto locus erit conditioni. Conditio enim honesta est, pro eodemque valet actualis dissensus circa qualitatem partis erroneam. v.g. contrahens matrimonium putans alterum esse nobilem, declarat se contrahere tanquam cum nobili, & si res secus se haberet, nullatenus omninò se contracturum. *Sanchez vbi supra n.* 21. *Gutier. de matr. c.* 89. *n.* 6.

Itaque matrimonium, de quo quæritur, dicendum est irritum esse, propter dissensum actualem pluries ab A. declaratum, ad tempus vsque & horam matrimonij; vt testibus probatum est: virtualemque in ipso contractu, ac post eum, vsque ad notitiam qualitatis B. vti A. iurata iubente Iudice asseruit: præsertim attentâ causâ, quam addit, non leui; quod si ignobili nuberet, præclusum sibi fore aditum ad Principem, à qua nunc habetur familiariter, & à qua pensione ampla honorata est, & promissis maioribus, non nisi nobili applicabilibus: ac deinde quod cum primis nuptiis medici filio ignobili nupsisset, deserta fuerit ab omnibus consanguineis: cùm secundas nuptias cum nobili contraxisset, rursum multos numerarit amicos: apud quos & in rebus afflictis solatia inuenit.

1. Præsertim cum & dolus contractui causam dedit, & falsi fabrica. Nullitatem auget, quod non tantùm per dolum dantem causam contractui (quem multi sufficere ad nullitatem matrimonij existimant, *citat Sanchez vbi supra n.* 17. quamquam communiter secus sit. *c. cum in apostol. X. de sponsal. Sanch. ibid. n.* 18.) & simulationem nobilitatis B. in amicitiam A. se insinuauit, atque huc vsque perduxit; sed etiam quod cùm B. postulatio reiecta esset, nisi probaret se nobilem, atque is in se illud suscepisset, falsa testimonia, & sigilla fabricauit, quibus nobilitatem suam firmauit, instrumentorumque fidem se secutam iurauit A. atque ita contraxisse:

2. Falsorumque instrumentorum fidem sponsa secuta est. atqui si ex falsis instrumentis, aut testimoniis lata est sententia, si falsitas, & Iudices instrumentorum testimoniorumue fidem secuti probentur, nulla est sententia. *tot. tit. C. si ex falsis instrumentis. l. diuus. D. de re iudic.* ad eundemque modum dicendum omninò videtur A. per dolum dantem causam contractui non tantum, sed & falsa instrumenta, sigilla, testimonia inductam ad contrahendum nulliter contraxisse.

CONSULTATIO IX.

De primi & secundi matrimonij probatione, & prolium legitimitate.

PErplexa quæstio est, annis nunc penè sexaginta agitata, ex facto, quod ante Conc. Trid. publicationem, quæ hîc facta est anno 1564. accidit. vt scilicet A. ex M. proles plures excitaret, ac deinde L. in facie Ecclesiæ vxorem duceret, aliasque proles procrearet, aliquot deinde annis hanc relinqueret, primæ adhæreret, reliquumque cum ea vitæ exigeret; exinde vtriusque M. & L. proles legitimas sese, & hæredes esse contenderent.

1. Proles è secundo publicè legitima per bonam fidem. Extra controuersiam est natas ex matrimonio cum secunda inito legitimas esse: eò quòd publicè & solemniter contractum sit, cum bona fide secundæ. *c. peruenit. c. ex tenore. X. qui filij sint legit.*

2. Et ex primo si probetur. De natis ex prima controuersum est; quia de illius cum A. matrimonio disputatur, quod hi asserunt interuenisse; ex secunda nati, negant.

3. Plenius quoad coniuges, benignius quoad proles. Equidem clarum est matrimonij probationem difficilem esse, si non publicè accidit; præsumptiones tamen admitti, ex annuli subarratione; tractatu, cohabitatione, famâ, confessione, traductione, muneribus, osculis, amplexibus, copulâ. *de quibus latè Mascard. de prob. vol. 2. conc.* 1022. *vsque ad* 1036. *Menoch. l. 3. præsumpt.* 1. *Paleot. de Nothis l.* 1. *c.* 19. quo loco etsi quoad ipsos parentes difficilior sit præsumptio matrimonij, *communiter tamen omnes*, inquit, *aliter de filiis, aliter de nuptiis statuendum putant*: & concludit cum Accursio, quoad coniuges fornicationem; quoad filios reuoluto mantello verum & iustum matrimonium existimandum, ipsosque legitimos habendos. quibus & fauet Farinac. *decis. crim. dec.* 322. *n.* 1. 244. 277. *n.* 1. quod quomodo etiam in dubio statuendum sit, prosequitur *c.* 20. & *Mascard. concl.* 1026. quomodo & Innocent. III. probatione legitimorum natalium sacris initiandum illum onerat dumtaxat, quem contrarius rumor grauat. *c. accedens de purg. canon.* & idem Innoc. III. *in d. c. ex tenore.* decidendo casum *in fauorem*, inquit, *prolis potius declinamus.* vnde in casu c. & ex ea causa priores & secundæ proles erant legitimæ. Quamquam clandestinum matrimonium non habet eundem fauorem, nec ex eo proles, quamuis bona fides alterius coniugis, vel vtriusque subsit. *c. fin. §. si quis vero. X. de clandest. desponsal.* San-

Sanchez de matrim. l.3. diſp. 42. 43. 44. 45. ſed in caſu impedimenti præexiſtentis hæc accipio, in quo loquitur *d. 5. ſi quis.* adeoque extra caſum impedimenti tunc exiſtentis non eſt à priori iure, aut fauore matrimonij, & prolium recedendum.

4. Quoiū reſpectu parētum confeſſio admodū valet.

Sed inter omnes matrimonij probationes nulla efficacior ipsâ confeſſione coniugum. *c. tranſmiſſæ. X. qui fil. ſint legit. c. per tuas de prob. gloſ. in c. ſuper eo. v. confeſſionem. X. de eo qui cognouit conſang. Maſcard. de prob. v. 2. concl.* 1029. ſicut & aliàs confeſſus in iure pro iudicato eſt. *l. vnic. C. de confeſſ.* vnde clandeſtinum ab iis publicatum recipitur ab eccleſia, tanquam ſi à principio in eccleſiæ conſpectu contractum foret. *c. 2. X. de clandeſt. deſponſ.* vtpotè quod reuerà à principio ſubſtitit, etſi pòſt demum manifeſtetur.

Et in terminis controuerſorum natalium, & ſucceſſionis viri & mulieris verbo ſtandum deciditur. *d. c. tranſmiſſæ niſi contrarium certis,* inquit, *indiciis & teſtibus conſtiterit.* rectè ſanè cùm & pater, ſi naturalem filium vel ſolum nominauerit *ſuum*, neceſſarium hæredem efficiat. *Auth. ſi quis. C. de natural. liber.* cùm bonorum ſuorum dominus & arbiter ſit. vnde etſi pater moriens ſuper quantitate patrimonij iuret, inter hæredes diuiſuros iuramentum ſeruandum eſſe decretum eſt. *in Auth. de iureiurando à moriente præſtito.*

Sed & pro ipſo matrimonio tamen recipitur confeſſio, non contra: *textus in d. c. ſuper eo. Maſcard. d. c. 1029. n. 7.* propter vinculum ſacramenti, quod per colluſionem coniugum fortaſſe ſolueretur.

Neque ſolus tamen fauor liberorum *d. c. tranſmiſſæ*, neque ſolum alterius præiudicium hæc diuerſimodè ſic operatur: *c. ſuper eo. de conſang. & affin.* vbi ſponſæ de futuro quæ ſponſum petit, ſponſus abiudicatur ex ſola ſponſi confeſſione de impedimento, ſi fama tamen loci & hoc habet: quæ non eſt plena probatio, *ſed,* inquit Pontifex, *cùm eſſet ſponſa tantummodo de futuro.* in fauorem animæ, ne periclitetur ſponſi, ſi reuerà ſubſit impedimentum.

Quemadmodum & in *d. c. per tuas. X. de probat.* mulier conſtanter aſſeruit aliquem ex concubina ſuſceptum; poſtmodum eius iuramento in contrarium præſtito non ſtatur: quamuis præſumptus conſobrinus concubini neptem defloraret; ita vt hæc, non obſtante floris virginei iacturâ, in maritum illum poſtulare non poſſit.

In quo capite illud etiam eſt obiter animaduertendum, priori confeſſioni ſtandum eſſe, ſi ſeriò facta ſit, aduersùs ſecundam etiam iuratam; cùm alioquin non teſtis dicto primo iniurato, ſed ſecundo iurato credi ſoleat. *Myns. obſ. 6. obſ. 14. l. 2. obſ. 86.* quod tamen an ſatis conueniat cum generali ratione, quam allegat Pontifex in *d. c. per tuas.* non eſt huius loci.

5. Sed ſecundū

Enimuerò *d. c. 2. X. de clandeſt. deſponſ.* adiicit ita recipi clandeſtinum matrimonium ab eccleſia, niſi rationabilis cauſa præpediat: qualis eſt matrimonium ſecundum in facie eccleſiæ contractum. *Panorm. ibid. & Viuianus in Rationali Iur. can. Tuſcus V. matrimonium conc. 152. n. 12.* præiudiciumque prolium ex eo natarum. nam quamuis ipſæ legitimæ ſint propter bonam fidem matris, *d. c. ex tenore.* nihilominus tamen in bonis patris, quæ ſolæ habuiſſent, iam habituræ ſint cohæredes; & tales quidem, qui iure primogenituræ gaudeant; adeoque feuda & maioratus auferant. quippe *d. c. 2. de clandeſt. deſponſ.* dicit clandeſtina matrimonia, cùm publicantur, ita ab eccleſia comprobari, tamquam ſi à principio in eccleſiæ conſpectu contracta forent, & ita retrotrahi: & quia ſic nati habent ius primogenituræ, & cùm publicatum iam eſt, quod fuit clandeſtinum, ſi non ſubfuit impedimentum, filij retrorſum cenſentur legitimi. *d. c. 2. Sanchez d. diſp. 42. n. 8.*

matrimoniū admodum eā congruat

6. Niſi rationabiles & fide dignæ probationes accedant.

Itaque non aliter cùm ſecundum matrimonium, & ex eo prolium præiudicium intercedit, prioris clandeſtini publicatio ab eccleſia recipitur, quam vt loquitur *d. c. ſuper eo. X. de eo qui cognouit conſ.* niſi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant.

Rationabiles, & quantâ fide dignæ ſint præſumptiones ex cohabitatione, nominatione, tractatu, copulâ, aliiſque pertinent ad Iudicis arbitrium, prudentiam, & diſcretionem: quæ & in concurſu contrariarum probationum, præſumptionumque librat validiores: *Menoch. de arb. caſ. 526.* & iuxta eas animi motum inclinat: & quia quot homines, tot ſententiæ; facilè per præſumptiones itur in contrarias opiniones; vt in hac cauſa toties accidit: eoque facilius quòd, vt diximus, clandeſtinum exſtante impedimento matrimonium conſuetos aliorum fauores à iure nō habeat; neque pro eo, exſtante ſecundo publico, præſumatur: adeoque illud clarè demonſtrari debeat, ac plenè probari. *Maſcard. vbi ſupra conc. 1026. n. 10.* regulari tamen plenitudine. *Tuſc. V. matr. conc. 152. n. 17. & ſeq. 39. & ſeq.*

7. Quæ vbi ſunt, primū à ſecundi probationibus non euertitur.

Quod cùm accidit, plenèque clandeſtinum probatum eſt, non concidit ob ſecundum, quamuis hoc plenius, & ſuperabundè probetur. quippe diuerſa facta ſunt, quæ ſe inuicem non tollunt: ideoque nec eorum probationes pugnant. adeo vt matrimonium clandeſtinum duobus teſtibus omni exceptione maioribus probatum non eneruetur, quamuis alterum poſtea probetur contractum in conſpectu exercitus, ſeu mille teſtium. (idem eſto iudicium de quocumque alio probationum genere duobus integris teſtibus æquiualenti) quia vtrumque factum conſiſtit, nec vnum aliud tollit. *atq; ita optimè cenſet Cucchus inſt. maior. l. 5. tit. 11. n. 80. & ſeq. & quos allegat, Sanch. de matr. l. 3. diſp. 45. in fine.*

8. Præſertim reſpectu prolium.

Sed & caſum habemus in terminis expreſſum *in c. per tuas. X. qui fil. ſint legit.* vbi vterque coniux ad alia vota tranſiuerat, quin imò maritus ad ſecunda & tertia; & tamen per legitimos

timos testes primum probatum, & pro eo pronuntiatum est ab Innoc.III. *inductu*, inquit, *probationibus innitentes.* vbi idem Pontifex narrat priorem haberi visam fuisse concubinam, maritum porrò cùm ageret in extremis, cum quem ex ea susceperat, in testamento hæredem instituentem, legitimum filium appellasse: quæ nominatio, hæredis institutio, & mortis instantia magni est momenti: vt propterea credi possit ibidem Innocentius non dixisse legitimis testimoniis innitentes, sed generaliter inductis probationibus, vt supra meminimus loqui *c. super eo. X. de eo qui cognouit consang.* de rationabilibus & fide dignis probationibus.

Adeoque quando arbitrio Iudicis plenè probatum censebitur clandestinum matrimonium prius, quocumque genere probationis; non eneruabitur à secundo, quamuis multò plenius probato. sicut in pari probatione adhæretur primo: *c. si inter. X. de sponsal. tit. X. de spons. duorum. Tusc. V. matr. conc.* 145. etiam præsumptiuo. *c. iu. qui fidem. de spons. Tusc. ibid.*

Porrò vbi plenè prius non est probatum, non poterit discedi à secundo plenè probato. *tot. tit. X. de spons. duor. c. sicut. X. de testib. c. tenor. X. de re ind. Mascard. de probat. v.* 2. *con.* 1026. *n.* 9. *Tusc. vbi supra n.* 7. neque locus est iuramento. *d. c. per tuas. X. de prob.* cùm & generatim matrimonij causa ardua plenas, & claras probationes exigat: *c.* 1. *de cons. & affin.* sic tamen quod testes idonei recipiantur in eo iungendo, soluendoque; etsi non omni exceptione maiores: *c. videtur nobis. X. qui matr. accus. pos.* quod rectè examinat Mascard. *ibid. conc.* 1022.

9. Præsumptiones & indicia plenâ probationem faciunt, qualia in casu præsenti.

Plena autem probatio etiam conficitur ex indiciis & præsumptionibus à iure admissis, ad quam & imperfectæ probationes coniunguntur: *Mascard. vbi supra conc.* 1032. *n.* 20. v. g. A. iuuenis M. venustam puellam deperiit, procatus est, annulo subarrauit, domum traduxit annuentibus M. parentibus, probis & honestis, cognouit, torque aureo donauit, gestamine tantùm nobilium, non vilium, veste splendidâ matrimoniali, mensa, communi vitæ societate, in domesticos imperio, vxorio nomine, parentes, & consanguineos palam visitantes affinium appellatione, prolem natam legitimam vocauit, Abbatem H. patrinus vt esset rogauit, & is assensit, fama vxorem, & prolem legitimam vulgauit, L. ex consilio plurium Theologorum deseruit, & cum M. reliquos vitæ dies exegit, tanquam cum vxore, in profanis & sacris, vtpote publicè sic ecclesiæ sacramenta vtroque sumente, ea moritura iurata se desponsam, & fide matrimoniali vtrimque de præsenti præuia cognitam, A. adstante & fauente asserit, ei palam in ciuitate insigni iusta persoluit, insignibus prælatis, pullatis filiis, pullatus ipse, publicas preces per omnia dominia sua pro ea, sub vxoris nomine, fieri voluit, totumque annum luxit: ad L. à qua diuerterat, redire obtulit, si matrimonium aliàs nulliter initum, vt Theologi dixerant, iuxta ritum ecclesiæ repetere vellet: idque ea renuente in diuortio mansit vsque ad mortem: solemniter testatus legitimam M. vxorem, & ex ea liberos legitimos fuisse; eosque testamento hæredes scripsit: quando nemo salutis suæ immemor esse, minus nouo se delicto irretire velle præsumitur, sed vltimum iudicium, celites, atque inferos cogitare. secus, quam Titus Barrulus *apud Valer. Max. lib.* 7. *c. vlt.* qui Lentulo Spintheri decedens suos annulos perinde atque vnico hæredi tradiderat, quem nulla ex parte hæredem relinquebat. quantum, exclamat Valerius, illo momento temporis conscientia (si modo vires, quas habere creditur, possidet) à teterrimo homine supplicium exegit! inter ipsam enim fallacis & ingratæ culpæ cogitationem spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem eius intus cruciante, quod animaduertebat è vita ad mortem transitum suum & superis diis inuisum esse, & inferis detestabilem futurum. Atque hæc cum M. mortua esset, nec fictioni præmium restaret, & pleraque supradicta antequam de secundis nuptiis cogitaretur, cũ acciderint; in procliui est, vt statuatur pro primo A. & M. matrimonio, vt plenè probatum censeatur.

10. Maxime intuitu prolium.

Sed multo procliuius vt id credatur ad effectum, vt proles legitimæ censeantur; ad quẽ probationes non æquè validæ necessariæ sunt, sed vel præsumptiuas sufficere voluit Gemin. *cons.* 27. *incip. super dub. n.* 9. *& seq. Martha de iurisd. p.* 2. *l.* 8. *n.* 21. *post Baldum, Decium, Puteum, imo communem opinionem glos. & DD. in c. lator. X. qui fil. sunt legit. Gemin. d. cons.* 27. *n.* 9. *&* 10. *adde quæ initio diximus.*

11. Quas & legitimat bona fides.

Cui opitulatur maximè quod etsi verum non fuisset inter A. & M. matrimonium ob fictionem A. quam fortè ex inæqualitate nobilitatis, & diuitiarum aliqui deducunt, (quam tamen cum forma eximia pariari Mascard. Tuscus, alij tradunt) seu quemcumque errorem facti, aut intricati iuris; tamen ob bonam fidem eiusdem M. accedentibus circumstantiis, dictis etiam coram ecclesia gestis, ex ea sint natæ proles pro legitimis simpliciter, & absolutè sint habendæ. *c. cum inter c. prælatum. c. ex tenore. X. qui fil. sunt legit. c. cùm inhibitio. X. de clandest. despons. Gemin. cons.* 27. *Couuar. de matr. p.* 2. *c.* 8. §. 1. *Sanch. de mat. l.* 8. *d.* 3. 4. *n.* 4. 6. *Ruin. cons.* 108. *l.* 3. *Trentacin. Resol. l.* 3. *tit. de mat. r.* 4. *num.* 17. vt in famoso arresto Martini Guerræ, *de quo Maynard. notab. q. l.* 4. *c.* 6. *Papon. arr. l.* 22. *tit. de adult. ar.* 20. *Coras. in comment. ad d. arrest. obs.* 11. *&* 96. bona enim fides tantumdem præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est. *l. bona.* 179. *D. de reg. Iur.*

CON-

CONSVLTATIO X.

Comparatio teſtium facienda, & quibus potiſsimùm deferendum.

CVm pro cauſa matrimonij & filiorum legitimitate c. ex *tenor.X.qui fil.legit.* in dubio cenſendum credatur, & teſtibus duobus affirmantibus ſtandum potius, quàm mille negantibus; *gl. in l. diem §.ſi plures. D. de Arb.* denique quamquam ad matrimonium probandum teſtes idonei atque legitimi requiri videantur, *c. atteſtationi. X.de deſp.impub. c. conſuli. X.de ſponſ.* tamen cùm à ſuperſtite ad ſucceſſionis, & liberorum legitimationis effectum agitur, leuior probatio ſufficiat: *Farinac. deciſ. crim.*67. *&* 322. teſteſque omnes boni præſumantur, niſi contrarium probetur, valdè bono loco eſſet cauſa C. de cuius matrimonio planè & ſimpliciter teſtimonium dicunt, tanquam qui oculis & auribus præſentes fuerint, teſtes quatuor, atque de relatu plures; niſi in contrarium prodiiſſent plures, digniores, ex veriſimilitudine rerum vt probantur geſtarum negotij naturæ conuenientiora adferentes. his enim tribus momentis teſtes eorumque dicta libranda eſſe proponit *lex.*21. *§. ſi teſtes. D. de teſt.Minſing.cent.*4.*obſ.*38. vt confirmet Iudex motum animi ſui ex argumentis, non tantùm teſtimoniis, iiſque quæ rei aptiora, & verò proximiora eſſe compererit *d. §.ſi teſtes.* hoc ſiquidem potiſſimum eſt momentum: alterum dignitas teſtium, *vt honeſtioribus potius fides adhibeatur l.*8.*C.de teſt.* iiſque quorum religio in Deum probata eſt: *Crauet.conſil.* 169. *Cephal. conſ.*775. nobilibus: *Nou.* 90. *c.*10. *Tiraq de nobil.c.*20. *n.*33. dignitas enim, fides, mores, grauitas, & conditio cuiuſque diligenter examinanda eſt, vtrum quis decurio an plebeius ſit; an honeſtæ an culpatæ vitæ; locuples vel egens; inimicus ei aduersùs quem, amicus pro quo teſtimonium dicit; *l.*2. *&* 3. *D. de teſt.* tum denique numerus momentum facit, ſed reliquis debilius. *d. §.ſi teſtes.*

Cùm igitur aduersùs C. Pro E. producti ſint teſtes, eccleſiaſticâ præfecturâ & ſacerdotio prædìti, centuriònes, & nobiles, numerò etiam plures, qui rerum argumenta ſub tempus quo contractum foret, ante, ac pòſt geſtarum, tanta probauerint, vt morali iudicio poſſibile vix ſit ea ſtare poſſe cum veritate contracti matrimonij, & cùm hi quos diximus quatuor pro matrimonio teſtati, gregarij tantùm milites ſint, qui quamuis generali iuris præſumptione & iudicis militaris atteſtatione, pro bonis habeantur; tamen ſpecialior præſumptio aduersùs illos eſt, à conditione militari, ob quam verſus cenſorius nullam fidem tribuit pietatemque viris, qui caſtra ſequuntur: quodque ex actis conſtet à ſuis eos ſignis pluries ad alia tranſiiſſe. quod vt hodie non ſit tantum crimen, ob iniquam ſolutionem, quantum ſub Romana diſciplina fuerit; tamen non eſt extra reatum, etiam ſecundùm edicta Principum noſtrorum. quamquam anguſtia nerui bellici ſæpius conniuentiam generet. egentes hi ergo, nec omni exceptione maiores, opportuni fuerunt lachrymis, precibus, pretio C. de qua procliue eſt ſuſpicari (quod quartum momentum facit apud *Minſing.poſt Hoſtien.d.obſer.*38.) quod expugnarit pauperes hoſce, & viles animas, quæ annulis, torquibus, nummis tentauit probitatem teſtium digniorum. accedendum iis eſt ergo quibus in contrarium authoritas, dignitas, nobilitas, numerus, & clarior lux veritatis aſſiſtit. Hæc enim bilancem inclinant. *d.l.*2. *&* 3. vt quamuis illi corrupti non doceantur, hi tamen ad deciſionem præponderent.

Quæ teſtimoniis obiiciuntur in hac cauſa matrimoniali locum non habent, quæ aſtricta non eſt ordini iudiciario. *Clemen.ſæpe de verb. ſignſ. Clemen.diſpen.de Iud.* in quo nimium indies in foro hallucinantur practici: atque ita fidem faciunt teſtimonia lite non conteſtata, recepta, quod diſertè d.Clem. permittit. Præſertim cùm hæc etiam quæ moram non patiuntur fieri poſſint apud iudicem incompetentem. *l. fin. C. de teſtib.* Atque ita à Iudice militari auditi teſtes, qui in expeditionem ire debuerunt, apud iudicem Eccleſiaſticum fidem faciunt. Qui tamen ad examen repetere eos poterit, ſi ex conflictu, ex bello redierint, ac inueniri poſſint, ſi ex eorum dicto cauſa pendebit, aut iudex animi ſui motum ſit confirmaturus. Cauſa matrimonialis ab ordine iudiciario exempta.

CONSVLTATIO XI.

Quis raptus matrimonio ſit impedimento?

1. VAlde leges ciuiles, ſacri canones, & Concil. Tridentinum raptum abominantur. leges implacabiliter; vt ne quidem vnquam raptorum cum raptis permittat matrimonium. *l.vnic.C.de rapt.virg.* mitius canones tamen recipiunt, vt cùm diſſenſio tranſit in conſenſum, & quòd ante diſplicuit, incipit placere; legitimè rapta contrahat. *c.fin.X. de rapt.* etiam poſt Concil. Tridentinum *d. c.* 6. *de reformat. matr.* cùm loco nunc tuto, extra rapientis poteſtatem, eſt conſtituta. Raptæ conſenſus ad validũ matrimonium ſufficit.

Nam quod ad alias attinet, quas formant, raptus ſpecies; earum nullæ ab eccleſia inter matrimonij impedimenta receptæ ſunt. vt ne quidem ſi rapta conſentiens inſciis inuitiſque parentibus abducatur, matrimonium inualidetur. ideo quod illius ſubſtantia in ſolo conſiſtat conſenſu contrahentium, habilium perſonarum. *c. cùm locum. de ſponſal. c. accidens in fin. X.de rapt.* ſine quo nec in eccleſia, nec in re publica ſit poteſtas aliquos coniungendi: *Sanch.* 2. Illius ſolius defectus matrimonium irritat.

Sanch.de matr.lib.2.c.27. sed meminerimus oportet Concilium Trid. nunc omnes, qui illius formâ non seruatâ contrahere attentant, ad sic contrahendum inhabiles reddere: ideoque idem Concilium Trid. in rapta non aliud requirit, quàm vt extra potestatem raptoris loco tuto sit constituta, & raptorem in virum habere consenserit. *d.c.6. de reformat. matr. Sanch.de matr.lib.7. d.13. n.13.* vt omittamus iure etiam ad verum raptum requiri, vt adsit violentia; aliaque plura de quibus latè Sanchez.

Adeoque hæc obtinent, vt nec patria, tutoria, curatoria, mamburnica, vel dominica, vel regia potestas substantiæ matrimonij impedimentum præstare possit.

3. Non quorũ est in potestate patria, aliaue.

Iure quidem ciuili statutum fuit, ne nuptiæ consisterent, nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt, quorumque in potestate sunt. *l.2. D. de ritu nupt.* in tantum vt iussus parentis olim præcedere deberet; *Inst.de nupt.in princ.* etsi exinde receptum sit, vt ratihabitio, seu scientis non contradictio, sufficeret. *l.si vt proponu.C. de nupt.* Verum tamen Paulus I.C. *lib. 2.sent.tit.20.* eorum ait, qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia non contrahi; sed tamen contracta non solui.

Et hoc est, quod Concilium Trid. *d.c.1.* declarat, quòd sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis matrimonia filiorum familias sine consensu parentum contracta semper detestata est, atque prohibuit: nihilominus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant ea irrita esse; & parentes ea rata vel irrita facere posse. id quod multò magis dicendum est de tutoria, curatoria, mamburnica potestate.

Vt iam, quod diximus supra, nihil dubitandum sit post anathematicam declarationem Concilij Trid. quin fidei orthodoxæ sit, clandestina matrimonia, quamdiu, & quæ ecclesia irrita non fecit, vt & filiorumf. sine parentum consensu contracta, rata esse; nec parentes ea irrita facere posse; nec alia irrita fecit ecclesia, quàm quæ sine parocho, vel alio sacerdote à parocho aut Ordinario delegato, & testibus fuerint contracta.

4. Vt serui etiã inuito domino validè contrahant.

De dominica autem potestate Adrianus Pontifex *in c.1.de coniug. seruor. iuxta verbum,* inquit, *Apostoli sicut in Christo Iesu neque liber, neque seruus est à sacramentis ecclesiæ remouendus, ita nec inter seruos matrimonia debent vllatenus prohiberi: & si contradicentibus dominis & inuitis contracta fuerint, nullâ ratione sunt propter hoc dissoluenda.*

5. Subditi inuitis Principibus.

De regia autem seu Principali potestate ita tonat Conc. Trid. *s.24. de reform.c.9. cum maximè nefarium sit matrimonij libertatem violari, & ab eis iniurias nasci, à quibus iura exspectantur; præcipit S.Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis aut conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos vel quoscumque alios cogant, quò minus liberè matrimonia contrahant.* vt in Concilio Parisiensi 1. *c.6. c. nullus.36.q.2.* non secus ac raptor damnatur, qui sibi puellam regis beneficio æstimat postulandam. vt illud sanè Concilium nullius matrimonia à Principum arbitrio voluerit dependere.

Nunc ergo, vt ad casum præsentem veniamus, maritus sub nulla erat potestate impeditiua matrimonij; non patriâ; patre pridem orbatus: non tutoria, curatoria, mamburnica; non tantùm per emancipationem, quæ iuxta totius Europæ consuetudinem primas nuptias consequitur; sed & per ætatem pridem solutus.

Eadem ex causa de matre nihil attinet dicere; quamuis matri & auiæ tutela permittatur: *Auth. matri. C. quando mulier tut. off.* & maximè per mores, honoraria. Verùm cum per naturam ei reuerentia à prolibus debeatur; eadem reuerenter requisita in has nuptias earumque renouationem consensit, & coram factam ratam habuit. 6. Filii iniussu matre.

Desiderium porrò matris admodum spectatur cùm fortè de nuptiis puellæ quæritur; nec inter tutorem & matrem & propinquos de eligendo futuro marito conuenit. *l.1. C. de nupt.* cuiusmodi in re exemplum est apud Liuium *lib.4. dec.1.* cùm tutor plebeio iuueni, mater nobiliori filiam elocare vellet; & magistratus secundùm parentis arbitrium dederunt ius nuptiarum: hocque decretum tutati sunt Romani; cum plebs & tutores Ardeæ grauem eius rescindendi causa mouissent seditionem; & vi puellam abducere vellent, adiuuantibus Volscis, Ciuilio Duce. 7. Sed hæc eñ tutore dissentiente cui deferendum?

Quid ergo si matris votum, concurreret cum aliquo tutore qui minorum gentium sponsam eligeret; & illa ex ea familia quæ non tantùm longo ordine summorum Principum stemmata & affinitates recenseat, non videbitur iusta dubitandi ratio, quin secundùm matrem censendum foret?

Superest dominica in seruos, Principalis in subditos potestas: de illa nihil aliud dicendum quàm seruorum matrimonia dominorum dissensu irritari non posse. *d.c.1.X.de coniug.seruor.* aduersus rationem videbitur esse, vt eminentissimi subditi, Regum alteri, peiori statuantur loco, quàm serui. 8. Principes vt mamburni, sed recti.

Quoad regiam autem Principalemque potestatem (quæ suaui, etsi barbaro, vocabulo multis in rebus, etiam mamburnica vocatur, vt docet Charond. *respons.lib.9.resp.4.lib.1.r.72.* & illic refert sacrosanctum illud Bosonis regis Burgundiæ *conseruabo Iustitiam, & rectum mamburnium*) ea, vt omnes subditos complectitur; ita multò magis regij sanguinis sobolem: sed vt in illis ad matrimoniorum nullitatem non pertinet, ita nec in hac eo extenditur. *d.c.9.s.24. de reform. mat. Concil. Trid.d.c. nullus 36.q.2.*

Non est quidem ignotum augustam sobolem non solere pro arbitrio nubere; per nuptias multum ex re publica peti, firmamentum familiæ dici ad maiora nitenti, decus ac robur, maiora patefacere; petitas à Seiano Liuiæ nuptias merito Tiberio fuisse suspectas; vt & 9. Principum consanguinei valide contrahant sine illorum assensu.

Asinium

Aſinium quod duxiſſet Vipſaniam Agrippæ filiam, ſuam ante vxorem; Athenienſes damnaſſe Iphicratem, Herodem Salomé, Dioniſium Tyrannum Siracuſanum relegaſſe Philiſtum, ſimilibus ex cauſis: eamque ob rem ſolere politicos inter iura Maieſtatis referre ne quis regij ſanguinis ſine aſſenſu, elocationeúe regia nubat: idque Carolus *le Bret in tractatu de la ſouueraineté l.1.c.8.* etiam in Francia obtinere contendit, & potentiorum tum demum legitima eſſe matrimonia, ſi ſint è re publica; pluribus argumentis, ſed politicis; & quæ nihil pertineant ad ſacramentum matrimonij; illiuſque inducendam nullitatem: cùm *matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori*, inquit D.Gregor. *c. Euphemium. 2.q.3.* nec irrita eſſe poſſint, quamdiu, inquit Concilium Tridentinum *d. c. 1. eccleſia illa irrita non fecit.* cuius nullum in Francia profertur priuilegium, aut decretum aduerſus anathema, *d.c.9.* Ex aduerſo, vt ſæpius etiam cum Flandris, & maximè Guidone Comite fuit diſputatum, quaſi non liceret vetere Francorum lege extra regnum ſine Regis aſſenſu nubere, & Guido filiam Philippam Anglo deſpondiſſet; in reatum & carcerem actus eſt, contendens matrimonia vbique gentium eſſe libera. & licet tum Bonifac. VIII. tum Ducis Sabaudiæ interuentu à Paribus Franciæ liber eſt declaratus; coëgit tamen Rex vt filiam Pariſios mitteret: at rurſus poſtea Bonifacius iuſſit, vt puellam patri & oppida reſtitueret. *vt Meierus in annal. Flandriæ ad annum 1296. quem ad illum ſequitur Bzouius, & priora narrat Sueyro in annal. Flandriæ anno 1296.* Vt ſummum quod quiſpiam ex illo politicorum argumento conficere poſſit, id foret; quod de matrimoniis filiorumfamilias ſine conſenſu parentum initis d.c.1. tradit, *& latè ſupra diximus*, quod etſi eccleſia illa deteſtata ſit; tamen rata ſint; nec parentes ea irrita facere poſſint: inconſulta quamuis, & maculoſa. Sed & ſæpè etiam infelices exitus ea ſunt ſortita, quæ iuxta politicas illas regulas dumtaxat erant contracta. vt Ludouici VII. & XII. Henrici Magni cum Magareta Valeſia, aliaque; & contentio illa Philippi Pulchri Regis, & Guidonis Flandriæ Comitis totam Galliam, Angliam, Belgicamque quaſſauit, Germaniam, alioſque.

Sunt & alia exempla, & nobile illud imprimis Iudithæ, filiæ Caroli Calui, viduæ Arnulphi Regis Angliæ; quæ in Franciam rediens à Balduino Ferreo in vxorem inuito patre accepta eſt. & à Rege quidem ille hoſtiliter habitus; & à Franciæ Prælatis excommunicatus eſt; quaſi ob raptum. ſed quod ipſa conſenſerat, ſeu principio, ſeu matrimonio conuento, interueniente Nicolao I. matrimonium tenuit; pax regia, & ditio Flandrica in dotem aucta eſt. Ludouicus Balbus eiuſdem Calui filius inuito itidem patre Anſigardam duxit; & quamuis pater repudium filio perſuadere non potuerit; ſucceſſorem tamen in regnum habuit; & hic liberos ſuos Ludouicum & Carolomannū: qui omnes regno Franciæ imperarunt; nec matrimonium irritum, nec liberi illegitimi habiti ſunt. ſed & Caroli Audacis filiam hæredem Belgicæ, Burgundicarumque ditionum Ludouicus XI. filio ſuo Delphino ambiebat; illa inuito Rege nupſit Maximiliano Auſtriæ Archiduci: nec per ſomnium quidem illud matrimonium quis nullitatis inſimulauit. vnde nunc tota ſtirps Auſtriacorum tantis natalibus. Ludouicus etiam Malanus Flandriæ Comes filiam vnicam deſtinabat Edmondo filio Regis Angliæ, inuito Rege Franciæ: qui apud Pontificem egit, ne diſpenſatio ſuper conſanguinitate ſponſis tribueretur; non ſuo marte impedimenta matrimonij poſſe ſe ſtruere exiſtimauit. & nupero ſeculo cùm quidam ex auguſta domo filiam omninò nobilitate imparem deperiret; matrimonium irritatum non eſt; ſed iuſſus tantum abſtinere à principalibus titulis; Marchionis nomine eſſe contentus.

Fateamur id quidem oportet, vt ſicut parentes inconſulta filiorum matrimonia ſuauiter, etiam exhæredationis metu, prohibere poſſunt; (*de quo Sanchez de mat. l.4. d.24.* eoque declarat *d.c.1. Concil. Trid. de reformat. mat.* quod ea, quæ filiif. contrahunt inuitis parentibus eccleſia ſemper eſt deteſtata) ita & poſſe Principes, ne ſubditi contrahant cum publicis hoſtibus; aut alias ſuſpectas affinitates ambiant: vt & domini feudorum, ne vaſalli cum priuatis illorum inimicis fœdera nuptiarum ineant. tamen id ad politicos tantùm effectus, & reſpectus pertinet, non ad matrimonij ſubſtantiam. quemadmodum & omnia quæ le Bret *de la ſouueraineté l.1. c.8.* ſententias ex Tacito, aliiſque gentilibus citat, & poſteriorum temporum; quoad ſeculares reſpectus, non matrimoniorum vinculum, & ſacramenti irritationem. quamquam etiam Honorius conſtitutionem quandam veterem Neapolitanam ſuſtulit; quâ interdicebatur vaſallis, ne ſine Regis authoritate nuptias inirent. cùm ea debeant plenâ libertate gaudere; quæ non eſt in iis, qui dependent ab alieno arbitrio. *c. ſuper eo. X. de cond. appoſ. l. turpia. D. de legat. l. cum tale. §. ſi arbitratu. D. de condit. & demonſtrat.* 10. Eccleſiæ eſt non Principum ſtatuere impedimenta matrimonij.

Siquidem matrimonia hodie reguntur iure poli, non iure fori: nec irrita fiunt, quæcumque eccleſia irrita non facit. nec Principum chriſtianorum eſt ſtatuere impedimenta matrimonia chriſtianorum dirimentia. quod probant authores longo ordine citati à Sanch. *de matr. lib.7. diſp.3. n.1.* & licet ipſe *n.2.* Principibus aſſerere velit eam poſſe competere non omninò diſſentiente Baſilio Pontio *de matr. l.6. c.1. & 2.* tamen *n.3.* fatetur Sanchez, Principibus chriſtianis inter chriſtianos non eſſe conceſſam; ſed ab eccleſia interciſam, eccleſiæque reſeruatam: *per textum d. n.1. & hic ſupra plures citatos.* quod, vt detur non aliquo diſerto generalique textu exprimi; præſupponit tamen ex traditione eccleſiæ, vſuque perpetuo Concilium *Trid. d. c.1.* decidens clandeſtina matrimonia non eſſe irrita,

ta, *quamdiu ecclesia illa irrita non fecit*, non Principes.

11. Vnde quamuis *in l. vnic. C. de rapt. virg.* improbatum esset matrimonium raptæ cum raptore; tamen *d. c. fin. X. de rapt.* id est permissum: multique alij per leges ciuiles nuptias contrahere vetiti, per canones sunt permissi, *v.g. l.16.33.47. D. de rit. nupt. C. de interdicto matrimonio inter pupillum* & tutorem seu curatorem liberosque eorum, C. si quâcumque præditus potestate, vel ad eum pertinentes ad suppositarum iurisdictioni suæ aspirare tentauerint nuptias. Et per *l.67.D.de iure dot.l.7.de agnosc.liber.* contractum inter liberum, & ancillam matrimonium pro nullo habetur: cui & conformis citatur vetus lex Salica *relata in libro legum Salicarum tit.14. §.11.* ne inter liberas seruilesque personas matrimonia ineantur. quæ tamen ecclesia abrogauit omnia; & in contrarium etiam seruorum coniugia rata esse declarauit. *d.c.2.de coniug.seruor.*

Vnde multæ nuptiæ iure ciuili irritæ canonico valent.

12. Iure meritoque ex eo argumento, quo vtitur Vrbanus III. & Innoc. III. *in c.penult. & vlt.X.de secund.nupt.* quòd in quæstionibus matrimonialibus seculares leges non dedignentur sacros canones imitari, iisque cedere: vt propter authoritatem D.Pauli soluta à lege viri in domino nubit, cui voluerit: concessa ergo ab Apostolo rectè vtitur potestate, quisquis matrimonium contrahit, quod nulla Apostolica decreta interdicunt: si per illius licentiam, & authoritatem, etiam infamia legalis nubentis intra annum luctus aboletur. *d. c.penult.& vlt.*

Ex D. Pauli authoritate quàdiu non sunt Apostolica interdicta.

Sic & *in c. quod super his. X. de consanguinit.* non obstante consuetudine canon seruatur, vetans coniunctiones ibi narratas. & refert Synodus Romana sub Zacharia *c.15.* quomodò

13. Germaniæ Archiepiscopi, & Reges prouinciæ petierint Apostolica præcepta, qualiter eis liceat coniugia copulare. & Cabilonensis sub Carolo c.28. de *affinitate*, inquit, *propinquitatum, & in quibus gradibus matrimonia coniungenda sint, ad canones recurramus*: idemque de reliquis impedimentorum generibus est iudicium.

Quæ in côiunctionibus spectantur.

14. Et verò vt daretur, dicis gratiâ, posse Principem statuere impedimentum dirimens inter christianos; tamen vt ditio eius suos habet terminos; ita potestas eius, imperium, & edicta eodem circino circumscribuntur. vt extra sphæram suam non porrigantur, ne quidem aduersus alioquin subditos: quod & in hac ipsa re fatetur Sanchez *d. l.7. disp.3. num.10.* quoniam extra territorium ius dicenti non paretur impune. *l.fin.D.de iurisdict.* quod assumit Bonifacius VIII. *in c.2.de const.in 6.* atque inde decidit non ligari subditos constitutione pœnali sui Episcopi, dum extra illius diœcesim fuerint; quomodo & D.Paulus 1. *ad Corinth.c.5.* etsi alio in genere, quid mihi, inquit, de iis qui foris sunt iudicare? & hanc sententiam docet generatim idem Sanchez, *& numerosi Doctores quos citat lib. 3. disp. 18. num.18.*

Neque ciuiles leges porriguntur extra ditionem.

Vnde resultat, vt quamuis in Francia Constitutio esset aliqua, quæ ad ipsam substantiam matrimonij porrigeretur; non accidentarias tantùm formas, ciuilesque solemnitates, quæque huic matrimonio impedimentum dirimens posset iniicere; vt non esse iam supra satis demonstratum est; tamen cùm idem matrimonium extra fines regni sit contractum, & rursus extra eosdem renouatum; extendi ad illud aut vllatenus id afficere nequaquam posset.

CONSULTATIO XII.

De filiisf. sine parentum, & minoribus, sine tutorum consensu contrahentibus iuxta edicta Belgica.

IMperator Car. V. in ditionibus Belgicis *anno* 1540. & Rex *anno* 1623. edicta proposuit contra filios 25. annis minores, sine patris, & matris; & minores sine consensu consanguineorum vtriusque lateris, & curatorum, cuiuscumque sint conditionis aut qualitatis matrimonium contrahentes: eosque incapaces reddidit omnium lucrorum, quæ alteri ab altero quomodocumque obuenire possent: permisitque eosdem exhæredari: neque impugnari permisit parentum iudicium, prætextu legitimæ alimentationis, aut etiam deuolutionis statutariæ: scilicet quæ multis locis hic obtinet, vt soluto matrimonio proprietas immobilium etiam à superstite profectorum in filios decidat: sed hanc auferri talibus permittit, sine præiudicio aliorum. non tamen comprehendit edictum maiorennes: neque quorum matres ad secundas nuptias transeunt, quando filij exspectare consensum non debebunt; dummodo debitè illum tum requisiuerint. 1.

Edicta puniunt tales omnis lucri nuptialis amissione, exhæredandi licentia concessa parentibus. quæ nec alimentorum, nec legitimæ deuolutionis statutariæ prætextu euacuetur.

In pœnam edicti Imperatorij non incidunt, qui interueniente magistratu contrahunt, quamuis parentes aut tutores dissentiant. ita enim habet edictum anni 1540. ad quod aliud anni 1623. est relatiuum. *l. asse toto. D. de hæred. inst.* atque non minus tribuendum Episcopo, si eius authoritas interuenit in re hac sacra: quia & ipse magistratus est. 2. 3.

In pœnam non incidũt qui permissu magistratus nubunt.

Etiam ecclesiastici.

Edicta agunt de solicitatoribus & seductoribus, nimirum puellarum, primum expressè, secundum per relationem: si quis ergo palam procatus fuerit annuentibus seu non prohibentibus tutoribus, & puella ei nubere voluerit, & sponte obuenerit; non incurritur pœna, etsi postea dissentiant tutores. nam edicta hæc odiosa secundùm corticem verborum sunt restringenda. *c.odia de reg.Iur.in 6.* 4

Sed qui publicè procati permittuntur, postea dissensu in pœnam agi non possunt.

Edicta dolum & circumuentionem intendunt prohibere: quæ vbi non probantur interuenisse, locum non habent. *Hier.Grat.cons. 42. visis elegant. n.11. vol.1.* nam non obtinet pœna, 5.

Dolus & circumuẽtio exigitur.

pœna, vbi delictum non eſt, *l. Grauis. D. ad l. Iul. de adul.* non eſt delictum, vbi deeſt dolus, quem etiam fatua cauſa excludit. *l. 3. D. de lib. cauſ.*

6. Spontanea volũtas illa excludit.

Spontanea etiam filiæ voluntas edicta excludit. vt Grat. *d. conſ. 42. n. 8.* de ſtatuto ſimili Bonon. nam cùm is caſus edictis non ſit expreſſus, relictus eſt iuri communi, vt ſit extra pœnam: *l. commodiſſimè. D. de lib. & poſth. l. ſi extrau. D. de cond. ob cauſ.*

7. Par etiam dignitas.

Iterum ceſſant edicta, ſi digno nupſit, & magis ſi digniori: *Paul. Pariſ. conſ. 9. incipiente eſto quod de iure n. 22. & ſeqq. vol. 3.* mens enim atque intentio eiuſmodi edictorum magis, quàm verba ſpectanda ſunt. ne ſcilicet per circumuentionem puella nubat impari, indigno, turpi, infami: *Alexand. conſ. 97. incip. principalis dubitatio n. 5. vol. 1.* quia ceſſante ratione, hoc eſt imparitate, ſeu ignominia, ceſſare debet ſtatuti diſpoſitio: *l. adigere. §. quamuis. de iure patron. c. cùm ceſſante. X. de appellat.* eandemque dicit communem opinionem, & caſu quo matrimonium citra delictum, dolum, & fraudes contrahentes in edictum incidiſſent, ex clementia Principis, & benigna cauſarum edicti interpretatione gratiam merentur.

8. Si tutor dignũ procum reiecit.

Quod eò procliuius eſt, ſi tutores viri potentem proco digno antè collocare noluerint, qui negotium minoris, vt ſuum gerere debebant. *l. tutor ſecundùm dignitatem. §. 1. l. à tut. in princ. D. de adminiſt. tut.* qui ſi debitores pupillæ erant,

9. Nec viripotenti dignũ quæ fuit.

eidemque ſi ſine liberis moreretur ſubſtituti, & dignum minore matrimonium auerſati, in dolo eſſe præſumuntur, imò probantur. *Barth. in l. tutor qui repertor. per illum text. verſ. ſi quis. D. de adminiſt. tutor.* vt venia digna ſit minor, ſi ſibi conſuluit.

10. Edicta matrimonium non impediunt:

Porrò edicta nullum ſtatuunt matrimonio impedimentum. neque enim id poſſunt Principes. ſubſiſtit ergo ſecundùm formam Conc. Trid. contractum: ſed poſito quòd contrahentes in edicta inciderint, quæritur an euenerit conditio,

11. Nec iura matrimonij;

qua parens eos ſuæ poteſtatis fecerit, cùm ad ætatem 25. annorum vel ſtatum approbatum peruenirent? atque iterum

12. Nec ſocietatem coniugalem;

an per huiuſmodi matrimonium contracta ſit ſocietas coniugalis, quæ tota Brabantia obtinet? maritus factus ſit adminiſtrator omnium bonorum vxoris? tutor illius & mamburnus? &c.

Ad pœnam quoad attinet Paul. *lib. 2. ſent. tit. 20.* docet filiif. matrimonium ſine conſenſu patris initum ratum quidem eſſe; ſed non iuſtum, non legitimum. Ideoque (quod ad ſecundum attinet) ſequitur legitimos iuris ciuilis ſeu ſtatutarij effectus non producere.

Sed id pridem per canones, & praxim ceſſauit; & cùm eam pœnam edictum non proponat; rectè Concilium Brabantiæ pridem iudicauit maritum talem legitimum mamburnum, & adminiſtratorem eſſe.

13. Sed huiuſmodi ſocietatis lucra merat;

Cæterùm edicta omnem vtilitatem, quæ vni ab altero eiuſmodi contrahentibus obuenire poſſet, auferunt; ideoque ſi per leges ſocietatis coniugalis ea accederet, ablata cenſeretur. v.g. puella habet in pecunia parata centum millia florenorum, ſi communio coniugalis faceret ea communia, adeo vt ſoluto matrimonio medietas competeret marito, eiuſue hæredibus; huiuſmodi lucra quæ à minoribus obuenerint edictum anni 1623. tollit; 14. Non induſtrialia.

ſed vt ſocietatem impediat eorum quæ contrahentes ex induſtria ſua habituri ſint, edictis non cauetur. ideoque ſoluto ſine liberis matrimonio bona ab vxore illata redintegranda ſunt; & reſidua demum, vt acquiſita, diuidenda: ſed diminuta non videntur à marito reſtituenda; cùm in vim adminiſtrationis legitimæ conſumpta ſint, & in ſocietate ſors domino pereat; cùm ex acquiſitis reſtaurari non poteſt: & ideo lucrum nullum maritus faciat, in quod feruntur edicta. *Vide nihilominus diſſ. 15. lib. 2. Deckeri.*

CONSVLTATIO XIII.

De matrimonio caſtrenſi.

PArochus originis deſinit proprius eſſe in materia matrimonij, cùm quis domiciliũ mutauit. *Sanch. de mat. l. 2. d. 23. n. 6.* parochus domicilij incipit proprius fieri: *c. fin. X. de paroch. c. is qui. de ſepult. in 6.* tametſi quoad munera & honores quis patriam mutare non poteſt. *l. aſſumptio. D. ad municip. l. origine. C. de municip. l. 10.* tamen domicilium aduentitium ſemper mutare poteſt etiam quoad munera. *l. domicil. in fin. D. ad municip.* facto & re ipsâ illud transferendo non nuda conteſtatione. *d. l. domicil. l. non vtiq. v. conſtit. D. eod. l. ciues. C. de incol. lib. 10.* 1. Mutato domicilio parochus originis deſinit, domicilij incipit proprius eſſe.

Obſcura tamen ex facto eſt ratio acquirendi domicilij, per illudque proprij parochi; ideoque titulo de *incolis. C. lib. 10.* additur, *& vbi quis domicilium habere videatur, & de his qui ſtudiorum cauſa in aliena ciuitate degunt.* incolæ certè domicilium habent. *l. domicil. D. ad municip. incola is eſt, qui in aliquam regionem domicilium ſuum contulit, & quem Græci paræcum appellant. l. pupillus 239. §. incola de verb. ſignif.* ad paræciam incola ſpectat propriè vbi habitat; paræciæque rector proprius illi eſt parochus. 2. Domicilium ſtabilitatẽ, & ſedem exigit.

Domicilium habere videntur, qui non propriè quidem illud in alium locum contulerunt; ſed ita tamen in aliquo loco verſantur, & commorantur, vt inſtar domicilij ſit, quamdiu (quantiſper) ibi degunt; animum autem perpetuò manendi non habent. 3. Quidam nõ perpetuũ habent, tamen proximè accedũt.

Sub hoc ferè genus cadunt ſtudiorum, officij non perpetui, mercaturæ, aliorumque negotiorum cauſa extra proprium domicilium per diuturnam moram degentes; & quicumque alicubi morantur, non ita tamen quaſi perpetuam ibi ſedem habituri; ſed neque vt hoſpites, atque viatores tranſuecti aut prætermauigantes.

In huiuſmodi moratorum genere Vlpian. in l. 4. Tabernam

pergulam habentes: in *l. heres absens. §. at si quis. D. de iud. si quo loco constitit*, inquit, *non dico iure domicilij, sed tabernulam, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit, ibiq; distraxit, egit; defendere se in eo loci debebit.*

Vbi Vlp. in huiusmodi moratorem Iudici loci iurisdictionem tribuit; non autem Iudici
5. Qui iudici loci subdũtur: loci, quem tantùm prænauigat, aut transuehitur:. & rationem distinctionis ab æquitate adfert, *durissimum est*, inquit, *quotquot locis quis nauigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendi.* ergo in huiusmodi moræ effectu discernendo ab æquitate rationem sumere opor-
6. Cum mora, etsi nõ iure domicilij: tet, vt durum sit quocumque loco quis est quoad alibi acta subiici; sed æquum sit, si ibi consistat morosè; quamuis non iure domicilij.

Vnde Pontifex *in c. fin. de paroch.* mandat, ne veteres eorum, qui migrarunt belli caussa,
7. Parochi veteres in translatos non habent iurisdictionem. Ordinarij in iam alibi habitantes iurisdictionem vsurpent; nec amplius temporalia exigant ab iis, quibus spiritualia iam non ministrant; sed diœcesano præsentis habitationis cætera, præter decimas fortè prædiales, relinquant. vbi & iurisdictionis præsentis, & ministerij æquitas consideratur.

8. Sed vbi per anni circulũ missas audiunt, ecclesiastica sacramenta percipiunt, &c. Vti & ex eadem *in c. quæsti. 16. q. 1.* decimæ personales solui iubentur vbi infantes baptizantur, & parentes per totum anni circulum missas audiunt: & *in c. ad Apostol. X. de dec.* vbi ecclesiastica percipiuntur sacramenta: *in c. placuit. 13. q. 2.* sepulturæ fieri in ecclesia cui mortui subiacuerunt: & *in c. in nostra. c. cum super.* quarta canonica solui ecclesiæ, vnde corpora auferuntur.

Et *in c. cum nullus de temp. ord. in 6.* cùm nullus *clericum aliena parochia debeat præter licentiam sui superioris ordinare; superior in hoc casu intelligitur in cuius diœcesi ordinandus originem, beneficium, aut domicilium obtinet.* Ad quem textum Sanch. *de mat. l. 3. disp. 23. n. 12.* ponderat ea verba, *in hoc casu*; quasi cùm in casu accipiendorum Ordinum originis, vel beneficij, vel domicilij superioritas requiratur; in aliis commoratio domicilio imperfectior sufficiat. quod multis casuum exemplis, & authoritatibus *eod. n.* prosequitur.

Sed mihi præter illa admodum videtur hanc sententiam firmare *d. c. fin. X. de paroch.* si integrè legatur cum supplemento, quod in Corpore sub Gregorij XIII. recognitione edito, sic legitur; *& in ea* (ciuitate Aconen-
9. Et resederũt aliquantum, & adhuc resident. Seu manserunt: si) *residentiam fecerunt aliquantam, & adhuc resident in eadem.* considerat enim ibi. Pontifex præsentem residentiam, & prius factam, quamuis exigui temporis, quam *aliquantam* vocat. residere, est continuò versari, assiduè eo loci esse, firmas sedes habere. *X. de cler. non resid. tot. tit.*

10. Vt iudicari possint etiã de alibi actis. Huiusmodi residentiam, quam etiam mansionem *d. c. fin.* vocat, si animi contestatio declaret, vel perpetuam intendi, si nihil auocet, vel sanè diuturnam; æquissimum videtur, si sufficiat vt Iudex in taliter commorantem de alibi actis ius dicere possit; vt & in spiritualibus per eam iurisdictio loci Ordinario, seu parocho tribuatur: consequenterque confessionis, & matrimonij celebrandi authoritas detur; ac durum taliter commorantes tractare vt
11. Confessionis & matrimonij sacramẽta possunt percipere. peregrinos; & si nõ iure domicilij pleno subiiciantur quoad munera. quò respicit maximè *tit. D. ad municip. & C. de incol.* præsertim cum *d. c. nullus.* cum pro non alieno habeat, quem quis potest iudicare.

12. Quæ mora, residentia, mansio arbitraria est. Sed difficultas est, quomodo censendum sit de huiusmodi mora, quanta esse debeat, vt parochiæ ius acquisitum videatur, & sic commorans iurisdictioni eius loci parochi subiectus ad effectum percipiendi sacramenta? &
13. Totius vel maioris partis annis arbitrariam quidem illam esse credendum est. *Menoch. de arbit. cas. 86.* arbitrari tamen æquũ, vt sufficiat habitatio totius, vel maioris partis anni. *Sanchez de mat. l. 3. d. 23. n. 12. 13. & citati ab eo & Gut. de matr. c. 63.* neque ea dum-
14. Acta, vel agẽdi animo saltem cœpta. taxat peracta, sed & aliquatenus cœpta eo animo, vt per totum annum, aut maiorem partem duratura sit. *idem Sanch. n. 14.* sicut in vero domicilio sufficit illud animo perpetuo manen-
15. Sic miles sicubi agere cœperit ea mora, quæ sic durare nata est: di re & facto ceptum esse. Quare *sicut miles ibi domicilium habere videtur, vbi meret, si nihil in patria possideat*; *l. 23. in fin. D. ad municip.* sic & mansionem sufficientem ad sacramentorum perceptionem dicimus, si cepit alicubi esse ea mora, quæ nata est durare per annum, aut maiorem anni partem, vt in præsidiis.

16. Contestatio tamen contraria dubiũ tollit. Atque hæc quidem ita censenda sunt, vbi non aliter aliunde constat. cæterùm vbi quis expresse contestatus est se velle imposterum aliquo loco sedem figere, & domicilium, seu huiusmodi mansionem, vel eo animo commo-
17. Quæ tamen sola transferendo domicilio nõ sufficit, sed facto opus est. rari, vt nolit domicilium aut huiusmodi mansionem acquirere; standum est huiusmodi declarationi citra dubium. *Menoch. d. cas. 86.* dummodo tamen contestatio non sit nuda; sed adsit res & factum, habitatio ipsa scilicet: & firmius est standum, si & fortunarum translatio accedat. *d. l. domicilium: Sanchez d. 23. n. 2.* neque fraus atque simulatio arguatur.

18. Contestationis simulatio actu mox contrario probatur. Enimuerò tametsi in casu, de quo agimus, mulier coram parocho contestata sit ante matrimonium se ibidem velle deinceps commorari; & pastori sacramentaliter confessa sit: tamen eadem contestatio simulata deprehenditur ex eo, quod biduo post matrimonium vix commorata, eoque ne quidem consummato discesserit ad vetus domicilium. actus enim secutus priorem intentionem arguit contrariam. quomodo tradit *ex Tacito lib. 15.* Alciatus *in l. municipes 228. D. de verb. signif.* (cùm per adoptionem acquiratur domicilium adoptantis, *l. sed si. D. ad munic.*) Conf. P. Mario. & L. Asinio *factum senatusconsultum, ne simulata adoptio in vlla parte publici muneris iuuaret; cen-*
19. Vt & adoptio. *serisq; simulatam, cùm beneficia sortiti statim emittunt manu, quos adoptauêre.* Sic in *§. pauonum Inst. de rer. diuis.* cùm animalia fera con-
20. Animus reuertendi desinere in feris probatur, cùm consuetudinem deserunt. suetudinem auolandi, eundi, reuertendique habentia, *animum reuertendi habere desinere dicuntur tunc videri, cùm reuertendi consuetudinem deseruerint.* ex actu huiusmodi non reuertendi de animo præsumitur: & sic ex contrariorum dis-

diſciplina, ſi abeuntia de facto redierint, animum redeundi habuiſſe videntur. & generatim ex actu ſubſequenti colligitur animus præcedens. *Menoch. l. 3. præſ. 30. num. 54.* ita & Fulgentius *ſermon. de Epiphan.* Herodis verba ad Magos dicta; *ite, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum*; ita redarguit: *ſanguis Innocentium, quem crudeliter effudiſti, atteſtatur, quid de hoc puero voluiſti.* fraus præſumitur ex

21. Sic domicilij transferendi in mox redeunte.

actuum contrariorum vicinitate. *Menoch. de præſ. lib. 3. p. 124. l. 6. præſ. 12. n. 36.* quod vel eò magis in domicilio obtinet, vt cùm illud non dependeat à ſolo animo, & nuda conteſtatione; ſed etiam rem & factum requirat. *d. l. domicilium.*

Vnde ſi domicilium per ſimulatam adoptionem acquiſitum inefficax eſt ſecutâ mox emancipatione; & pro ſimulata illa habetur, ſi animus reuertendi ex actu reuerſionis ſecuto adfuiſſe cenſetur, præſumptione iuris: cùm

22. Maximè ſi & aliæ circumſtantiæ accedant.

huiuſmodi mulier ne per iuramentum quidē animum contrarium probauerit; præſumptio manet, eam reuertendi animum, non alibi commorandi habuiſſe: præſertim vbi numquam antè fuit, nullos propinquos, nullas poſſeſſiones habuit, nullam fortunarum partem tranſtulit. nam *cum quæritur*, inquit, *lex vlt. ſub fin. D. ad municip. an municeps quis ſit, ex ipſis etiam rebus probationes ſumi oportet.* quod idem *l. hæres. §. proinde. D. de Iud.* conſiderat in manſione non iure domicilij habita. Et quamuis probaretur iam ante ſarcinas conuaſaſſe; id quaſi in vtrumque paratæ aliquod foret indicium; tamen id ex actu huiuſmodi contrario vel tollitur, vel ſaltem non eſt ita efficax, vt ex eo ſolo in contrarium ſtatuatur.

Ad eum potius ſolum finem eius conteſtatio interpretanda eſſet facta, vt tantiſper ibi maneret donec opportunè, importunè militem induxiſſet ad coniugium. quod produnt verba in actis *donec ſui iuris eſſet* in reſcriptione Decani Chriſtianitatis: at verò talis mora nihil ad domicilium facit; *l. 2. C. de incol.* & non eſt nata diu durare, quia ſuccedente coniugio acquirebat domicilium mariti, cuius hic manſio non ſufficiebat ad domicilium, vt mox dicetur: aut non ſuccedente, eoque abeunte illa omninò reuerſura fuiſſe præſumitur: & ſic nec in eum caſum talis mulieris manſio ſufficiebat ad parochum reddendum ei proprium; tanquam ad certum tantum negocium non diu ibi durare natum inſtituta.

Nunc verò quod de milite diximus, vbi meret domicilium acquirere, ſi nihil in patria poſſideat; itidemque manſionem diuturnam in eo ſufficere ad ius parochiæ; in caſu noſtro admodum deſtruitur; non tantùm ab exiguitate temporis acti in manſione, non nata diu durare, in ditione ſcilicet aliena (in qua ius ſit innoxij tranſitus, non tamen præſidij locandi:) non regia; (in quâ præſidia locata diutius durare nata ſunt) ſicut ruſticana manſio recreationis cauſa, non diu durare nata, non ſufficit ad tribuendam parochialem iuriſdictionem, matrimoniique celebrandi authoritatem: *c. is qui. de ſepult. in 6.* ſed ea requiritur quæ ferè par ſit incolatui. *d. l. hæres. §. 2. D. de Iud.*

Sed etiam quod miles, de quo agitur, non fuerit verſatus aſſiduè, neque continuò manſerit in eo loco, vbi hoſpitium militare ei erat deſignatum; ſed magis alio loci, apud ſuum Chiliarcham egerit, ob operam quam præſtabat rebus illius aut militum vtilem: ſed & hæc manſio profectionibus multis interpolata probatur, neque de ſui natura cauſam continuam habet, ita vt neque deſignatum militare hoſpitium, quamuis illud inſtar præſidij in aliena ditione haberi poſſet, ob defectum realis eo in loco manſionis: neque manſio extra locum quaſi præſidio ei deſignatum; ob defectum deſignationis, & aſſiduæ conuerſationis, ac deſtinationis operari poſſint effectum parochialis ſubiectionis: in vim cuius coram huius vel illius loci parocho poſſet celebrari matrimonium. Vt omnes DD. animum degendi in loco ſaltem per diuturniorem moram requirunt, & actu exercitam manſionem. *Sanchez & ab eo citati d. diſp. 23. Menoch. vol. 4. conſ. 398. & conſilia aliorum ibidem addita, præſertim PP. Minorum.* Quibus ex cauſis etiam an. 1624. conuenit inter Delegatum exercitus Regij in Belgio, & Ordinarios Prou. Mechlin. vt parochi locorum milites coniungere non poſſint, niſi ibi degant per modum præſidij, non tranſitus. vt ad hunc quam illud propius accedit mora militis in aliena ditione.

23. In milite circumſtantiæ manſionis durare natæ vel nō ad proprietatem parochi faciunt:

24. Subiectionemque:

25. Matrimoniique valorem:

Ex his conficitur quod nullum ſit matrimonium, de quo agitur, celebratum coram parocho, qui neque reſpectu militis, ſeu Capitanei, neque reſpectu mulieris proprius erat, citra licentiam proprij alterutrius parochi, aut Ordinarij. Cum propius tamen iudici perſpectæ eſſe poſſunt perſonarum qualitates, an nihil Capitaneus in patria poſſideat, ad intentionem *d. §. miles*, an poſſeſſiones & fortunæ illius, aut mulieris tales ſint domi, vt difficilius iuxta *l. ciues. C. de incol. l. 10. aut d. l. vlt. §. vlt. D. ad municip. d. l. hæres. §. proindè*, negotium faciant; aliæue circumſtantiæ adſint, quæ in iis quæ ad arbitrium iudicis referuntur, non exiguam ſæpe cauſarum metamorphoſim faciunt; in omnem partem animum ſuum debet verſare, vt deprehendat & animum eorū, qui contraxerunt; & facta, quibus domicilium acquiri, aut ſubiectio ſaltem parochialis poſſit, aut nequeat.

26. Et attendēda militum qualitas, qui ſi nihil in patria poſſident, facilè acquirunt domicilium vbi merent, & manſionē matrimonio idoneam.

CONSVLTATIO XIV.

De Matrimoniis militum in Belgio.

MAtrimonium vt contrahi debet coram proprio cuiuſque parocho ex Concil. Trid. *de reform. mat. c. 1.* ita miles coram proprio etiam parocho contrahere hîc intelligitur,

tur, dum contrahit coram cohortis suæ Sacellano, à Vicario generali exercitus Belgici ex delegatione Apostolica deputato. Delegato exercitus ex Breui Apostolico iurisdictionem Episcopalem asserit Carolus à Mansuelt *in Exercitatione ciuili ad illud Breue, & Parochia militari.* quâ positâ cessant omnia illa quæ quidam obiiciunt, *vt retulimus suprà de Off. Ord. cons.* 2. positionis etiam necessitatem tollunt hîc Concordata Delegati cum Ordinariis. *quæ retulimus in Iur. Pont. nou. an. de off. Ord. & verbotenus recitantur in d. Exercitatione.* ab hoc Delegato sacerdotes castrenses, pauciores olim, hodie ferè omnes facultatem accipiunt, etiam expressam assistendi solemnisationi matrimonij inter suos. Sed quæritur quando ad hunc effectum quis miles censeatur? & quidem

1. Quādo quis miles esse incipiat?

ex *eo tempore quis iure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est, ante non. proinde qui nondum in numeris sunt, licet etiam lecti tyrones sint, & publicis expensis iter faciunt; nondum milites sunt, debent enim in numeros referri. l. ex eo* 42. *D. de testam. milit.* nisi fortè in hostico quis sit deprehensus: *l. rescripta* 44. *D. eod. l. vnic. D. de bonor. possess. ex testam. milit.* vel confestim cingi iussus: *l. filiusf.* 43. *D. de testam. milit.* quod tamen in equite interpretatur Conanus, *de testam. milit. lib. Comment.* 9. *c.* 5. *n.* 8. & qui iussus cingi, & cinctus ex iussu confestim erat: vel denique qui ex vno numero translatus in alium, quamuis & hinc exemptus, & illò nondum peruenit; tamen poterit iure militari testari. *d. l.* 1. *de bonor. possess. ex test. milit.* est *enim miles,* inquit Vlpian. *quamuis in numeris non sit.* Cuius cum eadem sit *d. l.* 42. *& d. l.* 1. nulla potest esse antinomia. Igitur non incipit quis miles esse, nisi in numeros relatus: sed neque semel relatus desinit miles esse, quamuis translatus: quia nondum scilicet sacramento est solutus. quo soluebantur, qui missionem accipiebant, non qui transferebantur. vnde Conanus, ex Cicerone, missos, sacramentoque solutos, exemplo filij Catonis, milites esse, vel iure in hostem pugnare negat. sed neque Vlpianus tyrones milites esse admittit, quamuis publicis expensis exhibeantur; sed ad militiam accedere, in tyrocinio militiæ scribi, in scholis loco posteriori poni dicuntur. *in l.* 1. 2. 3. *C. de tyron. lib.* 12. Sed rursus tamen idem Vlpianus *in d. l.* 1. nauarchos, triararchos, remiges, & nautas inter milites recipit, & iure militari testantes. sed & iterum Zeno *in l. neminem. C. de re mil. l.* 12. in numeros recipi neminem permittit, sine Imperatoris probatoriis; non ex Ducum lubitu, aut magisteriæ potestatis.

2. Et veteri disciplina?

Sed hæc ex disciplina vetere militari, quando legebantur tyrones; *d. l.* 42. & exercebantur: *l.* 1. *in fin. D. de milit. test.* satis exercitati militiæ asscribebantur; *d. l.* 1. *&* 2. *C. de tyron.* Inde in numeros referebantur, & multitudinem millium; vt milites iam dicerentur; & dux Chyliarcha quasi millibus imperans. *d. l.* 1. *D. de testam. milit.* vnde non mox ac lecti erant, & nomina dederant, iure communi soluebantur, & militaribus priuilegiis donabantur, v. g. militariter testandi, sine præscriptis iure solemnitatibus: *d. l.* 42. ne vltra quam facere possint, executionem patiantur: *l. miles. l. item miles. D. de re iudicat,* nec incarcerari possint, nec bonis cedere teneantur: *d. l. miles. & ibi DD.* nec bona absentium creditoribus addici, res in commissum rapi ob non solutum vectigal, tutelæ, testimonio, tormentis subiici, vt peculium castrense liberè possideant, de eo testentur, etiam ex militari delicto damnati, bona militis successorem non habentis deferantur legioni: iuris ignorantia ei non noceat, qui inconsultò adiit hæreditatem, non teneatur vltra vires; mortuus in bello, semper viuere intelligatur, prosit ad ius trium liberorum, præmia ei debita dentur filiis: quæ omnia prosequitur Ayala, *de iur. milit. lib.* 3. *c.* 7. quæ cùm tanta sint, non est mirum cuilibet illotis manibus accedenti non mox omnia communicari, eorumque respectu non mox militem dici, non mox communi iure solui, militari viuere, agere, testari.

3. Quando militaribus priuilegiis vti?

Cæterùm quoad iurisdictionem, num mox ac lecti sunt tyrones, nominaque dederunt, Ducibus subiiciantur, iurisdictioni, correctioque eorum subsint, non negat Vlpianus: quin & Modestin. *in l.* 3. §. *si plures. D. de re mil. tyronibus,* inquit, *parcendum est, qui si iterato hoc admiserint, pœna sufficienti adficiuntur,* Menander. *in l.* 4. *in fin. D. de re mil. ignoranti adhuc disciplinam,* inquit, *tyroni ignoscit*; & agit de delicto militari. & Paulus: *tyroni in hoc crimine facilius parcetur: l.* 14. *D. de re milit.* emansione scilicet, armorum alienatione, desertione; cuius notio ad militarem iudicem vtique spectat, qui militem, non priuatum, ac paganum iudicat. *l.* 1. 2. 3. *C. de off. militar. iudic. l. magisteria. C. de iuris. omn. iud.* adeo quidem vt & à Præside prouinciæ captus, ad magistrum militum remitti debeat, *l.* 1. *C. de exhib. reor.* nisi fortè specialibus ex causis secus decretum sit: *l vnic. C. in quib. caus. militantes fori præscriptione vti non possint.* vt est in conuentis super publicis debitis, aut functionibus: *d. l. vnic.* aut si delinquens sit desertor: *l. desertorem. D. de re milit. l.* 1. *C. vbi senatores,* negotiator: *l. vlt. C. de iurisdict. omn. Iud.* falsus testis, coram pagano Iudice: *l. nullum. C. de testib.* in ius vocatis ante militiam: *l. si quis postea. D. de iud. l. pen. D. de iur. omn. iud.* sed & in armata militia secus rescripsit Traian. *l. qui cum vno.* §. *reus. D. de re milit.* pactus se fori præscriptione non vsurum. *l. si quis. C. de pact.*

4. Sed mox ac nomina dederunt, militari iurisdictioni subsunt.

5. Et ad magistrū militū remitti, exceptis casibus.

Sed rursus etiam illi quibus nondum fori præscriptio concessa est, militari tamen iurisdictioni possunt esse subiecti, statim ac se dederint in militiam: sicut quicumque alicui professioni & Collegio se sociauerunt, illi subiiciuntur, nec tamen à priore iurisdictione eximuntur. *d. l. vlt. C. de iuris. omn. Iud.* quia *periniquum est eius quem professionis, cui quis se sociauit, iurisdictionem & præceptionem declinare. d. l. vlt.* Igitur tyrones, qui nomina dederint, aliique lecti tametsi nondum milites sint, iurisdictioni tamen

6. Qui se in collegium dedit illius iurisdictioni subiicitur.

tamen militari erunt ſubiecti, cui ſe iam ſociarunt. ſicut & Nouitius nondum profeſſus, tamen ſuperiori regulari eſt ſubiectus, in cuius ſocietatem ſe dedit: DD. *in c. ſtatuimus. X. de reg. c. benefic. eod. in 6.* quinimò ſicut monachi, *c. monachi. X. de ſentent. exc.* ſic & nouitij gaudent priuilegio canonis *ſi quis ſuadente.* vt expreſsè decidit *c. religioſo. §. fin. de ſent. exc. in 6.* atqui nihil magis eſt notorium, quàm omni genere iuriſdictionis nouitios ſubiici ſuis Prælatis.

7. Sicut & nouitius.

8. Qui & priuilegiis ordinis gaudet.

9. Calones aliique caſtra ſequêtes caſtrenſi iuriſdictioni ſubiiciûtur.

Quemadmodum & calones, lixæ, coniuges, liberi, ſerui, militum tabernarij, aliique caſtra ſequentes Iudici caſtrenſi ſubduntur, concubinæ, aliaque impedimenta Ducis, iudiciſque caſtrenſis imperio notoriè ſubſunt. quippe cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt. *l. 2. D. de iuriſ.* non poteſt Dux exercitus officium ritè explere, niſi & his impedimentis poſſit imperare.

Et quemadmodum, qui iuriſdictioni præeſt, quoniam ſibi ius dicere non debet, ideo neque vxori vel liberis ſuis, neque libertis, vel cæteris quos ſecum habet; *l. qui. D. de iuriſdict.* ita & qui patrif. ius dicere poteſt, poteſt & omni familiæ, filio, famulo, ſeruo, colono, nam eius forum ſequuntur. *l. viros. C. de comit. conſiſt. l. 12. l. in ſacris. 12. C. de prox. ſac. com. l. 12. l. ſi quis. l. fin. C. vbi cauſ. fiſc. l. 2. C. de epiſ. & cler. c. eccleſiarum 12. q. 2. l. de iur. D. ad municip. l. ea. D. eod.* vnde & à iure mulieribus etiam quædam militum priuilegia communicantur, *l. 1. & 2. C. de vxor. milit.* & aliis qui caſtra ſequuntur. *l. vlt. D. de milit. teſt.*

Ex his conficitur eos qui caſtra ſequuntur, tametſi veri nominis milites non ſint, tamen ad militarem iuriſdictionem pertinere, eiuſque correctioni ſubeſſe.

10. Etiam eccleſiaſticæ caſtrenſi.

Conſequenter dum quæritur, an quis iuriſdictioni eccleſiaſticæ caſtrenſi ſubſit, dicendum eſſe eos, qui caſtra ſequuntur, tametſi milites non ſint, multò minus veri nominis milites, poſſe iſti iuriſdictioni ſubeſſe; à capellano cohortis eorum confeſſionem excipi (vt Breue clarè ait *in Verb. confeſſiones, quarumcumque dicti exercitus, illi vſque vtriuſque ſexus perſonarum audiendi*) matrimoniumque celebrari: ſi hæc ſunt paria, vt facit paria in materia proprij ſacerdotis Sanchez. *de mat. lib. 3. d. 23. n. 10.*

11. Delegato hic Apoſtolico.

Eò quòd hîc pro toto exercitu Regio delegatus ſit Vicarius Apoſtolicus, à quo capellani huiuſmodi ſubdelegantur: exercitum autem dicimus, non vnam cohortem, neque vnam alam, ſed numeros multos militum. *l. 2. D. de his qui not. infam.* totumque corpus aggregatum cum omnibus ſuis acceſſoriis, impedimentiſque: vt Delegatus Vicarius Apoſtolicus in omnes & ſingulos iuriſdictionem habeat, per ſe ſuoſque ſacramenta adminiſtrare poſſit, acceſſoriumque ſequatur ſuum principale.

12. Verba Bre-

Eoque magis quòd ratio, quæ Sedem Apoſtolicam mouit ad huiuſmodi Breue delegationis, ſcilicet quod non facilè ad locorum Ordinarios, aut Sedem Apoſtolicam recurſus haberi poſſit, eadem quæ in militibus etiam in ſequacibus & acceſſoriis militet; æquè à domo & diœceſi ſua abſentibus; non in illis promptius, quàm in his Ordinarij ſui prouidere poſſint: ac vbi eſt eadem ratio, debeat & eſſe eadem iuris diſpoſitio: ſcilicet vt ij, qui etiam militari iure teſtari non poſſint, tamen in hoſtico deprehenſi, vbi ciues Romani teſtes ſeptem haberi non poſſint, iure militari teſtantur. *d. l. vnic. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.*

uis & ratio conuenit omnibus caſtrenſibus.

Et his conformiter ipſum delegationis Breue, & Concordata inita inter Ordinarios, & Delegatum Vicarium Apoſtolicum exercitus, non præciſè militum nomine vtuntur; ſed caſtra ſequentium; & hæc in multis concedunt præuentioni locum, cùm veri nominis miles ad iudicem militarem eſſet remittendus. *l. 1. C. de exhib. re.* & Breue Apoſtolicum nullam exemptionem exprimit ab ordinaria iuriſdictione, vbi Ordinarij eam ſuis impendere poſſunt. 13.

13. Et Concordata Delegati, & Ordinariorum.

Vnde indies videmus milites recens lectos, nondum recenſitos, aut libris regiis inſcriptos, à capellanis caſtrenſibus ſacramenta recipere, à iuriſdictione caſtrenſi, tam temporali, quàm ſpirituali curari, iudicari, corrigi.

Et verò quemadmodum Iudici ordinario ſubiicitur, quidquid in eius territorio reperitur, ſi quis ibi contrahat vel delinquat, vel quaſi; ita & dicendum de caſtrenſi Iudice ordinario, vt quidquid caſtra ſequitur, ei ſubiiciatur.

Rurſus quemadmodum qui domicilium relinquit, & aliò tranſit, ſimul atque priorem locum animo dereliquerit, & ad ſecundum tranſierit, conteſtatus ibi ſe lares figere velle, adeoque facultates pro parte ſaltem tranſuexerit ibidem manſurus, niſi quid noui auocet; *l. ciues. C. de incol. lib. 10.* Iudicem ſecundi loci habet quaſi domiciliarem; & in ſpiritualibus parochum, vt proprium: *vt Sanch. latè lib. 3. d. 23. n. 9. & ſeqq. & nos ſuprà Conſul. 13.* ita & omninò eſt ſtatuendum, vt qui animo domicilium relinquit centurioni milites conſcribenti dat nomen, militiæ ſe accingit, militaria munera, vigilias, excubias obit, is conſequatur caſtrenſis imperij ſpiritualis, & ſecularis forum, ſubiectionemque: tametſi nondum ſuprema militiæ priuilegia, quæ acquiruntur abſolutis demum omnibus ſolemnibus, & nominatim demum poſtquam quis ſit in numeros relatus, libriſque regiis inſcriptus.

14. Qui domicilium tranſfert, ſtatim ſubiicitur nouo Iudici, & parocho.

15. Sic & miles mox ac nomen militiæ dederit.

Et verò quamuis Rationales regij militares pro milite quem non habeant, quamdiu libro regio ſeu catalogo non eſt inſcriptus; quaſi id ſit in numeros referri; tamen id maximè ſpectat ad vitandas pecuniarias fraudes: nec enim hodie diſtinctio eſt inter tyrones & milites, quam proponit *d. l. 42. D. de teſt. mil.* non probantur, exercentur, deliguntur, cinguntur ex diſciplina militari veteri, non hodie obtinent quæ *D. & C. l. 12. de re milit.* & pluribus *tit. C. l. 12. ſequentibus* traduntur. & nomi-

16. Quoad ſtipendia autem nô antè miles cenſetur, quàm libris hic regiis ſit inſcriptus.

17. Seu in numeros rela-

sus, quoad iuris priuilegia. nominatim tit. 41. de commeatu seu dimissione ad tempus, vel Vvesenbec. in œcon. l. 12. D. in perpetuum. qui l. 1. 2. 3. C. l. 12. D. de re milit. dari à tribunis etiam cohortium potest; dummodo non tempore expeditionis detur; solus Imperator, aut dux exercitus missionem concedit: l. 1. D. de his qui not. infam. Val. Max. lib. 2. c. 7. nisi fortè sit causaria vel ignominiæ causa, quæ ei competit, qui iurisdictionem habet in militem, & castigare potest: l. 3. §. 1. D. de re mil. l. miles agrum. §. is autem. D. eod. Ayala l. 3. c. 6. de iur. mil. & de negociatione, de peculio, annona, veste, metatis, salgamo, tyronibus, veteranis, filiis eorum qui in bello obierunt, &c. adeoque voluerunt multi nec priuilegia veterum concedenda militibus nostris: quod tamen secus alij admittunt. & Ayala d. l. 3. c. 7. in fin.

18. Sed militiæ iura hodie non omnia eadem, quæ olim.

19. Simulatè nomen militiæ dans nō fit militaris, nec matrimoniū validè contrahit corā castrēsi sacerdote.

Quoniam verò plus valet quod agitur reuerà, quàm quod simulatè concipitur; si quis non animo militandi per collusionem nomen dederit, vt (contra interdictum fortè Ordinarij) à castrensi Sacellano coniungatur matrimonio, & mox quasi à militia mittatur, dicendum erit reuerà quòd simulata militia verum effectum veri, & proprij parochi ei nō potuerit producere; adeoque nec sacellanus castrensis matrimonio ritè & ratè præesse, nec ille validè coniungi.

Et quidem fraudem huiusmodi commissam in materia matrimonij non prodesse, rectè tradit Sanchez de mat. lib. 1. d. 42. num. 5. vt si v.g. sponsus religionem ingrediatur, soluitur matrimonium, & sponsalia: non soluitur autem si ingrediatur per fraudem, mox egressurus. vnde idem dicendum, si quis per fraudem nomen det militiæ, vt parochum castrensem nanciscatur, contracto matrimonio militiam dimissurus; vt non sit validum matrimonium coram castrensi contractum. debuit enim ita se dare militiæ, vt in ea sit mansurus, nisi quid auocet, d. l. ciues. 6. C. de incol. lib. 10. animus enim ibi manendi requiritur: l. 2. 4. 6. eod.

Et quamquam idem Sanchez lib. 3. disp. 18. n. 29. tradat incolam loci vbi publicatum est Concil. Tridentinum ire posse ad locum, vbi non est publicatum, & ibi contrahere coram non proprio parocho, & mox redire ad domicilium; quod is non tam fraudem committere, quàm iure suo vti dicendus sit; tamen cùm is casus ex facto obuenisset S. Cong. Concil. Trid. Interp. à me consulta respondit ob admissam fraudem inualidum esse matrimonium. de qua re supra h. t. consult. 6. sed nihilominus admissa opinione Sanchez non est eadem in milite nostro ratio: quoniam sicut verum domicilium, seu vera habitatio requiritur ad faciendum parochum habitanti proprium, Sanchez lib. 3. d. 23. n. 1. eaque non acquiritur ficta mox redituri migratione: c. is qui. X. de sepult. ita etiam militia mox eam deserturo, non proficit. quoniam fraus sua & dolus nemini debet patrocinari. c. ex tenore. X. de rescript. neque hic miles dici potest iure suo vti, quoniam ius huiusmodi migrationi non adstipulatur; sed illi demum quâ ita quis transit, vt ibidem sit mansurus, nisi quid auocet. d. c. is qui. l. 20. D. ad municip. l. 17. §. sola, eod.

20. Nec fraus sua ei potest patrocinari.

Quoniam verò quis potest duobus in locis domicilium habere, si ex æquo vtrobique agat; l. labeo. D. ad municip. vt & agnoscit c. 2. X. de sepult. duplicem quem habere parochiam, inter quam sepulchralia oblata debeant diuidi; & Sanchez d. l. 3. d. 24. in materia matrimonij admittit; neque mathematicam requiri habitationis æqualitatem; sed moralem sufficere contendit; hinc consequitur non ideo quem militiæ nomen dantem castrensi non cepisse subiici iurisdictioni, quoniam nec prius domicilium omninò reliquit: quia secundum primo potuit adiicere; sicut ciuis alibi incola fieri, ac vtriusque loci functionibus obligari: l. 29. D. ad municip. & filiusf. paterno aliud domicilium adiicere. l. 4. D. ad municip. & ibi glos. l. ciues. C. de incol. lib. 10. adde & militiam non requirere mutationem domicilij, sicut nec clericatum; imo l. 23. §. miles. D. ad municip. militi domicilium demum assignat vbi meret, si nihil in patria possideat. satis ergo sine fraude promptum esse militem ad sequenda ducis vestigia, quando iam

——sera nuntius horæ
Tertia mittet buccina signum.

21. Potest quis duobus in locis domiciliū habere, sic & vetus quis retinere & acquirere militarem mansionem matrimonio idoneam.

De desponsatione impuberum.

CONSVLTATIO I.

Qui ætate proximi ad pubertatem censeantur, & matrimonio idonei?

VT puberes, ita pubertati proximi idonei sunt matrimonio. proximitas ea nō longam distantiam admittit. c. continebatur. X. de desp. impub. in filia sic videtur explicare, si fuerit, inquit, ætati proxima, vt XI. aut circa XII. annum. & tamen c. tua fin. eod. filiam circiter XII. annos habentem, & eos annos eo ipso pro ætate nubili non habet, nisi malitia suppleat ætatem. c. attestationes eod. nec filij matrimonium etiam cum nisu copulæ 14. anno, inquit, ætatis suæ vel circa finem XIV. anni. circa finem anni, inquit, quem quia vt minimum diuidere oportet in principium, medium, & finem, fit vt debeat, qui proximus sit, saltem superasse medium annum 14. non sunt ergo audiendi qui medium ætatis, quæ inter infantiam & pubertatem currit superasse satis putant: sed opus est superasse medium an. 14. quantum autem hoc medium superasse debeant, & quid circa finem tunc esse sit æstimandum, iudicis arbitrio relinqui rectius est. Qualem illud arbitrium regulam sequi debeat innuit c. de illis. 9. eod. si ita, inquit, fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulâ carnali coniungi. Hoc statuit porrò Iudex ex habitu corporis, illisque

1. Ad finem an. 14. in mare 12. in fœmina.

2. Vt possint copulâ carnali coniungi.

3. Quod statuitur ex habitu corporis. illisque indiciis, quibus probentur generare iam posse. *c. puberes. eod.* Aspectum quidem corporis Iustinianus rectè sustulit. & ecclesia vetat ante annos pubertatis per leges definitos coniungi. *c. vbi, 2. eod.* sed & iam coniunctos vetat minoris ætatis intuitu separari, si
4. Præsertim in iam iunctis. fuerint ita ætati proximi, quod potuerint copulâ carnali coniungi. *d. c. 9.* itaque in iam coniunctis aspectus corporis faciendus est. *c. ex litteris. c. fraternitatis. c. fin. X. de frig. & malef.* vt constet validum sit, an separabile matrimonium. *Sanchez de mat. l. 7. d. 104. n. 32.*

5. Qui separari nō possūt, nisi cognito an malitia suppleuerit ætatem. Ex his sequitur iuuenem qui 13. ætatis annos & 4. menses habet, non esse pubertati proximum; non ritè procedere ad matrimonium de præsenti. Tamen quia iam coniunctus est, quærendum est an malitia suppleuerit ætatem, & generare iam possit; corpus inspiciendum, cæteraque per peritos artis medicos, & chirurgos inquirenda, quibus constet an generationi iam aptus sit, potentia ac prudentia præcox adsit: neutra enim sola sufficit, quamuis illa sine hac vix soleat adesse.

6. Et iuueni creditur copulam neganti, nisi fœmina aspectu corporis aliud probet. Quod si filia asserit se cognitam, adeoque inferat iuuenem esse aptum coniugio, & is negat copulam, huic iurato credendum est: *c. continebatur. c. duo eod.* nisi filia aspectu corporis demonstrare aliud voluerit: *d. c. duo.* vbi admittitur legitima probatio aduersùs huiusmodi assertionem. Itaque si reperiatur per obstetrices peritas filia virgo; stabitur huic probationi: si reperiatur cognita; non oportet requirere, *vt Sanchez aliiq; n. 33.* vt probetur tradita virgo. nam ea qualitas inest naturâ, adeoque adesse præsumitur, nisi ab alio doceatur deflorata: atque ita dum cognita reperitur quam cum sponso impubere concubuisse constat; credetur malitiam suppleuisse ætatem; iuuenem potentem esse; ac matrimonium validum; nisi hanc naturalem præsumptionem accidentales aliæ fortiores eliserint.

An ex officio separari debeant, non petente altero, donec probent se potentes? coniungi quidem non debent *c. 2. X. de despons. impub.* coniuncti non videntur, cum dubitatur, separandi. *c. 8. 10. eod.*

De cognatione spirituali.

CONSULTATIO I.

Impedimenta per Concilium Trid. remissa, an sublata sint vbi illud non est publicatum?

NOn est dubium iure veteri *c. sciscitatur. c. si quis. 30. q. 4. c. Martinus. X. de cog. spirit. c. 1. eod. in 6.* cognationem spiritualem per maritum transfundi in vxorem, & contra. sed neque dubitandum sublatam esse huiusmodi transfusionem per Concil. Trid. *s. 24. de mat. c. 2.* præsertim post motum Pij V. *incip. cùm illius vicem anno 1566.* ita disertè declarantem. Dubitari tantùm potest, an vbi Concil. Trid. publicatum non est, ius vetus an nouum Trid. hac in re obtineat? matrimoniumque irritum hodie sit, contractum inter personas secundùm vetus ius cognatione spirituali per priorem coniugem in eas transfusa sic affectas, an verò nunc nec ibi afficiantur, & ratum sit.

Publicationem nouarum constitutionum in prouinciis iure ciuili requiri certum est: sed in Pontificiis de stylo, consuetudineque contrarium Romæ censeri *post Caiet.* ait Nauar. *de constit. cons. 1. q. 4. consentit Azor. inst. mor. l. 5. c. 3. q. 3.* Malder. *tract. de leg. q. 90. d. 3. § dico 4.* etiam ita de iure sentit. & huc fortè respexit 1. Tridentinū quando in prouinciis ceperit obligare.
Bulla declaratoria Pij IV. *incip. sicut 1364. 19. Kal. Aug.* quamuis Trid. Conc. Romæ confirmatum & seruari ceptum esset sub finem Ian. non incepisse tamen obligare alibi, quàm à Kal. Maij tunc præteriti, quoad reformationem & ius positiuum, sed ab eo tempore omnes obligare cepisse, neque vllius ignorantiæ excusationem admittendam. vbi non publicationem in prouincia, sed tempus refert in constitutionibus nouis ad obligandum iure communi requiri, ideo vt æquam post bimestre obligationem Conc. generatim astruit, fortè ex simili consideratione idem Trid. *s. 24. c. 1. de mat.* tam insolitam in parochia quaque publicationem exigit, & post mensem obligationem demum nasci disertè voluit.

Cæterùm quibus in prouinciis Concil. Trid. non est publicatum, neque consensione aliquâ publicâ receptum, ferè communius effectu ipso non obligare creditur. *Paul. Layman theol. mor. l. 1. tract. 4. c. 3. num. 4.* adeoque dum Concil. Trid. *s. 24. c. 6. de mat.* statuit contra *c. fin. X. de rapt.* vt consistere matrimonium non possit inter raptam & raptorem, quàmdiu est in potestate raptoris, non censebitur inductum nouum hoc impedimentum dirimens, vbi non est Concil. publicatum, aut sic receptum; sic non affici personam, aut matrimonium irritum, si consensus raptæ superueniat, & si adhuc existentis sub potestate raptoris. & sic de similibus Concilij decretis, ius nouum positiuum inducentibus.

Verùm enimuerò in lege derogatoria alterius legis quid prohibentis, aut irritantis promulgationem non ita solemnem, seu in singulis prouinciis requiri; sed regulariter sufficere factam in Curia, seu Concilio, sentit Malder. *d. tractat. de leg. q. 90. d. 2. post Vasquium ibid. disp. 156. c. 4.* & infert Malderus vbi Concil. 2. In leges derogatoria prioris legis publicatio in Curia facta sufficit.
Trid. non est publicatum, v.g. in Scotia, tamen valida esse matrimonia contracta in 3. aut 4. gradu affinitatis ex copula illicita, vigore legis *in c. 4. s. 24. de mat. Concil. Trid.* derogatoria veteris iuris impedimentum dirimens eo gradu etiam ex copula illicita statuentis. quia huiusmodi lex derogatoria extremam illam solemnitatem non exigat. liberatio multis modis 3. Ideo matrimonia in gradibus remissis contracta valent, vbi publicatio facta nō est.

dis facilius contingit quàm obligatio. fauorabilis ſanè eſt libertas omnis, quæ à natura eſt. dum legiſlator quid iubet fieri, vt populus facere obligetur, meritò plura requiruntur, quàm dum legiſlator tantùm tollit impedimentum, quod ipſe actioni poſuerat, permittit, quod vetuerat. eius hic tantùm voluntas notificata ſufficit; ſed dum ſubditorum actio exigitur, plura requiruntur, vt agere obligentur. ſed & res facilè dicitur reuerti ad primæuam naturam, & quod lubet agendi libertatem. contra quam prius illud ius matrimonij impedimenta induxit, quæ Trid. ſuſtulit.

4.

Idemque dicendum in hoc caſu cognationis ſpiritualis.

Vnde ſequitur idem dicendum in hac cognatione ſpirituali à marito in vxorem transfuſa, à Trid. ſublata, vt ea non obſtante contractum in Scotia matrimonium valeat.

Neque ab eo deterret inconueniens, quod caſus de Anglia (vbi ſupponitur non eſſe publicatum Trid.) propoſitus obiicit, quia ibi mos ſit non vnum & vnam, ſed duos viros & vnam fœminam puerum ſuſcipere, duas fœminas, vnum virum, puellam; & tradere Suarez eo caſu nullos contrahere obligationem: quod tunc ſemper ibi contingeret: quia melius ſenſit Nauar. & Za omnes contrahere. *quos ſecuti ſumus in Iur. Pont. nou. anal. tit. de cog.*

5.

Plures ſimul ſuſcipientes etiam nunc cognationē ſpir. contrahunt.

ſpir. quia Conc. Trid. loquitur caſu, quo deſignantur patrini: caſus ergo quo non deſignantur, tamquam omiſſus, eſt ex priore iure decidendus: quod, tametſi etiam vetuit plures ſuſcipere, de facto tamen plures ſuſcipientes cognationem contrahere declarauit c. 3. de cog. ſpir. in 6.

6.

Licet remiſſione hac fauorabili vti, etiã vbi non omnia Concilij decreta ſeruantur.

Neque his videtur obſtare, quòd Bulla promulgationis Concilij Trident. indifferenter obſeruanda proponit onerosa & fauorabilia decreta; vt non liceat horum commodum ſentire, quin illorum onus acceptetur: *c. qui ſent. tit. de reg. in 6.* quia tametſi deſideret Concilium omnium receptionem & obſeruantiam; tamen vbi non omnium obtinere poteſt, gaudet fieri ſaltem poſſibilium. vtile ab inutili non vitiatur. raræ ſunt extra Italiam prouinciæ, vbi Concil. Trid. quoad omnia decreta ſit receptum. minimè in Francia. ſed neque quoad omnia in Hiſpania, aut Belgio. nemo tamen rectè negauerit, quoad aliqua recipi potuiſſe, & obſeruari. quomodo refertur & Pium V. declaraſſe Tridentinum quoad fauorabilia à catholicis Angliæ obſeruari poſſe.

Iterum neque mouet, actus non operari vltra intentionem agentium; at Pontificis Tridentinum promulgantis intentionem fuiſſe, vt Concilium locum haberet vbi catholici ſunt Epiſcopi, qui regimen ſpirituale exerceant; nam eorum opera receptionem fieri mandat. *ſ. 25. c. 2.* qui etiam diſcernant difficultates, quæ ſe poſſunt offerre, eaſque ad Pontificem referant, *qui parati ſumus*, inquit Bulla, *omnium prouinciarum neceſſitatibus ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit, prouidere*: at illæ etiam contingere poſſint circa obſeruantiam fauorabilium decretorum; neque priuato arbitrio catholicorum diſcernendum deferri debet, quæ recipi, quæ reiici debeant. dum ſolet vulgus incertum eſſe, & ſtudia in contraria ſcindi. vnde, præſertim inter hæreticos Angliæ, etiam ſcandalum oriri poſſet: quia reſpondendum eſt primò ex iis legibus priorum prohibentium & irritantium derogatoriis nullam actionem deferri vulgo, omnem conſiſtere in voluntate legiſlatoris, prohibitionem, obicem, impedimentum tollente; qua reditur ad agendi quidlibet libertatem. quam ſibi obtingere quomodocumque nemo queri poteſt. 7.

Nec ſcandalũ dici poteſt, ſi quis iure ſuo vtatur.

Reſpondetur ſecundò, tametſi Concilium & Pontifex deſideret receptionem & obſeruantiam Concilij fieri per Epiſcopos; non tamen eas gentes, quæ ſub hæreticis aut infidelibus gemunt, excludi à ſolatio, & beneficio eiuſdem Concilij, quin iis ad maiorem Dei gloriam in moribus & directione, quantum per locorum & temporum iniuriam licet, vti poſſint. 8.

Nec Põtifex iis ſuã gratiã negat, quibus temporũ iniquitas non omniũ obſeruantiã dedit.

Denique quàmuis diſcretio decretorum non tribuatur iudicio vulgi, certum tamen eſt in legibus recipiendis vel non recipiendis illius obſeruantiam, aut non vſum magni momenti eſſe: cùm de legum obligatione, vi, vel efficaciâ tractatur. agimus autem de vulgo quod eas leges ad ſe ſpectare autumat, vt ſunt in Anglia catholici: non verò de vulgo hæreticorum, quod eccleſiaſticam poteſtatem contemnit, cuius conſuetudo ea in re nihil attenditur. quid autem hac in re conſuetum ſit inter catholicos Angliæ ex iuris Tridentini ſcientia, vel ignorantia, facti eſt: neque hic quæritur; quia in hac quæſtione nihil refert quid egerint priuati, dum certum erit in hac quæſtione ſolam legiſlatoris voluntatem in Concilio declaratam facere ad deciſionem huius controuerſiæ. 9.

Obſeruantia populi legẽ Pontif. recipientis, vel non, conſideratur ex vſu populi catholici, non vulgo hæreticorum.

Ad extremum obiicitur legis derogatoriæ prioris prohibentis vel irritantis promulgationem neceſſariam eſſe, tamquam regulæ publicæ humanarum actionum: quæ ſi cum ſolemnitate nõ ſit propoſita, aberrare populum, ſcandala, & confuſiones naſci oporteat: cui rei etiam reſpondetur ſolam voluntatem legiſlatoris in mente retentam ideo nihil operari; ſed requiri declarationem publicè factam, & pro ea regulariter ſufficere eam, quæ fit in Curia vel Concilio, quale eſt œcumenicum Tridentinum: cuius fama totum orbem perculit. in cuius decreta omnes inquiſierunt Orthodoxi perinde atque hæretici. ſcire omnes tenentur, & iure præſumuntur. *tot. tit. de iur. fact. & ignor.* neque infertur rectè, debet fieri legis publicatio; ergo, à genere non diſtributo deſcendendo ad ſpeciem ſingularem, prouincialis promulgatio, ſiue ea quæ fit per ſingulas prouincias. quia ſufficit quomodocumque ſufficienter notificata reuocantis legiſlatoris voluntas: vbi præter eam nihil cuiquam mandatur agendum, vel omittendum, quo obligatio ad faciendum quidquam, vel non vt lubet faciendum inducitur, ſeu libertas 10.

Cùm noua nulla obligatio imponitur ad quippiã agẽdũ, ſed ipſe legiſlator tantũ mentẽ ſuã declarat, impedimentum à ſe latum tollit, ſufficit talis publicatio qua de eius voluntate conſtet, maior requiritur, cùm quid iubet alicui agendum, aut vetat.

bertas & facultas aufertur. vt hæc est derogatoria Concilij Tridentini, de qua disputamus: vt ad eam non spectet, quod aliqui tradunt promulgationem requiri etiam in lege derogatoria, quando illa habet obligationem admixtam ad actum repugnantem priori legi: siue sit præcisè ad non vtendum priore lege; siue ad illam non seruandam: quia hic nulla obligatio imponitur per nouam legem Concilij Tridentini; sed abrogato priore iure sola libertas restituitur coniugi quocum intercedebat cognatio spiritualis: vbi nulla coniugis obligatio ad agendum vel non agendum inducitur, sed sola naturalis libertas, &, quæ antè fuit, facultas quod lubet agendi coniugi restituitur.

11. Consultissimus in dubio est recursus ad Sedem Apostolicã.

Quoniam verò fateri oportet, quæstionem initio propositam esse perplexam, & vtrimque graues rationes confligere; suaderem iis, ad quos spectat, priusquam ad alia vota respicerent, iuxta Bullam Pij IV. confirmatoriam Concil. Trid. *datam 7. Kal. Feb. 1563. vel à natali seu circumcisione, vt nos computamus, 1564.* ascendere ad locum quem elegit Dominus: ad Sedem videlicet Apostolicam, seu S. Congreg. Conc. Trid. Interpp. & ex illius senatusconsulto actiones suas dirigere.

Quibus ex causis non possum accedere facilè ad eorum opinionem, qui negant Episcopos, vbi Concilium Trid. nondum est receptum, vti posse facultate eis per Concilium tributa. *s. 24. c. 6. quos Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trident. d. c. 6. n. 3. citat.* cùm etiam decretum illud non in gratiam priuatorum, sed pro salute populi sit inductum: quam remorari non debet sicubi hæresis, peruicacia, aut aliæ quorundam causæ publicationem Concilij impediant. cùm etiam in priuatis alter alterius odio non debeat prægrauari: vel conditio eius deterior fieri: neque ecclesia pia mater morbis filiorum idonea quædam remedia auferri velle censenda est ideo, quia non omnia recipiunt. crudelis medicus crederetur, qui nollet aliter curare.

De consanguinitate & affinitate.

CONSVLTATIO I.

De expreßione graduum in dispensatione.

1. In dispensationibus impetrandis vicinior

DIspensatio obtenta, vt Titius ducat Caiam, affinem in secundo gradu, executioni mandari non potest propter subreptionem, qua dictum est distare illos in secundo gradu æquali, cùm distent inæquali, scilicet primo & secundo: habuit enim Titius priorem vxorem Caiæ materteram. quæ narratorum falsitas tanta est, vt si veritas fuisset explicita, omninò difficilius impetrata fuisset dispensatio, aut etiam negata. declarauit enim Pius V. *in motu proprio edito 26. Augusti 1566.* non esse suæ intentionis, quando alteruter est in primo, vnquam dispensare.

gradus exprimendus, aut declaratoriæ literæ, quæ tamen non dandæ sunt, dum alteruter est in primo.

Quin etiam quamuis simpliciter tantùm dictum fuisset affines esse in secundo gradu, sine additamento, *æquali*, nihilominus subesset subreptio. licet enim in gradu inæquali denominatio fiat à remotiori, eiusque naturam sequatur, adeoque si remotior est in quinto, cesset prohibitio coniunctionis: *c. fin. X. de consanguinit.* tamen in ordine ad dispensationem obtinendam considerari etiam debet gradus propinquior, in quo vel nullatenus, vel rarius, & cautius solet dispensari; præsertim si quod scandali periculum appareat. *c. quod dilectio. X. de consanguinit.* adeoque citantur extrauag. Clementis VI. & Motus Pij IV. requirentes expressionem gradus propinquioris in obtinenda dispensatione. & licet iterum Pius V. *in d. Motu proprio* iis abrogatis, declaret literas esse sustinendas, quæ remotiorem tantum exprimunt: tamen omninò excipit eum casum, quo alteruter primum gradum attingeret: quod in eo suæ intentionis sit numquam dispensare. quod etiam supponere videtur Concilium Tridentinum *s. 24. de matr. c. 5.* dum omissâ mentione primi, *in secundo*, inquit, *gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

Secundo addit Pius V. huiusmodi verba; *obtentis tamen postea literis declaratoriis super propinquiori gradu.* vt re ipsâ literæ primæ sint inefficaces, nisi obtineantur secundæ declaratoriæ. quæ cùm hic desint, executioni mandari non possunt primæ. & quamuis Sanchez *de matrim. lib. 8. c. 24. n. 23. & seqq.* non malè asserat verba Pij V. *obtentis tamen literis*, non inferre conditionem; vt ferè solent casus ablatiui: & sic si quâ ratione processum esset ad dispensationem, ipsam fore validam; tamen *n. 32.* omninò excipit, quando alteruter attingit primum gradum. eò quòd Pius disertè illum exceperit. Pij verba sunt; *dummodo primum quoquo modo non attingat; cùm in eo Sanctitas sua numquam dispensare intendat.* quare etsi cui data sit facultas dispensandi in certo gradu, intelligatur quidem facultas concessa secundùm denominationem iuris; non tamen dum primus attingitur, ob defectum intentionis in Motu expressum. *Sanchez n. 34.*

2. Ita vt nec in foro cõscientiæ prosint quoad primum, quod secus est in aliis, seposito scandalo.

Et licet huiusmodi intentio aliquando mutetur, præsertim in successoribus, qui neque *d. c. 5. Trid. s. 24. de matr.* rigidè executi sunt; tamen in dubio mutatio huiusmodi non præsumitur; manendumque est in expressa decisione, quatenus itidem expressè ab illa discessum non sit per literas secundas declaratorias, seu perinde valere, aut similes.

Adeo quidem, vt & idem Sanch. *n. 33.* ne quidem in foro conscientiæ valere tradat dispensationem in primo, quando disertè non fuit expressus, sed tantùm remotior; quamuis in aliis gradibus neget declaratoriis esse opus,

semoto

semoto scandalo. nam hoc considerat d. c. quod dilectio, & eò spectat ordinaria clausula literarum Delegatum compellans; *si tibi expediens videbitur, neque scandalum ex dispensatione sit oriturum.* ideoque d. c. quòd dilectio non reijcit regulam, quòd denominatio fiat à gradu remotiori; sed defert consuetudini, ne scandalum oriatur, & dissensio, si qua nouitas inducatur aduersus priuilegij, & indulgentiæ interpretationem pridem obtentam, & contra *l.37.D.de legib.* optima enim legum, priuilegiorumque interpres est consuetudo.

3. Scandalum vt semper in dispensationibus considerandũ, & clausulæ eò spectantes.

Vbi etiam animaduerti potest Pontificem de contrahendis matrimoniis respondere, etsi de contractis *in princ.d.c.quod dilectio* etiam fieret propositio, neque aliter de iis decidere. & quidem negat ea permittenda, vnde scandalum oriretur: si tamen de facto dispensatum, & contractum sit, scandalum nullitatem non causaret: nisi fortè literæ, vt solent, illam clausulam habuerint. *si scandalum ex dispensatione non sit oriturum*, nam ea conditionalem Delegati facultatem faceret: vt & hoc verificari debeat ante executionem. intelligendum est autem de scandalo, quod tempore executionis sit apparens: non, si cordatis testibus, & commissario secus videatur, ponderatis circumstantiis. quamuis enim fortè scandalum postea superueniat, ex euentu non oportet improbare consilia, aut consultò gesta. præsertim cùm certa etiam, aut apparentia essent scandala, nisi dispensaretur: vt cùm mulieres sunt defloratæ, aut de copula diffamatæ: tunc certa scandala præualent incertis, aut quæ habent vehementem præsumptionem illis, quæ minorem.

4. An eæ sint conditionales?

De Matrimonio contra interdictum ecclesiæ contracto.

CONSVLTATIO I.

Quando interdictum irritet matrimonium.

VAlde videntur pugnare *c.tua.X.de sponsa. duor.& c. penul. de despons.impub.* aduersùs *c. 2.de mat.contracto aduers. interdict. eccles.* quatenus hoc dicit non esse conueniens, vt ob id solum sacramentum coniugij dissoluatur, quod contra interdictum ecclesiæ sit contractum; alia autem *c.c.* huiusmodi attentatum irritum esse decernunt, & viribus omninò carere, vel irritari posse tam præsumptuosè contractum matrimonium. & eiusdem quidē Pontificis est, Alexandri scilicet III. tam *d.c. tua.* quàm *d.c.2.* & in vtroque aduersùs præsumptionem eorum, quibus est interdictum, insurgit: sed in hoc ita; vt saluo coniugio pœnitentia eis imponatur: in illo autem etiā vt tam præsumptuosè contractum matrimonium irritetur. At verò valde solemnem formam interdicendi proponit *d.c. tua.* vt lite quamuis, vel appellatione pendente quicquam leges vetent innouari, aut etiam si Iudex vetuerit non videatur nullitati sufficere huiusmodi interdictum: sed demum, si & in ecclesia publicè interdicatur, ne ante causæ decisionem aliud contrahant. & sanè non exigua ratio est differentiæ, quandò quidem lites priuatas & interdicta priuatim lata cuilibet ignorare licitum est, publicè in ecclesia lata non item: vnde aduersùs illa præualebit coniugis alterius bona fides, & ignorantia: hæc autem publicam scientiam veram, aut præsumptam aduersariam habet. Et quamquam *in d.c.penult.* eis pœnitentia imponatur, non tamen id refertur ad omnes contrahentes, sed R. & M. quibus specialiter erat interdictum. sed & loquitur *d. c. 2. in sponsalibus de futuro*: *c. autem tua,* in sponsalibus de præsenti: *d.autem c.penult.* in interdicto Papali. vnde quidam inter Episcopalia & Papalia distinguunt, & Episcopalibus ideo minorem vim tribuunt, quia Episcopi impedimenta dirimentia statuere non possunt. *Sanch.de mat.l.7,d.1.n.9.* quamquam nec soleat Papa priuatim extra legem publicam aliquem inhabilitare. *Nauar. h. t. conf.1.& 2.* vbi tamen vnum exemplum contra refertur. sed illa non est ratio *c. tua.* vbi nullitas proponitur in interdicto episcopali; sed in ecclesia publicè facto. variè se torquent Doctores, *vt videre est apud Sanchez de mat. lib.7. d.2.* qui 6. conclusionibus rem explicat. vt. sponsalia de futuro aduersùs prohibitionē non valeant, matrimonium valeat, si desit decretum irritans, & speciale quidem, aduersùs matrimonium, & cum causa perpetua; non autem temporali. & ad hoc videntur valde facere Alexandri verba *d.c.2.ob id solum*, id est, ad prohibitionem solam, citra causam perpetuam.

De Diuortiis.

CONSVLTATIO I.

De sæuitia, eiusque probatione.

CAusa sæuitiæ recipitur ad soluendum thorum: *c.1.X.de diuort. c.literas. c. ex transmissa. X.de rest spol.* & metus sed grauis, & in virum constantem cadens: *Sanchez de mat. lib.10. dis.18.n.10.* & illius qui minas soleat exequi: *num.13.* & verò illius aduersùs quem diuortium petitur. nam minans aut sæuiens, & sæuiturum se metuens, non potest diuortium ipse postulare, ne culpa propria ei prosit. *Sanchez ibid. n.9.* sed tenetur se cohibere, & malum animum ratione temperare. sed quoniam multi homines ita sunt animales, vt impetus affectuum ipsorum magis temporis mora, quàm ratio retardet; aliquid ei indulgeri potest

1. Sæuitia grauis diuortij causa, sed nō ipsi sæuienti, nisi pauxillū fortè moræ.

poteſt temporis, quo tempeſtas illa deferueat. *Sanchez ibid.*

Porrò lex *conſenſu. C. de repudiis.* vxori repudium permittit, ſi maritum ſe verberibus afficientem probauerit: ſed Auth. *vt liceat matri & auiæ c.*14.§.*ſi quis* id reuocat, nec vxori ſeparationem matrimonij permittit flagellis aut fuſtibus cæſe; ſed tantum dat vxori, quantum tertia pars facit, antenuptialis largitatis; vt quamuis aliquid verberum hic intercesſiſſet, idque à reo primitus ingeſtum, & ſine cauſa, non id ſufficeret ad diuortium; ne dicam flagella & fuſtes, quos Belgicæ mulieres non ferunt: & ſi fuerint verbera grauia, quorum metus cadit in virum conſtantem, non leuia, ſufficerent diuortio *Sanchez. de mat. l.*10.*t.*18. *n.*14. neque tamen, ſi inſolito more acria ſemel acciderint, ſine iuſto metu futurorum ſufficiunt; neque minæ eius, qui non ſolet exequi. *idem ibid.*

2. Flagella hic marito non licent, & ferè diuortio ſufficiunt.

Quod ſi fuerit grauis ſimul contumacia vxoris, maliúe mores, & mariti ſupra correctionem permiſſam ſæuitia, vel vxoris adulterium, & mariti lenocinium, neuter dote aut duario priuatur; ſed paria delicta inuicem compenſantur. *l. viro. D. ſol. matr.* vt multa vulgi matrimonia mutuis vitiis inquietantur: alioquin vbi alterutrius dumtaxat culpa fuerit, ob quam thorus ſeparatur, ille dumtaxat luit. de cauſis repudiorum, pœniſq; latè Cuiac. *ad Authent.*22. Conan. *in comment. l.*8.*c.*12.

3. In pari delicto non fit ſeparatio.

In cauſis autem repudij, ſæuitiâ, adulterioque probando, ſerui & ancillæ ad teſtimoniū recipiuntur, cùm alia documenta defecerint; quò veritas aut facilius eruatur, aut liquidius detegatur: *d. l. conſenſu.* §. *fin aliter. C. de repud.* quin etiam ſuper plagis ab alterutro illatis: quoniam non facilè quæ domi geruntur per alienos poſſunt confiteri. *d. l. conſenſu.* §. *ſuper plagis. l. vlt. C. ad leg. Corn. de ſicar.*

4. Verbera, adulteria, pro diuortio per domeſticos probantur.

Igitur probatis ſatis cauſis diuortij, & vtrimque delictis, & maximè diuortium poſtulantis; rectè iudicatum eſt neque pœnis, neque diuortio locum eſſe; datæ tamen aliquæ induciæ, quibus ſe ipſum ſedet, & ad officium redeat.

CONSVLTATIO II.

Conſignatio peti non poteſt ex contractu diuortij ſine eccleſiæ authoritate facti.

1. ACtioni intentatæ ex contractu diuortij opponi poteſt notoria illius nullitas ob defectum authoritatis eccleſiæ. *ex famoſo c. porro. X. de diuort.* quod etiam illius cognitionem ad Iudicem eccleſiaſticum remittit, vtpote qui ſit articulus ſpiritualis. vt & Concordata Brabantiæ quæſtionem diuortij priuatiuè faciunt cognitionis eccleſiaſticæ.

Quod ſi opponatur hanc quæſtionem & nullitatem altiorem indaginem requirere; ideoque contendatur ad conſignationem ſummæ in contractu comprehenſæ; dicendum erit non cadere conſignationem, quando contractus manifeſtè ſunt nulli, idque ex ipſo inſtrumento apparet; ita vt altiorem indaginem allegata nullitas non requirat. *art.*13. *in Statut. Antuerp. tit. van Nantizatie.* & ſic loquitur *l. vlt. C. de edict. D. Adrian. tollend.* in *verb. quod in prima figura ſine omni vituperatione appareat.*

At qui contractus & inſtrumentum, quod ſuper diuortio propria coniugum authoritate ſine iudicio eccleſiæ conſcribitur, in prima figura cum ſumma vituperatione apparet *d. c. porro.* ideoque nulla ex eo peti poteſt conſignatio.

Quod ipſum actrix manifeſtè confitetur, cùm ipſa citata in Curia eccleſiaſtica, agnoſcens nullitatem huius contractus, priuatâ authoritate facti, ibidem petit illius à Iudice eccleſiaſtico approbationem, & confirmationem.

Quod ſi non in vim huius contractus, ſed iuris communis petantur alimenta, nam id d. Concordata. §. de alimentis ſatis faciunt mixti fori, etſi Sanch. *de mat. lib.*10.*diſp.*8.*n.*17. cenſeat lite ſuper diuortio coram eccleſiaſtico cepta, ſeculari inhiberi poſſe, ne interim ſuper alimentis cognoſcat, & quia non hæ inter ſe partes ſed vtraque cum fiſco ibi litigat ſuper diuortio; poterit citatus allegare alimenta deberi ex æquitate ſecundùm qualitatem petentis, & eius à quo petuntur; atqui per contractum antenuptialem in caſum præmorientis citati, actrici tantùm addicti ſunt ducenti flor. annui præter bona ipſius actricis, quæ vtraque dictus citatus conſentit vt actrix habeat; & rectè ſuſtinuit non amplius deberi pendente lite ſuper rationibus diuortij, quàm deberetur in caſum ſimplicem præmorientis citati; quo mariti liberales in ſuperſtites vxores eſſe ſolent, magis ſaltem, quam in diuertentes ab inuitis; & præſertim cùm eas adhuc ambiunt, & procantur, antenuptiales contractus conficiuntur, cùm ſocietas coniugalis concorditer peracta præmium poſcat; diſcorditer autem habita, ſi non pœnam, nihil ſaltem quod in ſummo iure exigi poſſit, attribuit; pendente lite: ne eiuſmodi illecebris malignæ ſæpè vxores ad diuertendum inuitentur. cùm non minus ante diuortij ſententiam, quàm ſtante cohabitatione, maneat penes maritum bonorum omnium conſuetudinaria adminiſtratio.

2. Sed alimenta per ius debita.

Qui filij sint legitimi.

CONSULTATIO I.

De semestri partu quæstio legalis simul & physica, an vitalis habendus sit, & legitimus?

INter leges XII. tab. declaratoriam hanc fuisse; in decem mensibus hominem gigni; asserit Balduinus *tract. in leges XII. tab. ad leg.* 17. inde profecta est solemnis posthumi instituendi formula, *si quis post mortem meam in decem mensibus proximus natus erit, heres esto. l. Gallus. D. de lib. & posthum. heredib. institut.* & Vlpianus *in l. intestato. §. post decem. D. de suis & legitim. post decem*, inquit, *menses mortis natus non admittitur ad legitimam hereditatem.* inde & manat Lex Titius *in prin. D. de fidei-commiss. libert. l. quidam cum. C. de posthum. hered. instituen.*

Inde factum, quod Marcus Varro scripsit *referente Agellio lib. 3. c. 16.* quód quamuis mense octauo, & vndecimo secundùm Aristotelem partus nasci possit; tamen *antiqui Romani*, inquit, *non receperunt huiusmodi quasi monstrosas raritates, sed nono mense aut decimo: neque præter hos alio portionem mulieris secundùm naturam fieri existimarunt.*

Hæc causa legis: non autem illa, quod legislatores tantùm solent respicere, quæ communiter accidunt. *iuxta l. 3. 4. 5. 6. D. de legib.* sed quod antiqui credebant partus huiusmodi naturales non esse, portionem mulieris non esse, secundùm naturam non esse. alioqui enim vndecimestres, vt olim, ita adhuc hodie rari, recipiendi non essent inter legitimos: præsertim, cùm & per prætextum legis de vndecimestribus latę multi spurij dici possent subumbrari. sed ad naturæ possibilitatem, aut impossibilitatem posteriores leges respexerunt. *vt infra latius.*

Antiqui inquam Romani: scilicet qui adhuc concisis illis & breuibus legibus XII. tab. vtebantur. quæ etiam dum decimum magis mensem, quàm nonum nominant, Græciam redolent, vnde eas Decemuiri adtulerunt, vbi tardius gignitur partus, quàm in Septentrione; vbi communius mense nono perficitur. & idem Varro, *nomina*, inquit, *parcis tribus fecerunt antiqui, à pariendo, & à nono atque decimo mense; nam immutata litera vna, à partu nominantur: item nona & decima à partus tempestiui tempore.*

Sed &, inquit idem, *mense nonnunquam octauo editus est partus.* vndecimo item mense aliquando nasci potest homo: auctor Aristoteles; sed æstimabant antiqui monstrosas esse raritates: aduersùs monstrosos partus pridē crudeles, ex lege Romuli: quam idem Balduinus inter illius leges *n. 18.* ita refert, *monstrosos partus sine fraude caedunto.* de quibus idem latius. minus ali, pro liberis agnosci, aut iure liberorum censeri debebant. *l. non sunt libero. D. de stat. hom. l. ostentum 38. l. quæret 135. D. de verb. signif.* tametsi quod fataliter accidisset, parentibus damno non esset. *d. l. quæret. in fin.*

In qua lege præter portentosum, monstrosum, visu, vel vagitu nouum, non humanæ figuræ, sed magis alterius animalis, etiam debilem refert Vlpian.

Vt mirum non sit quod *referente Iustin. l. 3. C. de posthum. hered.* quod certatum est apud veteres de posthumo in hunc quidem orbem deuoluto, voce autem non emissâ ab hac luce subtracto: nam ita debilem vel pro abortu, vel pro monstro habendum censebant, quorum neuter loco liberorum esset, testamentum præteritus rumperet, aut sub ratione posthumi institutus succederet. *l. vxoris cum seq. C. de posthum.* Iustinianus autem Sabinianorum sententiam secutus propius ad humanitatē respexit, emollitis paulatim temporibus, & austerioribus iudiciis; deciditque si viuus perfectè natus est partus, totus ab vtero materno decisus, licet illico, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis, decessit; hoc tantummodo, inquit, *requirendo, si viuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium. d. l. 3.*

Igitur leges XII. tab. atque antiqui Romani præter natos mense nono aut decimo pro monstrosis raritatibus omnes reputabant, *neque præter hos*, inquit Varro, *alio portionem mulieris secundùm naturam fieri existimabant.*

Animaduersum verò est aliquid deesse, inquit, *l. 2. D. de orig. iur. primis legibus, vsq; latis cæpit (vt naturaliter euenire solet) vt interpretatio desideraret Prudentium authoritate necessariùm esse disputationem fori.*

Igitur in disputationem fori venit partus perfectus, mense septimo natus, lege XII. tab. & antiquorum Romanorum opinione, vt ex Varrone diximus, monstrosa raritas erat, nec pro partu legitimo habebatur.

Prudentem authoritas benigniorem XII. tabulis interpretationem dedit, & aduersùs communem, quam diximus, ex Varrone opinionem, authoritate doctissimi viri Hypocratis asserentis septimo mense nasci perfectum partum opposita, iustum esse illum censuit.

Iam, inquit Paulus *l. 12. D. de stat. hom. receptum est septimo mense nasci perfectum partum* (scilicet aduersùs XII. tabulas, & veterum opinione) *propter authoritatem doctissimi viri Hypocratis*, reiectâ aliorum contrariâ sententiâ, *de quibus Censorinus de die natali c. 7.*

Et infert idem Paulus ex possibilitate, legis præsumptionem. *& ideo*, inquit, *credendum eum, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse. Receptum autem*, ait, non lege in aduersum lata, *sed propter authoritatem Hypocratis.*

Ad hunc modum Vlpianus *in l. 3. D. de suis & legitim. §. post decem. de eo autem*, inquit, *qui*

182. *die natus eſt* (hic menſem ſeptimum tantùm inchoauit) *Hypocrates ſcripſit, & diuus Pius* (ſuper ſpeciali caſu vtique conſultus) *Pontificibus reſcripſit, iuſto tempore videri natum.* hæc ad natiuitatem Phyſicam.

Proſequitur illatiuè Vlpian. quoad natiuitatem legalem, *nec videri*, inquit, *in ſeruitute conceptum, cùm mater ipſius ante 182. diem eſſet manumiſſa.*

In fauorem libertatis infert, ex iuris præſumptione Vlpianus, cenſendum in libertatis tempore conceptum, cuius mater 182. ante partum diebus fuiſſet libera.

Quo eodem argumenti genere infert Paulus iuſtum eſſe, qui ſeptimo poſt nuptias menſe natus eſt. *d.l. ſeptimo 12. D. de ſtat. hom.*

Eodemque rurſus modo Iuſtinianus quoad debilem, vix natum, & extinctum proceſſit *in deciſione d.l. 3. C. de poſthum.* vt mox diximus.

Sed clariſſimè in muliere quæ peperit vndecimo menſe. *Authent. de reſtitut. & ea qua parit vndec. menſ. vndecimo*, inquit, *menſe perfecto peperit, vt non eſſet poßibile dicere, quia de defuncto fuiſſet partus, neque enim in tantum tempus conceptionis extenſum eſt*, & iterum circa terminum anni, *vt indubitatum ſit ſobolem non ex priore conſiſtere matrimonio.* iterum, *filij mirabili matris partu iniuriati, & virum quem ſic velociter deboneſtauit.* illa verba ſunt Iuſtiniani in d. Authent.

Qui deciſionem ſuam in illis ſumit ab impoſſibili. itaque ſi poſſibile eſt, ſi tempus naturæ eò vſque extendi poteſt, contraria deciſio ſequitur, ideoque partus menſe vndecimo nondum perfecto natus, pro iuſto recipitur, quia naturæ poſſibilitas in id vſque tempus extenſum eſt, ſequitur id à contrario. quod argumentum dicitur in iure validiſſimum. & ſic argumentatæ ſunt in hac eadem materia ſuperiores leges: ſic poſſibile eſt ſic naſci, ergo eſt iuſtus: non eſt poſſibile ſic naſci, ergo non eſt iuſtus. vtroque modo affirmante & negante, ex poſſibili vel impoſſibili leges procedunt, & Agellius *lib. 3. c. 16.* ait, Hadrianum decreuiſſe naſci poſſe hominem vndecimo menſe. vtique non perfecto.

Quod enim Plinius *lib. 7. c. 5.* refert Papyrium Prętorem dediſſe bonorum poſſeſſionem partui tredecim menſibus poſt mortem nato, num ille Prætor citra ſuſpicionem turpem id fecerit, vt vult Balduinus *d. tract. in XII. tab. l. 17.* vel melius erronea lectio apud Plinium irrepſit, vt pro more ſuo animaduertit Cuiac. *obſ. l.. obſ...*

Naturæ poſſibilitatem alio in caſu rectè conſiderauit Papin. *in l. miles. §. defuncto. D. de adult. defuncto*, inquit, *marito adulterij rea mulier poſtulatur, non vtiq; crimen adulterij, quod mulieri obiicitur infanti præiudicat* (quare?) *cùm poßit & illa adultera eſſe, & impubes defunctum patrem habuiſſe.*

Ea ergo poſſibilitas, & fauor matrimonij facit, vt natus in matrimonio legitimus mariti filius cenſeatur: tametſi mater adulterij rea ſit. eamque præſumptionem Interpretes quidam iuris eſſe, & de iure ſcripſerunt, alij iuris quidem dumtaxar, vt admittat probationem in contrarium: cùm id traditur *c. cauſam qua. 1. X. qui filij ſunt legit.* non omnem quidem, ſed eam, quæ iuxta *l. filium. D. qui ſunt ſui vel alien. iur.* alleget partum concipi non potuiſſe à marito, ob illius abſentiam aut impotentiam. id eſt, ex defectu cauſæ docere effectum produci non potuiſſe, ac ſic ab abſente, aut impotente marito prolem. vt poſſibilitas tollatur, & ſic legis præſumptio, quæ veritatem præſumit, adeoque non niſi rem poſſibilem; ſecus quam legis fictio.

Itaque vt ad partum ſemeſtrem progrediamur, ex his, quæ latè iam diximus, ſequitur ſi certò conſtare poſſit naturæ vires eò extendi, vt partus edi ac viuere poſſit ſemeſtris, dicendum eſſe iuſtum fore atq; legitimum. ſic enim omnia argumenta ſuperius citatarum legum procedunt. & ſi à lege receſſum eſt in termino ad extremum naturalis potentiæ vſque ad vndecimum ſcilicet menſem prorogato, quid ni recipiatur in termino natiuitatis anticipato, ſi potentia naturalis eò extenditur? cùm contrariorum eadem ſit diſciplina.

Et verò deciſum eſt à Iuſtiniano *in d.l. 3. C. de poſthum. ſi viuus, ſi totus, non tamen monſtrū, neque prodigium prodiit, rumpere teſtamentum.* vtique quia ſuus, & legitimus naſcebatur. non enim rumpit illegitimus.

Qua ratione inſigniter tradit Chopinus *de priuil. ruſt. lib. 3. c. 7. n. 5.* etiam quinquemeſtrem partum legitimum eſſe à ſupremis Conciliis iudicatum; actiuè & paſſiuè ſucceſſionis capacem; ideoque matris hæreditatem adeptum; patrem (in bonis, quæ per mores patri debentur) hæredem habuiſſe. *faciunt & huc Gotofred. in not. ad Nouel. 39. de reſtit. & ad d. l. quod certatum. Rota Romana in vna Axinana aliment. 1620. ref. Riccius ad Maſcard. ſuper n. 1. conc. 1146. Bald. conſ. 113. n. 5. vol. 5. Charond. l. 7. reſp. 78. l. 7. R. 96.*

Sed dices recipiendos eos partus quidem quod eatenus perfecti ſunt, vt humanam formam referant, perfectè viui, vt ſpirent, perfectè nati, vt toti vtero ſint egreſſi; tamen perfectos non eſſe, quod ſatis in vtero maturuerint, vt in aërem miſſi, in ætatem perfectam adoleſcere poſſint; ideoque argumentum nullum præbeant ſuppoſititij ſeminis. at verò ſi quis ſemeſtris partus vitæ durantis, & ætatis prouectæ reperiatur, credendum fore alieno ſemine potius natum, quàm naturæ vim inferendam.

Sed dixi, ſi certò euicerimus dari ſecundùm naturam ſemeſtrem partum vitæ durantis, dandum etiam eſſe vt iuſtus habeatur. ita enim argumentatur d. l. ſeptimo, aliæque, ex quibus conſecutiuè nunc argumentati ſumus contra leges XII. tab. & antiquorum Romanorum opinionem. *Iam receptum eſt*, inquit, *ſeptimo menſe naſci perfectum partum*, & vt diximus à Phyſica natiuitate, infert legalem; & *ideo*, inquit, *credendum eſt eum, qui ex iuſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, iuſtum filium eſſe.*

Quapropter ad eum modum arguendo, *iam receptum est sexto mense nasci posse perfectum partum, ideo credendum est ex iustis nuptiis sexto mense natum iustum esse partum.*

Sed inquies nulla lex disertè, nullus canon disertè quinque aut semestres partus legitimos decreuit, vt septimestres; adeoque non est à lege veteri recedendum; sed inspiciendum quo iure maiores in huiusmodi casibus vsi fuerint: *l.37. D. de legib.* verùm respondeo antiquorum illam crudam acerbitatem, Iuris-prudentum & Imperatorum benigniori interpretatione, & molliori censurâ redactam esse ad veritatis considerationem; ideoque, quia verè deprehensum est septimo & vndecimo mense nasci partum posse, decretum est ex iustis nuptiis natum septimo & vndecimo mense iustum esse habendum.

Septimo, inquam, & vndecimo: vterque enim casus, vt supra deduximus, disertè per leges decisus est. de nono nunquam dubitatum est, tametsi leges XII. tab. de decem mensibus mentionem tantùm facerent: vtpotè quas diximus ex Græcia allatas: vbi Aristoteles scripsit Hist. *Animal.l.7.c.4.* fœminam parere vt plurimum decimo mense. ad quam rationem, si initio septimi recipitur partus, vbi natura plerumque tantùm decimo parit; quidni vbi, vt in Occidente, maximèque in Septentrione, plerumque nono, non recipiatur partus semestris; à proportione? vbi hic partus non initio tantùm sexti mensis; sed duodecimo die sexti editus est? Non dubitatum inquam de nono, quia in Occidente, vbi Roma, & maximè in Septentrione, vt plurimum nono fœminæ pariunt.

De octomestri disertè nulla lex est, & veteres octomestrem etiam reiiciebant, vt ex Varrone initio docuimus. non tamen admittet aliquis legitimum hodie illum non æstimari. neque porrò quia de septimestri decidit lex, ideo sub ea includi tanquam citeriori termino octomestris potest, quoniam non vtriusque ratio eadem est.

Sed in causa decisionis differunt; vtpotè quia ab acerbitate veterum discessum est, propter authoritatem Hyppocratis, asserentis septimo mense partum perfectum, & vitalem nasci: atqui idem Hyppocrates aliique medici negauerunt octomestrem vitalem nasci: quod si ergo octomestres vitales experientia præbeat (vt plures ego ex fide parentum ita asserentium vidi) quis illum vnquam censuerit non iustum?

Quid si ergo experientia & iudicium excellentium medicorum manifestiorem veritatem fecerit, & semestrem vitalem & prouectum exhibuerit? certè omni ratione, videbitur recipiendum esse, vt partus hic verus, veri patris, iustusque filius habeatur: dimisso errore, quo antiqui Romani, & leges XII. tab. nitebantur.

Præsertim cùm per sacros canones omnis ille legitimus filius habeatur, qui natus sit ex legitimo matrimonio. *c.2.5.7.8.9.10.12.14. & tot. tit. X. qui fil. sunt legit.*

Et quoniam hodie quæstio legitimorum natalium ad ecclesiā pertinet: *c. tuam X. de ord. cog. c. causam quæ 2. c. lator. X. qui fil. sunt legit. Trid. can. 12. de mat. s. 24.* adeoque illius in ea canones sequendi, impedimenta, & prohibitiones obseruandæ sunt, vtpotè res spirituales: *d. c. tuam.* sequitur per d. generalem iuris regulam, vt omnes in legitimo matrimonio nati, legitimi habeantur; hodie debiles *de quibus d. l. quæret.* imò monstrosi, portentosi, prodigiosi partus omnes, qui apud antiquos loco liberorum non erant, eo nunc loco non tantùm, sed & legitimorum sint habendi: dummodo sint tamen homines: adeoque alimentorum, successionumque actiuè & passiuè esse capaces. nec id hodie quisquam de his negat.

Et verò reiicere nemo debet ob antiquitatis venerationem recentiorem in rebus naturalibus compertam magis doctrinam. infinita enim sunt in rebus creatis, vbi recentior inuestigatio errores deprehenderit antiquæ disciplinæ. quid? quod orbem terræ præter Europam, Asiam, Africam veteres ignorauerint? quot in nouo orbe regiones, & maria post tot sæcula detecta sunt? quot ad Austrum, nouam Zemblam, atque alibi iacent adhuc incognita? quot hodie in cœlis sydera, nescio quibus tubis perspecta, à veteribus ignorata? indies experientia naturæ arcana, & res nouas recludit. longum nimis foret particularius de iis disserere.

Id tantùm nunc dicendum est, si conuictum erit, per hodiernam experientiam, fuisse errorem de semestri partu, quod non abortiuus neque monstrosus nasci possit, erit consequens esse legitimum, atque iustitiam legum atque canonum recipiendam, non veterum errorem, eique innixam acerbitatem: admittemusque argumentum Pauli *in d. l. septimo*, vt quoniam iam receptum erit nasci perfectos partus septimestres, iam iusti essent septimo post nuptias mense nati; nunc quoque cùm receptum erit sexto mense nasci perfectos, etiam iusti sint semestres.

Receptum autem, vt diximus, erat non lege aliquâ in aduersum latâ, sed propter authoritatem Hyppocratis: receptum ergo & nunc esse possit propter authoritatem excellentium medicorum, qui manifesto indicio veritatem deprehenderint, vt semestres partus nasci perfecti possint.

Porrò (omissis fœminis quæ in lite, de qua agitur, quinquemestres seu semestres partus vitales sibi aliisque contigisse testatæ sunt) consulti expertissimi Belgicæ medici responderunt, vitales eos esse posse, atque vitæ durantis: citatis insignibus authoribus scilicet Plinio *lib.7.c.5.* vbi dicit vix vnquam semestres esse vitales, quibus verbis indicat posse tamen aliquando. Auicenna Philosophus *lib. 9. de animalibus. c. vlt.* fatetur posse semestres esse vitales, & se talem vidisse. Eos sequuntur Nicolaus Florentinus *sermone 6. tract. 3. c. 9.* Cardanus I. *contradict. tract. 3. contradict. 8.* Petrus Paramatus, *Ducis de Medina Cydonia medicus*

*dicus lib. de hominis procreatione cap.*8. Ferdinandus Mena *lib. de septimestri partu c.*4. Valesius *lib. de sacra Philosophia, c.*18. Sancta Cruz *de de Hypocratica Philosophia text.*71. omnes tres Regis Hispaniarum famosissimi & celeberrimi medici. Iacobus quoque Segana *lib.3. comment. ad Galen. de facultatibus naturalibus c.*3. Augenius *in epistola ad Cardinalem Bozutum & lib. de partu hominis c.* 14. dicit se rogatum, an puer natus 168. à conceptione die possit esse vitalis, respondisse quod sic. Dalenchampius *in annotationibus ad locum Plinij supra citatum.* Rationi suffragatur experientia. Montinus *lib.*4.*c.*41. testatur se vidisse Henrici II. Galliarum Regis pincernam, qui quinto mense erat in lucem editus.

Neque verò nescio septimestrem partum hodie legitimum esse, non propter authoritatem Hypocratis, sed propter authoritatem legis, quamuis per illam motæ: sed in eo vis argumenti est, recessum fuisse à lege propter veritatem ab Hypocrate deprehensam, in aduersam ei sententiam; adeoque & hodie demonstratâ veritate, quòd naturæ potentia ad perfectum partum septimum mensem non exigat, veritati semper locum superfore; sicut omnes supra deductæ leges in hac materia hanc solam, & naturæ possibilitatem spectarunt.

Qua in re admodum est considerandum, quòd leges XII. tabularũ (præterquam quòd, quæ circumferuntur, fidei dubiæ sint) hodie authoritatem non habent, vt nec cætera antiqui iuris volumina, nisi quantum ex iis in Pandectas, & Codicem est relatum. Et verò l. septimo *mense. D. de stat. hom.* & quæ aliæ id genus in hodiernum ius sunt relatæ, affirmatiuè conceptæ sunt, non negatiuè sic; septimo mense perfectus partus nasci potest. non autem negatiuè sic; ante septimum mensem perfectus partus nasci non potest: atqui ex affirmatiuis præmissis inferri conclusio negatiua non potest: non ergo quia probatus est per legem partus septimestris, improbatus est anterior.

Neque procedit hic argumentum à contrario sensu, quia excluderet omnes non septimo mense natos aduersùs disertas leges.

Neque argumentum explicari potest locum habere vbi sententia Hypocratis locum habet, quæ illâ lege probatur; quia & hæc solum recipienda est in casu, qui illâ lege probatur; scilicet affirmatiuè partus septimestris: nam nec sensu negatiuo illa probata est, quo scilicet Hypocrates octomestres & vndecimestres negauit esse naturales, & tamen hos diserta lex recepit, illos nulla improbauit, & vsus quotidianus admisit.

Itaque hæc reducere oportet ad originem legum XII. tabularum, & ab iis recessum, quem in initio proposuimus.

Verum enimuerò quoniam Paulus *in d. l.*7. iam receptum esse ait, vt septimo mense perfectus partus nascatur: Expendendum an iam satis receptum dici possit, sexto etiam mense nasci perfectè posse partum? dum nondum totus medicorum exercitus, maiórue eius pars à signis Hypocratis Aristotelisue defecit: receptum autem id censeatur, quod à plerisque prudentum approbatum est. quomodo receptum ius pro approbato *in l. in minor. C. in quib. caus. in integ. non est neces.* quomodo receptum moribus, vel in mores dicitur, quod obseruatione communi & consuetudine confirmatum est: atqui in casu, de quo agitur, tum à partibus, tum à Iudice consulti medici in contrarias sententias iuerint, alij pro partu semestri, alij contra responderint. adeo vt recentior partui fauens opinio nondum maturuerit, præsertim dum ei non fauent tribunalia: *Mynsing. cent.*6.*obs.*40. vt & speciatim in casu partus ante septimum mensem nati, vt per naturam non recipiatur, iudicatum refert *Euerard. in top. loc. à natura n.*30. videtur sanè, donec ea passim aut saltem à plerisque prudentum approbetur, in iudicando non esse recedendum à communi hactenus medicorum & Iuris-consult. sententia. & ita iudicaui consultis grauissimis Iuris-consultis & Medicis. Tantum abest, vt cùm Iustinianus *in d. Auth. de rest. & ea quæ parit vndec. mens.* declarauit impossibilem partum post mensem vndecimum exactum prouenire, recipi pro vera possit sententia, quæ hoc anno 1637. euulgata est, quasi à Parlamento Gratiana-politano, etiam subscribentibus medicis, prodita, quâ iustus sit iudicatus partus post quadriennalem mariti absentiam natus: quasi ex semine illius tam diu ante operationem in matrice fortè morbida retento; nam vt conceptio fiat sine semine virili, solâ imaginatione, omninò naturâ impossibile est: quidquid illi medici imaginati fuerint. alioquin de Christo à Virgine frustra esset rogatus Angelus: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & is frustra respondisset: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

CONSVLTATIO II.

De septimestri partu.

SEptimestrem partum iustum præsumit, & decidit lex *in l. septimo. D. de stat. hom. l.*3. *§. post decem. D. de suu & leg.* sola difficultas est, an ea præsumptio ex aliis infirmari possit ab Intimato productis?

Iuris communem præsumptionem Appellans firmare nititur per peculiares suæ causæ, quòd Intimato fatente vxor in matrimonio semper casta, numquam antea diffamata fuerit; nec etiamnũ alius author partus cum quo antè consuesset nominetur. neque seu ante seu post partum in thori dissidio fuerint, quodque Intimatus partum hunc suũ agnouerit, in baptismo se obtulerit, vt patrem, & produxerit vt patrinum suum patrem, & G. cognatam nobilem fœminam vt matrinam, ipsius patris &

patrini nomen indidit. ita docet registrum baptismale, cui iam tunc Appellans inscriptus est, tamquam legitimus filius Intimati, & vxoris eo etiam immaturitatem excusante propter laboriosum illius grauidæ ex Italia reditum, & ex equo lapsum, & per hoc Appellans contendit se etiam fuisse in possessione agnitæ filiationis & legitimitatis: sicut docet Bald. *in l. neq. nat. C. de prob. Viuius decis.* 212. *n.*8. per baptismum probari filiationem. Et verò per mores nostros in filiis spuriis numquam tales patrini solent adhiberi, nec mariti paternum eis officium præstare.

Neque refert, quod Intimatus contendat honoris causa hæc facta; adeoque post dies paucos partum ablegatum, nutrici datum, non ab ipso, sed auia materna alitum: quia dum quis semel publicè quem vt filium recognouit, eum postea etiam cum iuramento abneganti non credatur. *c. per tuas.* 10. *X. de probat.* cum nimis *indignum*, inquit, *sit vt quod sua quisq; voce dilucidè protestatus est, proprio valeat testimonio infirmare.* quantò magis id indignū fuerit, si quis in ecclesia Dei, in actis illius sit protestatus? sed omninò tractatus tempore natiuitatis, & baptismi habitus, præualet iis, quæ postmodum secus fiunt. *Charond. l.* 11. *resp.* 17. quia *est primus*, inquit, *tractatus, qui pleniorem facit probationem. vt tradit Praepos. in c. transmiss. qui fil. sint legit. Ruin. cons.* 67. *&* 92. *vol.* 1. *cons.* 145. *&* 158. *vol.* 5. *Abb. Felin. & alij in c. per tuas. de prob.*

Quæ eò magis nunc obtinent etiam mortuâ vxore, quæ numquam, dum vixit, quid contrarium actis baptismalibus dixit. cùm *incongruum videatur*, inquit, *c. causam quæ.* 7. *X. qui fil. sint legit. vt matrimonium genitricis impetatur, quod eâ viuente non fuit impetitum.* impetitur porrò hic matrimonium & castitas vxoris, dum iam dicitur ex eo Appellantem non concepisse.

Non ferendum Vlpianus ait eum, qui cum vxore sua assiduè moratus, nolit filium agnoscere, quasi non suum. *l. filium. D. de his qui sunt sui vel alien. iur.*

Neque ergo hæc conuellit, quòd Appellans extra domum nutrici, ac deinde nutricio datus est; non enim id ablegationem simpliciter, aut abnegationem infert: cuius magna vis aduersùs naturam esset, quæ seruatâ discretione admodum consideranda est. *c. afferte. X. de præsumpt.* sed adiaphorum est, aut saltem leuis suspicionis: cùm iusta fuerit causa, vt cessarent per id sermones de huiusmodi septimestribus partubus; quos innoxiæ etiam & castæ illibentes à maritis externisque audiunt: adeoque per hæc non euertitur iuris præsumptio, & concordia coniugalis huiusmodi aliquali incommodo prolis præualet. *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori, &c.*

Ex eodem fonte procedit, quod in obscuro filium delitescere, mortuum dici, tamquam partum non vitalem voluerit, in confirmatione aliud, quàm in baptismo nomen inditum sit, quo ignarus Appellans vsus est, donec ex studiis redux à nutricio veros, vt ait, parentes resciuit. in obscuris autem, multò magis adiaphoris, benignior interpretatio sumenda est pro matrimonio, delicti exclusione, legitimitate: præsertim cùm nec moritura mater, quæ saluti suæ immemor non fuisse præsumitur, nihil partui contrarium declarauerit.

Adeò vt huiusmodi obscura tractatio nihil officiat proli. cùm etiam neque expressa matris declaratio veritati officeret. quia magis statur veritati ac matrimonio probato, quàm famæ & secutæ parentum tractationi. *c. per tuas.* 10. *X. qui fil. sint.* Apud Charond. *l.* 11. *resp.* 17. proles septimo post nuptias mense nata à côiugibus pro sua agnita, ac postmodum ab eo, qui matris fuerat ante nuptias concubinus, pro sua affirmante matre, adstipulante marito, per concubinum literis regiis legitimata, & hæres instituta; non fuit tamen admissa ad hæreditatem: & sic etiam in prolis vtilitatem non receditur à priori confessione, in natiuitate & baptismo facta.

Sanè in casu Charondæ magnam aduersùs prolem fuisse præsumptionem constat ex eo, quod mater fuerit concubina, quæ etiam ex concubino concepisse iure aliàs præsumitur, & standum sit in huiusmodi obscuris assertioni vtriusque simul parentis, nisi contrarium probetur. *c. ex transmissa. X. qui fil. sint legit.* sic enim & Scæuola dicit veritati locum superfore; scilicet si doceatur mater repudiata, sobolem spuriam professa non verum dixisse. *l. Imp.* 29. §. 1. *D. de probat.*

Iterum refert Gamma *decis.* 325. & alium casum præsumptionibus perplexum, scilicet prolem vndecimo mense, quæ & apud veteres monstrosa raritas habebatur, natam, marito lætaliter ægrotante, & à quo vxor diu absuerat vsque ad quatriduum ante mortem; nihilominus iudicio supremæ Curiæ Lusitanæ legitimam, & mariti hæredem fuisse declaratam. in quo casu præter solitum tempus protensum, & mariti morbum, victi etiam sunt agnati à fauore matrimonij, & prolis.

Et tamen *d. l. filium. D. de his qui sunt sui vel alien.* duas has tantùm causas admittit, mariti absentiam à domo aut thoro, & ægritudinem, vt generare non potuerit, probandas ad exclusionem præsumptionis iuris, quòd natus in domo mariti matrimonio constante mariti filius præsumatur: igitur aliàs sine lege attexere non licebit: dum Vlpianus & Scæuola non aliter maritum, qui filium sic natum nolit agnoscere, ferendum dicunt.

Hic saltem verbis Couarruuiæ 1. *p.* 2. *de mat. d.* 3. *n.* 10. pacandi sumus, vt admittatur illa probatio in contrarium, ex qua, vel quia maritus absens, vel aliquo morbo, aut frigiditate impeditus fuerit, minimè potuerit verisimili coniectura conceptionis tempore ad vxorem accedere, & eam cognoscere: quod Parisius post alios fatetur: præter has autem probationes, & si possint locum obtinere coniecturę & præsumptiones aduersùs pręsumptionem

nem iuris, non temerè, sed magna cum ratione arbitrij sint admittendæ. ita ille.

Porrò in hac lite neutra causa locum obtinet, dum immaturitas septimestris partus omnem ferè parit difficultatem, sed per d.l. septimo plus satis dissolutam. Vt omittamus, quod nutrix ait partum cùm ad se post 14. dies delatus tenerum admodum, & nondum perfectis vnguiculis fuisse. cui in facto suo testanti, cui nihil seritur metiturque, multum deferret Ant. Faber *def.*35. C. *de test.* præsertim in re nunc antiqua, sed aduersùs iuris claram resolutionem id non satis est, cùm nec inopinatus post sterilitatem partus, *Alciat. Reg.*3. *præs.*37. etiam suspecto loco, vt penes adulterum, si tamen & marito accessus fuerit, *Gail. lib.*2. *obs.*97. *n.*9. eoque conscio natus *id n.*5. *per l.*9. C. *de nupt.* non sufficiunt dictæ præsumptioni iuris superandæ.

Restat illud igitur, quod intimato pro Achille est, quod auia apoplectica, decrepita, difficilis ac morosi humoris, extra iudicium, iniurata, scedulam signauerit obseraueritque, quam post mortem intimato genero tradi dicitur voluisse per R. P. sed ponderis illa non est tanti, vt bilancem in Appellantem iam inclinatam in Intimatum reflectat. nimis ponderosa est præsumptio iuris pro matrimonio, & prole; præsertim dum illa scedula non obscuris indiciis, atque ex stylo apparet emendicata ab Intimato: speciatim dum ait filiam ante matrimonium fuisse vitiatam, quod ne quidem maritus allegauit in prima copula, seu aliàs vmquam se deprehendisse; neque, vt diximus, authorem nominauit, aut infamiam causatus est. sed neque illa rationem scientiæ huius delicti vllam adfert, multò minus conceptionis ex anonymo, ne quidem quod filia sua sibi id vmquam fuisset fassa. In iis autem quæ non cadunt sub visum, similesúe sensus, testi rationem scientiæ etiam sponte non danti, nulla fides iure tribuitur. & vero se dicit eo fine hanc declarationem facere, ne quis hæreditatem alienam occupet, scilicet Intimati; & tamen non est ei curę ne hæreditariam quotam Intimato in bonis maternis competentem alius occupet, dum hanc obscurare contendit.

Sed neque (quamuis id à filia sibi dictum assereret) vnicæ, iniuratæque credi deberet, cùm nec matri etiam adulteræ crederetur, dicenti filium esse adulteri. *l.*29. §.1. *D. de probat. Gail. lib.*2. *obs.*97. *n.*8. *Viuius l.*2. *commun. opin.* 107. Si asserenti adulteræ non creditur aduersùs partum; de non asserente, neque vmquam infamata credetur? ideo quia potuit fornicari ante matrimonium? & verò quæ non potuit adulterari? neque tamen creditur adulterata, nisi probetur, & probatione liquida existente non ex adultero, sed marito partum editum lex præsumit.

Quare & id omninò minus recipiendum foret, etsi assereret mater aduersante *d. c. per tuas. X. de probat. d. c. per tuas. X. qui fil. sint legit. aliisq́; quæ supra allegauimus*, cùm tempore natiuitatis, atque baptismi, contraria vtrorumque coniugum fuerit professio: quæ per contrarias postmodum declarationes non eliditur, multò minus per leuiculas præsumptiones: v.g. quod partus quilibet præsumatur perfectæ gestationis. *Menoch. cons.* 284. *n.* 8. quæ res aduersùs septimestres & vndecimestres nihil officit; quippe in concursu præsumptionum præualet vehementior: atqui hæc, illa est; quæ est præsumptio iuris, quæ hic onerat aduersarium plena in contrarium probatione *d. l. filium. verb. si constet. D. de his quæ sunt sui.* quamquam iam antè ostendimus *per d. l. filium.* solam mariti absentiam, aut morbum pro contraria probatione admitti, aut saltem eius generis vehementes, quæ possint euellere præsumptionem iuris.

Ex quibus omnibus apparet pro causa fauorabili matrimonij, seu illius effectu, id est, filiatione, legitimitateque Appellantis esse iudicandum. neque ea, quæ illata sunt sufficere ad prosternendam præsumptionem, & decisionem legis, quæ septimestrem partum pro iusto habet.

CONSVLTATIO III.

De Legitimato.

PEtrus ex soluto & soluta ex copula post sponsalia de futuro habita natus in vrbe, 1.
vbi priuilegium est, ne quis nisi legitimus; in prouincia, vbi priuilegium, ne quis nisi ex legitimo matrimonio natus ad honores promoueatur; Rescripto Principis legitimatus est, assentientibus Prouinciæ Ordinibus, ex suffragio etiam dictæ vrbis, vt officia obire possit, exceptis magnis prouinciæ officiis: à decurionibus eiusdem vrbis ad officium Scabini nominatur; aliis natales Petri, & priuilegia vrbis obstare contendentibus, quibus derogatum negant expresâ mentione non factâ.

Legitimatus vt officia obire possit de assensu Ordinum, capax sit, & si priuilegij vrbis mentione non factâ, prouinciæ priuilegio fortiori derogato.

Videntur Petro portæ patere dignitatum, & suffragium omnium complecti suffragium singulorum, generareque effectum in singulis, 2.
ita vt in singulis prouinciæ locis legitimatus officia non excepta possit adire: argumento à genere ad speciem: *l. item legata.* §. *item inter. D. de legat.*3. qui dicit omnia, nihil excludit, qui excipit, in non exceptis firmat regulam. *l. nam quod liquidè.* §. *fin. D. de pœn. legat.* si cui, inquit, *penus legata sit præter vinum, omnis penus legata videtur excepto vino*, & iterum, *quod si vrbana penus sit legata, omnem quæ vbique est legatam videri Labeo ait, etiamsi in villa sit vrbico vsui destinata.* Legitimatus ergo ad officia præter magna prouinciæ, omnia alia obire 3.
poterit, magnis prouinciæ exceptis; legitimatusque videtur ad omnia vbique quæ in prouincia sunt, adeoque in ea vrbe præter magna, inter quæ non refertur officium Scabini in ea vrbe.

Genus omnes species cõplectitur.

Exceptio in cæteris firmat regulã.

Et verò aduertendum est assensum Ordinum prouinciæ & vrbis in factum conceptum esse, *vt obire possit Petrus officia magnis exceptis*: quod fieri non potest, nisi ex derogatione priuilegij: quando autem id conceditur, quod stare non potest, nisi alterum remoueatur, remotum id esse censetur, quamuis nullâ illius mentione factâ. *l. vbi pugnantia. D. de reg. Iur.* & sic *in c. dudum de præbend. in 6.* Bonif. VIII. nulla priuilegij seu concessionis antea factæ in secundis literis mentione factâ per actus subsecuti repugnantiam illam concessionem priorem *expreßisse*, inquit, *videmur*.

4. Res ipsa permissa derogat cōtrariis cognitis.

5. Maius est de thoro legitimo quē esse, quàm legitimum dumtaxat, plures enim aliter fiunt legitimi.

Quod hic eò magis obtinere debet, quod priuilegium prouinciæ fortius sit, quàm vrbis, cùm hoc legitimos tantùm requirat, illud ex legitimo matrimonio natos: legitimi autem simpliciter plurimis modis dicantur: legitimi fiunt per Rescriptum Principis: *l. qui in prouincia. §. 1. D. de rit. nupt. confirmamus*, inquit, *statum liberorum in eo matrimonio* (iure irrito) *perinde ac si legitimè concepti fuissent*: deinde per oblationem Curiæ factam. *l. 3. l. 9. C. de natural. liber.* Denique si pater naturales testamento tantùm *suos* nominet: *Auth. si quis ibid.* qui omnes iure ciuili fiebant legitimi, non legitimo tamen matrimonio nati. adeoque absurdum videtur, quod soluto vinculo fortiori priuilegij prouincialis, non cessaret debilius vrbici, per eam gratiam, quæ soluit fortius.

6. Cùm de voluntate constat, derogatum facilè creditur.

Præsertim cùm semper derogatum censeatur, quando de mente concedentis constare potest: *Tuscus V. derogatio. concl. 216. n. 13.* voluntas autem clarius constare non potest, quàm si alioquin concedens nihil ageret re ipsa; verbis tantùm luderet: quod est histrionum, non eorum, qui remp. tractant.

Ideoque idem Bonif. *in d. c. dudum. considerantes quoque*, inquit, *quod nos, exposito nobis de potestate prædictâ, nihilominus literas gratiosas daremus*, vnde cùm exposito debiliori vrbis priuilegio derogato fortiori prouinciæ idem Petro fuisset concessum, debet intelligi vrbis priuilegio simul fuisse re ipsa derogatum.

7. Per actus posteriores.

Ad quem modum rursus idem Bonif. VIII. *in c. 1. de constit. in 6.* dicit Pontificem condendo constitutionem posteriorem reuocare priorem, quamuis de ipsa mentionem non faciat, non tamen derogare locorum consuetudininibus: & vlteriorem assignat rationem, quia hæ facti sunt, & probabiliter ignoratæ; iura autem omnia in scrinio pectoris censetur habere.

Cùm ergo ius suum, & priuilegia quilibet populus censetur non minus in scrinio pectoris habere, quàm legislator communes leges; per concessiones suas censebitur, quamuis mentione non factâ, iuri & priuilegio suo derogare, ne nihil agat.

8. Et quando nulli præiudicatur, & ad ius cōmune reditur.

Denique facilè censetur derogatum omnibus contrariis quando nulli præiudicatur; quando quod contrarium est iuris est correctorium; quando per id, quod agitur ad iuris communis naturam reditur: *Tuscus d. concl. 216.* vt per has concessiones ad ius commune reditur, quo naturalibus licet publicis muneribus, & honoribus fungi. *l. 3. §. 2. D. de decurion.* aduersus quod hic impetratum fuit primò particulare ciuitatis, deinde generale patriæ priuilegium.

Neque verò extra boni & æqui considerationem est, quod Petrus non ex damnato coitu natus sit, non ex scorto, nec vulgo quæsitus; sed ex solutis, ex copula post sponsalia habita; ex qua olim matrimonium sequebatur: *c. is qui fidem. X. de spons.* adeoque proles per matrimonium legitimæ nascebantur; & consequenter tempore concessionis priuilegij vrbis & prouinciæ ab officiis per priuilegium non arcebantur. 9.

9. Considerabile etiam post Conc. Trid. quod quis ex solutis, & ex copula post sponsalia sit natus.

Et quamquam nunc per Concil. Trid. *s. 24. de reform. mat. c. 1.* huiusmodi sponsalia non transeunt in matrimonium per copulam; quia clam exercetur; tamen non desinit ad defectus ciuiles, considerabilis esse promissio matrimonialis; cùm decretum Concilij causam peccati adulteriique perpetui post clandestina quorumdam matrimonia consideret, cui remedium non aliud potuit adhiberi, cùm de occultis non iudicet ecclesia: tamen idem Concil. Trid. vim sponsalium non abrogauit vlterius, quam ne per copulam occultam transeant in matrimonium: vt sæpius declararunt Cardinales Concilij Interpretes: & sic rigor priuilegiorum huiusmodi secularium non videtur admodum aduersus eos, qui tempore concessionis non potuissent excludi, intendendus, in vim decreti ecclesiastici, alia ex causa, vitandi scilicet peccati, inducti. tametsi alioquin in rigore legitimi hodie esse non possint ex copula solutorum post sponsalia nati: quia per Concilium Trident. excisa est radix vnde legitimitas subnasci poterat: matrimonium scilicet: quod non nascitur nunc ex copula solutorum post sponsalia habita, nemo tamen non sentit de facto plus omnino infamiæ illis adhæsisse prolibus quæ sine affectu coniugali essent excitatæ, sed voluptuariâ tantùm fornicatione: cùm olim solus consensus de præsenti, vel de futuro cum secuta copula, (quæ tacitum de præsenti consensum inferre censebatur) efficeret: & per se parentes constituere matrimonium possent, idque nollent; at hodie non eiusdem facilitatis est matrimonium, sed est coram parocho & testibus celebrandum: multa etiam malitiosè occurrunt impedimenta, etiam matrimonij sæpè perit appetitus cùm iuuenis factus est copulæ compos; nasciturque proles inter moras; quæ sanè nec apud probos atque cordatos non tantum de facto infamiæ, quâ portæ dignitatum obserentur, secum trahat, quantum natiuitas citra affectum coniugalem accidens.

De secundis nuptiis.

CONSULTATIO I.

De non contrahendis ante certum nuntium de morte prioris coniugis secundis nuptiis.

1. Secundæ nuptiæ prohibendæ donec certò moraliter constet de morte prioris coniugis.

REctè reiecit parochus militem contrahere volentem cum vxore alterius militis, antequam constet hunc esse defunctum, ob *c. in præsentia. X. de spons.* vbi Episcopo scribitur talibus authoritate ecclesiæ non permittendum contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. huiusmodi decretum Episcopi, inhibitionemque rectè defendit Wames. *cons. 536. tit. de spons. duor.* & eò magis parochi hic tenentur obseruare, quod in synodo prouinciali Mechliniensi *tit. de sponsal. c. 4.* decretum sit, vt denuntiato aliquo impedimento parochi non procedant vlterius, donec Superiorem consuluerint; atque is responderit quid eis sit agendum. quod *c. 3. de clandestin. desponsat.* hisce verbis etiam insinuat; *cùm autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreßè, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.* certum ergo nuntium requirit *c. in præsentia.* antequam Superior matrimonium permittere possit: manifesta documenta *d. c. 3.* seu vt *nullus amodò*, inquit *c. dominus. X. de secund. nupt. ad secundas nuptias migrare præsumat; donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit coniux.* vbi nupturienti de morte coniugis constare æquè iubetur; quàm Superiori, non ante certum nuntium permittere. *d. c. in præsentia.* & interdici mandatur *d. c. 3.*

2. Tam cõiugi, quàm parocho secus agere illicitum.

donec allata sint manifesta documenta. vbi obiter ex æqualitate decreti tum de coniuge, tum de Episcopo loquentis, probabilius est, non magis posse coniugem secundas nuptias inire, quàm Episcopum permittere ex præsumptiua non sufficienti probatione mortis: vt Panorm. aduersus Butrium, cui adhæret Wamesius, docuit. alioquin viam aperimus matrimonium ineundi contra interdictum ecclesiæ, cui tamen pœna indicitur. *c. 1. de matr. contra interdict. eccles.* cum d. autem *c. 3.* statim interdici velit cùm apparuerit probabilis coniectura; eo ergo stante non potest contrahi, nec interdictum remitti, donec quid fieri debeat, manifestis constiterit documentis. *d. c. 3.* & iam Tridentinum matrimonium coram parocho mandet celebrari; qui etiam dicat; *ego vos in matrimonium coniungo*, &c. *Trid. de reformat. mat. s. 24. c. 1.* Id quidem verum est, si secus aliqui fuerint coniuncti, non esse separandos; dubitantes debitum reddere, non exigere: sed si postea de coniugis vita constiterit, ad priorem reuerti debere. *d. c. dominus.* vbi eadem, maiorque certitudo requiritur, vt soluatur secundum matrimonium, quàm vt ineatur: nam dubitantem discedere non permittit.

3. Quã certitudine opus sit?

Quæ certitudo exigi dicetur? *certum*, inquit, *d. c. in præsentia. nuntium receperit: donec constiterit*, inquit c. *dominus:* generatim manifesta documenta exigit *d. c. 3.* non ergo restringitur ad certum genus probationis. ideoque c. quoniam. *X. vt lite non contestatâ, tam diu*, inquit, *alteruter coniugum exspectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* vbi non tantùm agitur de ipsis partibus, sed datur instructio Iudici procedenti etiam ad definitiuam: & ait glos. *in verb. præsumatur, per famam*, inquit, *quia senex erat, vel etiam quia in acie fuit, nec rediit*; præsumitur quod his casibus sit mortuus. & *satis certum est*, inquit, *per solas huiusmodi violentas præsumptiones, postquam aliquanto tempore duxerit exspectandum.*

Et in milite quidem *Auth. hodie. C. de repud.* maritum in expeditione manentem exspectari iubet; sed si mortuus dicatur, vxori iubet per se, vel alium, eum, sub quo militabat, adire; & interrogare si verè mortuus est, & apud gesta deponere cum iure-iurando si mortuus sit: quo subsecuto post annum nubere. sed quod ad annnum pertinet, luctus ille videtur, & per canones sublatus est. *c. vlt. X. de sit. nupt.* si de morte iuratum sit. sed iterum *d. Auth. hodie* agit de milite versante in expeditione: *vt d. c. dominus* scribitur christianis in captiuitate Saracenorum positis: *c. in præsentia* de captiuis, vel peregrinis vltra septennium exspectatis, quorum certificari non possit vita, vel mors: & *c. cum per bellicam 34 q. 1.* de bellicis cladibus, quibus matrimonia plura turbata, & cum secundis contracta erant; & satis secunda consortia excusat, vt culpabilia non iudicentur, cùm persona assumpta est mariti, qui iam nõ esse existimabatur, vt eo tamen apparente priora redintegrentur coniugia: alioquin eę mulieres impię sunt habendæ, quibus præterita ad opprobrium malę voluntatis trahi non potuissent.

4. Si coniux in acie, vbi multi occisi sunt, pugnauit, nec pòst apparuit, sufficit præsumptio mortis post moram.

Speciali casu nostro cùm In acie pugnatum est, multis occũbentibus, præsumitur G. mortuus, qui in ea fuit, nec pòst apparuit. *ita glos. in d. c. quoniam. Tuscus post Alexand. & alios v. mors. concl. 400. n. 7. & 29. Mascard. de probat. conclus. 1074. vbi concl. præced. & seq.* sufficit præsumptiuè mortẽ probari, nec exacta de visu omninò probatio est necessaria: & plures circumstantiæ præsumptionem augent: etiam in incertis diuturnior absentia, probitas, & mores viri, apparenter scripturi si viueret. & ideo Viuianus in Rationali *in d. c. in præsentia* morã, & violentas suspiciones, & pręsumptiones an sint sufficientes, ad arbitrium iudicis remittit, *in d. c. in præsentia, post Abbatem ibid.* vocem mortis, & famã *Menoch. in remed. adipisc. possess. rem. 4. num. 671.* quare moraliter tum superiori, tũ coniugi, sufficeret ea certitudo, quæ quietã reddere possit conscientiam timoratã: etiã dictũ vnius testis de visu: *Mascard. vbi supra*; sed iurati. *d. Auth. hodie.*


5. Et arbitrio iudicis.

LIBRI QVINTI TITVLVS I.

De Accusationibus.

CONSULTATIO I.

De delictis communibus & regularium.



1. Delicta sunt communia, quædam militaria, vt regularium.

Elicta vt quædam sunt communia, quædam militaria; sic in regularibus excessus quidam tamquam simpliciter mali, considerantur, quidam quasi mali ex causa status religiosi. Ex priore genere nihil hac in causa est demonstratum: secundi generis multimoda capita obiiciuntur. sed cùm regularis reus tantùm agi possit secundùm leges militiæ, cui est adscriptus; & si quid præter leges communes in monachos statutum sit,

2. Quo nomine veniunt canonici regulares etiã non monachorum.

non prorogetur ad canonicos regulares: *c. quod Dei. X. de stat. Monach.* quoniam etsi, inquit, *à monachorum consortio non sunt seiuncti, regula tamen inseruiunt laxiori.* Nisi fortè deducatur ex fontibus votorum substantialium, in quibus omnes religiosi conueniunt, aut eandem

3. Nec decretis de his disponentibus nisi ad substantiam votorũ spectent, aut in vtrisque eamdem habeant rationem.

omninò participant legis rationem: vt *in cap. ex parte. X. ne cler. vel monach.* declaratum est, decreto ne monachi physicæ, aut legum studiis addicantur, etiam canonicos regulares esse comprehensos.

Obiecti excessus secundùm regulam Sancti Augustini constitutionesque ordinis & Capituli Windesemensis, sub quibus militat reus de qua agitur, expendendi sunt.

4. Excessus regulares.

Per ea vetatur collocutio cum exteris intempestiuis horis 3. *part. c. 7. s. 3.* intra horas regulares aut Capitulum culparum, neque post primum pulsum collationis aut refectionis.

5. Intempestiua collocutio cum exteris.

Procurator tamen cum aduenis loquitur. *c. 7. 3. part. stat. c. 13.*

Scriptio vel receptio litterarum quæ non spectat ad fomentum impudicitiæ, de quo Augustinus agit, dum illas vetat; ex mente

6. Scriptio, receptio literarum.

legislatoris prohibitam non esse; sed neque moniali ad parem sexum, Triuetius quidem & Lantmeter *supra regul. S. August.* censent: sed consuetudo, & plerisque locis ordinatio secus habet. & ferè generatim in aliis ordinibus pro vetita habetur. Familiaritas cum impari sexu, si quem suspectum fecerit, & monitus non destiterit; ad grauem culpam pertinet. 3. *part. stat. c. 6.* superiores tamen nimia suspicio non debet reddere præcipites: nec omni spiritui credulos, nec faciles ad damnandum ex suspicione. 1. *part. c. 9.*

Aduersùs obedientiam contumacia grauis est culpa, præsertim in re graui, atque deliberata, & quasi coniurata rebellio. 3. *part. c. 6. stat.* ter vapulat reus, ter ad terram comedit; officium & vocem capitularem amittit. Cæterùm in rebus non admodum grauibus flaccida ad obediendum promptitudo, graui culpæ non mox adscribitur: præsertim cùm res, quæ præcipitur, primâ specie supra regulam esse apparet; & docti hæsitant. nam in iis, quæ notoriè supra regulam sunt, reuerenter potest regularis non obedire. *Nihil*, inquit D. Bernard. *lib. de disp. præcipiat mihi Prælatus eorum, quæ non voui, nihil præcipiat eorum, quæ non promisi, non augeat aut minuat votum meum.* sicut enim quis ad regulam arctiorem compelli non potest; *Salas de leg. tractat.* 14. *q.* 8. *sec.* 12. ita nec exigi potest quidquam à regulari, quod liquidò superet votiuam regulam. reuerenter tamen debet se subditus excusare, & in dubio obedire. quia præsumptio est pro superiore, eiusque decretis. absit vt subditus impudenter, aut maledicè resistat. Maledicentia sanè animo inhonorandi, & contemptus superiorum in depressionem officij graue peccatum est, & grauiter punitur. *c. 1. & 2. X. de maledic.* circumstantia tamen muliebris impotentiæ valde deminuit. *Tolet. lib. 5. c. 19.* quod & ad eos viros pertinet, qui in sexu virili animum gerunt muliebrem. & si contemptus est materialis, tanquam hominis tantùm defectus patientis, magis est venialis. *Suarez. de leg. lib. 3. c. 28. n. 24.* 7. Contumacia aduersùs superiorem.

Paupertas Canonicorum Regularium non tam est stricta, quàm aliorum Ordinum. vouent enim illi tantùm carentiam proprij. cuius substantia peculium à nutu superioris dependens admittit: *Ioannes And. in c. non est oblig. de reg. iur. in 6.* & pensionem loco communis victus. *idem in c. cum ad monast. de stat. monach. Nauar. comment. de reg. c. non dicatis.* 8. Proprietas.

Ad procuratorem pertinet prouentuum curatio & inquisitio. 2. *part. c. 3.* conductio & elocatio quamuis hoc vltimum non sit in vsu, negligens, prodigus, contumax, destituitur. sed demum, si sæpius correctus fuerit. *ibidem.* 9. Procurator.

Si

10. Lautior tractatio. Si quis de rebus monasterij sibi commissis lautius amicum tractauerit, non statim praeuaricatur votum. *Layman. Theolog. mor. lib. 7. moral. tractat. 5. c. 7.* rerum non consumptibilium vsurpatio, vel commodatio non est mox mortalis. *Sanchez lib. 7. moral c. 19. n. 57. c. 20. n. 6.*
11. Donatio. praesertim ex circumstantijs. licita in depositum receptio. *Sanchez moral. lib. 7. c. 19. n. 50.*
12. Vsus eorum, quae rogatus superior non concederet, vel contra. donatio eorum, quae superior permittit, quibus vnus non solet egere, aut absumere. *ibid. c. 19. n. 70.* quin & si rogatus superior concederet, non offenditur eo non rogato paupertas; sed magis obedientia venialiter. *Nauar. comment. 2. de regul. n. 20.*

13. Absentia à mensa. Praeterea si quis à statis prandij & coenae temporibus abfuerit, poena tantùm datur, vt in Capitulo veniam petat. *3. part. stat. cap. 6.*
14. Choro. eadem poena corrigitur, qui ab officiis chori emanserit. *3. part. c. 5.* excusatur tamen procurator : *c. 3. 2. part.* & infirmus : cui creditur ex regula S. Augustini. *famulo Dei dicenti quod sibi doleat sine dubitatione credatur.* Comestio extra tempus simili ferè poenâ eluitur. Silentij fractio ad confessionem culpae in Capitulo purgatur. *3. part. c. 7.*

15. Poenae. Enimuero ex his summatim dictis pleraque obiecta extra grauem culpam ponuntur; atque regularibus saltem poenis expiantur. Caeterum (quod & quaeritur) huiusmodi non sunt, vt aliquem *iuxta c. 2. Concil. Trident. s. 25. de Reg. ad biennium* incapacem reddant electionis actiuae, vel passiuae, aut vt iudex ea priuare possit accusatum. quanquam enim Concilium Tridentin. *s. 25. c. 7. de regular.* in praefectam eam eligi mandat, quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit ; non tamen censendum est electionem factam de alia persona secundùm priores canones capace esse irritam, quia affirmatiua dispositio est decreti instruens eum, qui electioni praeest, vt in viam eligentes dirigat : nisi fortè quoad aetatem, vbi negatiuè non minorem vult quadraginta annis, nisi in casu ibidem excepto. & quidem prima parte laudabilem vitam exigit, in alterâ rectâ vitâ contenta est. nisi iterum eadem moraliter ibidem intelligamus. vt D. Paulus ad Titum. c. 1. exigit Episcopum qui sit sine crimine; non vero sine qualicumque peccato, cùm septies in die cadat iustus.

Sed tamen nullitatem electionis Concilium non adiungit ob excessus, & culpas regulares. sicut operosè nullitatem exprimit, & inhabilitatem *in c. ibid. praecedenti. & s. 24. c. 18.* ob concursum in parochialibus non seruatum, & *s. 25. c. 5.* ob omissas qualitates requisitas.

Meritò ergo Iudex in correctione rei abstinuit à poenis grauioribus; cùm probata nulla sint delicta communia : quoad culpas verò regulares, poenitentias rectè aliquas iniunxit; earumque executionem superiori regulari commisit. *vt in c. in singulis. & seq. X. de statu monach.*

CONSVLTATIO II.

De custodia & exhibitione reorum.

IN lite pendente inter N. & N. considerare oportebit quod habet Vlpian. *in l. 1. D. de custod. & exhibit. reor. de custodia,* inquit, *reorum proconsul aestimare solet, vtrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi.* Hoc autem *vel pro criminis, quod obijcitur qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personae, vel pro dignitate eius, qui accusatur facere solet.* 1. Quis carceri non mancipandus.

Quae ergo singula aestimanda iuris-consultus censet, vt fide-iussoribus vel sibi quis committatur, si vniuersa concurrant, quis bonus abnuat, eum saltem fide-iussoribus, si non sibi, esse relinquendum ? praesertim si expendimus postquam scripsit Vlpian. *lib. 2. de off. proconsul. quod refertur in d. l. 1.* quodque modò examinauimus, libro iam septimo *(vt refertur in d. l. 3.)* generatim atque indistinctè scribere ; *ex epistol. D. Pij*, non esse in vincula coniiciendum eum, qui fideiussores dare paratus est : nisi si tam graue scelus admisisse eum constet, vt neque fide-iussoribus, neque militibus committi debeat : verùm hanc ipsam carceris poenam ante supplicium sustinere. Scelus, inquit ; *sicut & l. 3. eod.* inter scelera autem non refertur fornicatio, etiam in clerico, etiam sacerdote; neque inter excessus enormes. *de quibus in c. si clericos. de sent. excommun. de quo mox.* 2. Nô cauentes fide-iussoribus datis. 3. Non rei excessuum leuiorum.

Agitur autem *in d. l. 1.* in casu accusationis, quae fiebat ad vindictam cum inscriptione, in qua multa rigidius constituta sunt, quàm in casu inquisitionis tantùm ex officio Iudicis, praesertim ecclesiastici, & ex benignitate canonum.

Ex consideratione dignitatis *conformiter ad d. l. 1.* omissis iis, quae circa illius *l. 1. & 3.* intellectum, ampliationem, & limitationem passim scribuntur *per Boss. de carcerato fideiussoribus committendo, Menoch. de arbit. cas. 303. Farinac. de carceribus & carceratis, & ab eis allegatos aliosq́;.* per Bonif. VIII. rescribitur *in c. si clericos de sent. excom. in 7.* his verbis ; *clericos si de parendo iuri tibi fide-iussoriam dederint cautionem, detinere non debes : nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis eos suaserit detinendos.* quod si vniuersim de clericis id statuat Pontifex : (ob dignitatem ordinis *Ioan. Andreae ibidem, aliiq́; passim*) multò maximè id obtinebit in iis, qui sunt in sacris in officiis ecclesiasticis, & dignitatibus. adeoque cùm tam delinquat iudex, qui non relaxat relaxandum, quàm qui incarcerat non carcerandum; *Farinac. vbi supra n. 147. post Marsil. Angel Bonasc. quos citat, Ant. Gomes. 3. tom. var. res. c. 9. n. 8. Lopez. ad pract. crim. Diaz. c. 124.* graue 4. Neque clerici, nisi in enormibus.

peri-

periculum imminet Prælatis, tam in detentione indebita, quàm captura; si qua temeritas aut iniuria deprehendatur: quia excommunicatione plectuntur *d.c.si.clericos.* & incarcerantes, aut procurantes vt cogant resignare, Prælati triennio fructibus, inferiores ipso iure beneficiis suis sunt priuati. *Clement. multorum.de pœnis*, quibus ideo benè Ioan. Andreæ *in d.c.* ita dicit, *caueant sibi Prælati, qui nimis ad talia prompti sunt, & se & alios illaqueant.* vbi incarcerationem non admittit, nisi in condemnatis, vt *in c.vt fama X. de sent. excom.* notoriis, seu de quibus probatio plana est, *per ea, quæ* post Archid. *ibidem latè prosequitur.* quibus adde *d.l.3. in verb. nisi tam graue scelus admisisse eum constet.* Quibus consentaneum est decretum Concilij Trident. *sess.25.c.6.* his verbis: *In criminibus ex incontinentia prouenientibus* (non omni, sed) *de qua in decreto de concubinariis* (non fornicatione simplici. *Rota 6. Iun.1622.*) *& in atrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus* (nota & quod sequitur iunctim) *vbi de fuga timetur* consonat d. c. vt famæ. *d. c. si.*

5. Et fugæ suspicione.

clericos) *ne iudicium eludatur, & ideo opus sit* (nota) *personali detentione, possit Episcopus ad summariam informationem, & necessariam* (nota) *detentionem procedere.*

Decretum hoc, vt ad rem nostram redeamus, manifestè explicat *d. c. si clerici.* periculum fugæ enixè & pluribus verbis, & excessuum enormitatem requirens. quam cùm alij arbitrariam esse dicant, alij vt Ioan. Andreæ

6. Quæ atrocia?

exemplificent in falsariis literarum papalium, infamatis de cæde sui Episcopi, hæreticis, & similibus Concilium clarè atrocia delicta vocat, quæ depositionem, aut degradationem requirant.

7. Rationabilis causa.

Exceptionem aliam addit Bonifacius VIII. vel *alia causa rationabilis eos suaserit detinendos.* Atqui non video quomodo non magis rationabile fuisset consideratis circumstantiis causæ, personæ, loci, & temporis, acceptâ fideiussione idoneâ, causam citra carcerem instruere, quam per illius decretum, scandalum in Ecclesia, & apud vicinos fidei hostes præbere. Præsertim non apparente accusatore, qui se inscribat; denuntiatore, qui fraternè monuerit; vel clamorosâ infamia. quæ requirit cap. *qualiter & quando el 2. X. de accus.* innouatum à Concilio *Trid. s.24. c.5.* (cuius longus & totus textus præsenti negotio quadrat.) Si etenim sufficiens infamia præcessit, quis credat Consules, senatores, aliosque viros graues Ecclesiasticos, & seculares, tam præclarum testimonium N. dedisse? ea si defuerit, positâ etiam veritate delicti; expendendum est hoc casu, & loco, ex integro *d. cap. qualiter* & illud D.Bernard. *l.2. de consid. c.12. non eris innocens, si aut punias eum, cui fortè parcendum esset; aut parcas ei, qui fuerat puniendus.* si parcitum fuisset, aut occulta pœnitentia dilutum crimen (quo casu verum deprehensum foret) cessasset scandalum; ex quo maius quàm ex reatu est malum. quia, vt inquit Lessius *de Iust.lib.2.c.29. d.15. num. 140. ecclesiasticorum infamia plus scandalisat seculares, præsertim hæreticos, quàm castigatio ædificet.* Quare etsi Concilium Trid.*s.24.c.8.* cum publicam demum pœnitentiam iniungi decernat, quando publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum; in secretam tunc tamen commutari permittit, quando ita magis iudicatur expedire.

Qui igitur crimen domesticum, atque occultum committit, eam culpam contrahit, quàm natura criminis inuoluit; sed qui ex occulto publicum facit, per castigationem, seu aliàs, secus quàm canones permittant, *d. c.qualiter.c.inquisitionis.X.de Accus. Less. vbi supra num.123. Nauar. eod. cons.3.q.5.* reus est emergentis scandali: quod momentum criminis longè superat, & aggrauantis circumstantiæ, quâ

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

c. cum quidam. X. de iure-iur.

8. A decreto, & incarceratione appellari potest.

Quare videtur rectè appellatum à decreto carceris, qui morti æquiparatur. *iuxta Bald. in c.1. §. denique tit. quæ fuit prim. caus. benef. amittend. in vsibus feudor.* & denegatâ decreti relaxatione, oblata cautione idonea. & à quo decreto appellari posse, vt irreparabili, *post Concilium Trid.* Clemens VIII. Sanct. Pragmat. an.1600. declarauit apud *Quarant. in sum.V. Archiepis. Auth.* Eaque appellatio semper potest interponi sine lapsu fatalium; quia semper atque perpetuò grauat: rectèque reposci possessio beneficij cuius resignationem terrore, carceris metu, aliorumque malorum, atque oppressione Iudex à quo extorsisse dicitur. quæ ideo nullius momenti est. *d. Clem. multorum de pœnis. c. super hoc. c.2.c. abb. c. ad aures quæ vi vel metu. Rebuff.l.3.p.benef.de resig. metu.* & facile in his circumstantiis credetur, probarique censebitur. *c.super hoc.X.de renuntiat.* vti spontaneam resignationem non præsumi docet Rebuff. *prax. ben. l.3. de vi in resign. adh.* Imo potest vi resignare coactus tanquam spoliatus intentare remedium can.*redintegranda. 3.q.1.nec iudices*, inquit Rebuff. *audient detinentem beneficium, donec restituta fuerit possessio spoliato, &c.in prax.benef. de resig.metu. n.5.& 6.* ne quidem super voluntaria resignatione, si præcessit spolium, seu captura. *d.c.2. X.de rest. spol.*

9. Quam diu durat:

10. Et resignatio per carcerem obtenta irritari.

11. Et talis facile præsumitur.

12. Et spoliatus redintegratur.

CONSVLTATIO III.

De correctione, & illius executione, non obstante appellatione.

1. In diuinis Officiis

CLericus præfecto cerimoniarum in peragendis officiis diuinis obedire iussus, & ob

agendis promptè obedire oportet. & ob contumaciam atque insolentia verba, à Capitulo culpam agnoscere, & ibidem deprecari iussus diffugio appellationis se tueri non potest.

Imprimis siquidem proponitur teneri ex

2. Pro culpa correctionē suscipere. iuramento quod in institutione Capitulo præstitit his verbis; *Decani & Capituli iurisdictioni subesse volo, & debeo, correctionem eorum suscepturus humiliter & devotè.* quibus verbis vtitur Alexander III. *in c. reprehensib. X. de appellation. vt qua pro salute fuerint iniuncta in Capituli disciplina ad correctionem humiliter suscipiantur, & deuotè.*

3. Etiam non regulares. Loquitur quidem Alexander in religiosis: sed & alios tamen includit per verbum *præcipuè*, sicut comparatiuus & superlatiuus includit positiuum.

4. Sed illis strictius. Rigorosius quidem de illis D. Benedictus *c.46. Reg. D. Hieronym. Reg. monach. c.4. Cassian. l.4. inst. c.16.* omnesque regularum conditores, alijque alibi passim tractant de culpis sponte aut per zelatores propositis humiliter agnoscendis, & venia postulanda, etiam in rebus leuissimis.

5. 1. Correctionis pars culpam agnoscere. Sed etiam in clericis secularibus prima pars disciplinæ ecclesiasticæ est, vt culpam agnoscant, veniam precentur, emendationem spondeant. eique consonat Regula Canonicorum in Concilio Aquisgranensi *ann. Christi* 1317. probata. & ne quid foris quæramus prædicta iuramenti verba *recipere correctionem humiliter & deuotè,* non capiunt aliam interpretationem.

Quare Capitulum benignè pro contumacia & verborum impudentia non aliam pœnitentiam iniunxit, quàm veniæ postulationem, spe emendationis. vt Tacitus de Agricola refert non semper eum ad pœnas progressum, sæpe solâ pœnitentiâ contentum fuisse. & D. Augustin. ait primum gradum peccatoris ad conuersionem esse, culpam agnoscere.

6. Nec id infamat. Tantum abest quod huiusmodi pœnitentia infamet; sed imo humilis & deuota culpæ agnitio, honorem ei potius conciliet.

7. Clericus maledicus grauiter puniendus. Inde Concilium Carthaginense, *clericus,* inquit, *maledicus* (maximè in sacerdotibus) *cogatur ad postulandam veniam: si noluerit; degradetur; nec vnquam ad officium absque satisfactione reuocetur. c. clericus. d.46. & peccati venia non datur nisi correcto. c. 5. de reg. Iur. in 6.*

Quod si clericus contumaciam, & responsa sua cum eo canone conferat, videbit quantum correctio illius à pœna istius canonis absit.

8. Etiam fustigatio non infamat. Nec verò (ne eo colore appellationem suam inficiat) vnquam sequitur infamia, nisi leges expressè irrogent. quin porrò quæ per viam correctionis fiunt, etiam fustigationes, non infamant. sic decisum est eos, qui ab ædilibus cæsi sunt, non infamari. *l. eos qui. D. de decur.*

9. Correctio per priuationem distributionū, &c. Igitur ritè Capitulum post plures monitiones processit ad executionem sui decreti correctorij per prouentuum ecclesiasticorum, distributionum aliquarum in dies, septimanas, menses sequestrationem, similesue contumacium pœnas.

Eò magis quod in celebrandis officiis diuinis, illorum cerimoniis obseruandis, nulla mora admitti potest; sed promptè omnia peragenda sunt: ideoque nullam admittit tergiuersationem appellationum. *si res*, inquit lex vlt. *D. de appellat. dilationem non recipiat, non permittitur appellare.* ideoque rectè Sigis. *Scaccia de appel. q. 17. lim. 38.* generatim communem doctrinam tradit posse iudicem non obstante quacumque appellatione procedere ad executionem sententiæ, quando periculum est in mora: quod omninò præsens est, si quis impunè cerimoniis præfecto obsistere possit. 10. Officium diuinum vt præfecti, monent peragendū, nec moram fert appellationum, &c.

Et quia idem clericus proponitur appellationi suæ prætexere argumentum militis, quod eius stipendia in causam iudicati capi non possint, atque aliàs libenter argumentatur à militia armata ad clericalem; etiam meminisse eum oportebat in militia armata non appellari: quia in prælio iterum peccandi locus non superest; *vt Lomachus:* nec licet dicere *non putaram, vt Africanus aiebat.* ideoque qui *rem*, inquit, *l. 3. §. in bello. D. de re milit. à Duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit, capite punitur, etiamsi res bene gesserit: & irreuerens,* inquit, *l. 3. §. irreuerens, miles non tantùm à tribuno, vel centurione, sed etiam à principali coërcendus est.* nam *eum qui centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notauerunt: si vitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit; capite punitur.* magna & prompta pœna pro inobedientia militari; mitis admodum hæc, de qua quæstio, capitularis. 11. Vt nec in iussis militaribus.

Iterum *l. 6. ibidem omne delictum est*, inquit, *militis, quod aliter, quam disciplina communis exigit, committitur; veluti segnitiæ crimen, vel contumaciæ, vel desidiæ.*

Rursus *pœnæ*, inquit *l. 3. § pœnæ eod. militum huiusmodi sunt castigatio, pecuniaria mulcta, munerum indictio, militiæ mutatio, ignominiosa dimissio.* 12. Quo*t*uplex pœnæ.

Ex quibus si comparatio vtriusque militis placet, videbit quàm miti decreto sit correctus: quodque militi armato pecuniaria mulcta indici; stipendiis, militiâ, gradu deiici; & ignominiosè dimitti possit.

Miles ergo clericalis pecuniariâ mulctâ, detractione stipendiorum ecclesiasticorum, præsertim nondum solutorum priuatione, dimissione puniri potest. 13. Militisque ecclesiastici,

Hinc toties in iure & Concilio Trid. mentio de distributionibus, & fructibus sequestrandis, per aliquot dies, menses, annos auferendis.

Et in his correctionibus militis clericalis nulla appellatio disciplinæ ecclesiasticæ executionem remoratur. 14. Sine appellatione.

Sic Alexander III. *in c. ad nostram. X. de appell.* ait remedium appellationis non ideo esse inuentum, vt alicui à religionis & Ordinis obseruantia debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: statuitque non ideo minus iuxta tenorem mandati, quod in Regula continetur, & institutionem Ordinis corrigi, & castigari. 15. In religionis & ordinis obseruantia,

Et Innocentius III. *in c. irrefragabili de off.*

ord. generatim statuit, vt ecclesiarum Prælati
16. ad corrigendum subditorum excessus, maximè
Correctione, clericorum, ac reformandos mores, prudenter & diligenter intendant. & vt correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decreuit, vt executionem ipsorum nulla Constitutio, vel appellatio valeat impedire.

17. Disciplinâ, Idem Alexander III. *in c. reprehensibilis. X. de appell.* vult obseruari, vt in correctorijs pro aliquo excessu correcti, contra Regulam Prælati sui & Capituli disciplinam appellare non præsumant. cuius verba, etsi de religiosis loquantur, dispositio tamen etiam in secularibus clericis obtinet; propter verbum *præcipuè*, vt dictum est.

18. Regularium & secular. cler. Et *c. licet de off. ord.* loquitur in secularibus clericis, & regularibus. *& c. irrefrag. eod.* in corrigendis, inquit, d. c. licet. excessibus iuxta canonicas sanctiones appellationis diffugium est interclusum. tametsi non est diffitendum strictius regularibus appellationes inhiberi; *c. cum speciali 61. X. de appell. in fin. vers. ceterùm, de qua re dixi in Iur. Pont. nou. anal. tit. de reg. n.48. & quos citaui.*

19. Executione nō suspensā, Denique Conc. Trid. *s.6.c.3.s.7. c.8.s.13. c.1.s.14.c.4.s.22.c.1.s.24.c.10.* appellationem vetat recipi in causis correctionis; aut executionem, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendi; nec *in his*, inquit, *d. c. 10. vbi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio aut vlla inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita executionem eorum, quæ mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.*

Mandata, decreta, aut iudicata, inquit; vt constet non tantùm quæ quasi exequendo & ordinando in re præsenti, sed etiam quæ summario iudicio mox expediri potuerint, & iudicari priuilegiariam executionem habere.

20. In notorijs excessibus: Iuxta tamen distinctionem *d. c. cum speciali. §. porro.* vt in notorijs excessibus nullatenus appellationi deferatur: excessu autem dubio existente; si probabilis sit causa appellationis, eamque reus prosequatur, & legitimam probet; tum demum Iudicem appellationis suæ iurisdictionis officium exercere: alioquin Iudicem à quo; non obstante appellatione. quod ipsum etiam tamen *per c.20.s.24. Trid.* restringere nunc oportet ad appellationes à definitiua, seu illius vim habente interiectas.

21. Quoad omnes Prælatos: Enimuerò non hæc Concilij loca tantùm loquuntur in Episcopis; sed etiam alijs Prælatis, & superioribus, tametsi mentio Episcoporum magis obuia sit.

22. Adeoque Decanum etiam Capitulum iurisdictionem habens, Et verò Capitulum A. ab immemoriali tempore ordinariam habuit iurisdictionem, & superioritatem, & correctionem; & cognitio causarum tam ciuilium, quàm criminalium ad illud pertinuit; sententias & decreta per subtractionem prouentuum, executioni demandare solitum fuit, prout refert & confirmat, grauioresque executionum modos permisit Iulius Papa II. per literas bullatas 15. Kalendas Ianuarij 1508.

Et Leo X. eandem iurisdictionem Capituli agnoscit, pluribus verbis confirmat, & auget: adeò vt Officialem & Promotores eis constituere permittat; aliaque quæ non communis tantùm, & œconomicæ authoritatis sunt; sed plenæ etiam iurisdictionis. per literas similiter bullatas 11. Kalendas Iulij 1521.

Cui Bullæ accessit Placitum Cæsareum ad eiusmodi iurisdictionem etiam cum exemptione & seclusione tunc Ordinarij Episcopi C. ante nouarum Sedium in Belgio erectionem exercendam.

Iurisdictionem quidem secundùm antiquos terminos iuris ciuilis Cuiacius, & quidam alij iuris ciuilis Interpretes tribuere volunt solis magistratibus, & potestatibus; *de quibus D. & C. lib. 1.* sed canones, qui planè & simpliciter loquuntur, & vt accepit Prætor *in l. ait Prætor. D. de re iudicat.* pro potestate cognoscendi & iurisdicendi, iustitiæque administrandæ, passim totoque iure canonico iurisdictionem attribuunt Iudicibus ecclesiasticis. *& in c.2. de off. leg. in* ❧ dicit Clemens IV. Legatos Apostolicos esse instar Proconsulum, cæterorumque Præsidum, quibus certæ sunt decretæ prouinciæ. 23. Plano & simplici modo loquendi, quæ ecclesiasticis competit,

Consequenter ad certam proportionem tribuitur iurisdictio per canones Papæ, Episcopis, Legatis, Delegatis, Ordinariis, Vicariis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, cæterisque cuiuscumque nominis Prælatis, & Capitulis. de consuetudine competentem omninò seruari vult Innocentius III. *in d. c. irrefragabili.* 24. Ad proportionem.

Eandem ergo iurisdictionem Capitulo A. competentem Iulius & Leo Pontifices confirmarunt, & seruandam voluerunt *per d. literas.*

Præterquam quod iuris notorij sit licitis collegiis authoritatem competere in suos: *collegijs*, inquit *l. sodales. D. de colleg. illic. potestatem facit lex pactionem, quam velint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant, & quidquid hi disponent ad inuicem firmum sit, nisi hoc publicæ leges prohibuerint.* 25. Collegijs etiam licitis;

Accedit textus *clarus in l. vlt. C. de iuris. omn. iud.* vbi iudices & iurisdictionem eorum, ad quos cura collegiorum huiusmodi pertinet agnoscit, & declinari ab ijs, qui sub collegio sunt, temerarium esse tradit.

Sed imò sententias eiusmodi Prælatorum etiam excommunicationis, & interdicti seruari mandat c. cùm ab *ecclesiarum. de off. ord.*

Ex his consectarium est aduersus mandatum, decretum, aut iudicatum in correctione morum impedimentum, aut suspensionem contra Concilij & iuris decreta dari non posse. Tantùm abest, vt clericus Capituli iurisdictionem possit declinare, & longissimè absit, vt ad secularia tribunalia possit recurrere. 26. Vt nō liceat declinare, minus ad seculares recurrere.

Sed eiusmodi pridem attentatis occurrit Honorius III. *in c. graue. X. de excess. Prælator.* vt subditus debitam ac iuratam reuerentiam negans, & contra eum super rebus spiritualibus

27. Sub pœna abscissionis. tualibus in seculari foro querelas deponens, ab ecclesia abscindatur. videat supplicans an sit casus suus.

Hinc tam religiosè Principes nostri atque exteri vetuerunt constitutionibus suis ob politiam ecclesiasticam morumque correctoria decreta obtentu cassationis, appellationis tamquam ab abusu, aut supplicationis Curiam se-
28. In correctione morum per constitutiones etiam seculares vetitus recursus; cularem adiri. Ita Franciscus I. anno 1539. Carol. IX. 1571. binis constitutionibus, secundùm quas diuersis arrestis iudicatum esse refert Choppin. *de sacra politia l.2. tit.4. n.28.* & legibus Allobrogum idem decretum est. prout & Philip. II. decreuit, in Ordinationibus Conc. Mechliniensis *tit. de request. art. fin.* Albertus & Isabella in Ordinationibus Conc. Brabantiæ *articulo* 589. generatim noluerunt in Ordinationibus politicis & correctorijs per appellationem adferri suspensionem, aut clausulas inhibitiuas decerni.

Quin & iure & praxi Hispanicâ idem tradunt Salgado *de regia protectione vi oppressorum Appellantium à causis & iudicibus ecclesiasticis p.2. cap. 15. num. 50. & seq. & Ceuallos de cognitione per viam violentiæ cap.74. num.24.* vt scilicet in correctoriis morum recursus non detur ad tribunalia secularia.

29. Præsertim quoad diuina ritè peragenda: Id quod præ omnibus locum habere debet in ijs actibus, qui spectant ad celebrationem diuinorum officiorum. Regimen enim ecclesiæ superioribus ecclesiasticis commissum esse docetur: *actorum* 20. *Ad sacerdotes*, inquit *Ioannes Papa in c. si Imperator. d.46. Deus voluit quæ ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subiectas, non sibi vendicent alienum ius & ministerium, quod alteri deputatum est, non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus & sacerdotibus: Omnipotens Deus Christianæ religionis clericos & sacerdotes voluit ordinari & discuti, subdere debent executiones ecclesiæ Præsulibus, non præferre.*

30. Per erectionem ecclesiæ in cathedralem non tollitur iurisdictio Capituli in suos: Neque verò per erectionem ecclesiæ in cathedralem A. vt arguere vult clericus, extincta est iam dicta Capituli iurisdictio in suos: exemptio quidem, & huiusmodi priuilegia sublata esse aliàs declarauit quidem S. Cong. Interp. vt canonici, alijque suppositi nouum Pastorem, Prælatum, Episcopum, eiusque Episcopalem authoritatem in ecclesia sua agnoscere teneantur.

Cæterùm quoad Capituli iurisdictionem iam antè in inferiores competentem secus dicendum est. *per c. ad apostolatus, de concess. præb. in extrauag. Ioannis 22.* quod in mutationibus, diuisionibus, & erectionibus cathedralium non sit intentionis Pontificiæ derogare iuribus, & iurisdictionibus respectu inferio-
31. Nisi quatenus in literis continetur: rum, *nisi quatenus*, inquit, *in literis continetur expressè, sed vt iurisdictiones obtineant, & exerceant sicut antè.*

Atqui in literis erectionis nulla Capituli in inferiores iurisdictio reperitur sublata. manet ergo. non quidem cum seclusione Episcopi (nam & ei tributam, vtique cumulatiuè, iurisdictionem iam diximus) sed per præuentionem. quia quod non mutatur, cur stare prohibeatur? *l. sancimus. C. de testam.* 32. Sed manet cumulatiuè;

Sicut erectio Concilij Brabantiæ per priores Principes facta, ac renouata per Mariam Burgundicam 6. Iun. 1476. & Maximilianum 14. Ianuar. 1477. non derogauit magistratibus subalternis respectu suorum inferiorum: tametsi ad Cancellariam vt nouum superiorem interponi ceperunt nouæ appellationes; & reformationes. & in erectione præfecti annonæ insigniter decidit *l.1. C. de off. præf. vrbis*, cumulatiuè eam factam esse, & non priuatiuè ad exclusionem præfecti vrbis, *vt inferior*, inquit, *gradus meritum superioris agnoscat, atque ita superior gradus se exerat, vt sciat quid inferiori debeatur.*

33. Nisi per erectionis necessariam consequentiam, vt quod alioquin actui contrariaretur. Vnde quod in prædicta Bulla erectionis disertè non est expressum, neque per necessariam consequentiam, vt casus *c. 16. de maiorit.* infertur in particulari, neque in generali per noua decreta Concilij Trid. Capitulis est ablatum (vt non est iurisdictio competens in suos) ea propter eisdem manet illibatum.

CONSVLTATIO IV.

De custodia & exhibitione reorum.

PEr edictum regium 5. *Iulij* 1570. *super exercitio criminalis iustitiæ*, inter cætera decretum est, vt statim atque de innocentia captiui constare possit dimittatur & absoluatur: redarguens errorem quorumdam, qui falsam laudem ponunt in sæuitia carcerum: cùm vera iudicum laus consistat in expedita causæ cognitione, & iusta absolutione, vel condemnatione: & si per informationes non liqueat de crimine non enormi, sed suspicio tantùm subsit & dubium, vt relaxetur sub cautione fideiussoria, aut iuratoria, pro sua qualitate & delicto: assignato etiam loco, si videbitur, intra cuius fines concludatur, in vicem carceris. 1. Captiuorum causæ mox expediendæ. 2. Si dubiæ, rei vt relaxandi;

Receptumque est aliàs pro iure, quando crimen non est graue, seu ex quo irrogari posset pœna corporis afflictiua, aut tortura, vt relaxatio fiat: præsertim datâ cautione per idoneos fideiussores, de redintegrando carcere, ad arbitrium iudicis. *Bald. & Immol. in l. si quis. D. de test. Clar. lib.5. sentent. §. finali. q.47. numer. 5. DD. communiter in l. 1. D. de custod. reor.*

Et verò vt hæc ante sententiam, & in prima instantia ferè obtinent; ita Pius V. in Bulla 180. cauit, vt si carceratus fuerit condemnatus, siquidem ex propria confessione, nullatenus executionem impediat quæcumque appellatio, fideiussio, aut cautio: sin autem ex probationibus; audiatur quidem appellans, facto actuali deposito, si diues est: sin pauper; (quod iudicis arbitrio committitur) 3. Confessus condemnatus Appellans executionem non impedit, conuictus mulctam de-

punit, aut in formâ depositi cauet. præstitâ cautione in forma depositi, de soluenda pœna, in quam est condemnatus.

Et quamquam sint qui relaxationem negant quando pœnæ infamantes irrogantur; *Boss. tit. de carcerato fideiuss. commit. n.6. & 7.* tamen idem etiam in deportationis, & proscriptionis pœna cautionem admittit *n.9.*

4. Id seruandū in crimine adulterij iuris tantùm canonici. Nunc porrò crimen, de quo agitur, est adulterium iuris canonici, coniugati cum soluta: quod ferè hodie pecuniariter punitur. *Gudelin. de Iur. nouiss. lib.5. c.18. n.18.* & quamquam iudex reum condemnauerit ex probationibus, etiam ad pœnas infamantes; tamen probationes primâ fronte non videntur liquidæ, & plenæ.

5. Etiam cùm pœnæ infamantes sunt impositæ. Præsertim ad effectum pœnarum infamantium; adeoque introductâ appellatione, iudex causâ summariè cognitâ, ac visis actis primæ instantiæ iuxta pragmaticam sanctionem Clementis VIII. *datam 16. Octobris 1600. art.11.* relaxare eum potest, sub forma & distinctione Bullæ Pij V.

6. Præsertim in carceratis. præsertim post carcerem aliquot mensium: qui grauior est toleratu, quàm pœna altera infamans: nisi honor irreparabilis fieret. Et hanc resolutionem magis iuuat, quòd carcer generatim quidem omnibus dicatur mala mansio: sed huic reo septuagenario peior à senili ætate; quæ per se morbus est, & propensione (iudicio medici) ad apoplexiam. cuius euentus iudici ecclesiastico ab irregularitate periculosus est; si reus postmodum absoluendus apparet: sin autem condemnandus; cautio restituet rem; personam sistet; carcerem redintegrabit.

CONSVLTATIO V.

Nullum crimen accusandum ex notitia per confessionem sacrament. habita, etiam de confitentis consensu.

1. DEtectum crimen occasione confessionis sacramentalis non debet in forum contentiosum deduci. confessio enim & naturâ suâ satis molesta, & hæreticorum sibilis iactata, magis odiosa redditur, non tantùm respectu hæreticorum, & in fide nutantium (qui magis per hanc praxim auertuntur) & debilium conscientiarum; sed etiam respectu confitentis, & correi, quem vel nominare confessionis simplicitas atque innocentia vetat. *Nauar. in Man. cap. 7. num. 1. & 2. Malder. tract. de sigil. c. 16. 17.* & confitens cùm ex occulto peccatore, deinde fieri publicum se sentit, quod tempore confessionis in animi illo motu non apprehenderit, valde dolere solet. Quamuis enim talia post peractam confessionem, & petito obtentoque consensu confitentis rogari, sciri, & eliminari dicantur; non tamen apprehendunt talem diuulgationem, & secuturam infamiam, in quam vt non præcogitatam non fertur consensus. ideoque mulierculæ nomen suum non prodi stipulatæ dicuntur; & petitum, vt non nominatis testibus testimonia reciperentur in acta. Ac cùm per sigillum confessionis nihil dicere liceat, quod non pœnitens liberè, & sponte, & ex iusta causa permiserit. *Nauar. in c. Sacerdos de pœnit. dist. 6. num. 151. & in Man. cap. 8. num. 2. & 15. post D. Thomam aliosq́; copiosè allegatos.* & si vllibi requisitio, 2. Præsertim si confessarius quippiam videatur requirere. & preces violentiæ comparari possunt, atque inuoluntarium facere; & cogere qui rogat potentior; nusquam certè magis locum id obtinet, quàm in confitente, animo consternato, & ad omnia proponenda deuoto, præsertim muliercula, eaque infirmo cerebro rogata à suo confessario, quem vt vice-Deum tunc reueretur. 3. Ac in mulierculis. Quem nescio quis excuset, dum quod confitentem spontè atque ex iusta causa facere necesse est, ille inducit eo fine, vt per telam, quam exinde orditur, vindictam referat à correo, à quo se fortè, suosque offensos putet. proinde *Malder. tract. de sigillo. cap. 4.* ne pœnitenti quidem permissum, ait, 4. Sed nec consensus confitenti permissus nisi legitima de causa. praxim consentiendi in reuelationem confessionis, nisi ex causa legitima, vtili, & honorifica confitenti; imo satis necessaria; absit alteri perniciosa. Præclarè profectò Clemens VIII. 26. *Maij 1593.* (*refertur à Quarant. in sum. V. cas. reser.*) sanctèque statuit, vt 5. Scientiâ cōfessionali superioribus in regimine vti non licet. tam superiores, quàm Confessarij, qui postea ad superiorum gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. (omitto priuatos, quibus reorum nulla cura incumbit) & iterum, quò magis ansa huiusmodi praxeos auferatur, ita sancit: 6. Ideoque nec confessiones audire, nisi sponte volētium, & reseruatorum. *Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab ijs petierint.* Quod si eâ scientiâ ad bonum finem & regimen domesticum vti vetet Pontifex; quâ conscientia transit ad tribunalia? vbi non hæc animorum secreta exigit *Innocentius & Concilium œcumenicum in c. qualiter & quando. X. de accus.* 7. Minus licet ad forum sic cognita transferre. sed alios clamores. *Non oportet*, inquit Malderus *d. tractat. cap. 4. sub fin. miscere forum pœnitentiale cum contentioso, & imprudens esset licentia pœnitentis, qui hoc concederet, neque satis ordinata, vt eâ vti sit licitum confessori.*

De

De Magistris.

CONSVLTATIO I.

Onera parochialia ab omnibus parochiæ incolis ferenda, etsi sub alia iurisdictione ciuili sitis, adeoque scholæ, & stipendij præceptoris, &c.

IVris ratio non patitur in controuersiam vocari an vnusquisque sentire debeat onus parochiale, in qua parochia commodum sentit, & ecclesiastica percipit sacramenta. neque enim ferendus est, qui lucrum quidem amplectitur,
1. onus autem ei annexum contemnit. *l. 1. §. pro secundo. C. de cad. tol. l. 1. §. sed cum. C. de furt. c. qui sentit, de reg. iur. in 6. l. secundum. D. eod.* sic maritus, cui dos numerata est, onera fert matrimonij. sic agnatus proximus, cui leges successionem deferunt, ad tutelam vocatus. ob eandem causam *Deuteronom. 25.* præcipitur os bovi trituranti non obligari. & Doctor gentium ad *Corinth. 1. c. 9. si nos vobis*, inquit, *spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* & infra, *nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edant, & qui altari deseruiunt cum altari participant?* & *epist. 2. c. 8. & 9.* collectam commendat, vnumquemq; cõmonet, secundùm id quod habet, ad æqualitatẽ & benedictionem. & iam inde ab initiis ecclesię ab omnibus pro illius ministris, & pauperibus collectæ fiebant. *c. omnis christianus. dist. 1. de consec. ex collectis*, inquit, *sanctorum Patrum liquidò apparet quod omnes christiani offerre aliquid Deo, ex vsu sanctorum Patrum, debent.* dein-
2. ceps collectæ fiebant in singulis parochiis, vbi parochiani omnes dominicis & festis adesse debebant, sub pœna separationis à communione. *per Concilium Constan. 6. general. can. 80.* & si quis in aliena parochia apparebat, abiiciebatur. *per Concil. Nannet. c. 2. X. de paroch.* tum vt quisq; pastor cognosceret vultum pecoris sui, tum ne quis falcem mitteret in alienã messem, alienos fructus meteret, alienam collectam. Sic enim Clemens III. Episcopo Aconensi iubet, vt districtione, quâ conuenit, compellat, ne Prælati ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant. *c. fin. X. de paroch.* ita parochi & alij clerici viuũt ex decimis in eam causam institutis, & ab omni populo soluendis: & vbi ex prouentibus ecclesiasticis prouideri non potest, suppletur ex parochianorum collectis. *Trident. s. 21. c. 4. s. 25. c. 12. Concil. prouinc. Mechlin. anno 1607. tit. 17. c. 3. & edictum desuper*
3. *art. 15. 16.* ita custodes ferè passim pro singulis aratris, aut ad aliam ratam panes accipiunt, aut frumenti certam mensuram. & sic Regulamentum Principum pro reparandis ecclesijs datum in defectum prouentuum ecclesiasticorum ad reparandam ecclesiam declarat obligari parochianos, qui ibidem spiritualia percipiunt alimenta. eadem ex causa à suprema Curia Brabantiæ concessum indultum collectandi omnes parochianos de P. etiam extra fines iurisdictionis sæcularis de P. habitantes. Sic Concordata plurium municipiorum & pagorum exhibita, vbi alij parochiarum, alij iurisdictionum sunt fines, vt pro ciuilibus oneribus intra fines iurisdictionis; pro ecclesiasticis intra fines parochiarum omnes collectentur.

1. Qui sentit commodum sentit incommodum.

2. Collectæ in singulis parochijs pro suis, & à suis.

3. Ita parochi parochiæ decimas, custodes per parochiam collectas ab aratris, &c. habent.

Atque hæc vsque adeo sunt claræ veritatis, vt ipsi Impetrantes apertè fateantur, se vti parochianos de M. contribuere teneri in omnia onera parochialia, quæ tamen purè, vt volunt, & simpliciter sunt ecclesiastica. qualia omninò censenda sunt fabricæ, quatenus vt qualiscumque ad parochianos pertinet reparatio, organorum, & organistæ stipendium, quorum in ecclesia nullus vsus est nisi ad rem diuinam, purus & simplex vsus est ecclesiasticus, ad prophana abusus sacrilegus foret.

Solum plausibiliter dubitari potest, quid statuendum sit de scholis, & stipendio ludimagistri? ad ius parochiale & ecclesiasticum, 4. an ad politicum & ciuile pertineat?

Scholas & disciplinas inter res sacras à veteribus habitas fuisse id argumento est, quod bibliothecis in Deorum templis locum passim darent. vt & Asinius Pollio Romæ in phano Herculis. &, qui artium doctores fuerunt, penè sacerdotes essent; vt in Ægypto quidem: quo Homerus, Solon, Thales, Plato discendi 5. causa concesserunt. & apud Gallos Druides fuerunt, & sacrorum & disciplinarum antistites. Vnde & D. Paulus *ad Ephes. 4.* de Christo agit, *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij.* ad cuius doctrinæ conformitatem iam inde à primitiua ecclesia institutæ ecclesiasticæ scholæ, ad clericorum aliorumque eruditionem. Sic in Alexandrina 6. ecclesia consuetum fuisse scribit Eusebius *lib. 5. hist. c. 10.* sic Eugen. II. in Synodo mandat, vt in vniuersis Episcopijs, plebibus, & aliis locis in quibus necessitas occurrerit, omninò cura & diligentia adhibeatur, vt magistri & Doctores constituantur, qui studia literarum, liberaliumq; artium dogmata doceant. *c. de quibus-* 7. *dam. d. 37.* non sacram tantum Theologiam, sed studia etiam literarum. quæ quamuis non sint scientiæ pietatis; tamen Grammaticorum etiam doctrina potest proficere ad vitam: dum fuerit in meliores vsus assumpta. *c. si quis. c. relatum vtrobique in fin. d. 37.* quo fine ecclesia has artes docere voluit. eoque reprehendit D. Hieronymus Episcopos, atque presbyteros, qui suos secularibus literis erudiebant, & faciebant comœdias legere, & mimorum turpia scripta cantare, &, quod fideles obtulerint, in kalendariam strenam, saturnalitiam sportulam, & mineruale munus Grammatici conuertebant. *c. legant. ibid.* seposito enim abusu nõ prohibendas seculares literas docet Beda. *alioquin*, inquit, *nec Moyses & Daniel sapientia, vel literis Ægyptorũ paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones simul & delicias horrebãt: nec ipse magister gentium aliquot versus Poëtarũ suis vel scriptis indidisset, vel*

4. Scholæ & stipendium ludimagistri, an rem politicam an ecclesiasticam spectent?

5. Sacerdotibus olim commissa.

6. Initio etiam rei Christianæ.

7. Non cura tantùm literarum sacrarum, sed etiam liberalium.

8. A Principibus etiam Christianis.

dictis.c.turbat.ibid.& tēpore Clodouæi I.Francorum Regis Christiani disciplinæ omnes & scholæ Episcopis & clericis fuerunt commissæ.Item à Ludouico Pio *l.2.ordinat.art.5.* ad clerum, *scholas sane*, inquit, *ad filios instruendos sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis iniunximus, in congruis locis ad multorum vtilitatem, & profectum, à vobis ordinari non negligatur.* vbique ergo ab Episcopis &

9. Inde Scholastici dignitas ecclesiastica.

Capitulis studia curabantur. Vnde in plerisque collegiis dignitas seu officium scholarcharum natum est.studiaque adeò propria reddita clero, vt literati, *clerici* vocarentur;& qui ex togatis ad Senatum Regium vocabantur, consiliarii

10. Clerici dicti olim omnes literati.

clerici nuncuparentur. Vnde paulatim dilapsis ad Aulam clericis, ad monasteria literæ transierunt; præsertim vetusti Ordinis S.Benedicti; vt historiæ passim referunt. sed vergente semper in peius tempestate, & hic minus coli musæ, & ingratæ hospites esse ceperunt. vt tandē

11. Concil. Later. in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis Scholas esse voluit, & prouentibus ecclesiasticis foueri ludimagistros.

opus fuerit animaduersione Concilij Lateranensis, seuerè mandantis per vnamquamque Cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem & Scholares pauperes gratis doceret, competens aliquod beneficium præberi: causamque constitutionis edicit, quoniam tenetur ecclesia Dei prouidere, ne legendi, vel proficiendi opportunitas subtrahatur. *c.1. X.de magist.*quod extendit Innocent.III. *in c.quia ibidem.* ad omnia collegia quorum sufficere poterunt facultates: vt ibidem à Prælato cum Capitulo constituatur magister; qui clericos in Grammatica facultate, & alios instruat: & ex fructibus præbendæ stipendium capiat. quod si autem pluribus Metropolitana non sufficiat; Theologus in Metropoli, in alia ecclesia Grāmaticus alatur, quibus consonat *c.vlt.ibid.* omnesque ibidem decretales vel de ecclesijs loquuntur, vel ad Episcopos diriguntur: quasi ea res ad eos pertineat: toto autem titulo inhibetur, ne pro docendi licentia pretium exigatur; quasi doctrina spiritualis sit. de qua etiam illud accipiendum sit *gratis accepistis, gratis date.* alioquin canonicis pœnis subduntur, quasi Simonis discipuli.*c.1.2.3.ibid.* indubio argumēto, quod tota scholarum & disciplinarum ratio ecclesiastica sit. Sic & Concilium *Maticen.c.3. X. de vit. & hon. cler.* in omni parochiali ecclesia scholam haberi, & pueros erudiri voluit.

12. Et formula reform. Carol. V. in Germania.

Vnde & Carol.V.in formula reformationis Statibus ecclesiasticis in Comitiis Augustanis proposita, probataque 14.*Iunij* 1548. quæ non nisi de rebus ecclesiasticis est, reformationem scholarum isti Statui commēdat, *debent*, inquit, *singula Collegia secundùm Decreta Conc.Lateran. vt parua fuerint vel magna, ita scholas paruas vel magnas, & pædagogos incorrupta vitæ, à quibus tam christianæ pietatis prima principia, quàm literarum rudimenta incontaminata adhuc, & quorūlibet studiorum capax iuuentus hauriat, &c. sed vbi collegia non sunt, debent in singulis ciuitatibus esse scholæ, quarum magistri boni, honesti, & docti sint.* nec dissimiliter refert Chopin. *de sacra polit. l.1. t.5.nu.12. nostra*, inquit, *memoria sacratus Ordo Gallicus obtinuit à Principe, vt sanciretur edicto, literaria pubis institutio, mercesq; institutoris, & censu ecclesiastico, non tantùm in profana vulgi schola pagatim ac oppidatim, sed in singulis quoq; monasterijs, articulo 20. Aureliana, 25. & 26. Blesensis constitutionum regiarum.* quę in maioribus Franciæ Comitijs latæ sunt an.1560. & 1579.

13. Conc. Trid. Seminaria.

quibus optimè omnibus succenturiatur Conc. *Trid.s.23.c.18.* Seminariorum erectionem, ex prouentibus ecclesiasticis dotationem, alumnorum electionem, institutionem, grammatices, aliarumque bonarum artium, disciplinæ curam omnem, tam sedulam Episcopo & clero iniungit, fructus beneficiorum pro stipendijs decimari, quin & vacantia simplicia vniri mādat. atque exinde Concilium primum Prouinciale Mechl.

14. Omnesque hic Synodi de scholis statuunt.

de scholis tit. de sem. tit. de scholis. & tit. de dominical. scholis. & alterum anni 1607. *tit.* 20. de scholis tam quotidianis, quàm dominicalibus seriò agit, erectionem, restitutionem tam enixè commendat Episcopis, & subsidiarijs eorum ecclesiasticis personis; scholarchis, Archipresbyteris, Decanis Christianitatis, pastoribus, institutionem, visitationem annuam, stipendium, examen, admissionem, professionē fidei, libros prælegendos, & si quid aliud similis curæ est. neque exstare creditur vllum Belgii Concilium prouinciale, aut diœcesanum, quod non similem curam tamquam propriam, & non alienam assumpserit. Antuerpiense sanè, sub quo partes degunt, primum *anni* 1576. & secundum ann.1610. non omisit. Principes *in edicto ad Synod. Mechl. art.* 19. iubent magistratibus, vt in scholis dominicalibus erigendis, & stipendijs, subsidio sint iuuandis Episcopis.

Atque hæc quidem altius repetita, & latius deducta sunt, quo planius liqueat scholarum, disciplinarumque rationem natura sui, atque vsu perpetuo ecclesiæ, ecclesiasticam esse; de ea ritè ac more maiorum ecclesiasticos statuisse: quod frustraneum fuisset, si non ad eos pertinuisset: nam statuta sumunt vires à potestate statuentium, & secundùm illam mensurantur. *c. à nobis. X. de sentent. excom. l. fin. D. de iurisd. omn. iud.*

15. Sed & leges ciuiles.

Verum enimuero quoniam & leges de studiis mentionem faciunt. *l.vn. C. d. stud. lib. vrb. Rom. C.*11. *tit. de professor. C. l.*10. videri potest hæc res mixtæ considerationis esse. quemadmodum *Auth. habita. C. ne fil. pro pat.* scholaribus Iudicem assignat Episcopum, vel loci Magistratum, & scholæ Rectorem. *Vide Charond. lib.6.resp.*195. Verumtamen vt id concedamus in scholis communibus, non potest vllatenus in iis locum habere, quas Conc. Lateran. ac similia mandant ab ecclesia erigi, & censu eccle-

16. Sed Parochiales scholæ censu ecclesiastico dotatæ omninò ad curam episcopalem, & parochialem pertinent.

siastico prouideri, neque plenè in parochialibus, quæ ipso nomine suo se produnt, vt parochiæ sint, ac ecclesiasticæ natura, atque effectu, vt parochia; præsertim si nomen ipsum, usum, obseruantiam, consuetudinemque habet conformem. Quibus & ratio suffragatur; vt sicut in templo suo parochiali ad sacra debet populus conuenire. *c.2.X. de paroch.* vt pastor quilibet noscat vultum pecoris sui. ita & pueri in scholis suis facilius veniunt in notitiam sui parochi,

rochi, qui & intendere debet vt illic non rudimenta tantum literarum; sed & fidei doceantur, atque cathecismum. *Concil. Trid. s. 24. c. 4. §. moneatq́. §. ijdem.*

Primùm igitur constat scholam, de qua quęstio in cœmiterio ædificatam esse, adeoque soli istius naturam adeptam illi cedere, illius partem censeri. *Quæ religiosis*, inquit, *l. 43. D. de rei vendic. adhærent, religiosa sunt.* 2. Ex sacris fabricæ, mensæ S. Spiritus, & xenodochij prouentibus fuisse structam; & ann. 1613. venditis bonis quibusdam ecclesiasticis restitutam.

17. Ideoque quod deest supplendum à parochianis, etsi sub alia ciuili iurisdictione habitantibus. vt cætera ecclesiastica cum alijs onera ferunt.

3. Huc vsque ab an. 1475. (quando cum monasterio L. transactum, quid monasterio ex causa decimarum, quid parochiæ incumberet onerum sacrorum) sartam, tectam, seruatam, & ex sacris prouentibus, & ex eisdem stipendium ludimagistro solutum, quantillo olim opus fuit. procul dubio quia non alius animus aut sensus maioribus per annos amplius 150. fuerit, quàm quod scholæ onus esset ecclesiasticum: nam alioquin sacrilegum fuisset in profanam diuertere sacros hos prouentus. quod tam infame est dicere; quàm temerarium mutare ea, quæ certam semper per sesquiseculum interpretationem habuerunt.

Cùm & constet Impetrantes similiter ad ornamenta, organa, campanas, organistę stipendia aliaque similia onera iam olim contribuisse, & quotannis etiam nunc contribuere ad lampadem sacram, canapem ad funes companiles necessariam, ad stationariorum Prædicantium subsidia, parochi iura, custodis frumentarias annonas, procurationem, seu iura Decani Christianitatis visitantis parochiam de M. pro capella vici Impetrantium, denique omnia onera subeunt Impetrantes realia, & personalia, quæ reliqui districtus istius parochiæ: assumuntur in rectores fabricæ, xenodochii, ac mensæ S. Spiritus, vt reliqui parochiani, sine vllo præmio aut stipendio: vice versa Impetrantes in ecclesia M. ecclesiastica percipiunt sacramenta viui, & mortui suo ibi iure sepeliuntur, fruuntur omnibus diuinis officiis, quæ à parocho, capellanis, custode, ludimagistris & scholaribus fiunt, subsidia eorum pauperes, vt cæteri, habent ex xenodochio, & mensa S. Spiritus, in confraternitates ecclesiasticas adleguntur, denique per omnia genera indiciorum parochialium, realia & personalia, actiua, & passiua, vsque ad liba exequialia puerorum scholarium, & didascalorum didactra & minerualia simpla, cum exteri dupla soluant, Impetrantes cum reliquis parochiæ incolis pari passu ambulant, solo iure, & nomine parochianorum.

Vnde vt pro Impetrantibus viuis & mortuis communiter & singulatim à ludimagistris & scholaribus etiam in capella vici de H. omnia diuina in cantu ac aliàs fiunt, quæ præ cæteris parochianis M. sine alio stipendio. conductionis siquidem lege ludimagistri ad illa obligantur. Ideoque æquum est, vt qui hæc officia præstant, ab iis alantur, quibus ea proficiunt.

Quamobrem more atque sensu maiorum anno 1613. Episcopus Antuerpiensis, & Archidiaconus, atque ipsæ tum partes, nunc litigantes, totam hanc rem habuerunt inter res ecclesiasticas, conueneruntque, vt præter organa, turrim, aliaque onera ecclesiastica, etiam schola ita haberetur, donec generali Principum aut Synodorum declaratione secus de schola decerneretur.

18. Seruandaq́; transactio coram Episcopo & Archidiacono desuper inita.

Quæ transactio eò minus pati potest aliquam rescissionem aut restitutionem; quod coram Episcopo, adeoque iudice in hac causa, atque inter has partes, facta sit. qualia acta omnem firmitatem obtinent. *l. siue apud acta 27. C. de transact. l. pacta 12. C. de pact.* quia pro re iudicata sunt; ideoque nec restitutionem admittunt. *l. 2. C. quando prouoc. non est neces.* præsertim in transactionibus, vbi solus dubius euentus restitutionem excludit; *l. de fideicommisso. C. de transact. l. si ea lege. C. de vsur.* etsi quadruplo pluris sit res. *l. Lucius. §. vlt. D. ad Trebell.* tantò hic magis, quod hic secundùm ius transactum sit, quod idem imponit quod transactio; & quod pluribus inde secutis solutionibus, geminatisque adeo approbationibus firmata sit; aduersùs quas non datur restitutio. *Tusc. V. Geminatio actus concl.* 28. sed & restitutio à Republica seu Communitate intra quadriennium à tempore læsionis, quod pridem hic effluxerat ante huius actionis institutionem, petenda est. *l. respub. C. quibus ex caus. maior. l. fin. C. de temp. in integ. rest.* neque edictum *an. 1611. ar. 29.* vt Impetrantes allegant longius tempus decennij scilicet concessit; sed longiora tantùm tempora ad decennium restrinxit.

19. Quæ vtpote coram iudice inita rescindi nequit:

20. Et ob dubium euentus:

21. Et iuris conformitatem:

22. Et geminatas per solutionem probationes,

23. Et lapsum quadriennij:

24. Quod edictũ 1611. non extendit.

Neque refert quod Impetrantes etiam alio in pago collectentur: id enim ad onera patrimonialia, aut ciuilia munera pertinet: aut si per iniuriam fit, aliâ iustâ obligatione non liberat. imo potior iuris ratio permitteret, vt taliter habitus bis solueret, quàm iustum debitum effugeret, tamquam ex duobus minus malum: præsertim in huiusmodi extraordinarijs oneribus, vbi & casus admissi sunt, quibus aliquis bis, seu duobus locis collectam soluat. *l. 1. C. de municip. l. 10. l. 5. C. de incol. cum*, inquit, *d. l. 1. te Biblium origine, incolam apud Berytios esse proponas; merito apud vtrasq́; ciuitates muneribus fungi compelleris. Incola est*, inquit *l. pupillus. D. de verb. signif. quem Græci paræcum vocant:* iure ergo parochiali ad onera parochialia subditus cogi etiam per censuras potest. *c. fin. X. de paroch.*

25. Nec refert quod quis alibi etiam in ciuilibus, aut per iniuriam collectetur.

Præsertim accedentibus causis de quibus supra, vt in sacro loco scholæ ex sacris reditibus sunt structæ, sartæ, tectæ, intertentæ; scholæ magistro soluta stipendia, pro ecclesiastico ædificio, munereque semper habita, & ad diuina ministeria officiaque instituta, directa cum magistro & scholaribus subeunda, vt meritò consideretur quod maximè fit: *l. 3. & seq. D. de leg.* magis dignum trahat ad se minus dignum: *l. quæ religiosis. D. de rei vend.* & quod præualet omninò attendatur: *l. 10. D. de statu hom. c. si testes. §. Hermaphroditus 4. q. 3.* neque discedatur à sensu maiorum, qui scholas, iuxta Concilia superius allegata, oppidatim & pagatim iuxta templa struxerunt, ludimagistro in vicem præ-

26. Magis dignũ trahit ad se minus dignũ, Ideoque in re mixtæ considerationis præualet ecclesiastica, & vetus obseruantia.

bendæ, vbi ea non est, ex reditibus fabricæ stipendium assignarunt, ut ubi hi desunt, per parochialia symbola prouideatur.

CONSULTATIO II.

De Lectore theologo.

1. Præbenda per Ordinarium re ipsâ designari, seu applicari pro lectore debet.

TAmetsi ex verbis Conc. Trid. *s.5.c.1.* præbenda primò post publicationem vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctū non sit, ad vsum lectoris Theologi in cathedrali ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur; tamen actualem Episcopi deputationem requiri, ex declaratione summi Pontificis, vel Cardinalium Concilij Interpretum ferè receptum videtur. *sentit ita post Garciam de benef. p.5. c.4.n.154.& seq. Barbosa in Collect. ad Trid.d.s.5.c.1.n.22.& de off.episc.p.3. alleg.56. & ideo,* inquit, *si in prouisione præbendæ non fuit facta actualis deputatio, non potest prouisus compelli obire munus lecturæ ex eod. Garciâ proximè citato,& in Declarationibus variarum impressionum ad d.c.5.* hæc habetur: *S. Dominus noster sentiens hoc decretum Concilij esse conditionatum,& requiri prius declarationem,& actualem deputationem Episcopi, vt scilicet ea præbenda sit theologalis; respondit valere collationem præbendæ, quæ primò post Concilium vacauit, factam personæ minus idoneæ ad sacram scripturam per se ipsum interpretandam, si nondum illa præbenda actu fuerit deputata in theologalem.* idemque sentiendū est de alijs præbendis antè collatis quàm actu aliqua fuerit deputata, vt prima demum post deputationem onere illo afficiatur. neque enim Episcopus, qui semel distulit, perpetuò excusatur ab implemento decreti; sed semper exinde potest, & quamprimum debet illud exequi. quemadmodum qui exspectatiuam habet ad primam vacaturam, si non sit in culpa, etiam secundam obtinet. *c. si clericus. 11. de præb. in 6.* quemadmódum in erectione nouorum episcopatuum Belgij per turbarum ciuilium impedimenta, non vbique nouem primæ vacaturæ graduatis fuerunt affectæ, vt diplomata iubebant; sed quæ sublatis impedimentis exinde vacauerunt. neque vltimò prouisi prioribus super eo onere controuersiam mouerunt, & minus possunt ij, qui vel graduatam, vel theologicam præbendam, vt talem, acceptarunt, onerique se voluntariè subiecerunt.

2. Alias ante facta collatio valet.

3. Statuit Ordinarius, quoties legere, & quid debeat, quando vacare possit, & similia:

Quoties vero per hebdomadam lector legere, vel quanto tempore debeat; vel quas per annum vacationes habere possit; non est in Concil. Trid. expressum: relictum ergo censendum est arbitrio boni viri; hoc est Iudicis, Episcopi, vel Superioris. Assiduè doceant, inquit c. de quibusdam. 37. *dist.* vbi glos. id accipit de temporibus competentibus. hac in re tamen idem Garcias ita habet; *censuit sacra Congregatio quod de tempore, & hora, & materia scripturæ, Theologiæ, quæ in sacra scriptura continetur, super qua legendum sit, relinquitur arbitrio Ordinarij.* & quod potest ipse lector vacare à lectione tribus mensibus, Iulij, Augusti, & Septembris. *sequitur Barbos. d. alleg. 56. n. 7. & in Collect. n. 3.* quodque hi menses tamen in calidis Italiæ regionibus fortè intelligendi sunt, atque alibi magis statuendi ex arbitrio Episcopi: cui decretum illud committit eam rationem inire, quæ ecclesiæ suæ, & diœcesi sit accommoda. quemadmodum idem Trid. *s.23. c.18.* vbi de Grammatica, sacrà Scripturà, libris ecclesiasticis, &c. in Seminarijs docendis ita subiungit; *quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum, & grauiorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent: eaq; vt semper obseruentur, sæpius visitando, operam dabunt.* ita quidem etiam trium mensium spatium accipio, vt, sicubi strictior fuerit docendi ratio, solui non debeat. sicut idem Tridentinum *s.24. c.12. §. præterea.* ita canonicis trimestrem absentiam permittit, vt longiorem deneget; breuioris statutum probet. ad eúndemque modum statutum, quod dicit lectorem in docendo negligentiorem moneri debere, &, si contingat eum abstinere per trimestre, mulctari parte fructuum, siquidem d. decretum *c.1.* Ordinariis facultatē facit lectorem ad scripturæ expositionem per substractionem fructuum cogendi: vtique pœna, & substractione commensuratâ culpæ, seu in docendo negligentiæ: ac tali omnimodò ratione, *ne pia,* inquit *d.c.1. hæc vtilis atque fructuosa prouisio quouis quæsito colore negligatur.*

4. De consilio deputatorū pro Seminarij directione.

CONSVLTATIO III.

De Seminarijs.

1. Præcepta à Tridentino Concil.

PErquam seriò Seminariorum erectionem, gubernationem, ac dotationem commendauit atque præcepit Conc. Trid. *s.23. c.18.* erectionem quamprimum fieri voluit; & negligentiam Ordinariorum per Superiores, aut Synodos prouinciales suppleri: gubernationem iisdem Ordinariis commisit: qui præter suggesta à Concilio alia, quæ ad disciplinam & bonum regimen viderentur conferre, præscriberent; & obseruari per annuam visitationem, atque aliàs curarent: de consilio quidem duorum de Capitulo, seniorum, & grauiorum: dotationem autem, per portionem aliquam ex omnibus, & quibuscumque prouentibus ecclesiasticis detrahendam, beneficiorum simplicium vnionem, atque aliàs: sed rursum de consilio duorum aliorum de Capitulo, & duorum de clero; coram quibus etiam annuæ redderentur rationes. Sex ergo sunt quorum cōsilio Ordinarius vti hic iubetur. primo illi duo seniores, & grauiores, à solo Episcopo eliguntur; quos consulat in regimine; ex quatuor vltimis duo itidem ab eo, vnus à Capitulo, vnus à clero: quos non oportet iam seniores esse, & grauiores; sed in re œconomica benè constituenda,

2. Instituenda & regenda ex consilio duorum de Capitulo.

3. Dotāda per detractionē ex beneficijs & vnionem simplicium.

4. De consilio aliorum quatuor, qualium & qualiter eligendorum?

tuenda, benè seruanda versatos: quippe ad cuius causam assumuntur. sed ferè horum quatuor hic non est vsus, vbi ea quam diximus detractio per iniuriam temporum ex prouen-

5. Consilio, nõ consensu.

tibus ecclesiasticis vsquequaque fieri non potuit: translata & horũ functione in duos priores, qui omnes tamen vocem dumtaxat deliberatiuam non decisiuam habent: vt requirere quidem eorum consilium Episcopus, non sequi teneatur; sub pœna nullitatis, si eo neglecto vnio vel detractio facta fuerit. electio autem Capituli est cathedralis, & cleri ciuitatis;

6. Ex Capitulo & clero ciuitatis, alibi aliter.

non diœcesis: nisi fortè, si alio in loco etiam erigatur Seminarium (quod laudat d.c.18. *sub fin.*) canonici aut clerici illius loci vocentur. electi autem perpetui sunt: nisi legitima suboriatur caussa amotionis. *Barbos. & citati ad d. c. 18. in Collect.* & dum hisce negotijs vacant ex officio sibi attributo, distributionibus ecclesiæ non priuantur. *moneta ibid. citatus.* quod excutiendum est secundùm illa, quæ diximus *in Iur. pont. nou. anal. de cler. non resid. n.* 40. *& seqq.*

7. Pueri assumendi qua ætate?

Pueros ad Seminarium vocat Concilium, vtique qui in puerili sunt ætate. *l. pueri. D. de verb. signif.* quæ ab infantia finita incipit, vsque ad pubertatem extensa; plenam vtique in masculis octodecim annorum, *vt in l. Mela. D. de aliment. legat.* non tantùm; sed sicut quousque testator voluit *in d. l. Mela*, ita hîc quousque Concilium intenderit: quod cum voluit pueros assumptos sacram etiam scripturam doceri, vtique ad iuuenilem etiam & maiorem ætatem extendit.

8. Docenda grammatica, aliæque bonæ artes, maximè Theologia.

Et quidem Concilium in eo puerorum collegio, & Grammaticam aliarumque bonarum artium scientiam doceri voluit; adeoq; & Poësim & Rhetoricam, nec minus Philosophiam; quæ inter bonas artes refertur, & clauis est, atque introductio ad altiores scientias, atque Theologiam imprimis: quam cum præcipuè intendat Concilium, vtique & Philosophiam præcipit, tanquam necessarium medium, sine quo transitus non datur ad sacratiora illius adita. quamquã ferè hic passim pueri ad lectiones, quæ alijs in scholis habentur, exeant; & alicubi pro altioribus scientiis in Vniuersitate studiorum Seminarium fit prouinciale, pro opportunitate cuiusque loci, quam Concil. *d. c.* 18. *in fin.* moremque regionis pro iudicio Episcoporum admittit seruari. iubetq; doceri *in §. deinde, versic. docebunt, quæ Episcopo videbuntur expedire.* quare cum bellum & mortalitas ann. 1604. raritatem fecisset sacerdotum, visum fuit in Seminario Antuerpiensi non nisi Theologos alere, quos non oportunitas dumtaxat, sed necessitas exigebat promptius emitti in messem Domini. quod etiamnum seruatur, cùm exundat studentium humanioribus litteris numerus; qui non erat tempore Concilij Tridentini, aut Lateranensis. *de quibus in Decretalibus, & Sexto, tit. de magist.*

9. Detractio quomodo, & ex quibus facienda?

Detractio ergo fit de quibuscumque prouentibus ecclesiasticis, mensæ primum episcopalis, & Capituli: integris quidem, deductis oneribus, ac pensionibus: quæ tamen, qua parte ecclesiasticæ sunt, ad proportionem taxantur; titularis tamen totam taxam soluit, & ratam à pensione deducit: nisi specialiter ab hoc onere pensio sit exempta, totumque onus titulari relictum. *Barbos. n.* 55. *& seq. in Collect. ad d. c.* 18. ita vt nullus sit exemptus, nec Cardinales quidem, quin beneficiorum eorum prouentus ad contributionem vocentur. si quis tamen Abbas v.g. in suo districtu iam antè erexerit Seminarium proprium, non tenetur contribuere pro diœcesano. Et de fructibus quidem dixit Concilium, quia distributiones quotidianæ exemptæ sunt ab hoc onere; vt & incerta accidentia, eleemosynæ, & legata, pro celebratione missarum. vt & sunt hospitalia, quæ non dantur in titulum, aut administrationem, nec ecclesiastica censentur. si enim sunt talia, quamuis per laicos administrentur, vt & fabricæ, & decimæ à laicis possessæ, ex quibus soleant onera ecclesiastica pendi, subiacent contributioni. vt omnia satis enarrat textus Concilij, qui Mendicantes tantùm excipit, & equites S. Ioannis Ierosolomitani: sed etiam hi sunt exempti plenius, quàm illi; vt ne quidem beneficiorum ratione ipsis aut Vicarijs vnitorum teneantur ex Bulla Gregor. XIII. *incip. quo magis* 1580. *& decisum* 4. *Decembris* 1630. illi autem obligentur ratione beneficiorum vnitorum, multò magis aliorum Ordinum monasteria, quæ beneficia habent annexa: quæ ipsa tamen de alijs suis etiam prouentibus contribuunt, quamuis etiam ad Seminarium sui Ordinis conferant; sed tum de eo, quod superest, secundùm taxam diœcesanam, eo Ordinis onere deducto. quin nec moniales excipit textus, quin de suo contribuant, neque clericos Cameræ Apostolicæ: quamuis resolutiones contrariæ citentur, ex posterioribus fortè priuilegijs. & textus quidem Concilij ita in rem conceptus est, vt detractio fiat ex fructibus & prouentibus; vt videatur respicere situm bonorum, vt illius loci Seminario teneantur contribuere, quamuis titulus alibi sit erectus. tametsi secus decisum aliquando referatur. *quibus omnino de rebus videri possunt Barbos. & citati in Collect. ad d. c.* 18.

Vnio autem beneficiorum simplicium, quod est alterum medium dotandi Seminarij, fieri permittitur admodum liberaliter. 10. Vnio quorũ & qualiter?

beneficia, inquit Concilium, *cuiuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, etiam ante vacationem, sine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic collegio applicabunt, & incorporabunt. quod locum habet, etiamsi beneficia sint reseruata, vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum vniones, & applicationes suspendi, vel vllo modo impediri possunt, sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in Curia effectum suum sortiantur, & quacumque constitutione non obstante.* Consultò mandat fieri Concilium hanc vnionem, seu de consilio electorum quatuor. non ergo opus est omnia primò vacatura vniri, sed despiciendum est, quæ magis vniri expediat. nec permittit Concilium confusè vniri omnia; sed *aliquot*, inquit, *simplicia*, tamen; alioquin cuiuscumque

iuſcumque qualitatis, & dignitatis; adeoque & regularia, quæ ſimplicia ſunt. nam vt detractio ex fructibus priori textus parte locum habet in regularibus; ita etiam vnio, ſi ſimplicia fuerint. nam ea verba *cuiuſcumque qualitatis*, ad regularia etiam ſpectare dicendum eſt. ideoque Conc. *ſ.* 24. *c.* 15. dum permittit vniri ſimplicia beneficia, *non tamen*, inquit, *regularia:* at hic, *cuiuſcumque qualitatis*, inquit. & *eadem ſ. c.* 13. tenuibus cathedris non permittit vniri monaſteria illa, in quibus viget regularis obſeruantia. quippe quæ non poſſunt eſſe non curata, quæ ibidem etiam vetat vniri. ſed & canonicatus collegiatarum propriè ſimplicia non dicuntur; quamuis alicubi reſidentia ſit relaxata; adeoque nec hic comprehendentur. præſertim cùm paulò antè textus præbendas diſtinxerit à cæteris beneficijs, vbi agit de detractione: eodem ergo ſenſu verborum accipienda eſt pars textus, quæ agit de vnione. Ea porrò, quæ ad ius patronatus laici pertinent in generali diſpoſitione non cenſentur comprehenſa, vt diſertè excipiuntur. *in d. c.* 15. *ſ.* 24. eccleſiaſtici autem patronatus non poſſunt non videri comprehenſa ſub verbis, *cuiuſcumque qualitatis.* Quæ etiam comprehendunt litigioſa: dummodo, vt requirit Concilium, vt vnio fiat ſine præiudicio obtinentium, ſic fiat ſine præiudicio litigantium. & quamuis litigioſa non impediantur vniri nomine reſeruationis; tamen nec litigium habet annexum vniendi impedimentum; & Concilium, vt reſeruatione, vel affectione vnionem, ita nullo aliomodo impediri ſtatuit, non ergo litigio.

Reſeruata porrò etiam ante vacationem ſine obtinentium præiudicio vniri poſſe diſertè ſtatuit Concilium. vbi verbum illud *etiam* ſignificat multò magis data iam vacatione vnionem permitti. quod etiam locum habeat, etiamſi beneficio ſint reſeruata vel affecta. & rurſum omninò *quacumque vacatione etiamſi in Curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumq; conſtitutione non obſtante.* dummodò proceſſum non ſit ad vacantis reſeruati collationem, antequam Ordinarius vnioni manum admouerit, vt diximus plenius alibi. vt ſuſpectæ ſint deciſiones contrariæ, quæ per citatos à Barboſ. *in Collect. ad d. c.* 18. *n.* 24. *& ſeqq.* allegantur, quorum authoritate facilè quis abductus fuerit. ſed veriſimile eſt natas huiuſmodi reſolutiones ex alijs circumſtantijs v.g. aliquorum priuilegijs poſterioribus, aut quod Ordinarius beneficia ſuo menſe vacantia non vniens voluerit vnire vacantia menſe reſeruato, quam fraudem vnioni obſtare, *poſt Garciam ibid. n.* 42. ſcripſit Barboſa. vbi & de cæteris ferè quæ mox tractauimus.

De Hæreticis.

CONSVLTATIO I.

De hæreſis probatione, purgatione.

Antequam reſolutioni cauſæ propoſitæ nos accingamus præmittendum eſt in negotijs fidei, hæreſis, hæreticorumque inquiſitione multa ſingularia eſſe recepta. proceditur ſimpliciter, & de plano, ſine aduocatorum ſtrepitu ac iudiciorum figura: *c. ſtatuta.* 28. *de haret. in* 6. accuſatorum & teſtium nomina non publicantur, ſi quod reuera periculum eis creandum timetur, ſed eo ceſſante publicatio fit. *ibidem.* §. *ceſſante.* multâ ſinceritate in hoc negotio opus eſt; *ibidem &* §. *cæterum*, multâ cautelâ; *c. vt offic.* §. *verum. eod. in* 6. adeoque inuentum Inquiſitorum officium, vt communibus operis illorum, & Epiſcoporum fides iuuetur; quas vt communicare inuicem debent, *d. c. ſtatuta*, ita Inquiſitorum commiſſio iuriſdictioni Ordinariorum non derogat. *c. per hoc. eod. in* 6. vt ſolent nouæ commiſſiones cum veteribus cumulatiuè non excluſiuè concurrere. 1. In negotio fidei proceditur de plano. 2. Accuſatores, & teſtes non publicantur, ſi ſit eis periculum.

Sed propius ad rem noſtram præmittendum eſt, quod in controuerſia hæreſis teſtes alioquin inhabiles admittantur, *c. in fidei. de haret. in* 6. *c. accuſatus ibid. in fidei*, inquit, *fauorem excommunicati, participes, & ſocij criminis ad teſtimonia admittuntur.* ſed præſertim in defectum aliarum probationum: & probant hic igitur non idonei alibi teſtes: ſed ita, ſi ex veriſimilibus coniecturis, numero teſtium, & qualitate perſonarum, aliiſque circumſtantijs ſic teſtificantes falſa dicere non præſumantur. *ita d. c. in fidei.* 3. Teſtes inhabiles admittuntur, & qui? 4. Excommunicati, ſocij.

Igitur excommunicatus, *d. c. in fidei. c. præſidentes. eod. in* 6. hæreticus (dignus quippe litigatore teſtis, *l. quoniam. C. de haret.*) & quod mirum, atq; in hac cauſa valde agitatum, etiam periurus; *d.* §. *licet.* ſub ratione tamen *in d.* §. explicita; ſcilicet cùm liquet non animi leuitate, odij fomite, corruptione pecuniæ, ſed zelo fidei deponere. Ergo vt vacillans & varians, *vt in d.* §. *licet.* criminis ſocius, *d. c. in fidei*, iterum & Iudæus contra chriſtianum, *c. contra chriſt. eod. in* 6. non tantùm vniuerſim à fide apoſtatantem, ſed & in articulo vnico deſciſcentem: rurſus conſanguinei admittuntur, & coguntur: *gloſſ. in c. liter. verb. de fratre. X. de præſum. Maſcard. de probat. verb. haret. conc.* 857. *n.* 16. frater contra fratrem, filius contra patrem, vxor, aliique domeſtici, *ſecundùm eundem n.* 18, 19. *& ſeq.* non tamen inimicus, præſertim capitalis, & cauſa præuia, non affectata: *idem Maſcard. num.* 40. *& ſeq. vſque ad fin.* niſi recenter ſit reconciliatus, *c. accuſ.* 3. *q.* 5. & verò *c. per tuas.* 32. *X. de ſimon.* (quod crimen con- 5. Hæretici. 6. Periuri. 7. Varij. 8. Iudæi. 9. Apoſtatæ. 10. Conſanguinei. 11. Non inimici.

conformibus cum hæresi regulis consistit) valde moraliter in hisce Iudicē instruit, quo nec innocentiæ puritas confusa succumbat, nec simoniæ aut hæresis prauitas effugiat impunita.
12. illasque dumtaxat exceptiones probandas admittit, quibus testes non zelo iustitiæ, sed malignitatis fomite processisse constaret; vt conspirationes, & inimicitias capitales; cæteras autem vt furti, adulterij, propter immanitatem hæresis, simonięque repelleret; quoniam etsi probatæ fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen euacuarent in toto alijs adminiculis suf-

Conspiratores aduersus reum.

13. fragantibus. *tales igitur*, inquit, *duximus admittendos, non secundùm rigorem iuris, sed secundùm temperantiam æquitatis, cùm ageretur non criminaliter vt deponeretur ab ordine: sed ciuiliter, vt ab administratione amoueretur.* Ita dum criminaliter ad pœnam ordinariam agitur, validissimæ probationes esse debent. *Simanc. de cath. inst. c.* 51. *n.* 11. cùm ex inquisitione ad securitatem fidei, abiurationis hæresis, non item. ita accipiendus Clarus *l.* 5. §. *hæresis. n.* 20. sic accipienda *l. omnes. in verb. leui argumento. C. de hæret. Simanc. de Cath. inst. c.* 51. *n.* 5. 12. lex illa 2. non de leui probatione criminis, sed imbecillitate argumentorum loquitur, quibus quis ad hæresim seducitur. Sed & testes singulares, vbi non de vna specie hæreseos probanda agitur, sed in finem eundem conuenientes recipiuntur. *Mascard. ibid. concl.* 856. etsi validè dissentit Simanc. *de Cath. inst. c.* 64. *n.* 61. sed & numerus idoneorum testium duali contentus est. *d. c. vt officium.* §. *verum eod. in* 6. nisi Iudicis arbitrium ex causæ circumstantiis maiorem exigat. *idem Masc. concl.* 855.

Cùm agitur ciuiliter ad correctionē.

14. Non criminaliter. Tūc enim validis probationibus opus est.

15. Nunc porrò præter testes hæreseos probatio fit per scripturam, *idem concl.* 858. rei confessionem; 859. facti euidentiam; 860. præsumptiones & indicia; 861. librorum hæreticorum detentionem; 862. &c. sed hæc indicia præsertim externa non proficiunt ad pœnam ordinariam, sed remedia extraordinaria; *Siman. de Cath. inst. c.* 50. *n.* 21. & minus suspiciones. *ibid. n. seq.*

Hæresis probatur scripturā, testibus, confessione, euidentiā, præsumptione, indicijs,

Id porrò vlterius pro hac causa examinandum est, an per indicia in hac causa sit hæresis deprehensa. non enim propositiones hæreticæ, aut error damnatus hic pertinaciter assertus esse proponitur; in quo hominis interna sententia nosceretur directius: sed ex factis signisque
16. dumtaxat externis argumenta proponuntur ad sectam inferendam. nam vt verbo ita facto de hæresi quem conuinci docet *d. c. accusatus.* §. *ille quoq́;* si v. g. hæreticos is receptet, visitet, associet, dona, munera det, fauorem impendat, aliaque de quibus *Pegn. ad Eymeric. Direct. p.* 3. *de signis exterior. comment.* 24. *glos. in c. veniens. X. de test. Boss. tit. de hæres. n.* 55. *& nos latius diximus in Hiatu Cassan. l.* 3. *c.* 3. nam & in similibus factis declaratur animus. Facta, quæ hic arguuntur, sunt comestiones carnium & ouorum illis diebus, quibus ecclesia prohibet, ac diuersis vicibus factæ.

In verbis & factis.

17. Sanè Farin. *tract. de hæresi. q.* 178. *n.* 80. *post Parisium, Eymericum, Pegnam*, ea facta, ait, suspectos de hæresi reddere facientes. Zerola *prax. episc. p.* 1. *v. casus vers.* carnes dicit signum esse externum hæreseos, quod suspicionem malæ credentiæ parit: *citat insuper Sanchinum, Campegium, Felinum, Simancam, & Pegnam p.* 3. *Directorij tit. de sig. & ind. exterioribus comment.* 24. carnes edere cùm non licet, non ieiunare cùm possis, & debeas, ecclesiæ leges prætergredi in ijs, in quibus hæretici dissident ab ecclesia, & quæ ideo ad eorum doctrinam referuntur, in illiusque consequentiam fieri censentur, sicut omne malè factum prauè præsumitur actum, *c.* 1. *X. de præs.* sic ergo huiusmodi facta in illis redolent suam doctrinam. nam in catholicis laudabilis vitæ carnes comedentibus facilius creditu foret infirmitatis causa id factum, quo casu vesci carnibus liceret. *c.* 2. *X. de obser. ieiun.* quia semper in his præsumptio accipienda est exclusiua delicti. *Menoch. de præsumpt. l.* 5. *pr.* 2. *n.* 31. *l.* 4. *p.* 161. *n.* 26. *& alibi passim & probat l. merito. D. pro socio.* quamquam *d. c.* 2. medici testimonium & Ordinarij iudicium desideret, & qui hoc negligit temerè, præsumptionem aliquam prouocat, & verò quæ facta à moribus ecclesiæ dissident, quò grauius dissident, vehementiores suspiciones pariunt. *c. contra christian. de hæret. in* 6. vbi ritus Saracenorum & Iudæorum assumpti fidem indicant; *c. accusatus.* §. *ille quoque ibid.* vbi arctioris cum hæreticis amicitiæ signa eodem referuntur. *c. excommunicamus.* §. *adijcimus. X. de hæret.*

Comestio carnium diebus illicitis facit quem suspectum.

18. Ieiunia non seruare,

19. Non in non benè valentibus.

20. Facta hæreticorum, ritus gentilium, aut Iudæorum, doctrinam redolent, seu fidem illorum.

Et pro ratione regionis grauius indicium oritur, prout magis factum ab instituto ecclesiæ recedit, aut externis legibus punitur. in Burgundia ouum vnum comedisse capitale dicitur; in Belgio edicta olim rigida, obseruantia nunc mollior. 21.

Facta aggrauant ex loci circūstantiis

Igitur probationes præsumptiuæ sunt huiusmodi facta; vix tamen tales vt ex ijs damnatio criminis irrogari possit, si reus crimen diffitetur, si non est consentiens mali testibus fama, sed ea inuicem dissona; si hinc sinistri, hinc rectè opinantes rumores, & testes; si protestetur reus non aliam se fidem profiteri, si faciat alia quæ catholicis conueniant, non hæreticis illius sectæ, si parochus de confessione, annuâ communione, & similibus catholicis officijs testetur; sanè suspectus quidem talis est, non conuictus. 22.

Non plenè probant, vbi reus aliam fidem se ample cti protestatur.

Ergo huic indicenda purgatio est, *c. excommunicamus.* §. *qui autem. c. ad abolendam.* §. *qui verò de hæret. qui autem*, inquiunt illa loca, *inuenti fuerint, solâ suspicione notabiles, nisi iuxtà considerationem suspicionis, qualitatemq́; personæ propriam innocentiam monstrarint, feriantur*, &c. illo quoque, inquit textus *ibidem, & in capitulo super eo de hæret. in* 6. *qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprij antistitis examinatione purgauerint*, &c. ecce purgatur suspectus per examen Episcopi, vel abiurationem erroris; iterum grauiter suspectus abiurans; postea committens dicitur relapsus; leuiter suspectus abiurans, atque iterum committens grauius quidem punitur: sed non vt relapsus *d. cc.* 23.

Ad indicendam purgationem faciunt.

Quin & manifestè deprehensus hæreticus, hæ-

24. Manifestus hæreticus pœnam euadit, si abiurare & satisfacere velit. hæreseos pœnam euadit, si continuò ad fidei vnitatem recurrit,& errorem ad arbitrium Episcopi abiurare, & satisfactionem congruam exhibere consenserit. *c. ad abolendam. X. eod.c. super eo in 6.* nam hæreticus vt quis sit, pertinax sit oportet:*c.dixit.c.qui in ecclesia 24.q.3.*in qua re differunt à relapsis etiam ex suspicione graui tantùm abiurantes; quia hi sine audientia relinquuntur iudicio seculari. *c. super eo in*
25. Nō relapsis. *6.* tametsi sacramenta eis non negentur, *ibid.* ad clementiam ergo vel rigorem secularem legum magistratuumque hi pertinent;illi per examinationem, purgationem, & satisfactionem
26. Suspectus abiurat ex arbitrio Iudicis. Episcopo factam eximuntur. Et suspectus quidem, non manifestus tamen, priuatam vel publicam abiurationem facit, ex arbitrio Iudicis ecclesiastici.*Menoch.de arbit.cas.372.n.14.* purgationem maiorem etiam, & minorem ex eodem arbitrio. *idem cas.374.n.8.& seq.*

27. Purgatio indici potest ex fama. Purgatio autem etiam quotiescumque ex fama scandalum manet indici potest. *c. tua. X. de cohabitat.cler.* fama,inquam;non leui rumore.quam benè vocat lex *3. D. de testib.* consen-
28. Non leui rumore. tientem famam;non dissonam,sed vniformem. de qua optimè Innoc.III. *in d.c.tua*, vt faciat crimen publicum:quod non conuenit dissonis rumoribus: nam vt crimen ex euidentia publicum,quod notorium sic esse vult,*d.c.tua.* sine testibus punitur; ita ex fama publicum,non quidem testimonijs famæ,sed testibus ritè auditis,& consonis,*d.c.tua.* expenditur an purgatione,an aliter diluendum sit.Et de tali notorio accipio Const.Car.V.7.*Octob.*1531.21.*Sep.* 1540.*ar.*3.cùm à magistratibus arceri vult notoriè de criminibus diffamatos;& suspectos de hæresi,de suspicione graui;& promotos deiici, & fauet *l. 12. C. de haret.* ne militare possint hæretici.

Sed & taliter,vt mox diximus,suspectus etsi declarari non potest hæreticus, & puniri vt talis; quia probationes non sunt omni excep-
29. Suspecti ad pœnas pecuniarias condemnari aliquando possunt. tione maiores;tamen sæpè sufficere possunt ad pœnas extraordinarias, vt dictum est,pecuniarias,& similes.*Menoch.ibi.n.8.*præsertim si quid dixit aut fecit,quod nititur ijs rationibus qui excusatur quidem, tamen non omnis culpa eluitur. *Menoch. ibid. n. 14.* & disertè habetur *in c. inter. X. de purg.canon.* vbi suspectus & purgatus,ac in beneficium restitutus,*in pœnam*
30. Cùm actus fuerunt culpabiles. *tamen*,inquit,*familiaritatis illius,quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum volumus ab officio manere suspensum, donec scandalum sopiatur.* cui pœnæ & causæ comparare liceat,quod de edicto Carol. V. mox dixi de suspectis de hæresi non promouendis, & priuandis.

31. Vt carnibus ouisque comestis. In pœnam ergo comestarum carnium,& ouorum damnari potest,qui non de hæresi; sed de hac satisfactionem dare potest: & in pœnam quidem extraordinariam ex iis probationibus, quæ non sufficiunt ad crimen principale.

32. Multò magis in expensas litis. Multò magis damnari potest comestarum carnium reus in expensas litis causa inquisitionis factas, quia isti culpabilem causam dedit. quod conforme est Statutis Cur.*eccles.prouinc. Mechlin.tit. de mod.procedend.ar.60.* non eadem causa est, si citra omnem inquisiti culpam diffamatio & suspicio causam liti dederit; tunc enim expensæ compensandæ sunt. quia vt reus innocens est,ita Officiarius iustè ac ritè inquisiuit, & temeritatem litigantium expensæ respiciunt. *inst.de pœn.tem.litig.§.hac autem.* eas ergo fortunæ quisque suæ asscribere debet.

Igitur in hac causa de hæresi nihil probatum est per famam, quia dissona est. multi de diffamatione testes, non pauci de bona opinione; atque hi digniores, melioriqúe ratione nixi,vt confessarij, pastor, vicomagistri, centurio,&c. iuramentum aliàs præstitum pro fide orthodoxa.

Igitur testes qui de indicijs comestionis carnium & ouorum singulariter de factis diuersis tempore testati sunt; quæritur an coniungi in vnam probationem possint? & qui non sunt quidem omni exceptione maiores, sed neque in singulos graue quippiam obiicitur. Sanè Simanca *vbi supra* rigidè docet in materia quamuis hæresis singulares testes, de diuersis rebus testantes non coniungi,& ita Inquisitores iam pridem seruare *n.69.* dum singuli reuera de rebus singulis testantur: *c.nihilominus 3.q.9.* nisi res sint connexæ, ad eundemque finem spe- 33. Ad eum effectum probationes imperfectæ coniunguntur, non æquè ad criminalem;
ctantes. quando plus quàm semiplenam probationem facient: *n.64.* ac tandem *n.79.latius Mascard. vbi supra concl.856. Farin. tract.de hæres.q.188. §.9.* de eadem specie hæresis plures testantes,etsi loco & tempore singulares, cùm ea hæresim substantia eandem non purificent, quamuis coram pluribus verbo aut facto indicatam,vt furtiuam rem à fure pluribus diuerso tempore & loco singulis ostensam. & Simanca *n. 81.* si ad eundem finem singuli tendant, etiam sidem adhibendam docet. *Mascard. & Farin. vbi supra.*

1. Itaque resoluendum videtur non posse citatos ex hoc argumento carnium comestarum conuinci de hæresi,dum contrarium iuramentum offerunt fidei, ex qua & contraria intentio sequeretur, nisi factum negaretur.

2. Suspicione tamen notabiles per huiusmodi testimonia factos.

3. Adeoque ad abiurationem,& purgationem teneri, pro arbitrio Iudicis: seu suauius, vt hic. loquimur, ad professionem fidei iuxta formam Pij IV.

4. Ad expensas fiscales resarciendas.

Nam ad hos effectus omninò videtur coniungi testimonia, & fidem facere,& actus culpabiles credi, ad expensas resarciendas sufficientes, vt supra diximus.

De infantibus expositis.

CONSVLTATIO I.

A quibus alendi sint?

Expositij infantes recolligendi sunt, vbi inueniuntur, & alendi, *cap. 21. d. 86. pasce,* 1. Recolligendi, vbi inueniuntur

niuntur, & alendi,

pasce, inquit, *fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti. l.* 1. 2. 3. *C. de infant. exposit.* & ex prouen-

2. Ex prouentibus pauperum, vel

tibus pauperum alendos Carol. V. hic sanxit *edicto anni* 1531. 7. *Octob. art.* 20. *l.* 3. *Rub.* 1. *lib. edictorum vol.* 1. idemque præsupponit Ant. Thesau. dum quærit à quibus sit alendus expositus *decis.* 118. & *ex glos. quidem in c. si expositum. d.* 87. *v. expositus.* idonus in xenodochium

3. In xenodochio.

reiicit. & admodum fauet *l. vnic.* §. *sed scimus. C. de latin. liber. tollen. seruum ægritudine periclitantem erat facultas in xenodochium mittere:* & plerisque locis xenodochia in huiusmodi causas instituta sunt pro aduenis, atque peregrinis. sed edictum illud aliquantum hæc aliter miscet.

Idemque edictum, *atque alia* 22. *Dec.* 1515. 28. *Nouemb.* 1527. 15. *Iun.* 1556. *ar.* 11. *l.* 1. *Rub.* 1. *libri edict. vol.* 1. pauperes ad loca suæ natiui-

4. In locis suæ natiuitatis, originisúe, si agnoscantur.

tatis aut domicilij reiiciunt. neque immeritò. quippe origo atque natiuitas ciuem quem facit; honorum, munerum, commodorum atque incommodorum apud suos capacem. *l.* 1. *& tot. tit. D. & C. ad munici.* sed originaria & domiciliaris, non fortuita natiuitas. *l. filios. C. De municip. & originar. l.* 10. *l. filios. C. de Decur. l.* 10. *Christin. vol.* 5. *decis.* 53.

5. Seu baptismi:

Iterum ad exemplum natiuitatis baptismo tribuitur, vt quo quis loco baptisatus est ciuilia iura videatur consequi. *Consal. ad Reg.*

6. Quo acquiritur ius ciuium.

8. *Cancel. Glos.* 9. §. 1. *n.* 105. *post Lucam de Penna, in l. ciues. n.* 3. *C. de incol. lib.* 10. sic Rebuff. *in tract. de pacif. poss. n.* 117. *in fin.* Iudæum vel paganum in Francia baptisatum facit regnicolam; & Gonzales refert Statutum Calaguritanum, & ferè hic mores idem obtinent, & Concilium Basil. s. 19. generatim de neophytis baptisatis decreuit, vt quo loco baptisantur, ibi legis libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quæ ratione dumtaxat natiuitatis, & originis alij consequuntur. sed an fortuitus baptismus sine domicilio in filiis fidelium idẽ faciat, an fortuitam natiuitatem spiritualem ad domiciliarem aut originariam remittat, non est clarè decisum. & rationabile videtur, vt argumentum à simili non supergrediatur simile vnde ductum est. quamquam Concilium vtatur argumento à maiori, vt quod tribuit natiuitas, aut origo carnalis, magis tribuere debeat spiritualis: & licet in neophytis loquatur; ratio tamen, quam in argumentum sumit, generalis est; & natiuitatem non tantùm, sed & originem comparat, & complectitur; vt quod ea tribuit in libertatibus & immunitatibus, tribuat baptismus.

Nunc se ita casus habet: natus est infans ex peregrina in transitu in puerperium lapsa; & baptisatus in pago L. confirmata nonnihil valetudine puerpera deuehi voluit in oppidum H. ibique infantem exposuit; & disparuit. collectus est infans ab iis, qui ibi eleẽmosynas administrant: inquisitione factâ deprehenditur is esse natus & baptisatus in d. pago L. nec vlterius ex indiciis, quæ falsa dederat, puerpera inueniri amplius potuit.

Controuertitur nunc, quibus eleẽmosinis ali infans debeat; an pagi, vbi natus & baptisatus est, an oppidi, vbi expositus? & vtrumque locum teneri, si alter ignoraretur, ex iis, quæ dicimus, certum est: sed in vtriusque concursu, & conflictu, quis magis obligetur, quis magis onerandus sit, dubium. nam & expositum per expositionem libertatem consequi, latinam olim *d. l. vnic.* §. *sed scimus. C. de latin. libert.* Romanam hodie, *l. sancimus. C.* 7.

7. Expositi acquirunt ius ciuium vbi exponuntur.

de infant. expos. c. vnic. X. de infant. expos. adeoque loci in quo expositus est, iura ciuitatis, municipij coloniæ, &c. consequi non est dubitandum: adeò vt pro legitimo sit, ad honores, & ordines sacros habilis. *Menoch. post Paleot. cons.* 396. *in fin.* & quod supra allegauimus edictum Car. V. ius alimentorum tribuit.

Ergo in conflictu videndum cuius potior causa sit: nec iterum dubitatur expositum remitti posse ad locum originariæ natiuitatis, qui oneri alendorum suorum pauperum obnoxius est. sed non æquè stricto vinculo fortuita natiuitas obligat. *d. l. filios. C. de muner. lib.* 10. adeoque videtur abscessu peregrinæ puerperæ & pueri, locus liberatus esse; & expositione infantis alter grauatus videtur; & sors sua quemque manere; casus alteri à nemine præstandus; & quisque in sua possessione retinendus; hic oneris, ille libertatis: potior enim est conditio possidentis in re non clara.

8. Natiua origo validior quàm fortuita natiuitas, aut baptismus quoad ciuilia.

Neque verò rem claram faciunt, quæ de baptismo diximus, vt etiam originis priuilegia tribuantur: esto enim id recipiatur respectu baptisati, vt illis vti possit; non stringit respectu tertij, qui ob id sibi onus incumbens, in alterum reclinare velit: imo in hoc concursu quod in gratiam baptismi receptum est, in odium retorqueretur; scilicet cùm rectores ecclesiarum baptismalium & pagorum expendent per illud se onerandos; baptismum different, & infantes ad alia loca cum periculo salutis reiicient.

Sed tamen quia mores & consuetudo optima legum interpres, non parum tribuit fortuitæ quamuis natiuitati, & baptismo; atque ipsa expositio etiam locum suum obligat; neque diserto iure quæ vna præ altera obligatio strictius obliget, deciditur: considerari hic casus poterit, vt duorum reorum, qui vnam rem debent, v.g. alimenta huic infanti; sed inter quos ex æquitate diuiditur præstatio: vt adeoque communi sumptu alendum infantem curent. quod in iis obligationibus maximè epikeia suadet, quæ non ex contractu aut facto priuati oriuntur; sed ex publica ratione & lege.

9. Ita tamen vt in cõcursu, & dubio ex epikeia contribuere vterque locus sit inducendus.

Cæterùm vbi parochiarum, & pagorum termini non sunt iidem; distinguendum est circa media, quibus pauperes alantur. quoniã quantum attinet ad media mensarum S. spiritus, eorum participes esse debent, qui nati sunt sub districtu parochiæ; quamuis idem districtus subiaceat alteri iurisdictioni seculari,

10. Ex prouentibus ecclesiasticis in parochia, ita

 quàm

deficientibus ex publico ciuitatis aut loci.

quàm parochiæ; quoniam mensæ S. spiritus, legata, & eleëmosinæ pauperum spectant ad iura parochialia: quantum verò attinet ad media Communitatis, quibus pauperes ali debent deficientibus mediis mensæ S.spiritûs; quoniam ea spectant ad iura Magistratuũ, dominorum, & territoriorum, communitatumque secularium; ali quique debent eo loco, vnde sunt oriundi, vbi parentes collectis, & oneribus publicis subiacuerunt, vt qui senserunt onera, sentiant commoda.

II. An loci dominus, susceptor baptizati, eleëmosinæ templi, &c.

Nisi quod in expositiis Charond. *resp. lib.* 9. R.16. disputationem formet inter dominum loci, curatores pauperum parochialium, & susceptores baptisati infantis expositi; qui omnes onus illius alendi declinent: ille quidem, quòd infans liber homo, neque ex subditis natus non spectet ad rationem adespotorum, quæ ad dominum cum commodis & incommodis pertineant: curatores; quod expositus non sit ex numero pauperum parochialium: & susceptores; quod cognatio spiritualis secularia onera non inferat: refertque Charondas decretum per prouisionem infantem alendum diligentia domini; ex eleëmosinis in templo colligendis; in quas dominus contribueret.

De Homicidio.

CONSULTATIO I.

In quo Papa nunc, aut Ordinarius dispenset?

CLericus in academia de nocte sclopeto breuiori instructus obambulauit cum aliis, qui dum petulanter ædium fores & fenestras pulsabant, hospitatus fortè ad plateam miles monet, vt abstineant; minatur se aliàs illos abacturum; illisq; arroganter respondentibus egreditur is, & sclopetũ exonerare conatur; at illud ignem non concipit; clericus veritus, ne rota iterum versa & sclopeto incenso ipse aut alius traiiceretur, militem præuenit, & suo sclopeto occidit: Iudex academicus extra ordinem grauiter clericum per sententiam punit: quæritur an beneficium retinere, aliud acquirere, & ad ordines promoueri possit per Ordinarij dispensationem?

I. Distinguendum inter voluntarios & casuales homicidas: publicos & occultos: ex delicto, & culpa.

Duo sunt Conc. Trid. capita, *prius s.14. de reform. c.7. aliud s.24. c.6.* quæ de homicidarum dispensatione tractant; voluntarios à casualibus distinguunt, & occultos à publicis. & voluntarius quidem, quamuis occultus, iubetur omni ordine ac beneficio carere; casualis dispensari: in idque delegari Ordinarium, seu ex causa Metropolitanum, aut viciniorem Episcopum, probatis precibus, & non aliter. *d. c.7. s.14.* quamuis omnino necessaria sui tutela ab irregularitate excuset. *clem. vnic. de homicid.* At verò d. c.6. s.24. permittit Episcopis dispensare super omni irregularitate ex delicto occulto nata, homicidio tamen voluntario excepto. Igitur hic inquirendum est in qualitates huius homicidij. & voluntarium quidem non esse ad sensum *d. c.* 7. vbi & industria, & insidiæ, & sua homicidæ voluntas inculcatur, satis apparet: adeoque ab illo abesse pœnam illius in verbis; *nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio, & officio ecclesiastico perpetuo careat*: in d. *c.6.* verò non adiiciuntur homicidio voluntario ex delicto aliæ qualitates, quàm vt sit occultum: enimuero existimo illam generalitatem temperari per d.c.7. vt si voluntati accesserit deliberatum pridem propositum, industria, & insidiæ; non facile Ordinarius in vim d. c.6. dispensare possit, quamuis occultum foret: at hic, vt diximus, illæ qualitates insidiosi, & industrij propositi, absunt.

Sed an voluntarium sit homicidium saltem vt excludatur à facultate *d. c.6. s.24.* meritò quæratur; cùm voluntas fuerit occidendi, præoccupando d. militem, *vt in c. significauit. §. si verò. X. de homicid.* & quidem d. c.7. s.14. homicidio prius descripto ita aliud opponit; *si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum & altaris ministerium & beneficia quæcumque ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur*: quale aliquid non dicit d. §. *si vero in fin.* sed omninò contrarium *c. studeat verbo qualicumque percussione. d.50.* probatis narratis, nec aliter dispensari possit. sanè restrictius decretum illud *d. c.7.* spectat dispensationes Romæ impetratas, quæ dentur etiamsi publica fuerint homicidia, sed ex mero casu, vel voluntate tali, quæ coacta fuit ad cædem, ob necessariam sui ipsius defensionem: ita vt accedat tamen aliqua culpa, quæ dolus aut delictum non sit. vt si v.g. opera dabatur rei illicitæ, quæ tamen criminis nomen non sortiatur; aut excessus tutelæ fuerit leuissimus. nam grauis ad delictum pertinet; adeoque ad *d. c.6.* si est occultus, prior ad *d. c.7.* quamuis publicus. nam si nulla sit culpa, sed merus casus, citra operam rei illicitæ; non incurritur irregularitas *d. clem. vnic.* nisi fortè ex homicidio quomodocumque volito, quamuis in necessariam sui defensionem. quomodo illam incurrit etiam, qui ex obligatione iustitiæ, vt miles, vel iudex homicidium facit; ad illudue directè, & proximè concurrit, vt testis & scriba. videtur autem *d. c.7.* culpam omninò aliquam supponere, vel saltem in posteriori casu loqui tutelæ, quo cùm incurratur irregularitas, nam ea non incursa non opus est dispensatione contra quam supponit *d. c.7.* dum illam deberi dicit: at verò merus hic casus non est; sed voluntas; etsi coacta ad suam sociorúmue tutelam; dum aliter

2. An hoc homicidium voluntarium ad sensum Concilij?

aliter fugere non potuit: nam si potuisset fugere clericus, debuisset: adest sociorum petulantium armata defensio, cum cæde militis, vltra moderamen inculpatæ tutelæ; dum clericus rei illicitæ operam dedit; tales saltem sic comitando, & non prohibendo, pœnisque obnoxius *c. sicut. §. si quoque. X. de homicid.* At verò facultas *d. c. 6. s. 24.* porrigitur ad omnes irregularitates ex delicto occulto prouenientes, excepto homicidio voluntario, vt diximus. quare etsi casus hic non sit quo *iuxta d. c. 7.* dispensatio quodammodo debeatur, adsint iam narratæ circumstantiæ, fortè citra necessariam sui ipsius, quo loquitur *d. c. 7. s. 14.* defensionem; tamen quia *d. c. 6.* dicit omnes irregularitates ex delicto occulto, dummodo non ex homicidio voluntario, non videbitur hanc, seu alias excludere, quàm ibi exceptas; scilicet si citra delictum sint, (quo casu loquitur pars posterior *d. c. 7.* vt quodammodo dispensatio debeatur) neque sit voluntarium, neque publicum. voluntarium autem hic non est ex deliberatione diutina, aut proposito; sed ex hypothesi necessariæ tutelæ: quam sui ipsius *d. c. 7.* adiungit, (vbi & Garcias tutelam patris admittit *de benef. p. 7. c. 11. n. 53.*) atque *d. c. 7. s. 14.* quadantenus æquiparat casui, & ita sociorum defensio sic orta homicidium facit quodammodo comparandum casuali, vt tollat simplicem voluntatem ex proposito deliberato natam; adeoque receptum est d. c. 6. locum habere, quando homicidium non est intentum, & volitum in se, sed ex casu necessariæ tutelæ, vel simili. *citati in Collect. Barbosæ ad d. c. 6. n. 34. 37.*

An occultum?

Occultum verò hic non est homicidium: vt super eo ab Ordinario dispensatio dari possit: sed pluribus testibus notum: quod aliqui pro occulto non admittunt: *citati à Barb. n. 28.* quin etiam ad iudicem delatum, quo aiunt alij, qualitatem occulti etiam cessare; & ad forum contentiosum crimen deduci: vt loquitur d. c. 6. seu iudicium: nam forus & iudicium eadem sunt: *c. forus de verb. signif.* saltem per citationem, quę omnium actionum initium est: *§. omnium instit. de action.* & quâ incipiat esse in foro; saltem per contestationem, qua iam fit contentio: *citati à Barbosa n. 48.* quin denique ordine iudiciario probatum, quo fiat publicum; vt loquitur *d. c. 7. s. 14. verb. ordine iudiciario probatum, nec alia* (nota connexionem similium) *ratione publicum*; sed etiam sententia lata, citra appellationem, quo iam pro veritate habeatur, manifestum: quod minuit iam magis Episcopi facultatem: *citati n. 46.* etsi perperam aliqui *n. 47.* dissentiant; quasi finito iudicio cesset deductio ad forum: sed non fit infecta quæ semel facta fuit; nec ratio cessat cur ob deductionem non detur dispensandi facultas. quæ tamen cessat cùm sententia absolutoria secuta est; quamuis etiam malis artibus obtenta. *citati nu. 44. 45.* adeoque rursus occultum sit crimen, cùm probari iam non possit; ideoque locus aperitur Ordinarij dispensationi.

Itaque homicidium, de quo quærimus, voluntarium non est, quin eatenus dispensare possit Ordinarius in vim *d. c. 6. s. 24.* sed neque merè casuale, vt dispensatione non egeat, aut spectet ad *d. c. 7. s. 14.* sed delictum habet adiunctum ex circumstantiis supra narratis; & ob quod in graues pœnas dictus clericus rectè sit condemnatus, adeoque eatenus spectet ad facultatem *d. c. 6.* in delictis concessam: sed in quantum non est occultum; ab Ordinario non potest dispensari: sed vt ad ordines quamuis minores promoueri clericus, vel aliud beneficium adipisci possit, opus habet dispensatione Romanâ: in partibus *iuxta d. c. 7.* examinanda, probanda, & non aliter executioni mandanda.

3. Dispensabile in quantum ex delicto, non voluntarium, non autem per ordinarium in quantum non occultū.

Quoad verò beneficium prius obtentum, addit *d. c. 7. omni ordine ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat*: videturque velle eo ipso priuationem incurri beneficij quidem, atque ordinum, quorum character est indelebilis, suspensionem. & de suspensione quidem ordinum non est dubitandum, quin ipso facto incurratur; tanquam effectus indiuiduus ipsius irregularitatis incursæ. *c. contineat. c. ad audientiam. X. de homicid.* sed de priuatione beneficij non videtur mox idem statuendum; sed ea requirere sententiam ferendam. quamuis enim illud verbum *careat* executionem secum ferre videatur; tamen, quoniam etiam aliter accipi potest, non videtur esse discedendum, per ambiguam vocis huius acceptionem, à priori claro iure: quod homicidæ non irrogat priuationem beneficij ipso iure; sed per sententiam vult inferri. *c. presbyterum. X. de homicid.* imo ex causis permittit retinere. *d. c. studeat. d. 50.*

4. Quæ Concilij pœnæ ipso iure, quæ per sententiam infligantur.

De pugnantibus in duello.

CONSULTATIO I.

An in eo mortui, confessi tamen, ecclesiasticâ gaudeant sepulturâ, & duello superstites asylo?

NVllarum excommunicationum vsus hic est prohibitus per edicta Principum, nisi contra officiarios regios in materia iurisdictionis: sed temporum iniquitas eum hic valde retardauit; non pro iure aliquo, sed pro discretione Superiorum. Et verò nihil dubij omninò habet declaratio excommunicationis, quæ ab ipso iure irrogatur: vt excommunicatio quam Concilium Tridentinũ *sess. 25. c. 19.* ipso iure infligit pugnantibus in duello: recepto hic pridem Concilio sine illius rei exceptione. vt opus non sit in controuersiam trahere an Clementis VIII. de duellis aliorumúe Pontificum constitutiones Placito regio egeant; aut sine eo publicatæ de

 facto

facto censeantur. sed & verò eædem constitutiones maiori parte sunt declaratoriæ: quatenus autem Concilij dispositionem extendunt publicatione egent; non quatenus declarant: vt in excommunicatione; quam ipsum Concilium infligit, vt diximus, ipso iure. Cæterum qui in ipso conflictu decedunt ecclesiasticâ priuantur sepulturâ, *Conc. Trid. vbi supra*: procul dubio si nulla pœnitentia crimen eluerint: cæterum si pœnitentiæ signa dederint, quin si absoluti sint; dubitari potest ex axiomate, *cui communicauimus viuo, communicamus defuncto*: sed videtur repugnare *c. 1. X. de torneam.* vbi nec talibus in torneamentis occisis datur ecclesiastica sepultura; qui tamen lusus tantum causa nec animo occidendi congrediuntur: vnde à maiori ratione de mortuis in duello idem dicendum videtur: sed pœnæ non videntur extendi extra casus expressos etiam à maioritate rationis: & Concilium Trid. id disertè non dicit; sed, si in ipso conflictu decesserint. quod accipi posse videtur vt *in l. heredes. 21. §. vlt. D. de test. & l. cum antiquitus. C. eod.* dum ad alienum actum deuentum non sit: at qui à duello ad confessionem digreditur, in ipso conflictu non videtur perire; sed ad alia iam digressus. tamen si moraliter modus ipse loquendi accipiatur; is videbitur, in ipso conflictu obiisse, qui domum alioúe non peruenit. sicut fur manifestus censetur, atque in ipso delicto deprehensus, cum rem furtiuam non detulit, quo intendebat. In conflictu, in prælio, historici intelligunt decessisse, qui in loco occisi sunt. quamquam neque præcitatum axioma, vt monet glos. *d. c. 1. de torn.* eo casu obtinet, neque impediat iudices seculares in mortuis magis, quàm in viuis; vbi eos de consuetudine etiam in furca suspendunt; quos ecclesia in fine permittit communicare. & iubet Conc. Prouin. Mech. *an. 1607. t. 7. ar. 6.* & exequi officiariis mandat edictum *ibid. ar. 10.* sed iam ad cæmiterium fortè delatos mortuos non poterunt ad ignominiam extrahere, nisi quos viuos potuissent ad pœnam. 19. Martij 1629. Archiepiscopus Mech. mortuum in notabili quatuor Comitum duello, quia absolutus erat à parocho ad moribundum accurrente, ex præclarorum iurisconsult. sententiâ ecclesiasticâ sepulturâ non priuandum censuit. fauent quæ habet Diana *p. 2. t. 2. misc. r. 54. p. 3. t. 1. r. 1.*

An verò qui duello supersunt, & ad ecclesiam confugiunt illius immunitate gaudere debeant, an extrahi possint? duas simul inuoluit ea quæstio controuersias; prima est à ratione duelli seu homicidij, nam Tridentinum mandat vt homicidas puniri: secunda à ratione excommunicationis. ad primam quod attinet; neque Concilium Tridentinum, neque Clementis VIII. aliorumúe Pontificum Constitutiones *de duellis*, neque Gregorij Constitutio *de confugientibus ad ecclesias*, monomachios iubent, aut permittunt extrahi ab ecclesia: pœnæ autem expressè induci debent per leges. & Greg. XIV. quidem Const. proditorios tantùm homicidas extrahi permittit, atque insidiosos: priores autem canones an permittant extrahi homicidas citra insidias præmeditatos; iure quidem controuersum est; sed secularium iudicum praxi passim ferè recepta extrahi solent. quamquam nonnullibi ij tantùm quos Galli vocant *de guet à pens*: inter homicidas autem præmeditatos siue ex proposito citra dubium computandi sunt duellistæ, qui ex condicto congrediuntur; neque ex subita rixa statim pugnant.

Quod attinet ad alteram controuersiam, an ratione excommunicationis careat quis iure asyli, etiam controuersum est: & quidem Farinacius *in praxi criminali l. 1. tit. 4. q. 28. de carc. ampliat. 15. n. 39.* secundùm communem, *vt ex Boërio asserit*, censet extrahi non posse: *licet contrarium*, inquit, *dixit Felinus; & forsan in puncto iuris hæc ampliatio non transeat sine difficultate: tamen propter honorem Dei in practica nullo pacto recedendum esse ab ea dixit Clarus.* Ego quidem precisiorem rationem hanc statuo; quod generaliter canones confugientibus ad ecclesiam tribuant asylum, neque vllibi disertè excipiant excommunicatum. quatenus autem ecclesiæ clerici, aut monachi cum huiusmodi excommunicatis versari; sacra iis præsentibus facere possint, aut vetentur; non pertinet ad immunitatis, aut extractionis quæstionem.

De adulterio & stupro.

CONSVLTATIO I.

Qui aliquam ducere vxorem promisit, an teneatur?

Tenetur omninò, etiam ex simplici promisso. inter quod & iuramentum Deus non facit differentiam. seria modò ea pactio sit. & quamuis sponsalia strictè sint reciprocæ promissiones; tamen seria vnius promissio non est extra obligationem. ad exemplum infinitorum pactorum, quibus etsi synallagma non insit; canones tamen vim tribuunt. *c. 1. X. de pact.* Qui itaque virgini promisit, vxorem eam ducere tenetur, quamuis illa verbis non repromiserit. *c. inter. 22. q. 4.* multò magis tamen si & illa corpus tradiderit; non datur pœnitentiæ locus; sed cogitur vir ad implendum quod promisit: ex contractu, facio vt facias. *Sanchez de matrim. lib. 1. d. 10. n. 3. 4.* 1.

5. Quid, si non constet de promissione?

Docet nos caput 1. X. *de adult.* virginem corruptam præsumi seductam. *Nauar. in man. c. 16. n. 16. Sanch. de matrim. l. 8. d. 36. nu. 12. Gutierr. can. q. lib. 1. c. 37. numer. 11. quod omnes*, inquit, 2.

inquit, *de hac re agentes fatentur.* Genus tenemus:

3. §. Sed quam speciem seductionis præsumemus?

Si testis vnus integer cum aliquo indicio, aut duo etsi non omni exceptione maiores, de promissionibus testentur; (quamuis Sanchez *de matrim. l. 8. d. vlt. in fin.* secus sentiat, & valde faueat *c. attestationes de desp. impub. in verb. si mulier per idoneos testes probare nequiuerit*) facilè tamen crediderim descendendum esse ad eam seductionis speciem, quæ per promissiones matrimoniales fit. Etenim corporis traditio, in non assuetis luxuriari, sed honestè viuentibus, & æqualibus, fortissimum argumentum est credendarum promissionum: arguitque ab effectu ad causam, & à consequenti ad antecedens. dixi duo; etsi non vndequaque idonei. quia vix plerumque alij contrahendis matrimoniis, & sponsalibus quàm affines, & consanguinei adhibentur. quibus aliàs inidoneis, nisi in hac materia credamus, conuellimus infinita bene constituta matrimonia.

Quid ergo?

4. Credo hoc casu deferendum esse actrici (honestæ antea virgini, aut viduæ inculpatè viuenti, in vtramque enim æqualiter stuprum committi dicitur. §. *item lex Iulia inst. de pub. iud.*) iuramentum suppletorium. *Papon. Arr. l. 9. t. 6. ar. 9. Decision. Holland. 57. Iason in l. admonendi. num. 281. versic. vnde dicit. D. de iure-iur.* qui omnes in causa matrimoniali & ardua ex discreto arbitrio Iudicis suppletorium iuramentum admittunt, quando plus quàm semiplenè probatum est. si filia aliàs honesta copiam sui fecerit, si arrhæ probentur, si alia indicia sint; nihil vetat hæc in plenam probationem coire. nam quamuis *d. c. attestationes.* idoneos testes requirit, non excludit tamen probationes æquiualentes; v. g. per instrumenta, per confessionem in iure factam, &c. non ergo etiam cum probatione plusquam semi-plena iuramentum. præsertim cum illud expresso iure nullibi decisum sit, in arduis causis non deferri iuramentum; vt astruunt citati scriptores: neque probationes imperfectas non coniungi. vt vt sit, quando genus probationis ita sufficienter constat, vt ex eo damnatio sequi possit, ad vtramque alternatiuè illius speciem pro rei electione; vt ex copula seductionem ius præsumit, ex eaque præsumptione damnationem reo irrogat vt ducat aut dotet; facilius determinationem certæ speciei, id est, per promissiones matrimoniales factam seductionem, probatum esse censendum est: ideoque posse iuramentum deferri. difficilius sanè quando de promissionibus sine copula agitur: vt maximè videntur loqui authores in hac quæstione.

5. §. Quid, si nihil probatum sit?

Existimo ob iuris præsumptionem purgare se debere reum, scilicet vt iuratus declaret se per promissiones matrimoniales actricem non seduxisse. *d. c. Attestationes de desp. impub. cap. vlt. X. de iure-iur.*

§. Quid, si non, *te ducam*; sed, *non aliam ducam*; addixerit? 6.

Verba hæc negatiuè concepta affirmatiuam non continent; nec habent vim sponsalium: illum tamen effectum habent, vt promittens liber non sit omninò: sed tantisper vt aliam non ducat. *Sanchez lib. 1. d. 19. n. 1.*

Cæterum quia verba accipienda sunt, iuxta regionis consuetum dicendi modum; vnde intentio noscitur; facilius aliquando hîc ea verba accipienda sunt, vt affirmatiuam contineant. mos quorundam ita hic loquendi inoleuit: quia explicatio formulæ promissionum matrimonialium, & monita in Pastorali patrio præscripta, multis negatiuis sermonibus vinculum coniugale ita sponsis proponunt. quæ aut publicè audita priuatam imitationem habent; aut ex priuata consuetudine ad publicum vsum translata sunt. dico facilius aliquando, videlicet si alia concurrant, quæ hanc verborum interpretationem voluntatisque spondentium coniecturam faciant.

Quando promissio matrimonialis eiusue probatio cessat; succedit deflorationis reparatio.

§. Quid, si deflorans neget florem à se lectum; & puellam ante asserat deuirginatam? 7.

Statur iuramento mulieris, pro qua est præsumptio qualitatis, quæ à natura inest. *Zabarel. d. c. 1. de adult. Iul. Clar. Senten. §. stuprum. n 4. post Abbat. & DD. in d. c. 1.* aut saltem considerabuntur coniecturæ, stabiturque communi proborum reputationi. *c. per tuas. X. de probat. Zabarel. ibid.* mutatio enim naturæ non præsumitur, nisi vehemens ratio ita suadeat.

§. Quid ergo, si duo vel tres testes dicant se cum actrice commercium habuisse? 8.

Aduersari sibi inuicem videntur *c. 3. X. de testib. c. 1. X. de confess. c. significasti. X. de adult. c. quam sit graue. X. de exc. prælat. c. veniens. X. de testib.*

Non paucis videtur in obscuris & obscœnis rebusque quæ secretò fiunt, quales quales testes esse admittendos: *d. c. 3. X. de testib. Menoch. de arbit. quæst. 73. num. 32.* sociosque criminis dum ciuiliter agitur, non esse repellendos: *l. sicut C. de quæst. l. 1. §. cum quis latro. D. eod. l. D. Adrianus. D. de custod. reorum. gloss. in c. veniens. X. de testib.* præsertim si iuratus, neque sponte se offerens, sed ad testimonium coactus, quis deponat.

E contrario *in c. 1. X. de confess.* confessio socij criminis, & assertio de socio non nocet; crimine maiestatis excepto. quia qui prodegit pudorem suum, alieno non parcit.

Et *in c. significasti. X. de adult.* sacerdos, non damnatur, etsi mulier dicat eum secum peccasse: & in ecclesia: quæ tamen ob dictum mulieris reconciliatur.

Et *in c. quam sit graue. X. de excess. prælat.* Diaconus gloriatus se cum vxore alicuius rem

 habuis-

habuisse, ab officio & beneficio suspenditur: seu quia verum sit crimen, seu quia de eo vt vero glorietur: quoad verò vxorem non creditur; sed maritus eam recipere, & maritaliter tractare compellitur. Ecce causam ciuilem. *& in c. veniens.* 10. *X. de test.* ille qui eodem erat infectus crimine, contra alium testificari non potest. Et quamuis ibidem alius non reprobatus, adeoque integer testis adfuerit, agaturque de crimine occulto, scilicet Symoniæ; non fuerunt tamen coniunctæ imperfectæ probationes, habitaúe socij criminis ratio: sed concluditur vnius testimonium (altero scilicet numerum non faciente) ad condemnationem non sufficere. Ecce socio criminis, ad testimonium etsi vocato, non creditur. *facit l. fin. C. de accus. Abbas. in c. quam sit graue. nu. 2. not. vlt. X. de excess. Prælat. Sanchez. de mat. l. 10. d. 12. n.* 48.

Conciliari hæc ea ratione debent, vt firmam fidem socius complex aduersus socium non faciat: minorem etiam cum sponte sua socium defert; non publicâ testimonij causâ coactus: minimam verò in iudicio criminali, & eo quodcumque arduum reputatur: quod probationes luce meridianâ clariores requirit: fatendum tamen sit correum ad dicendum testimonium receptum, suspicionem, indicium, quin & opinionem aliquam facere. *d. c. 3. X. de test. Alex. cons. 13. nu. 24. vol. 7. Gram. dec. 107. Farin. q. 64. nu. 223. Menoch. cas. 99. num. 8. & seq.* ideoque sacerdoti non quidem damnatio, *in d. c. significasti.* sed purgatio irrogatur. Porrò *c. 3.* non hoc ex proposito agit, vt quanta fides tribuenda sit mulieri complici decidat; sed hoc tantum vt declaret mulieres, aliosque in causa inquisitionis clericorum admitti. cùm aliàs non parum dissonare videtur *c. mulierem 33. q. 5. c. forus. X. de verb. sig. quod latè examinat Farin. de test. q. 59. de quo alibi.* sicut & *c. 11. X. de test. cog.* socij coniurationum coguntur ad dicendum testimonium. quanta autem fides eis detur, non additur. arbitrabitur ergo Iudex ex omnibus circumstantiis quantum fidei tribuendum erit, infra eam, quæ est integri testis: momentumque adiiciet si plures criminis socij idem conformiter testentur: numerus enim testium etiam confert. *glos. ad l. 3. vers. numerus. D. de test. Farin. ad d. q. 59.* existimo etiam *d. c. 3.* in correctione clerici; non vindicta criminis, & pœnæ ordinariæ irrogatione sumi debere. vnus est casus, cùm dictum testis vnius vel fama plenè probat: scilicet cùm agitur de vitando peccato, & impediendo matrimonio; eius etiam, qui dicitur peccasse cum consanguinea futuræ vxoris. *c. super eo. el. 2. X. de testib. c. præterea. el. 2. X. de sponsal. Sanchez de matrim. l. 1. d. 71.* dummodo testis deponat, iuret, de certa scientia testetur, non vilis sit, sed arbitrio Iudicis fide dignus: quamuis non citatus, sed per partem oblatus, etiam criminis particeps: non tamen cùm agitur de alterius præiudicio, & deest causa peccati vitandi. alioquin etiam fornicatio non nisi duplici teste probatur. *latè Sanchez d. d.* 71. vbi etiam fama in ordine ad vitandum peccatum, & impediendum matrimonium plenè probat. *c. super eo. de consanguinitate.* fama, inquam, non rumor; maioris partis viciniæ; non tertiæ, vel minoris: & dummodo clariores in contrarium non sint probationes. *Sanch. vbi supra. n. 13. & seqq.*

§. Sed quid, si duo v.g. socij criminis testentur se cum actrice peccasse; & deprehendisse peccantem dicat reus conuentus? 9.

Crediderim super hoc in causa diuortij ac ciuili sponsalium posse ei deferri iuramentum suppletorium; dummodo sit honestus. *Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 2. cas. 190. n. 12. & seq. n. 19.* si verisimilius veritatem est dicturus, inquit Menoch. *cas. 191. in fin.* numquam enim defertur, nisi personæ honestæ. Menoch. *cas.* 464. *n. 9.* mediante quo iuramento absoluendus est à reparatione deflorationis. iuramentum autem suppletorium numquam obtinet in causa criminali.

§. An ergo præsumetur rei congressus prior, an posterior? 10.

Quamuis Nauar. *cons. 3. n. 6. de clandest. despons.* asserat non tolli deflorantis obligationem, etsi deflorata postea, alteri se commisceat: tamen quæ tam multis se exposuit, & liberaliter, toties; credetur ferè eadem facilitate à primo deflorante, quisquis ille fuerit, nec prece, nec precio seducta. quo casu scienti & volenti, non esse facta iniuria, nec quicquam reparandum putabitur. *Nauar. in Ench. ad 6. præcept. c. 16.* adeoque non interierit, quis existimabitur deflorasse; cùm non seduxisse censebitur. sed hæc præsumptio non ita est à iure inducta, vt prior; ideoque totas circumstantias ad arbitrium suum prudens Iudex reuocabit.

§. Quid ergo dicemus de partu, à quo alendus, aut agnoscendus erit? 11.

Aduersari videntur *c. per tuas. de probat. c. Michaël de fil. præsbyt. l. filium. D. de his quæ sui vel alien. l. sed si miles. §. defuncto. D. de adult. l. vulgo. D. de stat. hom.*

Patrem quem esse dici non tantùm, sed & probari debet. *l. 3. 4. C. de alend. lib.* ex vxore tamen natus mariti præsumitur. *d. l. filium.* etiam adultera. *d. l. miles. §. defuncto. ibi, non vtique crimen adulterij, quod mulieri obiicitur, infanti præiudicat: cum possit & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse.* ad vxoris exemplum concubinæ domi retentæ à pot & olle, vt dicit Papon. *lib. 22. arr. tit. 9. a. 13.* filius concubinum patrem habere creditur, si illa eum iurata nominet. *Boër. decis. 299. d. c. per tuas. d. c. Michaël & ibi glos. Thesau. d. 3.* vel si foris alatur, vnius tamen frequentiam tantùm admittat; non verò si omnibus patuerit: vulgo enim quæsitus partus patrem non habet: ideoque spurij apatores dicuntur; cùm pater ostendi non possit: & mulieres conceptionem non sentiant. *l. 1. §. si mulier. D. de lib. agnos. Paleot. de Nothis. c. 26. Gail. obs. l. 2. ob. 97. n. 12.*

n.12. A. Faber in Cod. suo.l.9.t.7.d.6. quamuis *Thesau.decis.3.* satis indistinctè mulieri credat: vt & pleræque hîc consuetudines.

Publicam autem matrem fuisse non sufficit; sed oportet intra tempus partui idoneum fuisse, id est, intra vndecim saltem ante partum menses. ad eum enim se natura terminum extendit. *vide sup. Consul.1. qui fil. sint legit.* quem aliquæ hic consuetudines prorogant ad annum: etiam Mechlinienses à Carolo V. decretæ: quæ pleræque mulieri in partus doloribus, seu aliàs iuratæ, credendum statuunt, quoad nominationem patris, dummodo is vel fateatur; vel conuincatur intra tempus partui idoneum cum ea commercium carnale habuisse: nominatumque cogunt alicubi ad integros, alicubi ad medios sumptus alendæ prolis: cum iure scripto spurij à sola matre alendi sint. *Paleotus vbi supra.*

Sed in hoc facti dubio, non immeritò recipienda in ecclesiastico iudicio videtur consuetudo fori secularis, vt is pro patre habendus sit quem iurata mater designauerit. dummodo fateatur vel probetur (id enim necesse est *d.l.3.& 4. Cod. de alend.lib.*) intra id tempus conuersatus. cùm ius partibus dicendum sit, quod eis competit, non quod Iudici: causa enim alendorum liberorum ab origine inter laicos ad secularem, ex pietate autem tantùm, aut incidenter, ad Iudicem ecclesiasticum spectet. sicut etiam in *Concordatis Brabant.§. non poterit*, quæstio filiationis, seu meri facti cuius quis filius sit, cognitionis sit secularis, adeoque filiationis quæstio, si hîc coram ecclesiastico vertatur, inter seculares, ex iure seculari decidenda videtur.

An autem indistinctè illud statutum accipiendum sit, an pro iis, quæ sint concubinæ domesticæ, aut instar illarum, dubitari potest; cùm passim vulgantibus pudorem non credatur de iure. *Boër. dec.299.* Papon vbi supra. Gail. *obs.l.2.obs.97.n.12. Alber. de Ros. in l. sed si miles. D. de adult. col.1. vers. item vidi.*

Et cùm hîc statuta pleraque ad tollendas iuris controuersias inuenta sint; atque hoc, de quo agitur, indistinctè loquatur, hactenus intellectum, & practicatum sit indistinctè; non videtur mutandum, quod certam semper habuit interpretationem.

Pendente tamen lite, de iure etiam scripto, qui conuenitur pro alimentis, quamuis publicam matrem dicat, prouisionaliter tamen prolem alere cogitur. *Boër. decis.299. in fin. glos. d.l.4. C. de alend.lib.*

12. §. Quid, si vulgo quæsiti mater est pauper, ita vt prolem alere non possit?

Si mater idonea facultatibus fuerit tenetur prolem vulgo conceptam alere: at verò si ita pauper sit, vt prolem alere non possit; existimant quidam teneri omnes: eorum exemplo quorum in turba & rixa homo occisus sit, quamuis vnius ictu occubuisse inueniatur. *glos. & Bart. in l. fin. ad leg. Cor. de sicar.* nisi homicidam ex numero suo designent. *l. fin. & glos. eod. Exod. 23. VVesenb. & multi apud eum citati in Parat. d. t.* eodem modo ad exonerandam remp. mensasque pauperum publicas (non matrem diuitem) à sumptu prolis taliter generatæ, omnes, qui ad generandum operam dederunt, ad auertendum damnum reip. teneri, donec supputatione inter eos initâ, certum designent, cuius culpa hoc onus in remp. illatum sit. vbi tamen consuetudo credendum matri statuit, quamuis pudorem vulgauerit; ei, vt mox diximus, standum est: tamquam non irrationabili; & quæ partium ius sit in materia hac iuris secularis. & habent quod sibi imputent, qui eo loci in huiusmodi periculum se proiecerunt. discantque cautius commercari.

CONSVLTATIO II.

De defloratore, raptore, damno, &c.

QVi deflorat seductam tenetur ducere, & dotare. *c.1.X. de adult.* quod vsus vertit in alternatiuam ducere, vel dotare. tametsi in rapta *Trid. s.24. de reformat. mat. c.6.* coniunctiuam retineat; ducere & dotare raptorem iubeat. & quamuis textus *d.c.1.* agat de virgine, tamen Nauar. *in Enchirid. c.16. n. 16. & 19.* recipit in corrupta etiam: dummodo fuerit virgo reputata; non iam propter fractionem signaculi, sed ereptionem famæ. 1. *Deflorator tenetur virginem ducere, vel dotare, raptor & ducere, & dotare.*

Quæ ratio facit, vt quemadmodum stuprum committitur tam in viduam honestè viuentem, quàm virginem; ac in vtrisque obtineant pœnæ stupri: *§. item lex Iulia. inst. de pub. iud.* quamuis pœnæ in stupratores viduarum latæ non sint in vsu: *Clarus in §. stuprum. n.4.* neq; virginum voluntariarum: *vt diximus in Not. Iur. Belg. ad leg. Iul. de adult.* sed tantùm ciuilis damni persecutio: ita etiam stuprator viduæ honestè viuentis propter ereptam famam ducere vel dotare tenetur. quamuis nō ita violenter præsumetur seducta, sicut virgo; propter rerum matrimonialium in illa experientiam; faciliusque accedentibus aliis indiciis statuetur iniuriam factam non esse consentienti, adeoque nihil reparandum; ex regula iuris: *scienti & volenti non fit iniuria.* quæ etiam in virgine obtinet, dum scientia & consensus probantur. *Nauar. d. num.16. facit l. item Mela. D. ad leg. Aquil. l. vlt. D. commodati.* & magna erit præsumptio consensus, & sibi habebit imputandum, si in taberna, locoue suspecto inuenta, ibidemque cognita fuerit. *d.l. item Mela. §. & sane. §. si in loco periculoso. D. ad.l. Aquil.* 2. *Quid de antè corrupta?*

Quid, si nec virgo fuerit, nec famæ integræ, nec prostituta? vt neque signaculi, neque famæ reparatio postulari possit; sed partu concepto inter enitendum aliter læsa sit, siue imperitia obstetricis, siue matricis imbecillitate, orisue angustiâ, vt eiici partus 3. *Quid, si corruptæ aliud ex partu dānum acciderit, an reparare, qui cū*

 matre

ea coiit, teneatur? matre illæſa non potuerit; an tenebitur ab commercium quod habuit partus pater? *iniuriam*, inquit *l. 5. damnum accipiemus culpâ datum, etiam ab eo, qui nocere noluit. D. ad leg. Aquil.* quare & luſus noxius in culpa eſt. *l. 10.* & colluctatio; niſi ſit publici exercitij. *l. 7. §. ſi quis. D. ibid.* ſeu quæ ſit irreprehenſibilis: *c. lator. X. de homicid.* & licet ad genus actionis interſit, vt Aquilia vel in factum detur; tamen vt quis teneatur, ſatis eſt in culpa quem eſſe, & cauſam dediſſe. *d. §. ſi quis. & tot. tit. D. ad leg. Aquil.*

Cùm itaque, qui extra matrimonium cum aliqua commercium habet, rei illicitæ operam det, quin & cauſam, ſine qua non, præbeat; vnde ſecuta eſt læſio enitentis; ſtatuendum erit de damno teneri. ſic *l. 11. in fin. princ. D. ad leg. Aquil.* tam eum teneri dicit qui tenuit, quàm qui occidit: ſic in obſtetrice *l. 9. ad leg. Aquil.* tam ſi medicamentum ſuppoſuit, quàm ſi mulieri ſumendum porrexit tantùm, teneri dicitur.

Sed obiicies cicatricum, deformitatis, corruptioniſque nulla ſit eſtimatio; quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem: *l. fin. D. de his qui deiecerunt. l. ex hac 3. D. ſi quadrup. pauper.* ſerui autem conſideratio eadem eſt, quæ iumenti: *l. 38. D. de ædil. edict.* adeoque quòd minoris vendetur deformis ancilla, oculis vitiata, cicatricibus turpis, quàm pulchro integroque corpore, horum æſtimatio eſt, quæ & minui per cicatricem, per vulnera, ac aliàs poteſt: *l. vlt. D. ſi quadrup. Panorm. in c. 1. X. de iniur.* quare etſi, cùm quis virginem emere ſe putat, cùm ſit mulier, emptio valeat; *l. 11. D. de contrah. empt.* tamen datur ex empto actio ad reſoluendam emptionem, vt pretio reſtituto mulier reddatur. *l. 11. §. ſi quis. D. de act. empt.* & mulier arcta vt mater fieri non poſſit, ſana non eſt, & edicto locus eſt, & omni caſu, quo aliquid ex miniſterio præſtando ſubtrahitur. *l. 12. & tot. tit. eod. D. de ædil. edict.* & ſanè iuſta ratio ex his eſt, vt non videatur ob ſolum ſignaculum in libera fractum eſſe dandam pecuniam, &, quod ſi abſit damnum, quod inde natum fuerit ſequi, non eſſe dandam actionem. *Nauar. d. num. 19.* quin & ideo dotis nomine datur, & damni reparandi cauſa. ad quem modum *d. l. 3.* impenſas & operas amittendas, ſeu quanto minus ex operis ſit habendum, *vt d. l. 7. D. ad leg. Aquil.* addicit: ſed opportunius, vt loquitur *§. 1. inſtitut. de obligat. quæ ex quaſi delict.* quantum æquum Iudici videtur. In qua æquitate inquirenda Iudex inquit, *computare debet mercedes medicis præſtitas, cæteraq; impendia, quæ in curatione facta ſunt, præterea operas quibus caruit, aut cariturus eſt, ob id quod inutilis eſt factus.* & ſic mulieri, quæ per corporis læſionem impendia fecit, operis caruit, aut caritura eſt, difficilius operatur, patri aut ſibi opus habet maiori dote, vt elocetur; damnum hoc eſt ſarciendum.

Obiicies; ſubmouetur petitor ſi prouidere, aut euitare periculum potuerit: *l. 28. D. ad leg. Aquil.* ſic *in d. l. item Mela.* ſi in loco periculoſo ſellam habenti tonſori ſe quis commiſerit, ipſum de ſe queri debere: ſi quis in longum nimis iter equum commodauit, qui eum laborem ſuſtinere non potuit, ipſum in culpa eſſe *ait l. fin. D. commodati.* itaque de ſe queri debet mulier, quæ ſe in periculum dedit, quod prouidere, quod euitare poterat, abſtinendo à carnali commercio, ex quo talia nata ſunt ſequi. & ſanè hoc argumentum plauſibile eſt in muliere voluntaria, vt initio diximus; ſed in foro exteriori præſumitur promiſſis, blanditiiſque inducta, atque decepta. *vt Nauar. d. n. 16.* vbi & communem dicit, & tamquam tali reparandum damnum etiam antè corruptæ, dum corruptio non probatur. ſed eſt notandum, quod ait d. l. item Mela, in quocumque culpa fuit, eum teneri: in caſu autem tonſoris periculoſo loco tondentis à tertio ſcilicet pilam percutiente maximè commiſſam culpam; tonſoris, & tonſi parem culpam fuiſſe; & ideo facilius ei, qui ſic læſus eſt, de ſe querendum eſſe; alioquin læſus in colluctatione agit aduerſus colluctantem; etſi colluctatio ex vtriuſque aſſenſu facta ſit: tonſor autem ille non læſerat, ſed qui cultellum eius pila percuſſit, cauſa autem *ſine qua non* in vtroque par erat.

CONSVLTATIO III.

De Monitionibus.

SVſpecta ac ſcandaloſa conuerſatio inhibenda eſt ad malum ſcandalumúe impediendum. qui monitioni, ſiue inhibitioni non obtemperauerunt, in pœnam arbitrio Iudicis moderatè taxandam, condemnari debent. 1. Inhibitio ſuſpectæ conuerſationis ſeruanda eſt. *l. 1. D. ſi quis ius dicenti non obtemperauerit. c. 2. X. de cohabit. cler. & mul.* vbi clericus monitioni non obtemperans excommunicari poteſt; mulier canonicè puniri: Concil. Trid. *ſ. 24. c. 8. de reform. matr.* vbi concubinarij etiam ex ſolo Iudicis officio, ter admoniti, ſi concubinas non eiecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſe iunxerint; excommunicatione feriuntur: mulieres etiam nullo requirente extra opidum & diœceſim eiiciuntur. & *ſ. 25. c. 14.* clerici admoniti primâ vice parte tertiâ fructuum priuantur; ſecunda & tertia aliis pœnis ibi præſcriptis afficiuntur. Et verò Concil. Baſil. *ſ. 20.* clericum monitum non obtemperantem decernit pro publico concubinario deinceps habendum, & puniendum. & Leo X. *in Concil. Later.* idem ſtatuit. & Auth. *vt liceat matri & auiæ. c. fin.* decernit, vt ſi vir quem ſuſpectum habeat, ter teſtato ei denunciet, ne cum vxore verſetur; ſi continuet, poteſt à marito occidi, ſi Iudici tradatur; is non iam de adulterio quærit, ſed denun-

denuntiatione ; & probatâ contrauentione punit, vt adulterum.

2. Quamuis delictum doceri non poſſit.

Neque obſtat, quaſi non iuſta cauſa inhibitio facta ſit, ſi ipſum crimen doceri non poſſit : pro cauſa enim inhibitioni ſola ſufficit ſuſpicio, ac ſcandalum. *d. c. 14. in verb. mulieres de quibus poſſit haberi ſuſpicio. c. 1. 2. ac. tot. tit. X. de cohabit. cler. d. Auth. c. fin.* nec à veritate obiecti criminis dependet. ſed conceditur habitâ informatione extraiudiciali criminis, aut ſuſpicionis, & ſcandali ; cenſorio atque ædilitio quodam iure, cùm etiam per ſimilem informationem procedatur ad perſonarum diſtrictiones. *Myns. obſ. 69. cent. 5.* aliaque decreta prouiſionalia, quæ ſine noxia publica moras non patiuntur.

3. Et illius cōtemptus facit ad præſumptionem criminis etiam in laicis.

Ex his etiam deducitur, quamuis Leo X. in clericis tantùm ſtatuat, vt moniti non obtemperantes pro conuictis & publicis concubinariis habeantur ; & Auth. *vt liceat matri. c. fin.* in caſu ſpeciali loquatur, ſcilicet mariti denuntiantis, ne quis cum vxore verſetur, vt habeatur pro conuicto, & vt adulter puniatur ; tamen etiam in laico, qui prohibenti Iudici, ne cum aliqua conuerſetur, non obtemperat ; magnam ſumi ex ratione d. canonis & anima d. legis præſumptionem quoad ipſum delictum ; vt quamuis probationes non ſint alioquin ſufficientes, magnum poſſint ſumere ab iſta præſumptione adminiculum, ad condemnationem in materia correctionis, & pœnæ criminis extraordinariæ.

Ad Iudicem autem ordinarium ſpectat huiuſmodi crimina & ſcandala punire, & impedire. *c. 1. X. de off. ord. d. c. 8. ſ. 24. Trid. va mundo à ſcandalis*, inquit Chriſtus *Matth. c. 18. & va homini per quem ſcandalum venit : & ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & proiice abs te.* hoc Chriſti præceptum vt chriſtiani obſeruent, curare eccleſia debet in omni crimine. *c. nouit. X. de iud.* inde illud D. Pauli *2. ad Timoth. c. 4. argue, obſecra, increpa, inſta, opportunè, importunè.*

CONSULTATIO IV.

De defloratarum probationibus. quoad promiſſa, vim, raptum, ſtuprum ; etiam imperfectis, coniungendis.

1. Promiſſionū matrimonialium probationes.

IOanna petit condemnari Gummarum, vt eam vxorem ducat, quia ita promiſerit, & defloranerit : copulam Gummarus fatetur, promiſſiones negat ; Ioanna teſtes producit plures : quorum ſunt potiſſimi tres : vnus aſſerit, quod eum rogarit, vt futurum matrimonium patri proponeret, eiuſque aſſenſum expoſceret ; alter à Gummaro Ioannæ propoſitum an vellet eo veſperi ſponſalia celebrari, & poſt alios ſermones reſoluiſſe deſuper adhuc patri loqui, quæ vtraque fieri non ſolent, niſi inter eos, qui iam de fide mutua conuenerint : tertius ; quod cùm Gummarus diceret eum ; qui in procinctu eſt, & in amplexibus vt impetret copulam, ſolere ita promittere ; *mi corculum, non te deſeram, ducam te in vxorem*, & ſimilia ; non tamen ſe habere ea pro promiſſionibus matrimonialibus ; & quod cùm teſtis diceret ; at *tu plura debuiſti promittere* ; *non plura*, inquit ; adeoque dum plura negat, illa fatetur. *l. cum Prator. D. de iudiciis. c. nonne. X. de præſumpt.*

Quæ omnia coniuncta cum aliis teſtimoniis non leuem probationem faciunt. quam tamen valde inſuper auget præſumptio ex copula, quam fatetur Gummarus. cùm enim filia antehac honeſtè viuens (vt de hac teſtatus eſt parochus) præſumatur decepta, ſi copulam admiſerit, *l. vnic. ſub. fin. C. de raptu virg.* ſicut Gutierres *can. q. l. 1. c. 37. num. 11.* neminem aſſerit diſſentire ; ſcilicet donis, promiſſis, ſeu quocumque alio genere ; facilis deſcenſus eſt à genere deceptionis ad eam ſpeciem, quæ fit per promiſſiones matrimoniales ; præſertim inter pares. 2. Imperfectæ coniunguntur.

Adeò vt hæc præſumptio cum teſtimoniis ſuper promiſſione productis ſi non plenam facit probationem, talem tamen faciat, vt Ioannæ deferendum fuerit iuramentum ſuper iiſdem : præſertim quod Gummarus coram Iudice valde titubauerit, dum ſe expurgaret ſuper negatione ; & ſermones faceret, quaſi promiſſa ad impetrandam copulam non obligent : conſiderato etiam quod in ſimili materia cum alia filia litem habuerit, tamquam iſtis technis aſſuetus. 3. Præſertim ad deferendum iuramentū ſuppletorium.

Eoque facilior eſt ratio deferendi talis iuramenti, & damnandi promiſſorem poſt copulam ad ducendum ; quod *c. 1. X. de adult.* & literæ ſacræ, vnde illud deſumitur, obligent coniunctim ſtupratorem ad dotandum, & ducendum. quamuis enim conſuetudo alternatiuam induxerit, *Iul. Clar. 5. ſtuprum. n. 3.* tamen facilè res redit ad ſuam naturam, & ius primæuum : facilius ergo ſtuprator ſimpliciter ad ducendum obligatus credi poteſt, & condemnari. quamuis vbi res præter verba integra eſt ; difficilior habenda ſit probatio, & condemnatio. vbi enim copula interuenit, iuuat fauor matrimonij, & inefficax eſt fauor libertatis, & iuris textus, quibus Sanchez nititur, dum non admittit iuramentum ſuppletorium ad probationem promiſſionum. 4. Maximè in ſtupratis, quod obligatio iuris ſit ducendi, & dotandi.

Et ſpecialiter *c. atteſtationes. X. de deſponſat. impub.* idoneos teſtes requirit, quia eorum etiam ſponſalia irritantur ſolo diſſenſu, cùm puberes fiunt : atque ipſa mulier ibidem adhuc virginem ſe eſſe affirmabat. adeoque rebus integris idoneos teſtes requirit ille textus.

Tametſi dici poſſet frequentioris vſus cauſa teſtes nominatos, non tamen excluſam idoneam aliam probationem. quid enim, ſi inſtrumento probet, ſi ipſa ſcriptura partis ? & ſanè non aliter abſolui textus patitur iuuenem, 5. Et idoneæ probationes cenſentur.

nem, quàm si deficiente muliere in probatione ipse iurauerit non se consensisse circa aut post pubertatem. Si ergo defecerit in iuramento, condemnabitur. Qui defectus tamen præsumptiua tantùm est probatio, aduersus tergiuersantes. ergo similiter testibus quamuis non per se idoneis, vel vno idoneo, & indiciis ac præsumptionibus iunctis

6. Fauore etiã matrimonij. plena fides, plena probatio fieri potest promissionum matrimonialium. præsertim post copulam. cùm fauor libertatis ob concurrentem fauorem matrimonij inefficax est, sicut priuilegiatus generatim dici solet contra priuilegiatum non vti priuilegio. quin & in concursu valentior fauor præualet. vnde dici solet in dubio pronuntiandum esse pro matrimonio: vtique inter alioquin liberos: & sic aduersùs libertatem. Et verò libertas, cuius fauor in iure prædicatur, seruituti propriè dictæ opponitur, non verò huiusmodi anomalæ seruituti matrimoniali, carnali, aut spirituali: quia de illa; *melius est nubere, quàm vri*: de hac dictum; *seruire Deo, regnare est.* illa ergo suauis, hæc regia est.

7. Quæ vera seruitus non est.

8. Vis plenius probanda. Quod autem præter promissiones etiam vis illata allegetur; difficilioris est probationis, dum de raptu non constat; quod si indiciis ille probaretur, quamuis non sufficientibus ad criminalem pœnam; talibus tamen, quibus intentio alioquin ciuilis satis fulta videretur; non etiam dubito, quin ad pleniorem probationem iuramentum deferri possit. v. g. in casu qui proponitur *causa 36.* vbi iuuenis virginem muneribus ad conuiuium illexit; eoque finito eam compressit. & *q.1. in fin.* deciditur ideo, quod sit vsus rei domino prohibente violenter admissus, quia florem virginitatis puellæ renitenti violenter eripuit. quare stuprum violentum non dari sine raptu rectè asserit, quamuis non sub hac ratione Sanchez *de mat. l.7. d. 14.n.5.*

9. Cùm tamen ciuiliter agitur virgini super violenta stupratione ad effectum ciuilem potest deferri iuramentum suppletoriũ.

Eoque posito, quamuis *d.l.vnic. C.de rap. virgin.* raptoris & raptæ matrimonium non permittat, sed illius bona huic applicet; tamen canones posteriores *c.vlt. X. de raptor.* illud permittunt: sed rursus Concil. Trident. *s.24. de reformat. matr. c.6.* raptoris & raptæ matrimonium non permittit, quantisper hæc in illius est potestate: sed quod si ab *eo separata*, inquit, *& in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit; eam raptor in vxorem habeat:* hæc pœna est raptoris; prima ciuilis: nam *habeat* accipiendum puto non tantùm permissiuè, sed & imperatiuè; vt teneatur scilicet raptam ducere, si modò illa consentiat: eoque renouari puto

10. Et sic hodie vt stuprans ducere tenéatur. *c. 1. X. de adult. & stup.* vt quamuis mores in aliis alternatiuam ducendi vel dotandi induxerint; tamen ex hoc decreto raptor raptam præcisè ducere teneatur. Et quoniam tamen sine consensu sacramentum matrimonij consistere non potest; si nulla ratione aut censuris raptor induci potest, vt ducat, tum descendendum esse ad dispositionem *c.2. X. de adult.* vt si renuerit plenè conuictus *corporaliter*, inquit, *castigatus, excommunicatusq́;* in monasterium detrudatur. vbi Innoc. III. se dicit tamen legis duritiem mollire. quod & iubet Alex. III. *in c.4. X. de raptor.*

Altera pœna ciuilis à Conc. Trid. ita proponitur, *teneatur præterea raptor mulierem raptam siue eam vxorem duxerit* (consentientem & liberam, vt supra) *siue non duxerit* (vtique dissentientem) *arbitrio Iudicis dotare.*

Itaque ad effectum harum ciuilium pœnarum (quæ potius vel succedaneæ eius quod interest sunt, vel ob præsumptionem promissionum matrimonialium (*nisi enim*, inquit, *d. lex vnic. eam solicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere*) pro iure potius, quàm pro pœna accipiendæ ferè sunt) si indicia vehementia adfuerint, descendendum est ad suppletorium iuramentum raptæ, aut violenter oppressæ; eoque præstito condemnandus comprimens, vt compressam vxorem habeat, atque dotet. quod tamen Concilij Trident. decretum etiam obtinere puto tametsi verè non interuenerint promissiones matrimoniales in pœnam violentiæ; vt in *d. c.1. X. de adult.* in pœnam seductionis. 11. Violentus stuprator hodie ducere & dotare tenetur.

De Vsuris.

CONSVLTATIO I.

De vsuris ex mora & fructuum perceptione ab emptore debitis.

Venditori vsuras ex pacto aut mora deberi dumtaxat declarat lex *initio. C. de pact. inter. empt. & vendit.* & loquitur de iudiciali mora eadem lex; *in verb. ceperis experiri*; sed ex lege *Iulianus D. de act. empt.* alla etiam mora, quæ traditione incurritur, ad vsuras proficit: *in §. ex vendito. in verb. vsura pretij post diem traditionis; nam cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum vsuras pretij pendere.* facit etiam l. vsur. *C. de vsur.* atque hæc quidem est ratio de qua in l. curabit. *C. de act. empt. vsuras perceptorum fructuum*, inquit, *ratio, licet nulla mora intercesserit, generauit*: loquitur porrò eadem lex de eo, qui nactus possessionem, fructus percepit, quasi non tradente venditore, vacuam fortè adeptus sit. quod & altera lex in precaria admittit: *possessionem autem accipere debemus*, inquit, *etsi precaria sit possessio; hoc enim solum spectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi*: alioquin vniuersim *in bonæ fidei contractibus ex mora vsuræ debentur. l.32. D. de vsur.* ea facti est, & difficilis definitionis dicitur: *ead. l. in princ.* atque à Iudice examinanda: *ibid.* ratio autem fructuum hinc perceptorum, inde vsurarum petitionem æquam facit: I. Æquitas ex huiusmodi causis vsuras producit.

vsuræ,

vsuræ siquidem *vicem fructuum obtinent. l.34. D. de vsur.*

2. Consuetas in eo loco. At qualium? *quæ*, inquit, *l.37. D.eod.in regione frequentantur: vt est in bonæ fidei iudiciis constitutum*, seu *ex more regionis*, inquit, *l. 1. eod. vbi contractum est:* additque exceptionem vnicam; *ita tamen vt legem non offendat*: scilicet

3. Quæ legi non aduersentur. ne tantæ sint, vt in fœnus improbum incidant legibus vetitum. *l.improbum. C. ex quib. caus.infam.* quamuis toleratarum etiam duram & grauissimam molem vocet Iustinianus: *in l.eos. C. de vsur.* vbi eas deinceps moderatur. adeoque ad consuetas vsuras referre oportet, quæ dicuntur passim de soluendis vsuris pretij, aut aliàs; in bonæ fidei contractibus ex mora, aut in stricti iuris ex contestatione præstandis. vt seruandus sit vel mos regionis, vel pactum; dummodo non lege improbatum: vt nunc foret quidquid excederet moderamen d.

4. Non necessario commensuratas fructibus. Leos. *glos.d.l.improbum.* nullibi enim taxata est vsurarum quantitas ad ratam fructuum; sed generatim æquitas perceptorum fructuum vsuras prouocat, quamuis non ad æqualitatem fortuitam, sed maior hæc minorue esse possit: v. g. emptor fuerit in mora per menses duos, venditor quasi pignus interim retinere potuit rem, quam vendidit; *d.l.Iulianus.§.offerri.* totam ergo messem perceperit interim: longè illa excedet duorum mensium vsuras: & tamen pretio cum legitimis duorum mensium vsuris soluto omnes fructus, qui obuenerunt à tempore venditionis *§. cum autem instilut. de empt.l.3.§.1.D.de act.empt.l.fructus 13. l.penult. C.eod.* recipiet: vice versa vendita sit res parum, aut non frugifera, & tradita; ex mora, vel saltem contestatione debebit emptor soluere vsuras legitimas, seu consuetas; quamuis fructibus impares; propter præsumptum interesse venditoris: vt optimè Wesenbecius *in paratit. D.de vsur.num.9.* infliguntur enim *non propter lucrum petentium, sed moram non soluentium. l.17.§.si pupillo. D. de vsur.* quemadmodum & Couuar. *l.3.c.4. var. res.* idem de eo

Aut ei, quod interest in punitoriis ex re vera, sed præsumptione. quod interest docet, vt nec vsuris commensuretur; sed præsumptionem pro probatione recipi rectè tradit Griuel. *decis.92.* si accipiatur quoad vsuras punitorias. iniquum enim videtur venditorem re sua carere, & fructibus, & pretio; & grauari probatione quanti sua interfuerit: in bonæ fidei præsertim contractibus; qui fauorabiles sunt, odiosæ autem illæ vsuræ, quæ ex mutuo petuntur: quibus nec in foro ciuili fauor præsumpti interesse tribui debet,

5. Debet tamẽ accipiens suã conscientiã consulere. *per d.Clem.vnic.de vsur.* monet tamen rectè Wesenbecius eos, in quibus ea legis præsumptio non habet comitem veritatem; conscientiam suam debere compellare, & cum illa statuere an aliquid, quantumúe capere possint.

6. Nec huiusmodi proportionem spectarunt authores l. curabit. Vt minus rectè quidem *DD. etiam ipse Couuar. var. resol. l.3.c.4.* æquitatem legis curabit *C. de. act. empt.* christianam facere laborarint; id est, ita illam legem accipere, vt ad fructuum quantitatem, atque mensuram vsuræ tantùm peti possint: quasi verò ea cura fuerit Diocletiano & Maximiano authoribus illius legis, christiano nomini & veritati infensissimis: qui etiam ætate antecesserunt Vlpianum authorem *d. l.* Iulianus *& l.37. D.de vsur.* qui eapropter alioquin *in d. §. ex vendito* sententiam illorum Imperatorum explicare debuisset, vt fructus & vsuræ commensurarentur, non verò ad regionis morem statuerentur; vt in *d.l.37.* cui etiam adstipulatur Papinianus *in d.l.1.etiam dd. Imperatoribus posterior*; vt neque Iustinianus *in d. l.eos*, inter multiplices & operosas distinctiones vsurarum quicquam de huiusmodi proportione proposuit. Quare rectè Lessius *de iust. l.2.c.21.d.13. præeunte Nauarra*, reiicit opinionem Couuaruuiæ, & rectè docet tam fructus omnino à tempore venditionis spectare ad emptorem, quàm vsuras ad proportionem fructuum non exigi. *certum est*, inquit, *leges* (curabit, & Iulianus) *loqui de vsuris pretij absolutè siue fructus sint magni, siue parui; ea autem vsura erant iure Cæsareo 6. in 100. vt patet, l.eos, C.de vsur. quod autem Couuar. ex Carolo Molinæo docet leges illas loqui de vsuris compensatoriis fructuum, non videtur verum, &c.*

Et verò *in d.l.curabit* ad casum Decimæ minoris rescribunt Imperatores soluendas vsuras quas & perceptorum fructuum ratio, *& minoris ætatis fauor*, licet nulla mora intercesserit, generauit: connectunt Imp. causam fructuum, & fauorem ætatis; vt illa communis sit; hæc singularis minori: sic ratio respectum, causam, ius, legisúe mentem significat; *at apud Spigel. in lexico, v. ratio*, non verò proportionem, nulla hîc lege inductam; imò aduersus leges, quas citauimus: ob eamque connexionem duarum causarum dicere oportet omninò legitimas, *in d.l.curabit* vsuras esse intelligendas; non proportionem fructuum: quia vtræque causæ vni casui implicantur, & sic eandem quantitatem debent inferre: atqui minoribus vsuræ debentur legitimæ non ad ratam dumtaxat fructuum: *l. titia 87. §. vsuris. D.de leg.2. l. cum vero. §.apparet. D. de fideic. lib.* de illis ergo Imperatores rescribunt Decimæ minori: nam ideo minorum priuilegium est, vt ex solo tempore inducatur mora: *l.in minorum.l.in quib.caus.in integ.rest.* quæ lex est eorundem Imperatorum, Diocletiani & Maximiani, atque eapropter omninò conciliandæ cum d.l. curabit: vbi *licet nulla*, inquit, *mora intercesserit*; in d. autem *l.in minorum* ex solo tempore moram fieri: vt scilicet *in d. l. curabit*, tam ex perceptione fructuum, quàm fauore minoris ætatis mora facta intelligatur, quamuis nulla alia intercesserit: quasi magis priuilegium moræ, quàm mora sit: *d. §. vsuræ.* vt iure vtrumque pro mora recipiatur; & iuris effectus inde sequatur; id est, vsuræ infligantur propter moram non soluentium; *d.§.si pupillo*; consuetæ more regionis, *d.l.1.l.37.* 7. Sed legum taxam aut regionis morem.

Ad eundemque modum accipiendum est, quod legibus præscriptum est, vt pecunia pupillaris à tutoribus mox in emptionem prædiorum collocetur, aut, si minus occasio vtilis se offerat, iuxta vsurarum modum fœnori 8. Etiam in pecunia pupillari.

nori detur. *l. tutores* 24. *C. de administ. tut. l. quoties in princ. D. eod.* quod examinat Couuar. *eod. lib. c.* 2. diducendum id non est aliò, quàm ad præscriptum legitimarum vsurarum; non verò vt earum legum iustitia ad momenta sacrorum canonum extendatur. nam veteres Imperatores vsuras sanè admiserunt, non tantùm ex mora punitorias; sed etiam ex stipulatu lucratorias. quin & ipse Iustinianus *d. l. eos* ob præsumptum interesse, & politiam. quamuis ipse alibi quatuor Conciliis œcumenicis, adeoque Nicæno eum honorem exhiberi voluerit, quem quatuor euangeliis; & à Nicæno tamen damnetur vsura. *c. quoniam* 14. *q.* 4. quæ causa 14. *tota q.* 3. 4. 5. nec non tituli. *X. in* 6. *& Clem.* occupantur in vsuris damnandis: adeo quidem vt d. Clem. *vnic. de vsur.* excommunicationem iudici minetur qui vsuras adiudicat, qui statuta condit de vsuris soluendis, aut solutis non repetendis. illis vtique quæ ex solo mutuationis officio exiguntur; non quæ alio titulo licitæ sunt. *de quibus latè idem Couuar. eod. l. c.* 1. *& seqq.* & quidem summatim id traditur, vt lucratoriæ per canones sint prohibitæ; compensatoriæ licitæ; punitoriæ in foro externo toleratæ; tam ob præsumptum interesse, vt diximus, quàm moram non soluentium. quemadmodum per leges licet in commercando alterum decipere, & solum damnatur læsio vltra dimidium iusti pretij. *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* aliis ad conscientiam commercantium reiectis. ne forum litibus repleatur. quæ politica tolerantia tamen in foro interiori vt venditorem emptoremúe non excusat quoad læsionem in pretio; ita neque quoad morsum vsurarum. & propterea Lessius *vbi supra* censet vsuras huiusmodi etiam per canones esse abolitas. sed id quidem accipio, quoad animæ iudicium; sed quoad forum iudiciale, habet praxis omnium tribunalium vt ex mora vel contestatione infligantur vsuræ consuetæ: nec ad illas respicere creditur d. Clem. *vnic. de vsur.* fauore quietis publicæ, & præsumpti communiter interesse. quemadmodum idem Lessius *ibid. numer.* 102. etiam in foro externo tantùm recipit distinctionem interesse intrinsici vel extrinsici: in animæ autem iudicio vtrumque ait deberi ab emptore moroso. itaque vt hanc iniquitatem canones in foro externo non corrigunt; ita praxis vsuras punitorias in eodem infligi permittit. quod si enim admitti possit, vt sub quibusdam conditionibus admittit Lessius *d. l.* 2. *c.* 20. *d.* 15. *& Malder. de iust. tract.* 5. *c.* 3. *d.* 18. pœna conuentionalis, ad vitandam probationem eius quod interest apponi solita, §. *non solum. instit. de verb. oblig.* quamuis etiam non intersit; cur non admittetur ea legis, & Iudicis esse potestas, quæ sit priuatim paciscentium, vt morosum debitorem pœna vsurarum castigare possit? quare rectè Malder. *tract.* 5. *c.* 2. *d.* 15. illis legibus censet conscientiam non esse tutam, &

9. Canones præsumpto interesse non sunt contenti.

10. Nisi in punitoriis ex mora in foro externo tantùm non in iudicio animæ.

generalem præsumptionem non saluare conscientiam venditoris, quando reuera ipse aut nullum, aut non tam magnum interesse prætendere potest. rectè quoad animam, quæ veritate dirigenda est, non præsumptione. quæ etsi probationis vicem habeat; tamen nec illa, nec etiam Iudicis sententia animæ prodest. sed neuter agit de potestate legis, aut Iudicis moram punientis; idque quoad forum externum, quando vsuræ propter moram non soluentium infliguntur. *d.* 5. *si pupillo.*

Moræ hic accusat vtraque pars litigantium alteram. & quidem dicitur exceptione allegata moram factam non videri *l.* 21. *D. de vsur.* & nuncupatim emptorem, si imminet euictio, ad totius vel residui pretij solutionem non compelli: minus ad vsuras *l.* 24. *C. de euict.* & rursum id cessare si satis ei offeratur: *eadem lege.*

Et in exceptione, inquit Paulus *l.* 22. *D. de vsur. si modò id ipsum non fraudandi causa simuletur*, & *l.* 24. *eum, qui iudicium accepit, non videri fecisse moram, vtique si iustè ad iudicium prouocauit.* erit ergo maximè verum, vt & moræ quæstio magis facti, quàm iuris sit; & ad examen iudicis reuocetur: *d. l.* 32. qui dispiciat an fraudulenta simulatio, an iusta exceptio sit.

Sed vtique qui prior de aduersario queritur, prior implere contractum debet:

——— si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi; inquit Horatius: & petitor pretij exceptione rei non traditæ repellitur. *l.* 25. *D. de act. empt. latè VVesenbec. in paratit. D. de act. empt. n.* 6. *d. l. Iulian.* §. *offerri. l. ex his. C. de euict. l. cum proponas. C. de pact. l. quæro.* §. *inter. C. locat. Leon. conf.* 2. *num.* 4. *c.* 4. *num.* 14. *Dec. conf.* 119. *n.* 1. *Crauett. conf.* 151. *Mohedan. decis.* 1. *de pact. aliàs decis.* 218. *l'Inglois in Decis.* 50. *Iust. dec.* 15. *q.* 12. *num.* 5. & quamuis, vt reorum est fugere, reus differendi etiam causa exceptiones proposuisse videatur; cùm tamen reuera illæ iustæ sint, si nec Actor prior facto ipso satisfecerit; non ex animo rei, sed ex causa statuendum videtur: neque enim fraudandi animo exceptio simulata tunc est; de qua agit Paulus *in d. l.* 22. sed iusta fuit. *vt in l.* 24.

Nec reo proderit, si aliquamdiu fuerit lis interrupta; vt vsuræ litis interruptæ non debeantur; nisi à resumptione instantiæ: Papon. *lib.* 15. *tit.* 4. *de dotib. a.* 2. *allegat Molin. & Lucium l.* 8. *tit.* 1. *ar. nu. & in addit. glos. in l. litigator. C. de fruct. & lit. exp.* quia iam hic vsuræ non debentur ex contestatione, cuius vis perire possit perempta instantia; sed ex mora: ex qua sola sine lite in bonæ fidei iudiciis debentur, vt sine illa, nec intentata quidem, exigantur: vt interruptio non obsit.

11. Interruptio litis an vsuras sistat.

Quid si litigantes sint cohæredes, & res vendita sit, hæreditaria? siquidem cùm res diuidi commodè non possunt, vt ædes, solet licitatione admissi alteri res, alteri pretium adiudicari. *l. item labeo.* §. 1. *D. famil. ercis.* & vsus recepit vt ad licitandum etiam extranei admit-

12. Quid, si emptor idem & cohæres sit venditoris, pretium in portionem

suam imputari & expensas vicissim in hæreditatem factas exigat? admittantur, seu res publicè venum exponatur; &, siquidem extraneus emerit, mox actione ex empto pretium soluit: si cohæres; iudicio familiæ erciscundæ aut soluit, aut in quotam suam imputat. In hoc enim iudicium tam res veniunt, quàm præstationes: *l.22.§.penult. D.eod.* commodi, incommodi, atque expensarum. *l.18.cum seqq.eod.* eorumque sumptuum, quos cohæres fecit pro re hæreditaria, aut in negotia communia expendit: *l.25. §. si vsus l. 39. in princ. D. eod.* quamuis plures sint hæredes, & duo tantùm litigent. *l. 2.§.4. eod.* & quoniam iudicium hoc bonæ fidei est; *l. 9. C. eod. §. actionum institut. de act.* etiam ex mora vsuræ præstantur, *d. l. mora. §.1. D. de vsur.* & cautiones de euictione, aliisque iuribus, ex bono & æquo interponuntur. *d.l.25. §. fin. l.47. D. famil. ercisc.* ideoque hæres emptor rectè petit pretium in quotam suam imputari: &, si quid venditor aliunde ex hæreditate præceperit, peræquari; & ne quid maneat indiuisum. *l.25.§.pen.D.fam.ercisc.* Vide etiam quæ diximus *supra de emptione consf.1.*

De Maledicis.

CONSULTATIO I.

1. Clericus maledicus corrigibilis non deponitur hodie. QVamuis seuerus aliquis canon, cùm Ecclesiæ disciplina nondum esset laxata editus, clericum maledicum deponi iubeat, *c. clericus maled. dist. 46.* tamen nemo hactenus audiuit eum vsu vigere, & tribunalium obseruantiâ. Præsertim cùm ne quidem Clemens III. *in c.1. X. de maled.* clericum, qui Pontifici Romano, vt tali, maledixerat in officij depressionem, beneficij priuatione mulctari iusserit, sed tantùm ita excipi, vt exemplo eius alij terreantur. Quin & exaudiendus esset textus in clerico, qui nullatenus corrigi se patitur. *ita Canis. in sum. iur. Can. lib.3.tit.22. vbi allegat. glos. & Panorm.*

2. Quis incorrigibilis. incorrigibilitas autem non captatoriè accipienda est, si quis in excessum aliquem relapsus fuerit; sed vt docet *c.6. sess.21. Concil. Trid.* in ijs qui turpiter viuunt, vt si præmoniti fuerint, si castigati fuerint, si coërciti fuerint, si nihilominus perseuerent: tunc iuxta canones contra eos procedi posset, pari modo de concubinarijs agit Conc. Trid. *s.25.c.14.* primò monitionem, deinde tertiæ partis fructuum, tertiò integrorum fructuum amissionem, & ab administratione suspensionem iniungit: denique si suspensi perseuerent, tamquam incorrigibiles beneficijs priuantur: in hac verò lite, neque de monitione præuia; neque de alia correctione constat: vt appellans incorrigibilis dici non possit.

Et in hac causa quædam iustus dolor excussit, qui excusat à dolo. Neque talia sunt, de qualibus agit *d. c. 1.* quin & prolata recensentur in ordine ad querelam, & appellationes; non secus quàm appellantes dicere solent, *perperam, iniquè, nulliter, contra ius & iustitiam* pronuntiatum esse. Qualia non maledicta; sed vocabula artis esse intelliguntur; ob quæ nulla pœna, præsertim priuationis, aut depositionis imponi potest. temeraria tamen malè dicendi, detrahendique petulantia, quin extra ordinem ex bono & æquo iudicis arbitrio corrigi, compescique possit, non est dubitandum.

De Iniuriis.

CONSULTATIO I.

De informante Principem de falsò crimine.

EVm qui *nocentem infamauit, non esse bonum & æquum ob eam rem condemnari* ait *l. eum. D. de iniur.* quod peccata nocentium nota esse & oporteat, & expediat. & iterum, *quod reip. veneranda causa secundùm bonos mores fit, etiamsi ad contumeliam alicuius pertinet,* quia tamen non ea mente magistratus facit, ut iniuriam faciat, sed ad vindictam maiestatis publicè respiciat, actione iniuriarum non tenetur. *l. quod reip. D. ibid.* Vnde communiter in eam sententiam Doctores iuerunt, vt iniuriarum non teneatur, quem veritas conuicij excusat, dummodo reip. intersit vitium istud sciri. Vnde Honded. *consf.112.* eum excusat, qui memoriale dedit Duci Vrbini, vt in eo nominatus inquireretur, & puniretur. quippe prauus animus requiritur ad iniuriam, qui non præsumitur: *Decius consf.34. num. 5.* vti neque delictum: *l.merito.D.pro socio,* adeo quidem, vt qui se læsum iniuriâ putat, delinquendi iniuriandique animum probare teneatur: *l. illud. §. sane verb. cum enim iniuria ex affectu facientis consistat: l. iniuriarum vers. siquis quod decreto & §. idem Labeo verb. idem ergo erit probandum: D. de iniur. l. si quis graui. §. 1. D. ad Syllan.* vnde & traditum est passim in dubijs interpretationem faciendam, vt euitetur delictum; in actu licito iniuriandi animum abfuisse præsumi; quamuis coniecturam potius sumendam, quàm quæ delictum implicet; etiam causæ fatuæ, vt dolus abesse præsumatur: multo magis si ex antecedentibus aut consequentibus alia dicendi causa deprehendatur; maximè autem si diserta protestatio de non iniuriando adiecta sit, verba enim inuenta sunt vt dicentis animum declarent. *latè Alciat. l. 1. in princ. tract. de verb. signif.* 1. Animus si deest iniuria non committitur.

Quæ si ita sint, videri non potest peccatum esse à sacerdote aulico, qui Principem informauit quasi F. non sit iusta vxor E. qui aliam I. superstitem habeat: neque culpam contraxisse, quod requisitus à iudice, binas sententias ea super re latas exhibuerit, protestatus zelo Iustitiæ se id facere, eodem quo Iudex requirit, alioquin sibi nec seri nec meti: deinde vt sciat Princeps an isti F. inter heroinas aulicas locum vt vxori E. dare, an denegare

lubebit. quia vxoris gradum tribui pellici indecorum foret; adeoque venerandæ reip. causæ secundùm bonos mores ne inducatur macula isthæc, quamuis ad maculatæ contumeliam id pertineat.

2. Sed secundùm bonos mores. Sed enim verò hæc ita obtinent, si secundùm leges fiant: *l. vnic. §. sanè. C. de famos. libell.* si secundùm bonos mores fiant, vt ait *d. l. qui reip.* si non excedantur limites modestæ informationis, atque inculpatæ subministrationis instrumentorum, aut notitiæ à Iudice requisitæ: si certa vt certa, dubia vt dubia, præsumpta cum aduersis coniecturis simul proposita fuerint: alioquin ex boni viri officio factum non erit. peccata publicè nota esse expedit; sed liquida vt liquida; obscura vt obscura. si enim aliter res dicatur, quàm se habet; non taliter dicentem fides veri à calumnia excusat. vt loquitur *l. 5. si non conuitij. C. de iniur.*

3. Non conuitiandi causa, atque vbi reip. non prodest. Iterum lex requirit, vt non conuitij causa dicatur. *d. l. si non conuitij.* alioquin homicidium sciri expedit, obiectum tamen illud non aliter excusat ea lex, quam si anni lapsu iniuria præscripta sit. *qua de re latè Couuar. var. res. l. 1. c. 11. n. 6.* Denique infamationem nocentium lex tolerat, quia peccata nota esse expedit: si ergo iam antè nota erant, si ad Iudicem delata, cognitio desuper habita, ac sententia lata sit; iam cessit legis ratio, adeoque tolerantia. *vt sentit gloss. ad leges Partitar. 7. tit. 9. l. 1.* neque enim malignitati ita indulgendum est, vt ansa detur turbandæ quietis publicæ, quam leges tam caram habent; si gratis nullo fructu permittantur homines inuicem conuitiari, iurgari, à verbis ad verbera ac cædes transire, & præsertim de stupris, & adulterijs iacta conuitia, odio potius quàm fauore digna sunt, quando extranei, quorum non interest, conuitiantur. quapropter leges Romanæ patrem ac maritum ex suspicione, ac sine pœna accusare permittunt; denuntiare etiam suspecto ne cum vxore conuersetur, atque aliàs ijs, qui suam suorumque iniuriam persequantur facilem accusationem faciunt: extraneis autem eam non permittunt, ne quidem cum inscriptione, *l.*

4. Præsertim in adulterio, stupro, &c. *quamuis. C. ad leg. Iul. de adult.* & quamuis aliqui hanc legem ita interpretentur, vt extranei ad accusationem non admittantur, nisi in defectum propinquorum; sed tunc quidem: quia adulterij crimen publicum est, & publici criminis accusatio popularis, seu cuilibet de populo permissa: quo argumento etsi plausibiliter credi posset id olim concessum fuisse: nunc tamen statuendum est, per eam legem non licere. quippe quæ hoc ipsum argumentum assumit, eoque non obstante statuit extraneos ab adulterij accusatione excludendos; & benè: quia sæpè accusationes falsæ, accusatores improbi, fama, & rumores maligni, probationes dubiæ turbant benè constituta matrimonia, magno coniugum, prolium, consanguineorum, reip. incommodo.

5. Et non notorio. In delictis sanè priuatis pars læsa, & cuius interest dumtaxat regulariter admittitur. Neapoli qui suam vel suorum iniuriam prosequitur, in Gallia per Ordinationes regias, nec hi nisi pro interesse ciuili: in Italia multis locis nec Iudex ex officio procedit ex stupris & adulterijs, nisi ad quærelam parentum; nisi fortè delictum sit notorium, ac permanens. ac ita ferè in Concordatis Brabantiæ. §. *de crimine concubinatus*, & §. *adult.* & quamquam Concil. Trid. *de reformat. mat. s. 24. c. 8.* grauiter admodum insurgat in concubinarios solutos, & magis in vxoratos; loquitur tamen de iis, qui permanent in eo crimine, & sub finem paucis defungitur: *alijs*, inquit, *pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.* quæ verba non tollunt Statuta, & Ordinationes de liquidis & notorijs tantùm publicè accusandis. & si cui legitimè, & secundùm iura accusare permissum non erit, qua lege dicemus concessum conuitiari, *pellicem* nominare, *impudicissimè, perfidissimè, flagitiosissimè ad consortium conuolare?*

Nam quamuis pellex sit, quæ aliam coniugem pellit, maritum pellicit, cum eo corpus miscet; *l. 144. D. de verb. signif.* & qui vxorem habet, secundam ducens, adulterium committit: *l. eum qui duas. C. de adult.* & oportet exspectare eum, donec primum matrimonium declaretur inualidum: *c. 1. 2. 3 X. de sponsa duor.* tamen vocabula hæc narrationem valde exasperant, contra bonos mores adiiciuntur; adeò vt qui à Iudice requisitus rem edicere, ijs verbis dicit; contra bonos mores peccet; pro excessu puniri possit: vt ex nomine pellicis iniuriæ pœnas admittit Gram. *cons. 57. n. 7.* 6. Neque vocabulo iniurioso.

Neque obiici oportet eum non debere pudere nominis, quem facti non pudet; quia facta multas sæpè habent excusationes; nomen tale damnationem vitij continet: facta ad cognitionem deducuntur, nomen sententiam, & executionem præ se fert. Filius aduersùs patrem de dolo agere non permittitur, sed in factum experiri; vt iuri neglecta non sint vocabula, quæ opinionem minuant.

Ac verò nèc extra iniuriam est pellicem vocare, & super-inductam quæ viro nupsit, qui cum alia nuptias habuisse dicitur, ideo dumtaxat, quia prius matrimonium à Iudice non est declaratum irritum: quia valde distant binas vxores habere, vel vnicam non seruato iuris ordine ductam: quia illud diuino præcepto *non mechaberis* aduersatur; hoc autem positiuum ius, & politicas regulas tantùm offendit. ideoq; hunc excessum illius nomine notare, iniuria est; præsertim priusquam decisum erit ecquodnam matrimonium prius, an posterius iustum fuerit: multò ergo magis postquam Iudex pro secundo matrimonio resoluerit, vel absolutè in petitorio; vel saltem, dum nondum vlterius liquet, in possessorio; declarando manere eos posse in possessione coniugij: quam proinde non iure turbat, quisquis exinde ijs nominibus, aut dicterijs eos notauerit, præsertim dum ad normam *l. diffamari. C. de ingen. man.* edicto in ius vocarunt omnes, qui aduersus matrimonium istud quippiam haberent allegandum; qui cùm contumaciter non compare- 7. Pellicis super-inductæ, &c. 8. Præsertim re iam antè delatâ, cognitâ, decisâ.

parue-

paruerunt, sed quasi pro illis ex officio intercessit Promotor, isque succubuit; in eo non comparentium causa damnata est; eorumque respectu sententia in rem abiit iudicatam. & procul dubio aduersus eius decisionem conuitiantes, quantisper decreta possessio ex petitorij decisione inuersa non est, graui se iniuriarum obligatione obstringunt.

9. Contra iudicatum irreparabile, saltem perfectè ex facto.

Hæc cùm ita sint, atque ex actis liqueat plus satis L. reum in his dictis & dicterijs, quà dicendo, quà scribendo, quà agendo grauiter excessisse; procul dubio Iudex E. & F. actores grauauit indicendo quasdam probationes super matrimonio; cuius possessorium iam ex re iudicata constat. importunæ enim hæ sunt in causa iniuriarum inter has partes agitata, cùm respectu rei iam res sit iudicata. Et quamquam, si causa matrimonialis ageretur, laudabilis esset in his Iudicis diligentia, etiam superflua; quia coniugum respectu sententia matrimonialis ob sacramenti indissolubilitatem, & ad peccati euitationem numquam transit in rem iudicatam; tamen in hac causa respectu rei, ea iniungendo, quæ pro E., ætate, fortunis, & legibus loci, vbi peragenda, sunt moraliter impossibilia, sine grauissimis periculis; procul dubio irreparabiliter grauauit. nam in ijs, quæ capitis & fortunarum periculo subiecta sunt, non nisi ex summa necessitate fuerant imponenda. non reparabit quæ malè cesserint, illud dicere *non putabam.* addo immensos sumptus fore in dissitis & periculosis locis, quos iudicialis taxa numquam exæquat. denique demonstrat sententia quo vergat Iudex, quasi veritate prioris matrimonij planius detecta, reus excusaretur ab iniurijs (ante subuersionem decretæ possessionis, & rei iudicatæ illius respectu) illatis: nam si hoc intendit Iudex, maius grauamen est causam in has moras remittere, quàm iam sic definire. si non intendit, tum quæ indixit, non sunt releuantia; & sic etiam grauauit; adeo saltem quod perfectè id reparari non poterit, ob dictos immensos sumptus, omissis periculis.

10. Quo casu cessat Trid. vetans appellari ab interlocutoria.

Et quamquam Concil. Trid. *s*.24.*c*.20. appellationes reiicit à grauamine reparabili per diffinitiuam; intelligendum tamen id videtur, vt cùm statutum id sit ad imitationem iuris ciuilis, ex eodem interpretationem accipiat, vt reparabile non censeatur, sicut nec iure ciuili, quod perfectè reparari non potest. *Gail. lib*.1. *obs*.129. aut si quidem nec id placet, tamen Trid. d. loco recursum ad superiorem admittit, quando Iudex prioris instantiæ infra biennium causam non absoluit; vnde superflua hæc & non releuans diligentia post triennalem litis ductum iustam causam recursui ad superiorem præbet.

Cæterùm quoniam acta litis vtrimque admodum ingressa sunt causam matrimonialem; paucis excutiamus quid de ea statuendum sit, in se considerata perplexa admodum est propter contrarias confessiones; quarum simulatio non tam neruosè probatur, quàm plausibiliter allegatur: itaque ea puncta ad illius elucidationem benè conferent, cùm matrimonialis causa ex professo tractabitur; sed in hac causa iniuriarum, si admittenda essent, ipsi reo imponenda erant: ex præscripto *l*.5. *C. de iniur. si non conuitij*, inquit, *consilio te aliquid iniuriosum dixisse probare potes; fides veri à calumnia te defendet:* itaque ea lex duplici probatione reum onerat; 1. vt non conuitij consilio id se dixisse probet, quamuis apud Principem, *l*.15.§. *si quis D. de iniur.* quod iniuriosum sit: 2. vt fidem veri faciat, siue obiectum crimen probet. quid enim ineptius, quàm conuitiari, & dicere proba te non esse talem? nam qui dicit, non qui negat probare tenetur. si accusasse sufficiat, quis innocens erit? itaque hæc puncta ipsi reo imponenda erant, quo fidem veri faceret, quo à calumnia se defenderet. ergo id & aliud grauamen est; eoque maius, quod actor tam afflicta fortuna sit, vt neque neruum litigiosi belli huius habeat, nec amicos, qui sub fide ei mutuentur. adeoque ex hypothesi obligatur ad impossibile.

11. Iniurians veritatem criminis, & animum ab iniuria alienum probare debet.

Et verò E. & F. furtiui non sunt amores; sed ab ecclesia probatum matrimonium; solemnizatum à D. R. N. sacerdote, parochi & Ordinarij vicem ex commissione Apostolica obeunte: cuius præsentia, cognitio, & decretum purgauit, quidquid obiicitur. Dum & martyrio illud authorauit, & sanguine sigillauit: quod alioquin moriturus improbare debuisset. At, inquis, scriptis mandari hæc oportuisse, alioquin pro Iudicis processu non præsumi: *c. quoniam contra. X. de prob.* rectè, vbi ecclesia politiam & iurisdictionem externam liberam habet; at vbi eius interdictio capite sancita est, non id erit dicendum; sed generatim manendum in earum legum, quas glos. *ad d. c. quoniam.* citat, resolutione; vt pro Iudice, & ab eo gestis præsumatur.

Præterquam quod & illud non caret consideratione, quod E. per interpositam nequitiæ personam, per hostes suos effractis scrinijs spoliatus sit omnibus munimentis, & chartis suis: quod vt probatum est; iurato illi credendum erit, etiam chartas d. R. N. rerum à se gestarum testatrices, & literas Apostolicas approbatorias subreptas esse. probato enim spolio, iuranti creditur quoad res spolio ablatas. *c. vlt. X. de his quæ vi metus. caus. in verb. postquam de violentia per testes, & de amissis rebus per ipsius constiterit iuramentum.*

CONSVLTATIO II.

An iniuriarum nomine teneatur sacerdos à defuncto asserens se iussum, quicquam famosum reuelans.

1. Non tenetur.

Controuersiam propositam discutit Lapus *allegat.* 47. *vt eum secutus citat. Boër. decis.*299. *num*.8. alijque docent sacerdotem nulla

nulla pœna teneri, qui à defuncto iussus aliqua reuelauit.

Idemque Lapus *alleg.* 94. (vbi casus noster est in terminis etiam iussi ex confessione sacramentali sacerdotis mulieris adulterium viro reuelantis & Episcopi punire volentis) & pro sacerdote resoluit; sic vt mandatum habuisse credatur. Eum sequitur Menoch. *lib.* 6. *præs.* 95. *num.* 12. 13. *vbi & citat. Felin. Ripam, Marsil. Cottam, Mascard.* nisi quod hunc reprehendat, quod sola sacerdotis assertione non sit contentus; sed iuramentum exigat: *& idem Menoch. l.* 1. *præs. q.* 58. *num.* 15. hoc autem ait, an habuerit in mandatis satis probatur, ex coniecturis & præsumptionibus, ductis à bonitate vitæ, sacerdotis, & his similibus. *ita egregiè scripsit Lapus d. alleg.* 94. *num.* 3. 4.

2. Quia assertioni mandati eius creditur.

3. Præsertim ex coniecturis coniunctis.

4. Vt qui mandato Superioris quid facit,

Atque hæc obtinent non tantùm quia testis deponens ex testimonio non obligatur, præsertim non vltroneus, sed coactus; quia mandatum Superioris excusat: quomodo miles cùm obediens potestati, sub qua legitimè constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidij; imò nisi fecerit, reus est imperij deserti, atque contempti: *c. miles cum* 3. *seq.* 23. *q.* 5. & qui Episcopo iubente clericum capit: *c. si clericos de sent. excomm. in* 6. qui iubente Prætore album corrumpit: *l.* 6. §. *dili. D. de iur. omn. ind.* nullam in pœnam incidit: & generaliter qui iussu Iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere: *l. non videntur;* §. *qui iussu. D. & c. quod quis in* 6. *de Reg. iur.* & vtrobique ratio additur; *cùm habeat parere necesse.* vnde & è contrario *non potest dolo carere qui imperio magistratus non paruit. l. non potest. D. eod.*

5. Iussus, coactus.

Itaque consequenter testis cuius munus publicum est, & necessarium, ex testimonio non tenetur; maximè quod iussus & coactus dixit. vt in actis satis est probatum in negocio controuerso accidisse, & reum deposuisse ex iussu sui Episcopi, qui in diœcesi sua Iudex est: *c.* 1. *X. de offic. ord. c. cum Episcopus eod. in* 6. cùm iuris necessitas eum excuset. *VVames. cons.* 464. *num.* 3. *iur. can.*

Et ideo rectè Barth. *in l. iniuriarum.* §. 1. *D. de iniur.* docet non cadere in actionem iniuriarum, quod iussu Iudicis factum est; nam is iussus ab omni pœna excusat. *Zas. in l. si quis. cum l. seq. D. de iurisd. omn. iud. num.* 32.

Sed & ideo quod actor hic reum conuenit, & ex reuelatione per eum facta tres conclusiones sumpsit, prout in lite, quasi iniuriam ei reus irrogasset, & quidem atrocissimam ex causa & personis.

Nam ad probandum medium ex quo actor concludit, duo necessaria forent.

6. Nisi probetur dolus, & iniuriandi animus.

1. Dolus malus: ita vbique edictum Prætoris. *D. de iniur.* (qui & in omni delicto requiritur) & animus conuitiandi, seu infamandi: *l.* 3. *D. de iniur. in verb. iniuria ex affectu facientis consistit, & quæ ibi traduntur, & alibi passim.*

7. Nec sufficit rem narratam falsam dici, & esse;

2. Vt falsum dixerit: *l. eum qui nocentem. D. l. si non conuitij. C. de iniur.* neutrum autem hic actor probauit, aut probare obtulit, sed nec specificè in facto posuit. Ad actorem autem id spectat. nam qui dolo dicit factum aliquid, licet in exceptione, docere dolum admissum debet: *l. quoties.* §. *qui. D. de prob.* & quidem indicijs perspicuis, & probationibus manifestis. *l. dolum. C. de dol. & ibi glos. Masc. concl.* 902. *num.* 4. 8. 11. 12. 13.

Quod enim attinet ad falsitatem; inducit quidem actor rationes, & munimenta, quibus persuadere contendit vxorem suam non esse ex illegitimo congressu natam; sed nec rationes, nec attestationes profert, quibus contendit defunctam non mandasse, aliud enim est dicere rem veram non esse, aliud à defuncta dictam non esse.

Vt igitur actor reum conuincat de falso, defunctamque ei non dixisse, quod dictum sibi reuelauit; oportet vt probet actor, non coram alijs, non soli locutam, nec quidem sub extrema fuisse reum solum apud illam; sicut negatiua loco & tempore circumscripta probari debet, quando in ea actionem suam quis fundat: sed neque hæc sic ponit actor.

Quasi vero sufficiat Actori dicere hæc à reo dicta esse, & quidem falsò, nisi reus veritatem probauerit; & quidem in causa criminali, vbi & criminaliter ad priuationem pastoratus, atque aliàs concluditur.

Actoris enim est probare falsitatem, quando in ea actionem fundat: *d. l. qui dolo. l.* 2. *D. de probat. Farin. de testib. l.* 3. *tit.* 7. *q.* 77. *n.* 103. *vbi plurimos allegat.* & quidem maximè in criminalibus. quid enim absurdius dici posset, si quilibet testis ob testimonium in ius rapi posset, & contra eum iniuriarum agi, si non alijs testibus dictum suum probasset?

8. Nec veritatis alia probatio reuelanti incumbit, vt nec testi cuilibet.

Dolus etiam malus, & animus conuitiandi ab actore probandus est: *d. l. quoties.* §. *qui dolo.* neque enim præsumitur animus iniuriandi: *Roland. à Valle cons.* 11. *num.* 45. vt semper præsumptio accipienda est delicti exclusiua: *Alciat. de præs. reg.* 3. *p.* 1. *n.* 1. ideoque quod in bonum & malum capi posset, semper in meliorem partem interpretandum est: *Alciat. ibid. latè.* si tamen non ex ipsius rei gestæ forma liqueat. quo quidem casu loquitur lex *si non conuitij, & quæ ibi à glossa allegantur. C. de iniur.* nam constat ibi ex re gesta iniuriam in rixa, vel percussione dictam *l.* 1. *C. ad leg. Corn. de sicar.* aut cùm committitur aliquid, quod simpliciter est prohibitum. *vt dicit. gloss. in d. l. dolum. C. de dol. & constat ex c.* 1. *X. de præs.* quia omne malè factum, prauè præsumitur actum.

9. Et dolus ab allegante probandus est: nisi ex re gesta liqueat.

Atqui actor in hac causa ne quidem in facto posuit reum in vulgus hæc sparsisse; sermones in circulis habuisse, seu apud alios quàm oporteat; quod valde considerat Menoch. *d. præs.* 95. *in fin.* per obscuras tantùm nubes deducere vult indicasse vitrico actoris, & sororibus (nullibi de alijs mentio) præter Decanum, coram quo facta est reuelatio, & à quo missa ad Episcopum; & clausa quidem (vt ponit reus, & si punctum in eo versaretur, super eo admittendus esset ad probandum) vt

10. Vt in cœtu, & circulis reuelando.

solent

solent commissi ad aliquos testes audiendos,& *iuxta statuta Cur. eccles. Prouinc. Mechlin.* tenentur mittere testimonia ad committentem, & clausa quidem.

11. Quando iniuriandi animus præsumatur.

Ad iniuriam sanè contumeliæ causa requiritur. *l. 1. D. de iniur.* & ad conuitium cœtus,& clamor, quasi conuocium: *l. item* 15. *D. eod.* §. *ex his.* sed & officij causa contumeliæ præsumptionem excludit: *d. l.* 15. §. *neque.* sic & professio Astrologum excusat, qui aliquem furem dixerit; quamuis falsò: *d. l.* 15. §. *Astrologus.* quanto magis sacerdos, parochus, per multos annos innocenter viuens parochianæ suæ extrema mandata, etsi dura, dum falsa non probantur, executus, extra noxam censendus est? is *qui iure publico vtitur,* inquit Vlpian. *in l.* 13. *D. eod. non videtur iniuriæ faciendæ causâ hoc agere*; iuris enim executio non habet iniuriam: & quæ iure magistratus fiunt ad iniuriarum actionem non pertinent, inde & natum vt pro Iudice, pro eius sententia, pro gestis ab eo præsumatur, donec iniquitas probetur. suo sanè modo parochus sacerdos iudex est, pro eoque adeo, eiusque gestis, ac dictis præsumendum est: præsertim circa secreta conscientiarum, ad quarum exonerationem moribundi solent arcana sua ei fidere, deponere, mandare, quæ ipsi pandere noluerunt, cùm nondum mortalem verecundiam exuerunt. muneris ratio iniquam præsumptionem auertit à Iudice, qui in carcerem duci iusserit: *d. l.* 13. *vers. si quis.* qui seruum honorem, & ornamenta Iudicis attentantem, loris ruperit: *l.* 15. §. *adijcitur.* qui lectos in via consciderit: *l. lectos de per. & com. rei vend.* qui aduersùs imperio resistentem violentius quid fecerit: *l.* 29. §. *fin. D. ad leg. Aquil.* qui mensuras fregerit: *l. item queritur.* §. *si mensuras. D. locati.* aliaque sunt exempla in iure nostro sexcenta, vbi ratio muneris iniquam præsumptionem, quam alioquin res gesta ingereret, excludit. officium testis publicum, vt diximus, & ipsum tutatur, quæ & parochum sacerdotem commissa à morientibus reuelantem extra cogitationem iniuriæ constituunt, ex similitudine rationis; saltem donec accusator improbitatis eum conuicerit. *arg. l.* 3. *D. quod metus.*

12. Excusat causæ officij, professionis.

13. Et pro Iudice, & qui officio suo fungitur, præsumitur.

14. Tametsi res sit durior.

15. Adeoque & pro parocho.

16. Quamuis etiam interesse habentibus reuelasset.

Nunc igitur posito etiam quod vitrico insuper, & filiabus actoris sororibus interesse habentibus, reus reuelasset commissa, non deprehenderetur dolus: aut animus conuitiandi; vti nec testis spontaneus ideo in dolo esse, & maligno animo, vel iniuriarum teneri censetur. id tantùm spontanea sui oblatio facit, vt minoris fiat testimonium; sicut & testimonium singulare unius, quod etsi nihili fieret, non tamen continuò falsum esset; sed pro teste præsumitur semper, & alleganti contrarium incumbit probatio. *Farinac. vbi supra & ab eo citati.*

17. Quamuis reuelatio rem reuelatam non probet. sed ea aliunde constare debeat.

Neque contra hæc facere potest *cons.* 62. Egberti Leonini. etenim disputat Leoninus tantùm, an parocho tribuenda sit fides plena, quoad dictum à se; quod asseruit Lapus *allegat.* 94. *Bero. q.* 12. alijque; & ibi in iudicando magistratus Antuerpiensis secutus fuerat; negat ipse; scilicet vt ex eius relatu alius condemnari queat; sed non dicit ne quidem parocho quoad se credi, vt extra causam, actionemque iniuriæ constituatur, quod diximus supra, nisi actor & falsum esse contra probauerit mandatum, & animum dolosum, quod hîc quæritur. Sic enim ipsemet Leoninus ait in hypothesi sua non agi ad excusationem solius sacerdotis, in qua loquantur alij scriptores; sed de mandato & commissione famosæ restitutionis, faciendæ in maxima quantitate, & in præiudicium alterius, quàm ipsius sacerdotis; *ita,* inquit, *vt ipsa facti qualitas, & terminorum diuersitas prædictam decisionem remoueat.* præterquam quod qualitas parochi ex actis ibi deprehensa, sibi contrarij in binis iuratis testimonijs, cum pluribus alijs vitijs latè à Leonino descriptis, à §. *nam licet ab ijs.* responsum Leonini à præsenti controuersia longè seponat, vbi & *in* §. *quibus accedit*, refert Leoninus in actis istis probatam fuisse falsitatem mandati defunctæ per modum, quem supra nos exegimus.

Itaque cùm nihil omnium, quæ in lite latè differuntur, thesim nostram (quod scilicet sacerdos iussus à defuncto quippiam reuelare, non teneatur iniuriarum) mutet, neque aliæ circumstantiæ allegatæ sint, quæ dolum, conuiciandi animum, vel falsitatem arguant: imò multa pro reo allata, verisimilem faciunt eius reuelationem; nam præexistens fama etiam iuuat, quæ alias liberat à doli suspicione: *l. miles.* §. *mulier. D. de adult.* sacerdos sit, pastor sit, numquam actoris inimicus fuerit, bonæ & innocentis vitæ per annos plurimos, non nisi iussus dixerit, non nisi vitrico & filiabus dixisse arguatur; (non lubricæ linguæ petulantia, in cœtu, sed) & quibus ipsis etiam durum fuerit vxorium, & maternum dedecus audire, & per illius allegandam infamiam debere ius suum prosequi: nihil in reo arguitur, quod à resolutione prædictæ theseos abducat, & quin ideo pro eius absolutione pronuntietur.

CONSVLTATIO III.

In iniurijs verbalibus palinodia, an & quando sufficiat? aut illæ excusentur ob iracundiam, &c.

GReta dixit matrem Nicolai multos iam annos in ignibus post mortem purgari, ob commissum in vita furtum, ideoque eius domum per lemures inquietam reddi. Nicolaus dum Gretæ maritum monet, vt vxorem compescat, improuisa ea mox astitit: cui ille; apage hinc saga; hinc iurgia: vocat Greta Nicolaum in ius: hic subitum motum calorem iracundiæ, iustum dolorem accusat, negat adfuisse animi iudicium, vel iniuriandi animum, ratum esse nolle, quod dictum est; eoque

eoq́ue modo palinodiam offerre: illa ſolemnem reuocationem, & probri æſtimationem exigit; negat ille plus deberi: inter conteſtandum etiam eò res deuenit, ſub proteſtatione de non iniuriando, vt Nicolaus alleget veritatem obiecti criminis, cuius notitia reipub. expediat, ab iniuria excuſare: *iuxta l. ſi non conuitij. C. de iniur.* quamquam Couuar. *lib. 1. variar. c. 11. n. 6.* neget omninò culpâ vacare, ſi iniuriandi animus adſit, tametſi Fachin. *& ab eo citati controuerſ. lib. 9. cap.* 10. in diuerſas ſententias iuerint. Sed hic articulus in hac cauſa ceſſat, quod veritas huius criminis probata non ſit; ſed tantùm quædam, quæ vulgarem credulitatem excuſant: reſtat tantùm quærendum an iniuria excuſationem habeat ob circumſtantias; & ſi non habeat, an ſufficiat oblata declaratio? fauet *l. illud. D. de iniur. l. diuus. D. ad leg. Cornel. de ſiccar. l. qui cum maior. §. ſi libert. D. de bonis libert. ignoſcendum eſt*, inquit, *ei, ſi vlciſci ſe voluit prouocatus, Gail. obſ. lib. 2. obſ.* 100. & inconſultus calor calumniæ vitio caret. *c. ſi quem. §. notandum in fin. 2. q. 3. l. 1. §. arietes. D. ſi quadrupes paup. feciſ. dic. Mainer. ad l. quicquid de reg. iur. Caualcan. lib. 1. de delictis. deciſ.* 16. ſed obſtat, quod prouocatio ad iram, & conuitium non ſit eiuſdem generis iniuria, cum ea qua Greta ſaga appellata eſt; ideoq́ue non tollatur actio, ſed vtrimque exſurgat diuerſa: *Mynſing. cent.* 5. *obſ.* 17. ſed id non valde obſtat; quia naturaliter, quod Greta dixit, ſciri non poteſt: ergo vel iniurioſum valde mendacium dicit, vel ſancta, aut ſaga eſt, adeoq́ue reducuntur hæc ad idem genus.

Perſeuerantiam in ijs, quæ dicta ſunt, requirit gloſ. *in d. l. ſi non conuitij, & expreßius in l. quicquid calore* 48. *D. de reg. iur. Gail. vbi ſupra n. 2. Ferrar. ad d. l. quicquid.* Annæus Rober. *rer. iur. lib. 4. c.* 12. palinodia ſiue oblata declaratione, qua reus conuitium dictum eſſe noluit, iniuriam extingui, atque ita iudicatum ait. arreſta etiam duo refert Papon, *de iniur. verbal. arr.* 15. 16. fauet *l. 1. C. de crimine ſtellionatus in verb. ſecuritati tuæ conſulere poteris, ſi oblato omnibus debito.* offertur hic palinodia; & generatim euitat condemnationem, qui debitum ante ſententiam offert. contra Imbert. *inſt. forenſ. lib. 1. c. 3. in gloſſ. verb. reſtitutio, litera, D.* ſed expenſas litis atque probri æſtimationem offerri debere, atque ita iudicatum aſſerit, quaſi non integrum debitum offeratur per ſolam reuocationem: Mainer. *ad d. l. quicquid.* non abſolui, ſed leuius puniri reuocantem: Clar. *§. fin. §. iniuria. n. 16. Aufrer. deciſ.* 409. *Magon. in deciſ. Lucen. deciſ.* 100. *n.* 36. 37. *Baiard. ad Clarum §. iniuria. n.* 60. verùm Faber *in d. l. ſi non conuitij*, in ijs quæ ſine detrimento partis reuocari poſſunt, reuocatione crimen elui, vt in repudio miſſo, ſecus in alijs; & benè; quare ſi omne damnum palinodia ſola reuocari poſſit; ceſſat probri æſtimatio: ſi non poteſt; non ceſſat. ſi quem mox ab illata iniuria pœnitet, & ita reuocationem offert, ceſſat actio: ſi contumax perſtitit, & expenſas fecit actor, antequam reus ad reuocationem offerendam deſcenderit; debebuntur expenſæ, & offerri illæ etiam debebunt, vt abſoluatur reus: *Auth. contra C. de non num. pecun.* in integrum enim omnia reſtitui debent, vt in nullo damno per iniuriam dato hæreat iniuriam paſſus. nec aliter intelligi poteſt, vel dictum non eſſe, qui non omnia quæ poteſt aufert ſimul irrogata. Quare hæc quæſtio in iniurijs realibus locum non habet, quia dolor pulſati verbis non aufertur, ſed æſtimatione.

De exceſſ. Prælat.

CONSVLTATIO I.

Dignitati tenui curam animarum habenti, an poßit vniri præbenda collegiata?

QVoniam Concil. *Trident. ſ. 21. c. 5.* permittit beneficijs curam animarum habentibus per aliorum beneficiorum ſimplicium vnionem de competentiori dote prouideri, ſuppoſito quòd dignitas, de qua agitur, habeat curam animarum annexam, conſequenter ſi per præbendam tenuem vnitam competentia arbitrio Ordinarij nondum ſit facta congrua, videtur poſſe vniri altera, disiuncta tamen prius tenuiori. cuius ſeiunctionis æquè iuſta ratio eſt, vt, dato ei altero poſſeſſore, eccleſia ſuorum miniſtrorum numero minus fraudetur: ſuppoſito iterum quod altera præbenda nulla cura, aut alia qualitate ſit affecta, quæ eam eximat à numero ſimplicium beneficiorum. Et quamquam hæc ab Ordinario fieri poſſint authoritate *c. ſicut vnire. X. de exceſſ. Prælat.* ex cauſa *d. c. 5. ſ. 21. Trid.* probata; nihilominus ſecurius foret ab ipſa Sede Apoſtolica impetrare: ne quis forſan aduerſarius iure deuoluto, ſeu aliàs Romæ impetret. quoniam hodie Trid. *ſ.* 25. *c.* 13. tenui Epiſcopatui non permittit prouideri per vnionem dignitatum, canonicatuum, & præbendarum; vnde non videtur magis id recipiendum in alia dignitate: & *ſ. 24. c.* 15. permittitur Epiſcopis prouidere tenuibus præbendis, per ſimplicium beneficiorum vnionem: vbi pro numero diſtinguitur inter præbendas & beneficia ſimplicia. Ita tamen idem *c.* 15. permittit ſuppreſſionem aliquarum præbendarum, vt alijs prouideatur; ſic vt dignitati eccleſiæ dotatio valeat reſpondere; & ſuſtinendo decenti gradui pro locorum & perſonarum qualitate ſufficere. & *d. c. 5. ſ.* 21. curatorum & non curatorum vnionem permittit pro ſubleuanda paupertate curati: & *ſ. 25. c.* 13. in omnibus parochialibus indiſtinctè vniones beneficiorum permittit ex eadem cauſa; dummodo non regularium: quæ exceptio in reliquis firmare regulam videtur: & *d. c. ſicut vnire* facultatem vnionum multò generaliorem facit: vt *d. c.* 13. *ſ.* 25.

s. 25. in Episcopis loquens extra suum casum videri possit non extendendum contra alios claros textus; nihilominus quia causa prohibitionis non videtur diuersa in vtroque casu vnionis pro subleuanda paupertate episcopatus & alterius dignitatis, rem totam numerique imminutionem securiorem faciet accessio authoritatis Apostol.

CONSVLTATIO II.

Vnio monastici hospitalis Seminario facta irrita est.

IN pago de P. olim fuit hospitale aduenis, & peregrenis constructum: quod simul cœnobium erat monialium, vt in vicinis passim ciuitatibus. Exusto deinde quodam altero monasterio Ordinis exempti S. Augustini regularium, moniales huius translatæ sunt ad illud prius, & deinceps gubernatæ à Confessoribus eiusdem Ordinis canonicorum regularium; superuenientibus turbis totum hospitale seu cœnobium, excepto templo, solo æquatum est; moniales omnes fugatæ? Ordinarius loci multis pòst annis residuis monialibus curauit prouideri, & fortè de earum consensu, quod nescitur, non vocatis alijs quorum interest, superioribus videlicet Can. reg. S. August. vel Domino loci, aut populo (qui magnum patiuntur præiudicium, cùm nunc in eorum humeros incumbat onus aduenarum, & peregrinorum pauperum) seminario suo incorporauit. vnde extincto conuentu cultus diuinus horarum canonicarum, atque alius omnis regularis ibi sublatus est, & hospitalitas imminuta.

Quæritur

An huiusmodi incorporatio subsistere, & effectum sortiri deinceps debeat?

Episcopum regularia etiam loca vnire posse, decisum habemus à Cælest. III. *in c. sicut. X. de exces. præl.* Clemen. V. *in Clem.* 1. §. *adhæc de statu monach.* Et valde fauet causæ Ordinarij Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 18. permittens beneficia simplicia, cuiuscumque qualitatis vel dignitatis fuerint, per Ordinarios Seminario incorporari. nihilominus statuendum est prædictam vnionem non subsistere pluribus ex causis.

1. Primùm defectu formæ; vtpotè factam non vocatis vocandis. vnde dicit Rebuffus *in prax. benef. de vnion. gloss.* 9. vnio facta non vocatis vocandis, & sine causæ cognitione est ipso iure nulla. vt in Reg. *Cancel. de vnion.* quia actus omissa forma conceptus non valet. *cap. cum dilecta de rescriptis. l. cum hi.* §. *si prætor. D. de transact.* vnde etiam Concilium Tridentinum de eiusmodi vnionibus *sess.* 7. *c.* 6. ita statuit; *quæ deinceps ad cuiusuis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit; per surreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant.*

Vniones irritæ factæ non vocatis vocandis.

Secundo defectu potestatis in vniente, quippe cum qualiscumque fuerit olim status cœnobij, tamen post translationem alterius monasterij exempti, quod retenta regula, habitu, Confessore, & superioribus suis eo concessit, statum immutauit, & exemptum reddidit: exempta autem Episcopus vnire non potest: vtpotè extra iurisdictionem suam posita: nisi fortè de omnium consensu, qui in eis ius habent. *Zabarel. in d.* §. *adhæc n.* 2. vnde (quamuis nimis generaliter) Azorius *instit. moral. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 28. *q.* 18. respondet hodie ad Episcopum non spectare monasteria vnire. 2.

Exemptorū ob Ordinarijs, nisi de omnium consensu.

Insuper Reg. *Cancel.* 12. reuocatoria vnionum omnibus vnionibus aduersatur, quæ non fiunt authoritate Concilij Tridentini; adeoque & monasteriorum; & Reg. 12. *Cancell.* vniones incorporationes aut suppressiones Ordinarijs nullibi concedit; & in grauibus etiam causis prohibet. *s.* 24. *c.* 13. §. *interim & seq.* neque monasteria comprehenduntur sub beneficijs simplicibus, quæ Concilium permittit vniri Seminaria, vt mox dicetur. 3.

Et monasteriorum per Reg. 12. Canc. & Trident.

Quod si consideremus antiquum istius loci statum, occurrit Clementina *quia contingit. de relig. domib.* quæ soli Papæ reseruat hospitalium immutationem. 4.

Et hospitalium.

Quæ eo magis in hoc casu obtinet; quod Dominus loci & populus non consenserint in vnionem, ex qua in illos tantùm præiudicium emersit, vt supra dictum. numquam autem ea ius sustinet, ex quibus alijs præiudicium paratur. *Instit. de his qui sui. in verb. nec cuiquam hominum ius suum detrahi, & quæ ibi, & passim scribuntur.*

Denique defectus causæ huic incorporationi aduersatur. quamuis enim ea in re summum fauorem obtineant Seminaria; non tamen eum, vt beneficia alia, quàm simplicia, incorporentur. qualis non est prioratus, habens conuentum regularium, & proprium parochum, seu patrem confessorem, & hospitale; quod vel solum extra regulas beneficiorum simplicium casum ponit.

Præter quæ omnia etiam Concilium Trid. in ijs beneficijs, quæ vniri permittit, præscribit; vt sine cultus diuini præiudicio applicatio ea fiat. & ita generaliter omnis vnio, annexio, & incorporatio fieri intelligitur, nec aliter potest; quàm vt cultus diuinus per eam non imminuatur; sed solitus ministrantium numerus retineatur, & consueta onera supportentur. quæ clausula & conuentum hîc, & totam hospitalitatem præseruat, vt in contrarium nec Ordinarius possit, nec Papa soleat disponere.

Præsertim considerato Concilio Trident. *s.* 7. *c. vltim. & s.* 25. *c.* 8. vbi in hospitalibus ad peregrinorum, senum, infirmorum, pauperumúe vsum præcipuè institutis præcipit omninò, vt impositum illis onus, officiumque administretur. ac demum ita addit: *Quod si hospitalia ad certum peregrinorum aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta,*

tuta, nec in loco vbi sunt dicta hospitalia similes persona aut perpauca reperiantur; mandat adhuc vt fructus illorum in alium pium vsum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore vtilior, conuertantur. Nihil autem cum hospitali, aut regulari obseruantia commune habet institutum Seminarij; minus rectè ergo in eius vsum hæc conuersa.

Quod igitur ad obiecta spectat, procedunt ea iure antiquo, & cùm exemptiones nondum inualuissent. aut etiam hodie in non exemptis inter se non cum alijs secularibus, aut non regularibus coniungendis: Concilium autem Trident. in beneficijs dumtaxat simplicibus.

Itaque resoluendum est, incorporationem & applicationem, de qua quæritur, non subsistere; & effectu suo carere debere. Cui conclusioni adstipulatur decisio *Cardin. Concil. Trid. Interp. quam refert Zerola in prax. p.2. v.translatio. his verb. translatio monasterij monialium, cui imminet scandalum, est facienda ad aliud monasterium eiusdem ordinis; nec reditus monasterij translati sunt applicandi Seminario; sed vniendi monasterio, in quod translatum fuit; licet aliunde non possit prouideri d. Seminario. sac. Congr. decl.* 106. *in meis.* hactenus ille.

CONSVLTATIO III.

Monasterio incorporato onera ex regula incumbentia in alterum non transeunt, sed fundata, & rebus imposita cum instituto huius compatibilia.

PRo dotatione Collegij Societatis IESV I. vnitum à Sede Apostol. & incorporatum est cœnobium monialium M. ab Iconoclastis dirutum. ea tamen conditione vt monialibus superstitibus alimenta præberentur. post annos viginti Dominus loci, & Communitas contendunt officia sacrorum, anniuersariorum, & similia ibi fieri debere. & clausulam vnionis allegant, vt *prioratus huiusmodi debitis non fraudetur obsequijs, sed eorum congruè supportentur onera consueta.* Rector Collegij credit nequaquam alligari se oneribus vllis, nisi quæ speciatim rebus aliquibus probentur imposita.

1. Omninò resoluendum videtur non teneri vllatenus ad vlla omninò officia, quæ regula monialibus præscribebat. sunt enim illa personalia, & cum personis extinguuntur: §. *omnium. & ibi DD. instit. de action.* & cum regula supprimuntur. at verò si quæ bona eidem monasterio antiquitus relicta sunt cum eo onere, vt sacra aliqua seu anniuersaria quotidie, vel quotannis fierent, res illæ cum suis oneribus transiuerunt. *d. §. omnium. l. si conuenerit. §. si fundus. D. de pignor. act. l. via. §. si fundus. D. de seruitut. rust. præd.*

Enimuerò satis fieri istis oneribus intelligitur, si *congruè supportentur.* quæ dictio omnes huiusmodi controuersias ad iudicium boni viri reuocat: & imprimis ad congruentiam Instituti, cui facta est incorporatio: id est, si sacra per moniales cantanda fuerunt, per Patres Societatis legantur. id enim congruit eorum instituto, qui cantu chorali non vtuntur; & tantisper illi cantus choralis repugnat. in vnionibus autem ea regula admissa est, vt per eas derogatum ijs censeatur, quæ repugnantiam continent cum instituto eius, cui fit vnio. *Rebuf. in prax. benef. lib. 1. reg. de vnion. num. 13. gloss. 11. Caccialup. tract. de vn. art. 8. q. 16. per leg. vbi repugnantia. D. de reg. iur.* 2.

Maximè autem hæc obtinent, quòd vnio de qua hic quæritur, ex eo genere sit, quam incorporationem vocant; quæ extinctionem vniti infert, & accessionem iurium, bonorum & prouentuum ei cui fit vnio. extinguitur enim ipsum monasterium, & superstites tantùm moniales ali iubentur; & reditus ipsi pro dote Collegio applicantur.

Cæterùm quod pro deuotione vel Statutis sui ordinis moniales quædam officia diuina præter horas canonicas peregerint, nullam gignit actionem Domino loci, aut Communitati: quibus nullum aliàs ius, aut obligatio competit. *l. si certis annis. C. de pactis.* sed probare illi deberent obligationem, vnde nascatur actio, sine qua experiri non possunt; & onus rebus olim impositum. *glos. in l. sicuti. §. si quæratur in verbo possessoris. D. si seruitus vend. Bart. in l. adibus. C. de seruitut. l. actor. C. de probat.* seruitutes quippe & onera non præsumuntur; sed quæ à natura competit libertas. *l. altius. C. de seruit. l. cum eo. l. Imperatores. D. de seruit. vrb. præd.* 3. *Quæ non præsumuntur, sed doceri debent.*

Quinimo valde scrupulosè adscriptum deberet esse onus, vt translato monasterio nihilominus in loco, vnde translatum est, expleri deberet. quippe translationes fiunt cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus ecclesijs impositis: vt loquitur Conc. Trid. *s. 21. c. 7.* & eò migrant quò personæ: & explentur vbi illæ imposterum degunt: nisi ecclesiæ sint parochiales, quæ vniantur, in quibus Vicarium statui oportet. *c. exstirpanda §. 1. c. exposuisti. X. de præb. & dignit.* quia vna non migrat plebs, quæ intra suam sphæram, vti glebæ affixa, versari debet, ibidemque curari. 4. *Et rigidè si in antiquo loco exigantur.*

Quæ cùm ita sint, censendum est non vlterius, quàm quando moniales intra vrbes vel oppida frequentia reducuntur, *iuxta c. 5. s. 25. de regular. Concil. Trid.* vel destructæ ecclesiæ, quæ reparari non possunt, transferuntur: *iuxta d. c. 7. s. 21.* ex clausula huius incorporationis Collegium prædictum obligari quoad onera realia; personalibus exstinctis, & in Societatis propria transmutatis.

CON-

CONSVLTATIO IV.

Ob paupertatem parochiales possunt vniri per Ordinarium.

QVin Episcopus habeat potestatem ecclesias curatas alijs vniendi, nihil est dubitandum in casu paupertatis, & cæteris à iure permissis: *ob decisionem Concil.Trid. s.21. c.5.de reformat.& Concilij Prouinc.Mechl.1609. à Sede Apostol.approbati tit.17.c.3.* quin & paupertas hîc in facto proposita huiusmodi sit, vt huic dispositioni sufficiat: sed & insuper spectare ad eam, de qua ibidem Concilium agit subsequenter, *c. 7. parochiales,* inquit, *ecclesias etiamsi iuris patronatus sint, collapsas refici & instaurari* (Episcopi) *procurent.*& infra; *quod si,* inquit, *nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu ad viciniores transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quàm alias ecclesias dirutas in profanos vsus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, conuertendi.*

1. Et ob nimiam transferri.

Cùm ergo ecclesia S. B. iuxta B. euersa funditus sit, sine spe aut verisimilitudine vllius restaurationis;sequitur,omnia quæ ad eam pertinuerunt transferenda esse ad matricem, aut viciniorem. huc vtique (quamuis fortè esset in ciuitate B. matrix) ob populi necessitatem, qui nocturno tempore clausis vrbis portis administrationem sacramentorum durantibus bellis accipere non potest, nisi ab aliquo presbytero rure degente; vicinior autem est ecclesia S. A. ad hanc ergo omnia quæ fuerunt ecclesiæ S. B. transferenda sunt.

2. Et parochia ad certam parochiam vicinam.

Et sanè mirum est parochiali ecclesiâ B. destructâ parochianos non fuisse dimissos ad certam aliquam aliam ecclesiam vbi obseruari & nosci vultus pecorum à suo pastore possint,& commodè administrari; si tam studiosè Concil. Trident.*s.24.c.13.de reform. in ijs quoq; ciuitatibus ac locis, vbi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, sed promiscuè petentibus sacramenta administrant, mandat Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute,vt distincto populo in certas propriasq; parochias vnicuique suum perpetuum,peculiaremq;parochum assignent: qui eas cognoscere valeat,& à quo solo licitè sacramenta suscipiant, aut alio vtiliori modo, prout loci qualitas exegerit, prouideant: idemq; in ijs ciuitatibus ac locis, vbi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent. non obstantibus quibuscumque priuilegijs,& consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Itaque cùm hîc nulla iam sit parochialis ecclesia S. B. non potest sine scrupulo diutius permitti vagari populus; sed transferendus est ad viciniorem, vbi cognosci valeat, & ab illius parocho solo sacramenta legitimè suscipere.

3. Quamuis hæc sit iuris patronatus.

Eaque ratio tanti est, vt in consideratione nem vocari non debeat qualis fuerit ecclesia destructa, qualis ecclesia vicinior, ad quam sit translatio; libera,an patrono obnoxia.quasi ob *c.9.s.25. de reform. Concil. Trid.* liberæ patronatis iungi non possint.§.*insuper.*vbi accessiones per viam vnionis factæ de beneficijs liberis ad patronata irritantur. quia ea ratio inferior cedit superiori, quam proponit *d.c.13.* scilicet procuratio animarum, & tutior earum salus. siquidem salus populi suprema lex est. sed & *d.c.7.s.21.*loquitur in ecclesijs etiam ijs, quæ sunt iuris patronatus, atque in illis obtinet illius dispositio translationem iniungens. quamquam & *d. c.9.s. 25.* maximè obtinet in patronatu laico. vt patet in illa exceptione, quæ proponitur verbis,*exceptis alijs,quæ ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes aliosq; sublimes, ac supremos Principes iura imperij in dominijs suis habentes, pertinent,* &c. tametsi *in versicul. patroni autem,* ad ecclesiasticos patronatus porrigitur, cùm agit de administrandis fructibus.in quo solēt peccare ecclesiastici. & verò principalis intentio *d. c. 9.* est restringere iura patronatuum intra casus fundationis, ac dotationis, legitimis monumentis,vel multiplicatis vltra memoriam hominum, & effectum sortitis præsentationibus probanda:quæ tamen nec praxis recepit in patronatibus ecclesiasticis. tametsi ad eos non pertineat reseruatio facta per literas Regentis Margaretæ Concilij Trid. in Belgio admissiuas, sed ad patronatus tantùm Regis & vasallorum, vtique vt talium, laicos. Quin etiam translatio facienda, vt diximus, magis ad extinctionem pertinet dirutâ ecclesiâ parochiali,eiusque fundo in vsus profanos verso,quàm ad vnionem; quæ esset duarum simul parochialium manentium: ideoque extincta diruta ecclesia S. B. plana via eius quondam populus transferendus seu asscribendus est viciniori ecclesiæ S. A. cum suis decimis & prouentibus ecclesiasticis. quâ extinctione consideratâ, non peccaretur contra *d. c. 9. s. 25.*

4. Maximè ecclesiastici.

5. Præsertim si translata extinguatur.

6. Vel super alternis collationibus concordia ineatur.

Vel, si quis aliquem scrupulus mouet, iniri potest & ea via, vt tertia vel alterna vice Episcopus,alia patronus collationem habeat,vt tam patronatum libero, quàm contra beneficium coniunctum censeatur,nec in seruitutem datum, quando Episcopus iura in vtroque non minus potenter, quàm olim etsi alio modo,exercebit.vt & generatim beneficia patronatus ecclesiastici, quàm laici plenius ecclesiæ parent. vt patet *in Reg.8. Cancell.* vbi illa,non hæc menses sortiuntur, alijsque multis modis. sed & hoc considerandum quod quantum vnum beneficium patrono subiicitur, tantum alterum liberatur. qua via vnionem admitti posse decisum ex Sellio refert Barbosa *in Collect.DD.ad Conc.Trid.ad d.c.9.n.86.* sed & maximè intentio Concilij ibi est ne meliorentur augeanturque conditiones patronorum; quod hîc non fit. denique *d.c.9. sub fin.* disertè nouos patronatus admittit,ex beneficiorum euidenti vtilitate aut necessitate. quæ vtraque in hoc casu concurrit.

Sed neque ecclesia S. A. propriè patronata est,sed magis Abbas S. A. primitiuus est il-

lius

lius pastor per vnionem altaris, & decimarum olim mensæ suæ conuentusúe factam. vt non obstet *d.c.9.*quod tamquam noui iuris in proprijs terminis, & stricto patronatu est coarctandum.

Quibus omnibus attentis videtur non tantùm posse, sed & debere transferri populum cum omnibus vt supra prouentibus à loco quodam S.B. ad parochialem ecclesiæ S.A. viciniorem ab Ordinario loci.

7. Etiam Sede vacante. Quod si cui nunc Sede vacante id scrupulosum videtur, *ob titulum Sede vacante vt nihil innouetur*, vt non tantùm collationes, sed & vniones quæ perpetuæ sunt alienationes faciendæ non videntur; tamen meminerit decretum esse ea, quæ necessariò facienda sunt, Sede vacante fieri posse: vt etsi collatio prohibita sit; non tamen institutio præsentati: *Cucchus inst. maior.l.1. t.9. n.36.* quia ea est necessaria. sicut est & hæc translatio, vt supra diximus, & loquitur Conc. *d.c.7.* præceptiuè, quod omninò obligat. non autem in arbitrio tantùm ponit Ordinarij. saltem non est dubitandum, quin Vicariatus Sede vacante id facere possit. Azor. *inst.mor.p.2.l.6.c.28.& permulti quos citat Barbosa in Collect.DD.ad Conc. Trid. s.7. c.7. n.16. & ad c. 5. s.21. n.2.* vt per prouisionem saltem ordinet, valde suadere videtur *c.3. t.17. Conc. Prouinc.Mecbl.*1607.

CONSVLTATIO V.

Beneficio curato nominationi Regiæ subiecto liberum simplex, vt pro dote necessaria, potest vniri, cùm alia ratio non suppetit?

PRohibet Conc. Trid. *s.25.c.9.* §. *insuper accessiones*, beneficia libera vniri beneficijs, etiam dignitatibus, iuri patronatus subiectis, & ad cuiuscumque instantiam factas accessiones irritat.

Enimuero loquitur *d.* §. *insuper* in patronatu propriè dicto, ita enim sunt accipienda semper verba nouæ legis vetus ius corrigentis: adeoque non obtinere dicendum est in Indulto, quod habet Rex Hispaniæ, Belgij Princeps, quoad nominationem omnium primarum dignitatum, adeoque si dignitas, de qua quæritur, confertur à Principe in vim huiusmodi Induli, non fundationis, aut dotationis, vt si fortè ante huiusmodi Indultum, quale Carol.V. primus obtinuit, non contulerit; dicendum est Concilium Trident. huiusmodi vnioni non obstare.

Quod si quis obiecerit Concilium Trid. *d. c.* 9. §. *reliqui*, etiam loqui de priuilegijs concessis, & quocumque iure nominandi, præsentandi, eligendi; respondendum erit videri eam periodum pridem ante dictum §. *insuper* esse finitam, pluraque alia alterius generis interiecta, adeoque sensum & interpretationem *d.* §. *insuper* non afficere, sed cum §. ex regulis iuris communis, prout sonat, esse accipiendum. quod si cui id displicuerit, vlterius responderi potest *d.§.reliqui* excipere supremos Principes ius patronatus habentes: quare cùm dignitas, de qua quæritur, intelligatur conferri à Rege, vt Comite Flandriæ, quamuis id foret ex priuilegio, & Indulto; tamquam supremus Princeps excipietur à dispositione Concilij, poteritque dignitati ad eius prouisionem ex Indulto spectanti fieri accessio beneficij liberi. Denique Trident. accipiendum est de priuilegio aut iure nominandi reali seu perpetuo; at Indultum hoc fuit personale cum personis extinctum, & sæpè longa mora interuenit antequam personæ successoris concedatur.

Porrò tametsi prohibitio Concilij videretur militare, tamen dum concurreret ratio *c.5.s.21.*vt curato beneficio aut dignitati prouideri oporteret, si quidem communes regulas sequeremur, dicendum foret *d. c.* 5. generalem permissionem restringendam esse per specialem prohibitionem *d. c.*9. sed in concursu causarum expendendum est quę debeat præualere. Itaque cùm de curato competenter dotando hinc quæritur, inde de beneficio libero non coniungendo patronatui subiecto; ponderandum est an libertas illa beneficij, an animarum cura, quæ sine congrua dote sustineri, & illa aliunde haberi non potest, præcellere debeat: & sine dubio locus est legi, *salus populi suprema lex esto:* quod eò spectat, præualet minoribus causis. *vt sup. Cons.* 4. *in simili diximus.* vnde multis in locis pastoratibus iuris patronatus præsertim ecclesiastici, non competenter dotatis beneficia libera, dum alia non suppetunt, ad dotem congruam sunt vnita.

CONSVLTATIO VI.

Vnio vt præbendis tenuibus loci insignis fieri possit, & qui dicantur insignes?

NOn est dubium quin diuersis ex causis locus, ciuitas, vel ecclesia dicatur insignis. quas tractant D.D. *in c. statutum. de rescript.in 6.atque alibi passim.*causæ sanè, ob quas ecclesia, oppidum, & territorium T. dicatur 1. Locus aut ecclesia quæ insignis?
insigne, plures omninò sunt.generatim Nauarrus *cons.* 1. *de verb.signif.* dici ait quidpiam insigne, quod præ alijs sui ordinis habet aliquid præcipuum. iuxta illud Virgilij 4. Æneidos:
——*Ostroq; insignis, & auro.*

Porrò quæ alijs sui ordinis plurima habet præcipua ecclesia, oppidum, & territorium T. quæ mutuis radijs idcirco magis inclarescunt, vt ecclesia ab oppido, & territorio; & hæc ab illâ dici possint insignia. Enimuerò Menochius *de arbit. cas.*158. ad Iudicis arbitrium remittit, quis locus, aut ecclesia pro insigni sit habenda, *post glos. & alios quos citat,* Nauarrus autem *post Ioan. monach.* insignem
2. Quæ aliquid præcipuum habet.
3. Ex arbitrio Iudicis.

locum

4. Æstimatione populi: locum eum esse etiam censendum ait n. 4. qui vulgò pro tali reputatur.

5. Magis Principis: Id vt verum sit, multo maximè obtineat oportet, si & à Principibus pro tali habeatur: à quibus fluit omnis honor, nobilitas, atque existimatio: iuxta illud Ester. *c. 6. sic honorabitur, quemcumq; voluerit Rex honorare.*

6. Præcipua qualia? Atqui oppidum hoc T. iure priuilegijsque vrbis donatum est; amplâ iurisdictione, territorioque, municipia plura pagosque complectente;
7. Loci: syluaticâ etiam & falconariâ iurisdictione, ac annuis nundinis. in delicijs à Principibus habitum fuit, castro & habitatione nobilitatum, in dotem ac filialem portionem non semel datum liberis Ducum; quin & ab ipso Cæsare Carolo V. sorori viduæ Regis Hungarorum: quæ iuxta regios titulos solita fuerit scribere se Dominam de T. quæ nota est summæ dignitatis. ob quam tam seriò Ordines Brabantiæ inter primos articulos à Duce suo stipulantur, quod iuxta alios titulos geret titulum Ducis Lotharingiæ, & Brabantiæ: quod summè Regium est. quasi indiuidui videantur Princeps & sua prouincia: cuius hæc ideo radijs illustretur; dum illi dignatur nomenque decusque quasi communicare. vt dicere nemo possit summoperè honorabilem nō esse, quem sic *Rex* aut Regina *voluerit honorare.*

A Principibus fluxit existimatio habita apud Ordines, ad quorum comitia soleat olim vocari inter ciuitates, quarum cum primarijs fœdera in iit, tabulas publicas prouinciæ cum alijs signauit, quod T. Prætor post metropolitanos reliquorum Brabantiæ est tertius: denique à frequentia municipum: ob quam Nauarrus *d. cons.* 1. Fonsecam insignem facit, quod ibi numerarentur plus minus octingenti; at porrò T. præter Beginagij & xenodochij, regularium de C. seculariumque canonicorum Collegia municipum habet circiter millia quatuor: Porrò principalis qualitas, inquit Barbosa *in Collect. ad Conc. Trid. s.* 5. *c.* 1. *n.* 18. quæ locum insignem reddit, est numerus habitatorum. *Bonifac. de Vitalin. in Clem. grauis n.* 56. *de sent. excom. Nauar. cons.* 1. *de verb. signif.*

8. Ecclesiæ: Nunc ad propria insignia ecclesiæ veniamus; videamusque quid præcipuum habeat præ alijs sui ordinis; vtique collegiatis: primò quod fundata atque aucta sit à Ducissis Brabantiæ, quod certo modo exempta dicatur à iurisdictione Ordinariorum in sua erectione, eaque exemptio à Sede Apost. confirmata: quod alijs vicinis insignibus ecclesijs collegiatis fœdere iuncta, eoque à Sede Apost. itidem confirmato: quæ & firmarit illius libertates, immunitates, priuilegia, concessiones: quod frequentiam cleri habeat; quod ea existimatione sit, non tantùm apud Brabantos atque Belgas, sed etiam exteros: vt Guiccardinum hominem Italum: qui *in descriptione Belgij in Antuerpia* ita ait; *primarium locum & dignitatem inter municipia Brabantina: Collegium ibidem canonicorum D. Petri locuples valde, & celebre.* sed, quod de opibus ait, per temporum iniuriam est valde imminutum.

Sed porrò rectè Menoch. *vbi sup. in fin. insignitatem*, ait, *iuxta decisionem Rotæ Romanæ ex* Concilio *Tridentino spectandam esse ex subiecta materia*: ideoque omissis ijs, quæ tractantur *à citatis apud Barbos. vbi supra, & ad s.* 24. *c.* 12. *n.* 64. *& c.* 15. *n.* 2. videamus ad effectum *d. c.* 15. *s.* 24. an non sit habenda pro insigni ecclesia T. & dicendum est omninò esse. Agit Tridentinum *ibi*, vt prouideatur decenti canonicorum gradui, pro loci, & personarum qualitate; liceatque beneficia simplicia vnire, quæ sustinendo illi sufficiant. semper enim est solicita ecclesia, ne qui ordinentur, qui mendicare, aut sordere debeant. qui ergo sunt collegiatæ ecclesiæ T. canonici, inter aulicum splendorem, qui aliquando eò redire potest, sedatis turbis bellicis, minimè debent sordere; canonici à Ducibus fundati in ecclesia & aula patronali, cùm ibi conspici opus est, non debent apparere pannosi; vili, aut syluestri habitu deformes; sed ducali fundationi respondentes: vt & ecclesia insignis, & canonici præ alijs, talibus notis non illustratis, emineant. 9. Insigna sumenda ex subiecta materia. 10. Ad effectum c. 15. s. 25. Trident.

Accedit onus hospitalitatis, quod ex annuis nundinis, & hebdomadarijs, & commeatu ad alias mercimonijs nobiles vrbes, multorumque confluxu quotidie incumbit, aliudque tam pace ab Aulicis, quàm bello à militaribus hospitibus semper imminet. qua de causa nundinarum à Pontificibus Romanis Indultum obtinuisse Capitulum Antuerpiense, vt plura possit beneficia obtinere, illudque etiamnum suas vires habere diximus, *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de cler. non resid. num.* 4.

Itaque ad effectum *d. c.* 15. *s.* 24. *Concilij Trid.* censeo omninò ecclesiam collegiatam T. habendam esse pro insigni, vt canonicis insufficienter præbendatis, aliqua beneficia simplicia vniri possint.

Dixi simplicia vniri: non præbendas supprimi: quia isti secundo remedio loco non facit Concilium, nisi cùm tot superessent præbendæ, quæ diuino cultui celebrando non tantùm, sed & dignitati ecclesiæ commodè valeant respondere; quod hic non esset. quia etsi duodecim sint præbendæ, tamen pro dignitate insignis loci non posse minui videntur: quod ad arbitrium Ordinarij spectat: vt & ne per vnionem nimis multæ subtrahantur officio diuino psallentium personæ; ac denique iudicium tenuitatis præbendæ. etsi plures regulas tradat Moneta *de commutat. vlt. volunt. c.* 12. *n.* 255. *& seqq.* 11. Vt vniantur simplicia, non supprimantur præbendæ, vbi frequentes satis non remanerent.

Dixi canonicis præbendatis: quia fieri vnionem præbendis, non autem posse mensæ capitulari, Gonzales *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 37. *n.* 25. decisum ait, & citati *à Barbos. in Collect. ad Concil. Trid. s.* 24. *c.* 15. *vt & nos tetigimus in Iur. pont. nou. anal. de exces. Prælat. n.* 4. vt vocabulum *ijs vnire* referatur ad præbendas. quamuis & distributionibus fieri possit, si sint tenues; ad mentem Concil. Trid. *s.* 21. *c.* 3. *s.* 22. *c.* 3. *V. supra de reg. c.* 17. sed quod aiunt illi singulorum præbendis singula beneficia vnienda, non vnum aut plura omnibus indistinctè, non omninò euincitur: nam etsi hæc verba *pro loci &* 12. Vnio fiat præbendis. 13. Non omnibus & singulis.

& personarum qualitate vniones ad vitam, & personales admittere videantur: tamen quia illæ odiosæ sunt, & à Concilio improbatæ *s.7. c. 4. s. 24 c. 17.* & Concilij contextus alium sensum videatur demonstrare. siquidem beneficia simplicia præbendis vniri permittit prima parte, secunda autem præbendas supprimi, earumque fructus non præbendis, *sed reliquarum*, inquit, *præbendarum quotidianis distributionibus applicari.* quam suppressionem, sicut Moneta *vbi sup. n.289.* non ad tempus, sed in perpetuum fieri vult; ita & de vnione statuendum est, vt perpetua sit, non ad vitam personarum: quarum etsi mentionem faciat Concilium, non tamen aliter id accipiendum; quàm vt considerentur personæ, quales plerumque eo loci promoueri soleant: & verò vt singulis præbendis singula beneficia vniantur graue habet incommodum: quia, si omnibus, numero suo minuet alibi cultum diuinum præter necessitatem: si aliquibus dumtaxat, alius esuriet, alius autem ebrius erit: cùm secundùm naturam sit vt omnes, qui sentiunt onus atque incommodum pariformiter sentiant commodum: & in omnibus militet ratio Concilij, quæ præualet tricis verborum. præbendis ergo simul iunctis non singulis facienda erit vnio, non pro numero præbendarum, sed pro necessitate: *aliquot*, inquit Concilium, *beneficia vnire:* id est, quot sufficiant, non abundent, sustinendo decenti canonicorum gradui. Et verò re ipsa hæc coincidunt cum vnione ecclesiæ seu mensæ capitulari facienda: quam hac eadem ex causa probat *c. exposuisti. X. de præb.* & verba Concilij talia non sunt, vt inducant istius iuris abrogationem. & propterea vbi vna est mensa capitularis tenuis locus esse potest d.c. exposuisti: vbi præbendæ singulæ habent corpora separata quædam pinguia, quædam tenuia, locus sit *d. c. 15.*

14. Exigit porrò Concilium consensum Capituli; vtique illius, cui fit vnio, siue cathedralis, siue collegiatæ; sed dum huic fit vnio, etiam illius de iure consensus aut consilium interponendum est. *c. sicut vnire. X. de exces. Prælat. tot. tit. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Cap.* quamquam vsus ferè habeat, vt de his deliberent Episcopi non cum totis Capitulis, sed cum ijs, quos selegerint: Vicarijs, Officialibus, Archidiaconis, & alijs, qui eis operam debent. sed interest, quod consensus Capituli ecclesiæ, cui fit vnio, tacitus sufficiat, vel etiam vnionem sequatur: consensus autem aut consilium cathedralis præcedere debeat; cùm hic ad formam actus; ille ad rationem eius, quod interest, tantùm spectet.

De consensu Capituli cui fit vnio, & cathedralis.

15. Quin & in suppressione præbendarum consensum patronorum exigit Concilium: *si de iure*, inquit, *patronatus laicorum sint:* si ergo de eo iure non sint, non exigitur huiusmodi consensus: *argumento à contrario sensu.* vt non rectè videantur sentire, qui in casu *d.c.15.* etiam consensum patronorum ecclesiasticorum requirunt. nam etsi in suppressionibus ferè id peti soleat; Concilium tamen in necessitate communium præbendarum supplenda rectè non exegit. nec par est eis cum laicis ratio, qui de suo patrimonio fundarunt, aut dotarunt præbendas, vt horum dissensus impediat, irritetque suppressionem, non illorum. *Barbos. & citati ab eo ad d.c.15. n.9. & seqq. n.23.24.*

Et patronorum laicorũ in suppressione non ecclesiasticorum.

Et quamquam de vnione simplicium agat Concilium, vt dignitates & curata excludat; quorum, quin & præbendarum vnionem, monasteriorumue, in quibus viget regularis obseruantia, ne quidem admittit ad pauperem cathedram dotandam: *s.24. c.13.* tamen si cura animarum incumbat toti Capitulo, poterit Episcopus de consensu Capituli illã vnire perpetuò vel dignitati, vel huic, aut illi canonicatui: vt decisũ ait Garcias *de benef. p.9. c.2. n.190.* 16. 17.

Vnio fit simplicium.

Cura tamen Capitulo incumbens vnii potest astringi.

Vniones autem huiusmodi nullâ reseruatione aut prouisione tolli possunt, vel impediri, nec vllâ prouisione etiam vigore resignationis factâ, quamquam aliàs fiant sine præiudicio obtinentis; &, si visum erit Sedi Apostolicæ non obstante huiusmodi vnione resignationem ex certa scientia admittere, & alteri secundùm plenitudinem potestatis prouidere; potest derogare Concilio: quamquam aliàs difficulter prouisio subreptionis vitio carebit; & difficultate executio in his locis: vbi regiâ authoritate Concilium receptum, & seruari iussum est, constanter, & sine huiusmodi immutationibus. 18.

Vnionem nulla reseruatio tollit, aut impedit, siue ante, siue post vacationem fiat vnio, dummodo ante collationem pontificiam, cum certa scientia.

Quare & vniones de beneficijs reseruatis tam ante, quàm post vacationem factæ validæ sunt: etsi Garcias dissentiat, & secus decisum asserat: *p.12. c.2. n.102.* quippe textus Concilij loquitur indistinctè, & non obstare hic vult quamcumque reseruationem, aut affectionem: *neq; prædictæ vniones*, inquit, *aut suppressiones tolli, aut impediri possint:* vbi *tolli* iam factas; *impediri* faciendas denotat.

Fatendum est tamen non antè impediri cursum prouisionum Romanarum, quàm Episcopi ad vniones & suppressiones huiusmodi se accinxerint: vt si illæ præuenerint omnem horum actionem, & iam alicui ius sit quæsitum collatione vacantis beneficij, & expeditione bullarum factâ auferri illud non possit. Dixi vacantis; nam mandatis de prouidendo, nominationibus Vniuersitatum, similibusque reseruationibus, & affectionibus omnibus satis dicendum est derogatum esse, dummodo etiam acceptatio seu prouisio post vacationem facta similiter non præuenerit omnem Episcoporum actionem.

Vide quæ diximus supra de regul. Cons. 17. quoad vnionem simplicis beneficij pro nobilis canonicarũ collegij augendis distributionibus.

CONSVLTATIO VII.

De suppreßione monasterij, seu status mutatione.

NVllam habet difficultatem, quin Superior ordinis, cuius monasterium supprimi, & 1.

Superior audiri debet.

& alteri incorporari petitur, ex clausula rescripti *vocatis vocandis*, non audiri tantùm debeat, dum se offert, sed & vocandus fuerit.

2. Citandi generatim omnes interesse habentes, & audiendi. Generatim enim interesse habentes sunt vocandi, & si se offerant audiendi, præsertim in materia alienationis, *c. si quis presbyterorum. X. de reb. eccles. non alien. vers. sed etiam licet quibuscumq; ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, vt cum fructibus possint alienata reposcere, & ecclesiastica authoritate fulciri. c. veniens* 38. *in verb. interloquendo pronunciauimus quod sua interserat, vt se posset opponere. c. super controuersia de sententia & re iudicata. c. super eo in fin. X. de offic. de leg. c. nicena. dist.* 31. *c. adhæc. §. fin. de offic. Archidiac. c. filijs.* 16. *q.* 7. *c. quod omnes de reg. iur. in 6. glos. in d. c. si quis in verb. personis. d. c. super eo in verb. sed partibus. Panorm. in d. c. si quis num.* 8.

3. Vt in actione populari. Versatur enim in eiusmodi negotijs ius publicum, adeoq; e popularis est actio, cuilibet competens ad vindicandam vtilitatem publicam. *c. ius publicum. dist.* 1. quæ ad omnes spectat, singulorumque interest. qua ratione *per d. c. si quis presbyterorum. & ibi DD.* docet Rebuffus *in reg. de vnion. in verb. vocatis.* etiam plebem audiri, si rationabilem causam afferat.

4. Multo magis superior in alienatione monasterij. Quanto ergo magis audiendus, vocandusque est Superior, dum de alienatione bonorum tractatur, quorum cura & prohibitio ad eum spectat? *tot. tit. de reb. eccles. non alien.* multo magis alienatio totius monasterij? *Authen. multo magis. C. de sacrosanct. eccles.* suppressio autem & incorporatio est alienatio. *c.* 1. *de reb. eccles. non alienan. in 6.*

5. An in vnione & suppressione per subreptionem rescriptum fiat inutile? Controuersum autem est an per aliquam subreptionem vel obreptionem rescriptum vitietur, fiatque inutile. Et quidem Egidius *decis.* 618. *practicabil. Rota de vnion. in 6.* omnes omninò causas verificandas esse docet: atque alij in rescriptis gratiæ: *citat Sanchez de mat. l.* 8. *c.* 21. *n.* 43. *& Bald. in c. ad audientiam.* si committatur vitium in vno, totum rescriptum corruere; vt qui peccauerit in vno factus sit omnium reus; & in rescriptis gratiæ; qui cadit à syllaba cadat à causa: malum enim oritur ex quolibet defectu, bonum non nisi ex integra causa; & quia fines mandati diligenter sunt obseruandi. *l. diligenter in princip. D. mandati.* & disertè in rescriptis beneficialibus traditur *in c. cui non de sacerdotali in fin. de rescript. in 6.* vtpotè stricti iuris, & plerumque odiosis, vt nisi omnia & singula præmissa ita esse repererit, ad executionem commissarius procedere non debeat.

Operosè satis quæstio hæc excutitur, an omnium causarum veritas, an finalis tantùm requiratur? eamque præcitati authores longè lateque diducunt, & meo quidem iudicio nemo Thoma Sanchez explicatius, aut solidius, quare nihil attinet de ea multum hic dicere.

6. Si non spectet ad causam finalem non vitiat. Tradit ille falsæ causę expressionem, vel veræ taciturnitatem, dummodo finalis non sit, rescriptum non vitiare, siue iustitiæ, siue gratiæ: *tota illa disputatione* 21. vbi etiam *n.* 32. 43. 44. docet hanc clausulam *si ita esse repereris* de substantialibus & finalibus causis intelligi, & commissarium ab executione non retardari taciturnitate veri, aut falsi expressione quod ad rei substantiam non pertinet, sed ad impulsionem tantùm aliquam: atque iterum *n.* 25. *post Riminal, & alios* studendum, an obiecta nullitas nullatenus possit dubia reddi, quia re existente dubia iudicandum sit in actus fauorem, vt magis valeat, quàm pereat; credendumque causam falsò narratam in dubio finalem non esse, sed impulsiuam. *n.* 20. 34. causam denique falsam inter plures veras narratam finalem non præsumi; sed itidem impulsiuam dumtaxat. *d. n.* 43. 44.

Adhæc conformiter Seraph. *decis.* 615. *n.* 4. an satis, inquit, iustificata commissio, quæ habet clausulam constito de præmissis, & domini, inquit, censebant sufficere; cum d. clausula sit referenda ad ea, quæ præbent causam Papæ concedendi; & hæc sola sufficit ad obtinendum, licet alia narrata non sint vera. quia *idem decis.* 1235. *n.* 2. non solet attendi, inquit, *subreptio, dummodo contractus cedat in vtilitatem ecclesiæ & nihil aliud curat Papa*, vt idem inquit, *decis.* 480. *num.* 2. *& sola vtilitas attenditur.* ad quam *se Papa restringit*, idem *decis.* 1125. *n.* 7. & *sola subreptio attenditur, quæ circa causam finalem versatur, idem decis.* 508. Et in materia vnionis duorum monasteriorum ex varijs subreptionibus impugnatæ *idem decis.* 1432. *n.* 5. *his verbis; quantum ad subreptiones deductas, Domini censuerunt in hac materia esse attendendum, causam præcipuam concessionis fuisse ex eo, quod propter bella continua dicta monasteria, & eorum subditi expositi erant depradationibus, spolijs, & incendijs; ex quibus oriebatur temporalium bonorum exterminatio, & cultus diuini diminutio:* & infra; *cum itaque contra hanc narratiuam nihil deducatur, quod eam redarguere possit, satis esse, si hæc vna sit vera; ex ea namque sustineri vnionem, licet aliæ causæ non verificentur.* 7. Seu quæ præbeat causam concedendi. 8. Quæ sit præcipua.

Non malè tamen obiicitur, ex præfatione finalem causam intelligi, *Seraphin. decis.* 1337. *num.* 7. *per l. fin. vbi Baldus in* 2. *notab. de hæredib. instit. Crauetta cons.* 192. *num.* 21. *vers. tertio arguitur Lanfranc. in c. quoniam n.* 2. *X. de prob. vbi dicit statutum non habere locum, in quo statuti proœmium non obtinet:* atqui Pontifex id præfatur se ad ea per quæ occurrentibus monasteriorum, & aliorum locorum regularium ruinis & desolationibus, alia in locis commodioribus, & tutioribus ad sacræ religionis diuinique cultus præseruationem restaurari, & reparari valeant, libenter intendere. ergo translationem ad tutiora loca finem rescripti esse videri.

Sed esto sit ille finis, sit causa finalis, non impulsiua tantùm, at verò non per se nuda & sola illa proponitur; sed insuper *clausula in locis commodioribus*; at qui commoditates monasticæ deerant in loco B. cùm autem causæ plures proponuntur, sufficit vnam, vt dixi, esse veram; dummodo talem cui innitatur rescriptum; & qua posita Pontifex ni- 9. Ex pluribus vna, cui rescriptum innitatur.

hilominus rescriptum concessisset; quamuis altera causa narrata non fuisset. *Sanchez d. n.* 42. 43. 44. Itaque quamuis hic narratum non fuisset deesse locum tutum, nihilominus Pontifex respecisset ad cômoditates impetrantibus necessarias, & quæ ad sacræ religionis, diuiniique cultus, præseruationem oriebantur ex aliis narratis translatione illâ, & suppressione factâ.

10. Et sic translatio ad locum magis opportunû.

Etenim tuti loci facta non est mentio in vnione iam antè facta, & tamen iudicium Ordinarij, Nuntij, Receptoris regij, Senatus L. Concilij, ac regiæ Maiestatis fuit, vt vnio tamen ad vtilitatem ecclesiæ fieret: quidni ergo dicemus eandem mentem futuram fuisse Pontifici, si generatim id arbitrio prudentis, attentis circumstantiis, relictum tradatur; vt decernat, an qualitas causæ eius generis sit, vt eâ cognitâ Princeps nihilomius gratiam concederet, atque in dubio talis esse censenda sit? *Sanchez ubi supra num.* 19. *&* 20. *citans plures.*

Quod eo facilius credimus, quod antiqui canones *c. postquam. c. & temporis* 16. *q.* 1. *Concil. Trid. s.* 21. *c.* 7. dum destructis ab hostili impietate ecclesiis per vnionem & translationem prouident; non faciunt mentionem an destructi locum alium tutum habeant; sed solatio deuastationis translationem in opportuniorem locum concedunt: dum spes nulla sit, eodem loco eas reparandi. *& facit egregiè decis. Seraph.* 1432.

Quod igitur spectat ad controuersiam de tuto loco, statuendum videtur, & clausulam esse veram, & si vera non esset, non continere causam omninò finalem, sed quadantenus impulsiuam, vel saltem finalem causam, non adæquatam, & per se solam, sed magis alteram commoditatum causam, propius esse finalem, & qua magis nititur rescriptum; ac denique in ea præfatione Pontificis vlteriorem finem exprimi in verbis alia (monasteria) *ad sacra religionis, diuiniq; cultus præseruationem restaurari, & reparari valeant,* quod vtique hac via accidit restaurata & reparata domo B. (quæ omninò aliàs intra breue tempus cum templo concidisset, vt testatur Senatus L. in literis ad Concilium Regis datis, in hac instantia exhibitis) ad sacri religionis diuiniique cultus præseruationem, quem sibi vltimum finem Pontifex in rescripto disertè proponit, & cætera quasi media.

11. Et commodum:

12. Ad religionis & cultus diuini præseruationê.

Quo casu fauorabiles sunt vniones: dum eis consonat Concilium Tridentinum *s.* 21. *c.* 7. *s.* 24. *c.* 13. & antiquorum canonum decreta: *c. & temporis. c. postquam* 16. *q.* 5. *c. vnio. in fin.* 10. *q.* 3. *Clem. ne in agro.* §. *adhuc. de stat. regul.* quomodo laudat ecclesia S. Siluestrum Papam primum confessorem, quòd perpetuò laborarit, vt pauperioribus clericis ditiores coniungeret. sic regula 12. Cancellariæ reuocatoria vnionum, eas intactas excipit, quæ fiunt iuxta Concilium Tridentinum; & ex tam rationabilibus causis factæ admittuntur à Concilio Constant. adeo infenso vnionibus, quæ ex gratia mera, aut leuibus causis tum frequentabantur. Eapropter adiiciendo calculum iis, quæ ab Ordinario, Legato, & Rege sancita sunt, non videtur difficultatem ex hac clausula propositam talem esse, quæ auertere debeat ab executione rescripti anteacta prosequentis.

13. Quo casu fauorabiles sunt vniones.

In altera difficultate, quæ ad valorem expressum 24. ducatorum pertinet, primo statuendum est valorem in rescripto expressum referri ad tempus vnionis, vt ipsi domini Impetrantes contendunt, adeoque eum quoad tempus rescripti non esse expressum, cùm tamen, quibus in casibus fieri debet, etiam quoad tempus rescripti fieri debet, & ita Gomes. Gutier. aliique, dum de valore probando quærunt, statuunt tempus rescripti, & annos quinque antè & pòst: vt duplex hic sit quæstio: de omisso valore, qui fuerit tempore rescripti, si accipiatur vt volunt Impetrantes; & de falso expresso, si vt vult Opponens.

14. Valor exprimêdus iuxta tempus rescripti, cum est verus, nô curialis exprimendus.

Et quidem expressum verum esse contenditur maximè eo argumento, quod constet de summa B. paupertate: & cùm fructuum ratio iniri non possit, nisi oneribus deductis, vt apud omnes in confesso est, inde elici eos reditus B. non habuisse, qui pondere onerum in eam paupertatem depressi fuerint.

15. In valore statuendo deducenda onera.

Sed tamen inter onera non refertur ea sustentatio, quæ beneficiariis necessaria est, sed tantùm onera realia, & quæcumque personalis operæ debita sunt, reditus minuunt. quæ ergo anniuersariis, mortuariis, missis, & similibus relicta sunt in fructus non referuntur; nec eos augent. vnde & Nauarrus *de verb. signif. consil.* 4. negat inter fructus parochi censeri, quæ proueniunt ex relictis reditibus pro aliqua capellania, cui ipse debeat inseruire. quare quæ ratione missarum celebrandarum domui B. relicta sunt; vt onera realia deducenda essent à reditibus illius domus.

16. Realia non personalia alimenta.

Sed quoniam hæc onera non probantur, vt procliue sit credere reditus hos 25. ducatos excessisse; videndum est an expressus falsus valor nocere hic debeat.

In hoc puncto tanquam in hypothesi disputatio de veri taciturnitate, aut falsi expressione, etiam residet; & tamquam species ex alia vt genere nascens ab authoribus sub iisdem sedibus disquiritur.

Hanc quæstionem breuiter expediunt, qui in gratiosis (quanquam non omnimodo censenda sint gratiosa ea rescripta, quæ clausulam *vocatis vocandis* continent, nam ea iustitiæ naturam redolent, *Vital. de Camban. in clausula si ita tibi constiterit post Ioann. Andreæ.*) omnia omnino narrata verificanda esse asserunt, quales citat Sanchez *d. n.* 43. *& Gars. de benef. p.* 6. *c.* 2. *numer.* 189. vnde *idem p.* 1. *c.* 5. *numer.* 508. in quæstione nostra mox tradit *& Anchatan.* qui valorem sub pœna nullitatis, vbi de mente Concedentis præsumitur, vitiare negat; asserit tamen falsi valoris expressionem vitiare. quod etiam ad motu proprio factam Menoch. *numer.* 83. aliique extendunt.

17. In rescriptis gratiæ an omnis obreptio vitiet?

Et

18. An cum id omittitur quod iura exprimi volunt.

19. Vt valorem in vnionibus, & suppressionibus.

Et verò vt Gutier. *n.76. & seqq.* fatetur vtramque opinionem probabilem; ita candidè fateri oportet hanc quæstionem sine scrupulo non esse. præsertim dum Sanchez *d. loco n. 13.* semper nullam reddi gratiam docet, cùm id omittitur, quod iura exprimi volunt; multoque magis dùm falsus valor exprimitur, quem verum exigunt; & regulæ Cancel. 21. adeo expresè in vnionibus verum annuum valorem exprimi iubeant, adiectis pœnalibus his verbis; *alioquin vnio non valeat*, *eadem decernens de suppreßionibus*, *&c.* quia etsi Pontifex idem concessisset expresso verò valore; nihilominus, quia omissâ formâ corruit actus (pro qua iura præscribunt exprimi verum valorem; *Rebuff. in prax. benef. de vnion. in verb. secundùm communem*, *& in verb. tam beneficij*) ob neglectum præscriptæ expressionis concidit actus.

20. An sufficiat exprimi valorem 24. duc.

Consequenter idem Rebuff. *ibid. in verb. teneantur.* tradit, ne quidem in Francia sufficere (vbi aliàs in impetratione beneficiorum id satis est) in vnionibus beneficiorum exprimi 24. ducat. quia consuetudinarius valor 24. ducat. ad annatas pertineat, sed in vnionibus aliud spectetur.

Quamuis Ant. Faber *in Cod. suo de episc. & cler. defin.* 10. generatim ita loquitur: *regula de beneficij valore exprimendo non attenditur in quæstione, quæ laicum iudicem habet de possessione beneficij, quod bursalis potius sit, quàm iuris: ita Senatus: nisi euidenter appareat de dolo Impetrantis.*

21. Dubia ad rationem legum excutienda.

Sed enim cùm dubia omnia constitutionum rescriptorumque non ad verborum cortices, sed magis ad æquitatis rationem allidenda sint, vt ab eo silice excussa lux, & ab ea cote exacuta veritas perplexitatem discindat; certè non video rationem quæ conuellere possit obiectu taciti valoris, aut falso expressi, enixam Concedentis mentem; quando liquidò constat, valore præciso cognito, concessurum nihilominus fuisse.

Quo casu dicendum non est iura omninò hanc expressionem exigere; adeoque ex omisso tamquam forma actum corruere.

22. Iure expressio valoris non requiritur.

Statuendum etenim est (*vt latius apud citatos authores deducitur*) iure communi non exigi valoris expressionem, adeoque regulâ Cancellariæ, quæ eam exigit, tamquam à iure exorbitantem omninò interpretatione, quantum fieri potest, esse restringendam; atque ita accipiendam eâ distinctione, quæ aliàs ex Con-

23. Sed per reg. Canc.

cedentis voluntate sumitur, si explicitum vel non subticitum quod arguitur, fuisset. Et certè si de subticito id statuamus secundùm *Anchoran. Rip. Couuar.* ratio leuis est vt de falso expresso (quæ assiduò inter se comparat Sanchez *d. disp. 21.*) secus censeamus, illa; quod expressa sæpè noceant, quæ non expressa non nocerent. Brocardica enim hæc ratio generalis est, vt omninò distinctionem sumat ex iuribus satis expressis, dictantibus falsò expressa non nocere, quando nihilominus Concedens veritate cognitâ idem concederet.

Et verò regula Cancellariæ, per quam nouum illud ius inducendum esset, nihil simile inducit, nihil distinguit inter subticentes, & falsò valorem exprimentes; *teneantur*, inquit, *exprimere verum valorem.*

Sed, inquis, falsum valorem exprimens grauiùs puniendus est, quàm verum subticens, quasi magis peccans: sed Sanchez *d. disp.* satis docet vtrumque pari gradu stare, dummodo dolus absit; qui facilius quidem præsumitur in falsum exprimente: sed is tamen in Impetrantibus non arguitur, quorum status, nota & religiosa pietas præsumptionem pro illis facit, vt extra dolum esse censeantur.

Quæ omnia eo magis hic locum habent, quod de stylo (qui & d. regulam restringit *Gomes. d. q. 3. in fin.*) magis curatur liber taxæ, quàm valor; quia vt ibidem dicit, *vers. tamen ista est*, inquit, *firma propositio apud curiales practicos, quod expreßio valorum semper respectum* 24.
habet ad annatam, quia & regula de valore adhæret taxis annatarum, *sic*, inquit Gutier. *vbi supra n. 80. videmus quod in beneficiis in quibus non soluitur annata, non exprimitur valor*; & inuenta est regula à Ioanne XXII. qui libros taxæ vel inuenit, vel auxit, vel insigniter stabiliuit. *adde Rebuff. in prax. benef. in forma signatura ad verbum cuius fructus, &c.*

Sed curialis in ordine ad annatas.

Et vt verum liberè fateamur, non minus Reg. 21. *de vnion.* solam quindenniorum rationem præ oculis habet, si expendimus, quod vbi de quindenniis tam operosè agunt Pontifices, etiam Pius V. verè pius (*quorum constitutiones citantur apud P. Matthæum sept. decret. lib. 2. tit. 3. de annat. c. 5. 6. 7.*) iura Cameræ, & Cardinalium, & Officialium præseruare, & indemnitati eorum consulere se dicunt: quin & ob quindenniorum neglectum etiam vniones, ex iustis licet causis factas, irritant; vt vnita ab aliis impetrentur; & priores sic annatæ rursus soluantur: qui solidus finis est constitutionis; aliorum omnium altum apud illos PP. silentium.

Cùm itaque domus hæc ex Ordine Mendicantium fuerit, qui annatas nunquam soluunt, nec reseruantur Sedi Apostolicæ eorum officia: profecto reg. 21. non cadit in hanc materiam, fineque suo destituta cessat. *per ea quæ latè Euerard. in loc. à virtute finis.* 25.

Ideoque in Mendicantium negociis non obtinet, qui neq; in collationibus annatas soluunt, aut in vnionibus quindennia.

Religiosius quidem aliqui vtrique regulæ de exprimendo valore causas alias comminiscuntur; ne scilicet Pontifex valoris ignarus immerito non tribuenda tribuat, & iustus sit beneficiorum dispensator, pro cuiusque indigentia, non ambitione; sed, liberè iterum dico, comminiscuntur causas, quarum nec in dictis regulis, nec citatis constitutionibus vlla mentio: & si eæ veræ essent, valde reprehendendus esset illarum neglectus in omnibus secularibus beneficiis inferioribus per totam Hispaniam, Galliam, & Belgicam, pinguium sæpè & meritis impetrantium longè imparium, in quibus valor, quamuis ad mille ducatos sæpè ascendens, rescribitur tantùm ad ducatos viginti quatuor: nec illū vsum Ponti-

Ee 2 fices

fices interrumpunt: vt non respectu annatarū; ita ne quidem intuitu aliarum rationum, quas religiosè aliqui authores, vt diximus, sibi exhibent. vt necessario omninò dicendum sit, ad satisfaciendum consuetudinario stylo, per parenthesin enunciatiuè, non dispositiuè esse valoris mentionē insertā rescripto à formulariis curialibus; non secus, quàm in impetratione beneficiorum inferiorum omnium Belgicorū, Gallicorum, Hispanorū sciente, tacente, adeoq; volente Pontifice, præsertim dū in hoc rescripto dispositiuè dictum, & à testibus sufficienter probatum est, quod B. ad eam paupertatem deuenissent, vt competens fratrum numerus sustentari non posset. quod (si æquū respicimus)
26. satis est valorem exprimere. *c. dudum. de præb. in 6.* dum cognoscitur nihil auaritiæ, ambitioni, aut aliis causis superesse; dum constat reditus B. sibi suisque oneribus non sufficere, non minus ad æquitatis respectum, quàm si nominatim summa fructuum fuisset expressa. *§. nominatim. inst. de exher. lib.*

Satis censendus expressus valor per circumstantias.

Nunc verò mentem Pontificis fuisse vt explicito etiam veriori valore rescriptum executioni nihilominus mandaretur, vel inde constat; quod tam studiosè adiiciat in rescripto hanc clausulam; *ita vt vltra ipsum Abbatem numerus saltem duodecim monachorum manu teneri debeat:* quæ clausula fatuum reddit rescriptū, si censeamus Pontificem expressos valores pro veris habuisse, & non pro consuetudinariis: quis ita enim stupeat, vt nesciat 24. ducatis & centum florenis auri de camera ali non posse competenter Abbatē ordinis S. Benedicti, insignis monasterij, & duodecim monachos? (cùm ad illum valorē domus B. ad hunc Abbatia V. in rescripto dumtaxat æstimetur) si meminerimus sacram Congregationem Cardinalium Cōcilij Trid. Interpretum aliàs declarasse generaliter beneficium quod non reddit 24. duc. vel vni non dici sufficiens: & duo quæ simul centum viginti quinque ducatos, nō conficiunt, non prohiberi à Concilio Trid. simul retineri. Qui igitur hæc eadem summa Abbati & duodecim monachis, & cōuenienti famulitio, aliisque oneribus sufficiet? prçsertim cùm ex Bulla Pij V. *incip. Romani 3. Kalend. Septemb. 1567. relata apud. P. Matth. de spoliis. lib. 3.*
27. *tit. 3. c. 2.* constet Romanum Pontificem declarasse iura spoliorum locum non habere, cùm clericus in vita non habuit ex beneficiis supra triginta ducatos auri de Camera, quasi manifestum sit pro victu tantùm requiri, nihilque ex beneficiis talibus superesse posse, vnde spolia detrahantur, sed aliunde obuenisse præsumēdum sit. quin & idem Pius disponens de canonica portione parochorum, eam non infra quinquaginta aureos æstimari iubeat.

Quibus inducatur, actus qui stare nō possit cum vero alioquin valore.

Vidit, sciuitque hæc Pontifex; non stupuit; Rescriptum tamen dedit; sensit ergo pro stylo, non veritate valorem exprimi; voluit tamen executioni mandari: quidni ergo de hoc valore 24. ducat. dicemus, quod de altero iuxta taxam expresso, vt sufficiat, Gomes. de exprimendo valore *q. 10.* tradit, *& mox diximus,* & Opponens nullibi arguit vel oppugnat: cùm alioquin non minus hoc, quàm illud vitium obesset, vt rem ipsam quam enixè voluit Pontifex, scrupulis verborum non euertamus, & verba amplexi contra rescripti nitamur voluntatem.

Ad hæc valde expendendum est quod omnes, vt fatetur Menochius, alijque Interpretes, statuant regulas de valore exprimendo tamquam à iure alienas strictissimè esse interpretandas: inde etenim sequitur, dum loquitur de beneficiis ecclesiasticis vniendis, ad controuersiam, & litem hanc quam minimè spectare, non enim hic agitur de beneficio aliquo, sed de domo B. Mendicantium: porrò officia Prioratus, Guardianatus, &c. nullatenus ad beneficia aut regulas Cancellariæ spectant. *Gonz. ad reg. 8. Cancel. glos. 8. num. 50. 51.* 28. 29.

Regulæ de valore strictè accipiendæ.

Ideo in beneficiis stricti nominis nō domibus Mendicantium.

Nihil ergo iuris præscribit eadem regula in domibus Mendicantum vnde beneficia, annatæ, & quindennia exulant.

Sed huic rationi ex verbis modernæ reg. 21. opponi potest, quod idem mandetur obseruari in quibusuis suppressionibus, & perpetuis concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus & bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus vnionum, singularumque dispositionum huiusmodi; quia regula eadem loquitur de beneficiorum suppressionibus, & dispositionibus, de fructibus, & de bonis: hic verò Pontifex nihil de fructibus, aut bonis disponit, mandat tantùm ordinem S. Francisci, illius statum, essentiam, & dependentiam in ea religiosa domo, & septis regularibus supprimi, & extingui, nouum in ea monasterium erigi, & Impetrantes eò transferri: de vnione, de bonis, de fructibus nulla mentio; sed ea relicta sunt in prioribus terminis, vt supra diximus, regula autem ad bona spectat, & fructus; de quorum taxa, annata, & quindenniis in ea agitur. 30.

Vniendis, & supprimendis.

Enimuerò si tota forma rescripti accuratè expendatur manifestè deprehendetur, nihil in rescripto agi, quod ad regulam vnionum pertineat, sed magis quod ad solam domus B. status mutationem, adeoque quæstionem de valore ex regula vnionum auocatam ad hunc casum non spectare. 31.

Ad regulam vnionum nō spectat domus mutatio status.

Cùm enim Pontifici expositum esset, residuos in ea domo B. habitum & ordinem D. Benedicti, vtpotè strictiorem conuentuali resolutione assumpsisse, & professionem emitti consuetam expresè emisisse, ac sic domus illius statum mutasset; sequebatur suppressio ordinis S. Francisci, status, essentiæ, & dependentiæ illius, quā ritè fieri hoc rescripto mandatur; quaque facta nihil ad opponentem amplius attinet, an soli illi, qui statum iam mutauerunt, maneant; an ad eos transeant alij eiusdem iam ordinis; an hi tutum & commodum alium locum habeant, aliæque causæ veræ sint, & iustæ, ex quibus transeant. 32.

Seu assumptio strictioris ordinis.

Mutare autem statum vt potuerint, facit fauor

fauor ille iuris, qui tribuitur ijs, qui strictiorem regulam volunt amplecti; quod permissum singulis, quidni liceat vniuersis? dummodo non sint ex ijs Collegijs, quibus id prohibitum est, *in c. religionum. §. fin. de relig. dom. in 6.*

33. Quæ licita est Collegijs. Qua ex causa *in c. cum dilectus de his quæ vi vel metu.* canonici seculares ordinem Cistercienſem assumere permissi sunt pro toto Collegio; & emissum votum & iuramentum coacti etiam obseruare, quamuis dolo, vi, & metu inductos se allegarent.

Quamuis etiam non reperiatur *in d. c.* interuenisse Ordinarij consensus in mutatione statuſ ecclesiæ; ne quis obiiciat hic non interuenisse consensum Ministri Generalis domus

34. Etiam sine Ordinarij interuentu. illius Superioris, si exemptam ſupponamus; Tametſi constet ex declaratione iurata eorundem Fratrum consultum Superiorem consensisse, & ex diuturnitate temporis, & circumspecta prouidentia istius Vicarij præsumenda foret, aut ex aduerso fuisse in plena possessione Ordinarios de B. vt non exemptis, tunc statuendi. quod iuuat diploma Nuntij, qui Ordinarium vocat B. Superiorem, cuius cùm authoritas, & Ministri consensus interuenerit, nihil restat obiiciendum.

35. Quod alioquin ad Episcopum spectat. Statuit quidem *c. si Episcopus.* 12. *q.* 2. Episcopum erigere secularem ecclesiam in regularem, & *c. ad audientiam. X, de ædif. eccl.* Pontifex noluit mutandi statum facultatem dare sine Episcopo diœcesano: sed hoc inuitis clericis volebat quis fieri: in altero etsi Episcopo ea fa-

36. In communi tamen resolutione aliud permissum. cultas datur, non negatur competere facultas ipsis clericis, vt communi resolutione strictiorem regulam assumant, vt *in d. c. cum dilectus* factum, & seruari iussum.

Quod non ob solum iuramentum sustinetur: nam si alioquin non haberent clerici sine Episcopo eam facultatem, priuatum ipsorum iuramentum non mutaret ius publicum, adeoque statum ecclesiæ, quamdiu requisita Episcopi authoritas non interuenisset.

37. Nec attenditur fundatio, scilicet non prohibitiua. Neque dicat aliquis non posse priuatos fundatorum instituta mutare: quia illud argumentum non obstitit casui *d. c. cum dilectus*, dum de bono in melius fit mutatio, de virtute in virtutem progressus; &, si attendendum esset, etiam Episcopi authoritas non sufficeret. *Clem. quia contingit. de relig. dom. & ibi DD.*

38. Nec omissa mentio superstitum vitiat rescriptum. Ex quo *c. cum dilectus* etiam per transennam notari potest non reddi subreptitium rescriptum, quamuis non narrentur superstites, cùm ibi id non narratum gratiam non vitiet, sed suppleat Pontifex, ita vt residuis ibi vel alibi prouideatur, at hic superstitibus tempore vnionis Ordinarij alibi prouisum erat, tempore autẽ rescripti Apostolici omnes decesserant.

39. Sed ijs prouidetur. Assumptio ergo regulæ Benedictinæ à B. facta legitima est, cui tum Generalis assensit expresse, & per tot annos ipse, successoresque tacitè, vt consecutiua ordinis S. Francisci in ea domo suppressio, & deinceps (quæ tum ad opponentem non pertinet) translatio iustè impediri non possit.

Cui nihil officit, vt vno verbo id dicatur, quod non fuit mentio facta in rescripto Generalis, quodque curæ eius subsint B. sine eo alienari nihil possit, quodque exempti sint; nam satis id innotuit, cùm scitum fuit eos ordinis esse S. Francisci, & ob id iubet Pontifex ibi cum ordine, statu, essentiâ, etiam dependentiam extingui. 40. Nec expressè menda dicere, quæ ex narratis necessariò colliguntur.

Præterea considerandum est rescripto non esse adiectam clausulam *quatenus iuris, aut quatenus de iure*; sed tantùm, *si ita esse repereris:* quam gratiosam esse, & innectere indulgentiam, vel dispensationem ad hoc, vt sola exposita sufficiant, licet aliàs plura requirerentur, sentit Panormit. *conf.* 41. *num.* 3. *p.* 1. *& Anth. Capyc. decis.* 16. *num.* 4.

Scrupulus autem motus ex ea clausula, *si ita esse repereris*, facilè excutitur, vt conditionem inferat, eaque deficiente corruat dispositio. 41. Clausula si ita repereris, vt detur esse conditionalis ad præcipuam tantùm, & finalem causam spectat;

Nam vt verum sit, quod dicitur ex Innocentio *in c. dudum de præsumpt. Alexan. conf.* 218. *n.* 1. *lib.* 2. non tamen sequitur non verificatis omnibus narratis, tamquam deficiente conditione, gratiam reddi nullam; quamuis obreptio talis sit, quæ per simplicitatem & ignorantiam acciderit, & quæ narrata sunt, non fuerunt necessaria, *vt expreſsè Felin. in c. ad aures. vers. de expreſſ. concl.* 2. *de rescript. dicens se Florentiæ ita obtinuisse in causa ardua, & nuncupatim conclus.* 3. impetranti incumbere, verificare specialiter beneficium non plus valere, quàm narrauerit; & plus nocere imperfectam locutionem, quàm silentium. *quod idem tenet Alexand. d. conf.* 218. *n.* 1. *lib.* 2.

Hoc enim argumentum generale est, & si constet, tollit omnes distinctiones, quas iura & authores proponunt.

etenim *in c. ex parte el.* 1. *de rescriptis*, ait Pontifex, *in literis intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur, si preces veritate nitantur*, vocat ecce conditionem Pontifex, & semper intelligi asserit, & lex ciuilis expressam requirit.

Et clausula ea quidem *si preces veritate nitantur* isti æquipollet, *si ita repereris, si tibi constiterit*, & similibus. quod ratio dictat, & post Ostiensem docet Vital. *Camb. in clauſ. si preces.*

Et tamen non ex qualibet narratione falsa semper, quasi deficiente conditione illa, *si preces veritate nitantur*, rescripta redduntur irrita; non ergo itidem semper vitiabit clausula, *si ita repereris, si tibi constiterit, &c.*

Sequitur ergo conditionem hanc de substantialibus intelligi dumtaxat, *si ea scilicet ita esse reperta fuerint, si de ijs constiterit, si quoad ea preces veritate nitantur, ita supra ex Sanchez.* dixi, & eatenus etiam formam tantùm esse accipiendam, quæ ad substantialia pertinet, & in causa matrimoniali *Sanchez nu.* 43. 44. vbi ea conditione, formâ, & formulâ precum non obstante causam, cui innititur rescriptum, verificari sufficere tradit. Formam autem deficientem circa accidentalia non obesse statuendum est, vt accidens abesse potest sine incommodo subiecti *tradit idem Seraph. decis.* 615. *n.* 4. *tradunt alij passim.*

42. Porrò silentium & imperfectam locutionem, siue falsi expressionem, & veri taciturnitatem assiduò inter se comparat, & eiusdem energiæ esse contendit Sanchez *d. disp.* 21. *n.* 10. 31. & *seq. n.* 73. 74. vbi hæc verba: *quia textus (in c. super literis de res) quoad hoc (causam finalem & impulsiuam) æquiparat prorsus malitiam & fraudem in tacenda veritate vel exprimenda falsitate.* & in materia valoris exprimendi dixi supra.

Silentium & expressio falsi eiusdem efficaciæ quoad dolum aut simplicitatem.

43. Ad argumentum similiter, quod adducitur ex Sanchez & alijs, quod quando iura disertè aliquid exprimi mandãr, disquirendum non sit de mente Concedentis, quia quantumuis illud exigui sit momenti, exprimi à legislatore iussum, pro forma tamen est; qua deficiente corruit actus: responderi posset non certi iuris esse hanc thesim: contra eam facere *c. gratia de rescript. in* 6. eam negare Nauar. *lib.* 3. *cons.* 1. *n.* 5. *de feud.* vbi tradit duo requiri: 1. Vt expressio à iure caueatur: 2. Vt id quod tacetur sit tale, vt Concedentem retraheret: adeoque defendi posse omnes canones, & leges pro ea thesi citatas, magis ex ratione, quàm verborum aucupijs procedere. vt cùm declarat Pontifex Impetrantem beneficium teneri prius obtentum exprimere; addit rationem causatam ex mente & intentione Concedentis, *quia non solet de facili scribere de prouiso, vt prouideatur*, item cùm scribit vt prouideatur alicui de beneficio certi valoris, non potuisse prouideri de alio valore; quia id sit extra mandatum: quod tamen non scrupulosa verborum stipulatione constat, sed intentione mandantis & solo consensu lato in certum taxatiuè, & dispositiuè eodem orationis complexu valorem, non dumtaxat eum, qui circumuolante & accidentaria narratione expressus fuerit; quia tum de istis vt non necessarijs & minimis non est curandum, vt in materia beneficij feudalis docet Nauar. *d. cons.* 1. *n.* 6. & talia spectant ad formas accidentarias quę adesse & abesse possunt sine corruptione subiecti, & sic de reliquis. Quod si ergo casus proponitur, in quo ius aliquid exprimi mandat, & expressum non fuerit; vitiabit omissio concessionem. quia Concedens censebitur concessurus non fuisse, aut dubitabitur an concessurus fuisset expresso eo, quod ius (quod Concedens scire, & ei se conformare intelligitur) exprimi voluit: si autem manifestè, liquidò, & citra dubitationem constet Concedentem ita concedere voluisse, vt quamuis quod omissum est expressum fuisset, aut quod falsò expressum verè expressum fuisset, nihilominus concessurus fuisset; nullus sanè præcisè canon aut lex id docet, aut ratio euincit; quia vt dixi omnia, quæ contra citantur, fundantur in defectu voluntatis mandantis, & excessu mandati, aut simili ratione; non verbis: quia sic non tam laqueus impetranti, quàm volenti & concedenti Principi poneretur.

Non omnia à iure exprimi iussa semper vitiare rescripta, si taceantur.

44. Sed si concedentem retraherent.

45. Nihilominus data hac maiori, neganda est subsumptio; scilicet in casu taliter volentis & vnientis, aut supprimentis Pontificis, sub ea pœna iura mandare talem expressionem: sed generalitatem verborum pati restrictionem ex alijs iuribus voluntati Concedentis deferentibus, & iuxta eam distinguentibus. qua ratione ijdem authores, qui hanc thesim maiorem ponunt, nihilominus de valore exprimendo disputant: inter quos Couuar. alijque in ea hypothesi negant eiusmodi errorem in valore vitiare rescriptum.

Sed valor iure non est exprimi iussus in officijs Mendicantium.

Insuper sub nomine etiam beneficiorum contenditur comprehendi monasteria. Et rectè, sed non omnia: verùm illa tantùm, quæ perpetua sunt, quod de essentia est beneficiorum, quæ in titulum beneficialem conferuntur; non autem illa continentur, quæ officium dumtaxat sunt; præsertim Mendicantium: quę nihil ad regulas Cancel. singulatim quæ de annatis, & quindennijs tractant, pertinent. 46.

Quæ sub beneficijs non veniunt in Reg. Canc. quæ annatas recipiunt.

Sub Concilij quidem Trid. *s.* 24. *c.* 13. §. *interim* dispositione fateor ea contineri, sed disertè Trid. monasteriorum facit mentionem, & generatim quidem, atque in ea dispositione quæ monasterijs fauet, vt scilicet non vniantur ad suppeditandam Episcoporum, vel parochorum competentiam, ne alijs, inquam, abeant ancillatum: non est autem consectarium, vt si quid in materia fauorabili sub aliqua denominatione comprehendi potest, præsertim expressum, id etiam comprehensum dicatur sub eadem in materia odiosa, & à iuris communis regulis exorbitante, vt est regula 21. *de vnion.* in qua vocabula omnia sunt restringenda ad propriam significationem, in alijs fauores ampliandi. 47.

Sed in fauorabilibus ne vniantur pro aliorum congruentia.

Quod denique obiicitur, diuersam esse rationem & minus præiudicium, in Impetrante subreptitiè collationem, quàm vnionem; ideoque magis in hac, quàm illa oportere exprimi verum valorem; dico non esse in casu nostro: vtraque enim regula solicita est dumtaxat, altera de annatis, altera de quindennijs: neutro autem casu Mendicantes quippiam soluunt: atque eadem vtriusque regulæ sunt verba dispositiua, vt verus annuus valor secundùm communem æstimationem exprimatur: & pœnalia, vt alioquin vnio non valeat, & gratiæ omnes sint nullæ: vnde, vt dictum est, Doctores indistinctè de vtraque regula tractant.

Præiudicium autem si in eo positum velis, quod non plenè deliberare potuerit Pontifex, conferrène vel vnire velit, minusque præiudicium sit in collatione temporali inconsulto facta, quàm vnione perpetua; respondeo id cessare ex eo, quod ponitur, quod nihilominus valore cognito Pontifex concessurus fuisset; & in casu præsenti nouerit non verum, sed curialis taxæ dumtaxat valorem, expressum fuisse, & nihilominus concesserit: qua scientia posita simul & voluntate dispellitur, ut dictum est, quidquid est impedimenti.

Quod si autem ex rationis diuersitate regula mitigationem aut interpretationem capere potest, vt admittit obiectio; rationes certæ necessitatis & vtilitatis ecclesiæ tam hic sunt validæ, euidentes, & in actis demonstratæ,

monstratæ, vt stipulæ verborum eas superare non debeant, aut vtiles earum narrationes per inutiles subreptiones vitiari.

Quibus omnibus attentis, quodque id, quod de valore verò obiectum est, satis sit vlterius refutatum, siquidem primò non versamur in casu vnionum, sed in transitu ad strictiorem ordinem, mutationeque status regularium. 2. Non in suppressione beneficij, bonorum, &c. de quibus agit regula 21. Canc. sed officio, domo, & septis Mendicantium. 3. Quia cessante fine cessat lex, & à Mendicantibus non soluuntur annatæ, aut quindennia. ergo in eorum causis eæ regulæ cessant, quæ ad finem annatarum, & quindenniorum dumtaxat institutæ sunt. 4. Cùm constat Concedentem nihilominus concessurum fuisse, verus valor non expressus non debet nocere. vnde nec allegata reg. tam 21. quàm 54. Couuar. de vtraque indistinctè ait, *error in hoc* (valore) *exprimendo minimè est considerandus.* eodem modo procedit Ant. Faber *C. sui. tit. de epis. & cler. def.* 10. *& Gomes. & tractatui de valore exprimendo* generalem inscriptionem præfigens, & asserens quod expressio valorum semper respectum habet ad annatam: eodemque modo Gutier. aliique. 5. Per circumscriptionem satis hîc expressum esse valorem, quod non minus est, quàm si summæ certæ, & proprio numismatum nomine expressio fieret. 6. Expressionem esse factam sub summa taxæ curialis. 7. Ita expresso valore sciuisse Pontificem ali non posse Abbatem, & duodecim monachos, quod expresse tamen & studiosè mandat. Cùm ergo falsitatem valoris sciuerit Pontifex (falsitatem, inquam, si verum valorem respicias, non autem si taxam, aut consuetudinem curialem, quam sciuit, & secutus est Pontifex) & rescriptum nihilominus dederit, executionique id mandari iusserit; non versamur tantùm in casu quo Doctores disputant, an valeat rescriptum quando Concedens, quod expressum est falsum esse nesciuerit, & si sciuisset, nihilominus crederetur concessurus, sed in eo quo sciuit, & nihilominus voluit. quo casu dicit *post Felin. & citatos ab eo* Nauar. *cons.* 1. *num.* 2. *de feudis* quod taciturnitas eius quod Princeps nouit, non inducit subreptionem; sed includit dispensationem, quatenus opus, ad valorem actus. quod idem tenet Anchar. *cons.* 293. *n.* 2. *Siluest. V. dispens. nu.* 21. & disertè expressum est *in l.* 57. *D. de re iud.* tametsi sententia à minore lata sit nulla, si Princeps minorem magistratui imposuit, valere. *Princeps enim,* inquit, *qui magistratum dedit, omnia gerere decreuit.* Sic Pontifex qui translationem pro Abbate & duodecim monachis fieri voluit, omnia necessaria decreuit.

48. Recapitulatio rationũ, quibus statuitur valorem nõ rectè expressum hic non obesse, &c.

49. Præsertim dum Concedens videt vitium, & nihilominus actum vult, ideoque dispensat: ne contradictoria admittat.

Cuius rei euidens ratio est, quia contradictionem implicat, velle aliquid effectum sortiri, & obstaculum ponere, aut positum nolle ablatum, quod incompatibile sit cum eo quod velis. contradictorium enim vnum positum tollit alterum. vnde taliter Concedens dispellere censetur omne impedimentum. *l. vbi pugnantia. D. de reg. iur. Rebuff. in prax. ad reg. de vn. glos.* 11. *num.* 13. *Caccialup. eod. ar.* 8. *q.* 16. quemadmodum *in c. dudum de preb. in* 6. Bonifacius VIII. nulla priuilegij seu concessionis antea factæ in secundis literis mentione facta, per actus secuti repugnantiam illam *expressisse,* inquit, *videmur.*

50. Quorũ alterum volitum, alterũ tollit.

Quam resolutionem nihil retardare etiam potest argumentum de potestate Vicarij propositum: nihil enim id ad rescriptum, de quo quæritur, spectat: quod non tangit eam quæstionem an aliàs validè vel inualidè fuerit facta vnio, sed tantùm an de Ordinarij licentia V. transiuerint in domum S. Pauli, quod rescriptum narrat, & probant literæ tunc Vicarij.

51. De Ordinarij licentia fieri dicitur, quod de Vicarij.

Sub Ordinarij autem nomine comprehendi Vicarium atque Officialem adeo verum est, vt iura dicant ab eo non appellari ad Episcopum, quia idem sit vtriusque tribunal, & ne ab eodem ad se ipsum appelletur. *c. Romana de appell. in* 6. *c.* 2. *de consuetud. in* 6. *cuius sententia authores tanto numero allegat Sanchez de matr. lib.* 3. *disp.* 29. *n.* 3. *vt exercitum Xerris dixeris.*

52. Qui in iure dicitur Ordinarius.

Vicarium quidem vniones facere non posse Rebuffi & *aliorum quos citat Barbosa in Collect. DD. ad Conc. Trid. s.* 21. *c.* 5. communem opinionem esse credo, tametsi ego contrariam defendi posse existimem, *ex l.* 2. *C. de officio eius qui vicem alterius iudicis obtinet.*

Ex qua lege duo deducuntur 1. quod alienationes rerum minorum & similium personarum (vt sunt monachi & regulares) emancipationes, & adrogationes à vicario fieri possint (quibus vniones & translationes ad alium Ordinem, & familiam religiosam similes dixeris) 2. quod Vicarius possit omnia quæ ad iurisdictionem eius, cuius vices gerit, spectant, præstare: nisi quæ ius vel constituens disertè reseruauerit, vt loquitur de suo legato Pontifex *in c. quod translatione de off. leg. in verb. ad ea sine speciali mandato nostro non debuisti manus extendere, quæ in signum priuilegij singularis sunt tantùm summo Pontifici reseruata.* qualiter de Episcopo, Capitulo, & eius Vicario Sede vacante etiam dicendum est.

53. Coram quo emancipationes, adoptiones, sic & vniones & hæ mutationes fieri possunt.

54. Et quidquid expresse non est reseruatum, vt hæ.

Id quod dubium non videtur habere in Vicariis Sede vacante, quia toto illi Capituli officio fungi creduntur, hoc autem toto Episcopi extra causam Ordinis, præsertim cum iam ex Concilio Trid. *s.* 24. *c.* 16. teneantur inuita etiam Capitula ob incommoda administrationis per multos habitæ vicarium deputare, vt non tenentur Episcopi. Vnde Quaranta *in summa Bullarij verb. Capitulum Sede vacante* §. 4. *dubitatur,* ait, *an factâ electione vicarij videatur translata omnis potestas à Capitulo in Vicarium? Resp. quod post Vicarij electionem Capitulum non abdicat à se iurisdictionem, sed illius exercitium. & Garc. de benef. p.* 12. *c.* 2. *nu.* 67. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 4. 38. 51. vnire posse Cap. Sede vacante, & illius Vicarium: *p.* 5. *c.* 7. *n.* 28. *& Gutier. Can. q. lib.* 1. *c.* 11. *nu.* 10. satis clarè docet Vicarium Sede vacante posse decernere, quæ possent ipsi

55. Præsertim Sede vacante, quando in Vicarium transit, exercitiũ omnis iurisdictionis.

Episcopi, & quæ ad claues pertinent, modo non reseruauerit sibi Capitulum, sed vt communiter solet cum omnimoda potestate eum constituerit. quod hic tùm ob argumentum communiter accidentium, tum temporis lapsum, tum denique ob probitatem, & doctrinam huius vicarij factum fuisse præsumendum est: quem nec ignorantia insignem Doctorem, nec malitia meritissimum deinde Episcopum limites suos excessisse credendum est.

56. Et quod deesse potest, sanat clausula rescripti Apostol. supplentes, &c.

Et, vt excessisset, suppetias fert Nuntij Apostolici concessio, qui ratione legationis suæ vtriusque domus Ordinarius fuit, & vnionem, translationemúe hanc confirmauit, decreuit, & fecit ipse, cum ea clausula *supplendo omnes iuris & facti defectus*. de qua sic loquitur Vitalis de Camban. *in tract. claus. in claus. supplentes omnem defectum, &c. si defectus procedit ex solemnitate iuris positiui, talis defectus vigore d. clausulæ benè tollitur, per ea quæ ibi allegat, & clarum est ex c. illa* 39. *de elect. & facit c.* 1. *de transact. vers. cui siquid forte, &c.* ita vt sola Nuntij concessio clausulam de Ordinarij licentiæ interuentu verificet.

57. Et quamuis de iure nec Episcopus, nec Vicarius posset.

Quod verò dicitur nec Episcopum sine Capitulo vniones facere posse, quamquam dubitari posset an id hodie de Concilio Trid. procedat, prout negat Nauar. *de offic. deleg. cons.* 10. limitatur tamen vbi contraria est consuetudo; *Caccialup. de vnion. ar.* 6. *n.* 10. vt generatim in hisce ditionibus Episcopi eiusmodi negotia cum Capitulis non tractant, sed aliquando cum Concilio sui Vicariatus, quod aliud est à Capitulo, vtpotè cum hoc constet ex assumptis ab Episcopo, non à Capitulo deputatis.

58. Fecerit tamen, manet veritas narrationis de ordinarij licentia factum esse; etsi licentia legitima nō foret, quia narratio factū sonat, non legitimitatem.

Sed esto non possit Episcopus sine Capitulo vnire, minus Vicarius; fecerit tamen: verum erit de eius licentia transiuisse, &c. quia ea narratiua factum, non ius, sonat. non magis quàm si homo cæsus narretur, nec dicatur iure vel iniuria: factum ergo verificasse sufficit. *Bellam. decis.* 116. *Rot. nouis. diuers. p.* 2. *d.* 9. *n.* 10. idem de appellatione, licet non valida. *Seraph. d.* 954.

Dubijs itaque obiectisque aduersus rescriptum remotis, superest vt Delegatus illud exequendo, enixam Pontificis voluntatem, verborum strepitu nihil minutam, curet obseruari.

CONSVLTATIO VIII.

De vnionum reuocatione.

1. An vnio satius soluatur Abbatiæ cū episcopatu cum aliter finis vnionis haberi potest.

Multis pijs causis Conc. Trid. prouideri voluit per beneficiorum simplicium vniones, ecclesijs etiam cathedralibus tenuibus. *s.* 24. *c.* 13. monasteria tamen, in quibus viget regularis disciplina, atque ecclesias parochiales vniri vetuit. sed religionis orthodoxæ conseruandæ, nouarumque hic ob eam causam erectarum sedium episcopalium dotandarum necessitas, cum rebus hic turbatis per bonorum ab alijs beneficijs separandorum difficultas, & mora alteri remedio locum non faceret, huius decreti via facta inuia fuit, & monasterij mensis episcopalibus aliqua in dotem data. Postea quæsitum fuit, an, si finis is obtineri posset, & pars bonorum monasterij mensis episcopalibus applicari, satius non dissolueretur vnio, & tam episcopatibus, quàm monasterijs, suus cuique prælatus daretur.

Et sanè, saluo fine, ob quem vnio facta fuit, dissolutionem illius suadent rationes, ob quas mota fuit ecclesia ad facienda ea decreta, de quibus mox latius infra dicam: atque imprimis *d. c.* 13. *s.* 24. vniri vetantis monasteria, in quibus viget regularis disciplina: vtique ne vigor ille, & rigor remittatur, quod facilius fit, quando vnaquæque domus non habet suum patremfamilias, in regula & disciplina seruanda assiduò laborantem; coram cuncta quæ geruntur inspicientem; quæ correctione egent, extemplò emendantem; quam quando in commendam data est absenti ferè semper, aut plerumque, aut vnita. 2. Omnino.

Rursus suffragatur ratio sacrorum canonum, qui voluerunt, vt vnaquæque ecclesia suum sponsum, suum rectorem haberet. *tota causa.* 21. *q.* 1. *singula*, inquit, *ecclesiastica iuris officia singulis quibusque personis singulatim committi iubemus. c. singula dist.* 89. vix enim est vt vnus homo plures personas benè sustineat. *l. si plures. & ibi Iason. D. de pact.* 3. Vt singula beneficia suos habeant ministros.

Quam eandem ob causam tam multi sacri canones sint editi aduersus beneficiorum, præsertim curatorum pluralitatem, & in Concilio Tridentino etiam innouati, & seruari iussi. *s.* 7. *c.* 2. 3. 4. 5. 6. refertque *d. c.* 2. eam quam diximus causam, cum *valde felix sit*, inquit, *ille censendus, cui unam ecclesiam benè ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit.* 4. Præsertim curata.

Non ignoro huiusmodi decreta in beneficijs ritè vnitis non obtinere; sed agimus hic de rationibus ob quas lata sunt, quærimusque an eæ suadeant solui vnionem, quando nihilominus finis potest obtineri, ob quem vnio facta est.

Ratio autem legis, anima illius dicitur: ita vt ea cessante lex maneat velut emortuum cadauer: vigente autem ratione lex sit etiam extendenda vltra vim verborum.

Vnde fit vt etiam in materia vnionum recepta sit ea iuris regula, quæ dicit, cessante causa cessare effectum. *c. cessante de reg. iur. in* 6. *Alber. Gentil. disp. de vnion. Britan. & quos allegat. Rebuff. lib.* 1. *de benef. & de vnion. reuoc. & facit c. cum M. de constit.* vbi ex rerum mutatione etiam à Sede Apostolica vnita mensæ Capitulari mutantur. 5. Cessante causa cessat vnio.

Fit etiam inde, vt Concil. Trid. ob rationem *d. c.* 2. insertam, vltra beneficia, quæ in titulum singula obtinentur etiam *c.* 4. *&* 6. progressum sit ad vnita.

Et quidem *d. c.* 4. vnionem ad vitam commendamúe plurium perpetuam simpliciter damnat;

damnat: d.vero c.6.vniones perpetuas; niſi conſtiterit ex rationabilibus cauſis coram Ordinario verificandis factas.

Itaque ſemper poteſt ſuam conſiderationem habere ratio, & finis iſtorum prohibitiuorum canonum, quando diſceptatur an rem, licet benè conſtitutam, expediat in melius mutari.

6. Vt in ſingulis miniſtri reſideant: Ad eandem rem facit conſideratio, nec exiguum momentum adfert ratio eorum decretorum, quæ aſſiduam reſidentiam exigunt eorum, qui dignitates imprimis, & curata beneficia poſſident. *tot.cauſ.7.q.1.c.vlt.& tot. tit.de cler.non reſid.nouel.6*.88.125.

7. Congruentius iuri diuino in curatis: Et quidem ea pluribus locis etiam à Concilio Tridentino ſunt inculcata. *ſ.6. c.1. ſ.21. c.3.ſ.22.c.3.ſ.23.c.1.ſ.24.c.12.* atque *d. c.1.ſ.23.* ſatis videtur innuere eiuſmodi reſidentiam eſſe ex præcepto diuino in dignitatibus huiuſmodi, & curatis beneficiis: ideoque quamuis ex pontificiæ poteſtatis plenitudine vniri etiam regularia ſecularibus poſſint, etiam aduerſus *d.c.*13.*ſ.*24. Conc.Trid. decretum; tamen maiorem prębet cauſam ea reſidentia, quę ex diuino præcepto debetur, diſquirendi an mutatio in melius negligi debeat, diſſolutioúe dignitatum vnitarum probari, quando nihilominus effectus obtineri poſſunt, & fines, ob quos vnio dignitatum curatarum eſt facta.

Neque porrò ad rem facit, quod vnio infert diſpenſationem, ſeu relaxationem reſidentiæ in beneficio vnito; quoniam id verum eſt ſtante vnione; altior autem eſt ea quæſtio, quam tractamus; an vnionem ſolui conueniat, quæ ſequelam trahit diſpenſationis.

8. Nec æquiualent Vicarij: Minus etiam mouet, quod per Priorem officium Prælati fieri poſſit, quia in omnium curatorum vnionibus Vicarij ſurrogatio facienda exprimitur, nec id tamen iis prohibitionibus, quas diximus, ſuffecit. & ſanè longa ſunt inter Prælatos & Vicarios interualla, ob quæ diſciplina per hos non æquè, atque per illos ſeruari, ac ſtringi poſſit: non res ſpirituales, non temporales æqualiter promoueri.

9. Ne ſeculares cum regularibus miſceantur. Eſt inſuper alia conſideratio, ob quam Concilium Trid. regularium vetet vnionem cùm ſecularibus dignitatibus, aut beneficiis curatis; quod iam olim non iniuſta ex cauſa eccleſiæ canones decreuerint, incongruum eſſe vt regulares ſecularibus ſupponantur. *c.2.de capell. monach. c. quam ſit* 18.*q.*2. vel homines diſparis profeſſionis ſimul ſocientur, *clem.1.de elect.* quæ conſtitutio eo maioris eſt authoritatis quod ſit lata in œcumenico Concilio Viennenſi. vnde Iſidorus *in c.noua 16.q.1.* applicat commixtioni profeſſionis, & religionum illud quod in literis ſacris dictum eſt nō arandum eſſe in boue & aſino, neque veſtem de lana & lino contextam induendam; referturque *in c.cum cauſam quæ.X.de elect.*

10. Ne negligentius adminiſtretur. Et ſanè neſcio quî natura fiat, vt aues concolores vnà libentius volitent, & difformitas profeſſionis animorum concentum turbet: adeò vt regulares ſecularibus vniti non rem iam amplius ſuam facere videantur, ſed vel ipſi prouentus aliquando effundere, vel ſuſque deque ferre, an parcè iam & frugaliter bona adminiſtrentur, hoſpitalitaſque exerceatur, an & aliquid in theſaurum condatur, an ærario exhauſto æs etiam alienum contrahatur, cùm vident ad hæredes Epiſcoporum tranſire, quæ olim morientibus Prælatis monaſterij theſauro inferebantur.

Et ſanè hic caſus noſter diſertè propoſitus eſt *in c.1.X.ne ſed. vac.* vbi Pontifex vacante Sede, ne quidem ad Regis Hungariæ, Magnatum, Capituli, aut Conuentus inſtantiam vnionem monaſterij Epiſcopatui factam voluit diſſoluere; quod non eſſet qui epiſcopale ius defenderet: eccleſia autem de Præſule prouiſa, facultatem liberam fecit id proſequendi: præmittitque ibi Pontifex, cùm aſſereretur, quod per vnionem ſolueretur religio, fraudarentur eleëmoſinæ, & hoſpitalitas tolleretur, ſe ad releuandum eccleſiæ ſtatum intendiſſe diligenter; ibidemque diſſolutio vnionis vocatur ruinæ eccleſiæ releuatio: eamque cauſam pro diſſoluenda vnione probat Rebuff. *vbi ſup.nu.3.& n.6.& 9.* ſi vtilitas eccleſiæ ſuadeat, ſolui poſſe vnionem, ex quibus cauſis potuit introduci. *conſentit Azor.inſt.moral.p.2.l.6.c.*28. *q.*21.*c.*29. *q.*5.6. 11. Solutio vnionis releuatio monaſterij:

Cùm igitur ad dotandas nouas eccleſias cathedrales in Belgio fuerint factæ huiuſmodi monaſteriorum vniones, atque is finis conſentientibus religioſis haberi poſſet per bona à monaſteriis ſeparanda, & epiſcopalibus menſis applicanda; rectè Regi Catholico, & S.Pontifici ſolui huiuſmodi vniones ſatius viſum fuit quoad monaſterium Vaucellenſe ab eccleſia Cameracenſi, quoad Tongerlonenſe ab eccleſia Syluæducenſi, quoad Douſanum à Brugenſi; relictâ eis dote ſufficienti; prout in ſingulis conuenta fuit. 12. Facta ſolutio hic in aliquibus nouis cathedris Epiſcopalibus.

Nam alioquin ad conſtituendam quantitatem dotis epiſcopalis certa tradi regula non poteſt; ſed pro Sedis dignitate, diœceſis amplitudine, loci neceſſitate, & temporum ratione res ad arbitrium boni viri remittenda eſt. atque ita ferè Concilium Tridentinum tenuium cathedralium eccleſiarum vnionem, vel ex alijs prouentibus eccleſiaſticis ſubuentionem Concilio prouinciali committit; ad S. Sedem rei totius ſtatum relaturo. *ſ.*24. *c.*13. eodem tamen loco §.*adhæc* vetat Epiſcopatus penſionibus grauari, qui ducatorum mille, & parochiales qui ducatorum centum valorem annuum non excedunt. vbi Barboſa, *in Collect. ad d.c.n.*14.*&* 16. ait ducatos accipi ſecundùm morem cuiuſque regionis, quin & diſpenſari aliquando ſuper hoc decreto. *n.*12.*&* 15. porro Pius V. quâdam conſtitutione declarauit cum ex decimis aliiſque prouentibus eccleſiaſticis parochis aſſignanda eſt congrua portio, excedi à iudice non poſſe ſummam aureorum centum, nec infra quinquaginta taxari: ſed temporum iniquitas, rerum omnium venalium caritas, in amplis paſtoratibus etiam excedi hanc ſummam cogit. videtur autem Concilium Tridentinum tacitè innuere quandam proportionem inter eccleſias cathedrales, & paro- 13. Sed quæ his dos eſt conſtituenda?

parochiales; vt dos parochialium satis prouisarum decupletur in cathedralibus; dum in his mille, in illis centum ducatos minui vetat.

Enimuero in Belgicis episcopatibus Bulla vniuersalis, quæ de illis erigendis edita est, decreuit singulis assignandam esse per separationes bonorum ecclesiasticorum dotem trium millium ducatorum, auri de camera: interim dum ea assignatio effectum sortiretur, addixit Rex ex dominicis reditibus se soluturum mille quingentos aureos: hæc ergo summa necessitati; illa dignitati sufficere hîc visa est: & etiamnum videri ferè etiam possit, si aureorũ, qui tunc hîc erant singuli floreni duo Brabantiæ, nunc supra quatuor, mutationem recipiamus.

Porrò multis in locis cum dismembratio à pluribus beneficiis, quæ in Bulla generali erectionis nouorum Episcopatuum pro optimo dotandi medio decreta fuerat, & à Rege Pontifici proposita, multas haberet difficultates; occurrentibus Abbatiarum hinc inde vacationibus, Episcopalibus mensis in rei melioris defectum, & ad citius exonerandum Regis ærarium, sunt vnitę; & cum potest alicubi iam obtineri prior & melior dotandi ratio, videtur cessare causa cur locus non fiat supra citatis canonibus.

Videtur insuper nonnullis quod surrogatum sapere debet naturam eius cui surrogatur: *l.eum qui §. qui iniuriarum.D.si quis cautio. §.fuerat. inst.de act.DD. passim*, adeoque non amplius ab vnitis Abbatiis recipiendum, siue in vtendo, siue dismembrando, quam summa fuit, ob quam inueniendam facta est vnio.

Videri tamen etiam potest cum in vnionum bullis diceretur, vt Episcopi fructus in suos & monasteriorum vsus possent conuertere, nec adderetur quantum in suos, quantum in monasteriorum vsus; posse dimidiatim diuidere: vt fieri solet cùm partes per testatorem non sunt distinctæ: *§. si plures inst.de hæred.instit.* sed id demum seruatur cùm testator non se aliter explicat: *d.§.si plures.l.quoties.§. hæredes.D.de hæred.instit. & quæ notat glos. ibidem in v.æqualiter.*

14\. Saluis priscis oneribus, & cultu diuino non minuto, eiusque ministris.

Alios ergo terminos figunt Bullæ vnionũ: *volumus*, inquiunt, *quod propter vnionem, annexionem, & incorporationem huiusmodi diuinus cultus, ac solitus monachorum, & ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, sed eius & conuentus prædictorum congruè supportentur onera consueta.* & clausula onerum antè incumbentiũ in omnibus vnionibus addi consueuit; & sic loquitur Trid.*s.*23.*c.*18.*fine cultus diuini præiudicio*; limitata hæc causa limitatum producit effectum: ergo propter vnionem hæc onera cultus diuini, religiosorumque consuetus antea numerus, hospitalitas, pauperum sustentatio minui nequit: iis deductis in vsus suos tantùm vertere possunt Episcopi, quanto egent. si non est manendum intra taxam primodictæ bullæ vniuersalis. *de quo in Respons. nostris h. t. r.2.* vertere, inquam: nam de non verso, atq; consumpto nihil vlterius Bullæ addunt; an testamento disponere, an ab intestato ad hæredes deuoluere possint. vnde plerique certam quotam aut summam pacisci maluerunt; vt, si parcius vsi forent, de eo, quod superesset ex illa, disponere sine apparenti controuersia possent.

Vide de quæstione reuocandæ monasticæ vnionis plenius *in Respons. nostris h.t.r.3.*

CONSVLTATIO IX.

De reuocanda vnione illius causa cessante.

VNiones reuideri voluit Tridentinum.*s.* 7.*c.*6.& subreptitias viribus carere, nisi nimio iam tempore firmatæ sint: beneficia etiam curata vnita quotannis visitari, & vt cura in iis laudabiliter exerceatur per Ordinarium semper prouideri. *d.s.7.c.7.*

Quid, si is repererit causam, ob quam vnio facta est, cessare ac negligi, v.g. Collegio canonicali vtriusque sexus facta est vnio curati beneficij, vt in collegiata ecclesia augeatur cultus diuinus, numerosus chorus virginum psallat, inde virorum locis distinctus collectam cantet, missam faciat, alioque officio fungatur; idque nunc negligatur; neutris horas canonicas psallentibus; sanè si contumaciter negligitur cultus diuinus, sequestrari fructus possunt, & perseuerante contumacia priuatio beneficij infligi. *Trid.s.24.c.12.§.præterea.* vnde priuantur, qui per plures annos absunt à beneficiis. *c.2.6.8.10.11.16.17. X. de cler. non resid.* at verò non corporalis tantùm residentia exigitur, & propter se, sed moralis, *vt diximus in Iur.pont.nou.anal.de cler.non resid.* & propter officium. nam propter illud residentia requiritur, & datur beneficium. *c.fin.de rescript. in 6.* Sin autem reperiri virgines non possint qualitatibus requisitis prædıtæ; vel in his est dispensandum, vel fructus vertendi sunt in proximum vsum, iudicio Ordinarij. *vt in simili statuit Conc.Trid.s.28.c.8.* 1.

Vbi cultus diuinus ob quem facta est vnio cõtumaciter negligitur, quomodo prouidendũ etiam per solutionem vnionis?

Aut fortè cessante causa vnionis, si nec redintegranda speretur, rectius cessare dicemus debere effectum, reducendaque vnitorum beneficiorum bona ad primæuam suam originẽ; atque ideo decimas ad veteres parochos, à quibus sublatæ fuerant ad cultum diuinum alibi augendum, vt eo ibi cessante redintegretur in priori loco. *qua de re Rebuff. in prax.benef.l.1.de vnion.reuoc. vbi citat Clemen.ne in agro. § adhæc de stat.monach.c.cum M. de const. c. quia de relig.dom.c.fin.de paroch.c.1. de verbor.signif. in 6.*

Causa sublata vnionem etiam à Papa factã multo magis à se, aut suis antecessoribus, reuocat Episcopus: &, si diuersarum diœcesium sint vnita beneficia. vterque, *Rebuff. vbi sup.n. 15. & seq.* ideoque quamuis collegiata sit exemp-

empta, in quam illius Ordinarius non habeat iurisdictionem, si tamen beneficium, quod ei vnitum est, non fuit exemptum, Episcopus sub quo illud est situm, poterit dissoluere tanquam sibi subditum. *Rebuf. vbi sup. n.* 18.

De noui operis nunciatione.

CONSVLTATIO I.

In loco sacro non permittitur ædificatio sub cautione de demoliendo.

QVamquam nouo opere nunciato, si de demoliendo satisdetur, in ædificando pergere licet; *tot. tit. de nou. oper. nunc.* tamen si nuncians nouũ opus, præsertim in ecclesiasticis, velit intra trium mensiũ spatium, proprietatem, & prѳiudicium probare, cessatur ab opere, non admissâ cautione. *c. 3. vlt. X. de nou. oper. nunc.* Quin imò si malè ædificatur, in ecclesiasticis non ecclesiæ, sed ædificator talis expensis demolitionis luit. *c. 2. in v. expensis tuis. X. eod.* ob culpam suam.

Enimuerò si quis velit in loco sacro ædificare, vel religioso, nõ sufficit cautio de demoliendo. quia interdictũ *ne quid in loco sacro vel religioso fiat. D. tot. tit.* est purum, neque conditionem demolitionis admittit: sed præcedere debet decretum Pontificum, aut iussus Principis. *l. ossa. D. de relig.* vtique causa plenè cognita obtentus.

Ratio est, tum quia sine huiusmodi decreto, ac iussu ipsum factũ, ipsa ædificatio intrinsecè malum implicat. quia sepulchrorum lapidem mouere, terram euertere, cespites euellere, proximũ sacrilegio maiores nostri semper habuerunt. *l. 5. C. de sep. viol.* idq; tam scrupulosè, & tanto priuilegio sepulturarum, vt quamuis in fundum alienum foret illatum cadauer, domino eiicere non esset permissum, sine Pontificum decreto, aut iussu Principis. *d. l. ossa.* cum aliàs quod in alieno fit intercidere liceat *l. quẽadmodum. D. ad leg. Aquil.* tum denique quia irreparabilis est contrectatio indigna sepultorũ; instar suspendij, cuius postea de causa cognoscatur.

Eapropter, qui non ritè in sacro ædificat, grauiter damnatur, & ædificium fiscus vendicat. *l. 2. 4. 5. C. de sep. viol.* neq; iudex ordinarius decretum Pontificũ, & iussum Principis supplere potest, qui ipsemet punitur 20. libris auri si negligens fuerit in eiusmodi ædificatoribus castigandis. *l. si quis. ibidem.* Tantum abest, vt causa non plenè cognita per prouisionem sub cautione de demoliendo, seu alia id permittere debeat, aut possit.

Et cùm in huiusmodi nouis operibus scandala soleant enasci, & contentiones; valde præclara est admonitio Innoc. III. ad Archiepiscopũ Cantuariensẽ *in c. 2. X. de nou. oper. nunc.* vt ab iis abstineatur omninò, quæ talia generant.

De Priuilegiis.

CONSVLTATIO I.

Verbum protectio exemptionem non infert.

PErspecta Lucij III. Pontificis Max. Bulla qua Præpositum S. Marię B. eiusque Collegas & bona sub B. Petri & suam protectionẽ suscipit: ad quæstionem quæ ex ea mouetur, an per ea verba idem Præpositus, Collegiũ & bona ab ordinaria iurisdictione censeantur eximi? omninò respondendum est negatiuè. quia exemptiones odiosæ sunt, tamquam iuri communi aduersariæ, hierarchiæ ecclesiasticæ inimicæ, & quæ ius alteri auferant: scilicet authoritatem suã Ordinariis locorũ. quod Princeps aut Pontifex nunquã facere censetur, nisi disertis admodum verbis expresserit. adeoque diligenter inspicienda sunt priuilegia, & tenor eorum attendendus. *c. recepimus. X. de priui.* & si quidem expresſè exemptionem libertatemúe concesserint, seu iuris B. Petri specialiter fecerint, exemptio admittitur; non aliàs. ne quidẽ si ad indicium perceptæ protectionis census soluitur. *d. c. recep.* nam receptio sub protectionem non spectat ad exemptionem. vnde hæc ex illius verbis non infertur. ideoque Innoc. III. clarè *in c. ex parte 18. X. de priuileg.* id ipsum decidit, & quæstionem suprapositam his verbis; *ex parte tua fuit quæsitum vtrum clerici & laici, qui literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine cũ omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, à iurisdictione Episcopi diœcesani sint exempti? nos autem tibi respondemus, quod per literas huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè subtrahantur.* vt *in d. c. recepimus.* Alexander III. similiter decidit per concessam protectionem nihil iuri diœcesani Episcopi esse substractum. quod ipsum indies etiam videmus in literis Principum saluæ-guardiæ & saluiconductus ac protectionis regiæ, per eas enim Principes intendunt personas & res, quas in protectionẽ, guardiam, custodiamque sumunt; contra violentiã dumtaxat tutari: earumque literarum quotidiana praxis ita recepta est, vt nemo sub illius prætextu à iurisdictione ordinariorum Magistratuum, aut Conciliorum subtrahere se vnquam tentarit.

Quin imò in literis Lucij disertè Ordinarij authoritas præseruatur, cum Præpositus per Collegium eligendus secundùm Canones ab Episcopo confirmandus dicatur, ab eoque curam spiritualem & temporalem accipiat, & vtramque prælationem, & pro vtraque ei reuerentiam canonicam debeat & subiectionem. exemptus autem Prælatus, & Sedi Apostol. immediatè subiectus à Sede Apostolica eam prælationem accipiat. vnde & ipsum Collegiũ non

non potest esse exemptum. tum quod non potest diuerso iure caput & corpus censeri, tum quod prælationem vtramque electus non potest accipere ab Episcopo, si ipse eandem non habuerit. quippe nemo potest plus iuris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur. *c.79.de Reg.iur.in 6.*

2. Neque. V. libertas. Atque iterum quamuis idem Lucius decernat, vt altare D. Mariæ ab omni exactione sit liberum, libertates, & immunitates antea obseruatas permanere debere, res etiam ecclesię ipsorum vsibus conseruari; addit tamen clausulam; *saluâ Sedis Apost. authoritate, & diœcesani Episcopi canonicâ iustitiâ.* Ad eum modum cùm itidem concedit liberam sepulturam, addit clausulam; *saluâ iustitiâ illarū ecclesiarū à quibus mortuorum corpora assumuntur.* id est, saluis iuribus parochialibus & cathedralibus; vt explicat Clem. III. *in c.certificari.X.de sepult.*

3. Quæ non aufert iura cathedræ Ordinarij. Itaque huiusmodi verba cōtra exactiones iniuriosas inferuntur; nō autem contra iura cathedræ episcopalis, ad authoritatem vel vtilitatem per canones debita torquētur. quò spectant ea Alexandri verba in eius literis,

4. Sed nouas exactiones. *ne cui liceat isti ecclesiæ nouas, & violentas exactiones imponere.* aut saltem ad ea quæ legis dicuntur diocesanę, non Iurisdictionis. *Vide in Respons. nostris de priuil. r. 1.*

Accedit quòd eadem ecclesia à Malderico Episcopo Tornac. facultatem acceperit canonicè de præbendis disponendi, malefactores excommunicandi, & absoluendi: quæ etsi à Romanis Pontificibus fuerit confirmata; non tamen confirmatio excedit limites eius, quod confirmatur, neque ad alios fines potest extendi.

Præsertim cùm Pascalis Papa in literis confirmationis Prælatum istius ecclesiæ à canonicis electum ab Episcopo canonicè constitui velit: quod vt ostendimus, contradicit exemptioni. prout & literæ Alexandri dū priuilegium concedunt, vt sine manifesta & rationabili causa nemo ecclesiam istam interdicto possit subiicere; vtique permittunt, si manifesta & rationabilis causa subsit. adeoque rursus priuilegium eiusmodi violentiis tantùm obsistit, iuri non derogat; authoritatiue Ordinariis à iure concessæ.

Denique non sunt mutanda, quæ certam semper interpretationem habuerunt. adeoque cùm ab immemoriali tempore Collegiū istud nulla exemptione aduersus Ordinarium sit

5. Et non vsu tollitur. Ac præscriptione. vsum, statuendum est non admittendam eam interpretationem, qua exemptionem aliquam introducere velit. *l. si de interp. D. de legib.* præsertim cùm, etiamsi verè exemptio fuisset concessa, per non vsum, seu contrarium vsum annorum 40. multo magis immemorialem priuilegium amisisset. *c. accidentibus 15. X. de decim.* vbi Pontifex rationem assignat, quod ex non vsu vel contrario vsu annorum 40. priuilegio renuntiasse præsumantur, quibus ea indulta sunt. quod etsi aliqui nonnullis distinctionibus temperent; nemo tamen negat effectum centenariæ consuetudinis, aut præscriptionis. & in quibus expresso priuilegio doceri non potest, quid de exemptione sit statuendum, defertur consuetudini omninò. & præscriptioni. *c. cum dilectus. X. de relig. domib. c. cum persona. de priuileg. in 6.* vbi & peculiariter id traditur, cū priuilegium non est liquidum, quid tribuendū sit possessioni; quid episcopali iurisdictioni, cuius intentio in iure communi est fundata.

CONSVLTATIO II.

Priuilegium Iulij II. pro clero secundario ecclesiæ Leod. derogans c. volentes cessat in Belgio, vbi Tridentinum est publicatum.

IVlius secundus confirmando & extendendo allegatam consuetudinem, exemit clerū secundarium ciuitatis & diœcesis Leodiensis ab omni iurisdictione ordinaria, etiam quoad curam animarum, ac visitationem: cum derogatione *c. volentes de priuil. in 6.* vt nec conueniri possit ratione contractus aut delicti extra ecclesiam exemptam commissi.

Ex aduerso Conc. Trid. *s.7.c.14.* innouauit *d.c. volentes*, seruarique deinceps mandauit, addita ad finem *d.c. 14.* derogatione hac; *priuilegiis, exemptionibus, conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris.*

Adeò vt per hanc clausulam derogatoriam Concilij cesset dictum priuilegium Iulij quoad clausulā in eo derogatoriam *d.c. volentes.* ita vt exempti conueniri hodie possint *per d.c. volentes* per Concilium innouatū cum derogatione priuilegiorum contrariorū super delictis alibi commissis, contractibus alibi initis, rebus alibi sitis, & beneficiis non exemptis. vide quæ diximus h.tit.cons.4. 1.

Quemadmodum in causa visitationis omnibus exemptionibus per idem Conciliū derogatur. *s. 14.c.4 s.6.c.4.s.25.c.6.* & quoad curam animarum. *s.5.c.2.s.24.c.18.s.7.c.5.7.s.6. c.2.s.23.c.1.&c.*

Et quamuis Leodij non obstante omni diligentia Episcopi Vercellensis tunc Nuntij Apostolici obtineri non potuerit, vt Concilium Tridentinum reciperetur quoad derogationē libertatis, & exēptionis cleri; vt testatur Erasmus Chokier, *tract. de exempt. part. 2. q. 45. n. 71.* tamen *p. 1. q. 50. n. 7.* idem testatur, sacrā Congregationem declarasse Decreta Concilij eos ligare; & licet rursus qualibuscumque modis obtinuerint apud Sedem Apostolicam, ne eadem exemptio amplius vellicaretur; tamen recepto in regiis hisce ditionibus Concilio Tridentino, exceptis solū decretis de iurisdictione laica, & patronatu regio, seu vasallorum, &c. agentibus, idem priuilegiū Iulij secundi redactū est ad terminos Concilij Tridentini *dictiq. c. volentes*, quod non tantùm intelligendū est de

de clericis ecclesiarum hic sitarum, sed etiam Leodiensibus, aliisque si hic contrahant aut delinquant.

3. An autem immemoriali consuetudini, si munientis probetur, non priuilegio?

Vnum est quod obiici posse videtur, quod Bulla Iulij referat immemorialem consuetudinem, cui expressè *d.c.14.* aut specialiter non derogat: sed scrupulosè Bulla loquitur de consuetudine, & cum metu, ne vbique aut semper probari possit, adeoque ipsa eandem exemptionem concedit, extendit, & derogat d.c. volentes.

Vnde sequitur vt per Concilium Trid. sit abrogatum disertè quidquid per viam priuilegij accessit; adeoque rem eo esse redactam, vt consuetudo huiusmodi antè priuilegium Iulij extitisse, vbicumque negatur, probanda sit; subleuamen enim probationis per priuilegium Iulij accessit.

Quod sine vlla controuersia obtinet in iis ecclesiis, quæ post priuilegium fundatæ; vel in Collegiatas erectæ sunt, vel paulò antè; vt immemorialis consuetudo in eis non fuerit, nec suffragari possit; sed priuilegium dumtaxat restrictum nunc per d. Conc. Trid. *ad normam d. c. volentes*, datum autem illud fuit à Iulio II. & refertur extensè per eundem Chokier.

4. Exemptio omnis cessat quacunque ex causa nata.

At verò neque huc descendendum est, vt consuetudini concedamus nō derogatum *per. d.c.14.* quoniam non tantùm vtitur verbo priuilegiorum, sed etiam exemptionum in clausula derogatoria: ita vt exemptiones sublatæ sint ex priuilegio ortæ, siue ex consuetudine, siue vndecumque aliàs. negatiuum enim verbum *nequaquam* omnia tollit, & consequenter omnem exemtionum speciem, siue priuilegiariam, siue consuetudinariam, aut præscriptam.

CONSVLTATIO III.

De exemptorum foris agentium apprehensione & remissione.

1. Remissiones an in regularibus reis obtineant?

DE requisitione facta per Ordinarium, vt apprehenderentur, & sibi mitterentur quidam regulares Ordinis S. Saluatoris, multa concurrunt attentè consideranda, tam quoad capturam, quam quoad remissionem. quoad hanc; quod ob diuersitatem territoriorum, dominiorumque supremorum notorium sit, remissiones hodie vix frequentari. difficultas est tamen an nec etiam in regularibus? qui professionem suam controuersam facit, ad monasterium suum remittitur. *Trid. de reg. c. 19.* apostata à religione carceri mancipatur. *c. pen. X. de apost.* & ad claustra sua retrahitur. *c. fin. X. de regular.* & edictū Imperatorium 17. *Febr.* 1535. apostatas apprehendi, & ad monasteria sua reduci mandat, aut à iudicibus delegatis sequestrari, donec causa cognita fuerit. Pius autem IV. omnes erronū & apostatarum causas ad se reuocauit. *cuius constitutionis substantiam recitat Petr. Matt. decret. lib. 7. tit. 17. c. 2.* tamen vt nec hæc constitutio hîc seruatur; ita antè paucos annos regulares ex Francia fugitiuos à Rege repetitos, quasi maiestatis reos, vidimus Patriæ priuilegijs se tutatos, nec ex Brabantia dimissos; prouocantibus etiā Brabantiæ Ordinibus ad ea priuilegia; &, ne dimitterentur, intercedentibus. Nam & clero ciuium localia priuilegia communicantur, & in fauorabilibus ciuium, & incolarum iure censentur.

Porrò quod attinet capturā; non leuiter sanè in hoc negocio versandum est requisito: non tantùm quod apprehensio clerici temerè facta annexam trahat excommunicationem iudicis, quamuis competentis: *c. si clericos de sent. excom. in 6.* sed etiam, si deest in apprehendendū iurisdictio, certum sit eum priuati loco esse: *l. fin. D. de iurisdict. omn. iudic.* adeoque, sepositā aliâ excusatione, incidere in laqueum canonis *si quis suadente diabolo. 17. q. 4.* 2. Quid in iis qui extra territorium requirentis?

Priuilegia Ordinis S.S. palam exstant typis etiam publicis impressa: quibus Ordini conceditur expressis multisque verbis, ab Ordinaria iurisdictione exemptio. sed quoniam additur, per eam tamen non derogari Capitulo Regulæ quo disponitur; quod diœcesanus fratrū & sororum sit pater, & in causis illos tangentibus iudex, monasteriorū visitator, & denique speculator *si regula*, inquit, *in omnibus punctis obseruetur*: vt & *Princeps patriæ eorum responsalis*; & *Papa, tutor charitatiuus*: (quæ verba impropriū, seu non iuridicum, sed metaphoricum sensum habent) declarationes deinde illius capituli diuersæ, & modificationes, seu restrictiones subiunguntur: ac denique, quod ad rem nostrā facit, *caterùm*, inquit Pontifex, *prohibemus ne qui diœcesani, aut alij antistites, qui ex forma regulæ S. Saluatoris, aut præsentium constitutionum huiusmodi monasteria visitarent, possint & valeant, vigore officij huiusmodi visitationis, vel quacumque alia causa correctiones aliquas facere de personis vtriusque sexus, quas visitarent, aut eis pœnitentias aut pœnas aliquas iniungere, nisi solū & dumtaxat in monasterijs & locis huiusmodi, quæ visitauerunt, & eas correctiones, pœnitentias, vel pœnas exequendas committere teneantur, & debeant Abbatissis, confessoribus, aut vtrisque conuentibus, si commodè per Abbatissas & confessores fieri nequirent. & per nullos alios possint tales correctiones, & pœnitentiæ, siue pœnæ executioni mandari. Qui diœcesani nullam habeant, aut exercere possint iurisdictionē, aut potestatem in monasterijs, & locis, atq; personis, ordinis præfati, nisi circa correctiones, & emendationes excessuum, & transgressiones regulares, quæ per huiusmodi personas fierent.* 3. Prætendunt exemptionē.

Asseritur hic Ordinario nullam competere iurisdictionem, nisi in hic exceptis; & in exceptis ipsis, nullam exequendi facultatem; nisi per ipsos regulares; vnde ergo educetur apprehendendi potestas? nisi fortè ex aliquo canone, etiam in exemptos, certo casu, authoritatem tribuente? sed is non proponitur.

Nam etsi in Concilio Tridentino quædam particularia regulariū priuilegia per viam delegationis Apostolicæ Ordinariis factæ, viribus vacuentur; *s. 5. c. 2. s. 14. c. 11. s. 21. c. 8. s. 22. de obser. in celeb. missa. s. 23. c. 10. 12. 13. 15. s. 25. c. 2.* 3. 5.

3.5.6.7.10.11.12.13.14.15.16.19.23. tamen nullibi Concilium generatim abrogauit regularium exemptionem: nisi quatenus ipsis decretis Concilij Trid. aduersetur, præsertim quoad regulares editis. *s.25.c.fin.de regul.* & ita Concilij Interpretes declarasse aiunt pro Generali Minimorum. an.1573. & aliàs tempore Gregorij XIII. & ita habet omnium Mendicantium, ac tot aliorum Ordinum exemptorũ praxis vniuersalis. neque opus alioquin erat tot specialibus derogationibus, cum vna falce omnis exẽptio potuisset exscindi; si ea mens fuisset Concilij: & non potius per huiusmodi exceptiones particulares firmare regulam in non exceptis. Quin imò Concil. Trid. *de reg.c.9.s.25.* è contrario disertè monasteria monialium, *quæ à regularibus reguntur, sub eorum*, inquit, *cura & custodia relinquantur.*

4. Quid si possessio cõtraria allegetur, & præscriptio? Ab Agente quidem Requirentis allegata fuit contraria exemptioni possessio, seu præscriptio: sed allegatio sine probatione ad decernendum quidpiam, iudicandumque non sufficit. & in hac materia præscriptionis fieri probatio deberet, cũ omnibus illius qualitatibus, tituli, bonæ fidei, pacificæ possessionis per annos 40. *c.accedentibus.c.si de terra.X. de priuileg. c.cum persona.eod. in 6. quod si in probatione*, inquit d.c. accedent. *defecerint, ab ipsorum impetitione Templarios absoluatis.*

5. Examinanda est, quoad omnia requisita. vt hic. In huiusmodi ergo inquisitionem venit titulus Ordinarij, aduersùs exemptionem præscribentis. quem ex iure communi elicere non potest, dum eo Ordinarius iubetur priuilegiũ inspicere, & seruare. *d.c. porrò. X. de priuil.* & ideo totum ei inspiciendum edi debet, quamuis illud tantùm capitulum describendum. *d.c. cum persona. de priuilegiis in 6.* & Ordinarius debet diœcesim suam quotannis visitare, oues suas noscere, & vultum pecoris sui, adeoque qualitatem subditi, vel exempti.

Deinde vocatur in quæstionem bona fides, quæ excludit conscientiam iuris alieni. *c.si virgo 34.q.1.c.5.17.in fin.c.19.in fin.X.de præscript.* at hic priuilegiorum tenor, inspiciendi facultas, seruandi obligatio, non satis cum illa constat. adde & hic Ordinarium ex d. capitulo 26. Reg.S.S. visitatorem, esse & patrem: visitatori incumbit visitatis iniungere, res ecclesiæ ne alienent, malè alienatas recuperent; iura & priuilegia conseruent: monere ergo debet ne patiantur aduersùs iura sua præscribi. quia qui præscribi patitur, alienat: *l.alienationis verbo. D.de verb.sig.* si omittat; officio non fungitur; dolus aut culpa ei nõ patrocinatur ad præscriptionem. *c.ex tenore.X.de præscript.* quomodo ergo visitator aduersus visitatos præscribet, & pater aduersus filios?

Denique non interrupta possessio exigitur; adeoque in præscriptione aduersus exemptionem scientia, & patientia eius, aduersus quem præscribitur. *Chokier de iurisdic. ordinar. in exempt. p.3.q.12.n.2. vbi citat plures. Philippus Niger de exempt. canon. q.2. principali. n.6.* quoniã in istiusmodi incorporalibus non datur possessio sine huiusmodi scientia, & patientia: & propterea actus possessorij aduersus exemptos facti, tales esse debent, vt ex iis euidenter inferatur quod facti sint ex ordinaria potestate; nõ verò tales, qui possint esse ambigui. vt cùm Episcopi locum exemptum visunt, vt amici, & patres; aut visitant in iis tamquam Delegati Apostolici, in quibus exẽpti Ordinario subiiciuntur, tamquam Delegato. & propterea sola visitatio non infert possessionem aduersus exemptionem. quia illa actus ambigui interpretatio facienda est, ne cuipiam per iniuriam præiudicetur. adeoque si quid decretum sit ab Episcopo visitante, intelligendum est factum ab eo id esse, tanquam Delegato, nisi expresserit se vt Ordinarium id facere. *l.merito. D.pro Socio. Vid. Aimon. cons. 322.n.3. vers. rursus.* aliàs non probatur possessio. *c.in præsentia X.de prob.* & cùm exempti id scientes patiuntur, tum demum incipit quædam quasi possessio; à qua currere incipiat præscriptio, si cætera ad illam requisita simul adsint. pati autem & scire probandum est. *Innoc. in c. auditis in princ. de præscript. Barbos. de iure abbatum dec.59.*

Quin & videbitur obsistere Concil. Trid. *d.c.9.s.25.de reg.* quod iubet exempta sanctimonialium monasteria, quæ à regularibus reguntur, vt hic, sub eorũ cura relinqui. & Bulla Pij IV. confirmatoria Concilij Trid. decreta. illius mandat obseruari, nec quemquam interpretari; cum decreto irritante: in quod videri possunt incidere actus, si qui gesti sunt contra d.c.9. & propterea tanquam infecti non proficere ad præscriptionem. etiã ob vim decreti irritantis, quod communiter volunt inficere titulum & possessionem. *Chokier vbi supra n.11. & 12.* quod & multis priuilegiis insertum est. & Concil. Trid. *c.22. de regul.* aduersus ante decreta de regularibus præscriptiones omnes & consuetudines etiam immemoriales tollit.

Sed etsi aliqui iurisdictionis actus gesti in vim d.c.26. Regulæ habere videantur imaginem possessionis; non tamen ideo iurisdictionẽ possidet Ordinarius, qui sic gesserit. nam possidere, & in possessione esse, longè distare dicit *l. si quis D.de acq.poss.* & ita eum, qui precario quid habet, in possessione esse, non possidere. & verò non potest quis sibi possessionis causam mutare. *l.3.§.illud.D.eod.l.28. C.locat.* ideoque nec Ordinarius, qui in vim d.c.26. in extraordinaria aliqua possessione esse videtur, mutare sibi causam; & iurisdictionem velle possidere iure pleno ordinario. sic qui titulo locationis in possessione est; finito termino quæstionem dominij nõ potest inferre: sed debet ante possessionem restituere. alioquin iure suo cadere, tamquam inuasorem, subinfertur. *l.33.C.locat. l.si quis in tantam. C. vnde vi.* Quin imò non tantum actus dubij exemptorum censendi sunt ad exemptionem amittendam non suffragari diœcesano; sed etiam iuramentum obedientiæ ei ab exempto præstitum declaratur irritum. *in c.cum dilectus.X.de religios. domib. simile est in c.dilecti.X.de maiorit.& obed. & c.3 ibid.* & vnius contradictio ius omne preseruat. *c.fin.ibid.*

Atque hæc quoad regulares. aduersus quos etsi

et ſi eſſet præſcriptum, non tamen foret aduerſus Papam: eoque nomine Ordinarius reiici etiam poteſt. *latè Chokier vbi ſupr. n.6. Nigri vbi ſupra n.6. Eſpinoius in illius ſupplemento q.5. principali, n.*7.8.9.& vterque illius ſententiæ rationes,& eorum quæ obiici poſſint, ſolutiones latè deducit: quodque ſic exempti excipere poſſint de iure Papæ; eoque Ordinarium excludere. ſicut in rebus eccleſiæ malè alienatis ipſi etiam alienantes agere pro recuperatione permittuntur. eamque intentionem eſſe eccleſiæ Romanæ ſatis conſtat ex iis canonibus, qui à dictis authoribus citantur.

Omnem inſuper præſcriptionis ſpeciem diſpellit ius patronatus, & fundationis regiæ. cùm enim illud induerit naturam iuris regalis, & aduerſus regalia non præſcribatur; nulli hic actus ſufficere poterunt aduerſus fundationem ſupremi Principis patriæ. *Salgado de protectione regia p.3.c.*10.*nu.*145.226.281.*n.*12.*& multis ſeq.*

Præterquam quod in patrono etiam requiri ſcientiam,& patientiam paſſim ſcribitur: quę & in Principe præſumitur non eſſe. *c.*1. *de conſtitut. in* 6.& propterea Concilium Trid. *ſ.*25. *c.*9. ab illius capitis decreto excipit patronatus ſpectantes ad Reges, & ſupremos Principes, iura imperij in dominiis ſuis habentes: *& ſ.*22.*c.*8. vetat Epiſcopos viſitare huiuſmodi monaſteria ſine Principum conſenſu.

Porrò ſpecialis huius domus fundatio regia eo magis ſtabilire hic debet ordinis exemptionem, quippe eſt facta ab Iſabella filia Regis Portugalliæ, Duciſſa Burgundiæ, Principe patriæ; ex fauore quem ei tribuit idem Concil. Trid. *ſ.*22. *c.*8. *Martha de iuriſd. p.*2. *c.*8. *n.*8. *Choppin. monaſt. tit.*3.*n.*5. *Charond. reſponſ. l.*4. *reſp.* 1.

Hæc, inquam, in diſquiſitionem veniunt,& liquere debent Iudici requiſito, antequam decernere poſſit quippiam aduerſus tenorem liquidum priuilegiorum. *c. porro. X. de priuileg.* etiamſi tumultuariè,& in confuſo de aliquibus actibus poſſeſſoriis conſtaret; *Diana p.*3.*t.*2.*r.* 134.& in theſi contraria, præſcriptione ſcilicet exemptionis, exactè ſtatuit Bonifacius VIII. *in c. cum perſona. de priuileg. in* 6. contrariorum autem eadē eſt diſciplina. *Euerard. in loco legal. à contrariis.* quod hic imprimis obtinere debet propter contrariam iuris præſumptionem *in d.l. merito.* quod in dubio actus cenſeatur fieri modo quo licet; non quo prohibitus eſt: adeoque hic in vim d.c. regulæ, extraordinariam facultatem tribuentis; non plenæ iuriſdictionis ordinariæ. quę iuris pręſumptio quamdiu planis probationibus proſtrata nō eſt, ſtare debet, effectuſque ſuos ſortiri. quamdiu enim ſic non mutatur, cur ſtare prohibeatur? *l. ſancimus. C. de teſtam.* quod ſi Requirens actuum à ſe, anteceſſoribuſque geſtorum propius gnarus, periculique ſibi ſecurus videatur; perſonale id eſt: Requiſito autem opus eſt actis ipſis, quibus ei cōſtet, an ſua ſit iuriſdictio *c. vt fama. X. de ſent. excom. l. pen. C. de Iuriſd. omn. Iud.* aduerſus planū priuilegiorum tenorem. Vt omittam ante an. circiter triginta à S. Congreg. declaratum fuiſſe, quoad ſubiectionem exemptionemq; præualere erectionem fundationemq; clarè apparentem vſui contrario, quamuis immemoriali; pro Epiſcopo Antuerpienſi contra Prouincialem Minorum, quoad monaſterium de Sion tertij ordinis Liræ.

Enimuerò ſed nec hi regulares nunc ſunt huius domus: quippe nec in ea profeſſi,& pridem ex ea dimiſſi,& reuerſi ad domum, in qua prius profeſſi erant: ita vt huc inde venientes externi iam proclamentur, cenſeanturque; quāuis exiſtentes prius in hac domo anteà ſubiecti fuiſſent. Quemadmodū *ex cap. volentes de priuil. in* 6. exempti, ratione prioratus non exempti, conueniri poſſunt coram Ordinario, non ſimpliciter; *ſed quam diu morantur in illo*; ait textus *d.c. in fin.* qui etiam *in §. numquid* in exemptos delinquentes, vel contrahentes in diœceſi, nō tribuit poteſtatem, niſi in loco delicti, aut cōtractus inueniantur. conſonat *l. hæres abſ. D. de iud. c. Romana. § contrahentes. de for. comp. in* 6. adeò vt ne quidem ab Ordinario domicilij remitti ad locū delicti, aut cōntractus poſſint; aut eis, *vt ibi reſpondeant, iniungi. d.c. volentes.* ergo & Ordinarius loci delicti, cum delinquens ibi non eſt, non poteſt in eum ſtatuere, aut decernere eum ſibi remittendum: à paritate rationis: quæ in caſu domicilij negat eam iuriſdictionem competere. quam quàm & diſpoſitio *d.c. volentes* vt exempti ratione delicti aut contractus Ordinario ſubiiciantur, in exemptis regularibus *per poſteriores bullas derogatorias* vix obtineat: ſaluâ diſpoſitione dumtaxat Concilij Tridentini, quoad regularē extra monaſterium degentem. *ſ.*6.*c.*3. nam *ſ.*14.*c.*4.*&* 5. diſertè exprimitur clerus tantùm ſecularis, non regularis. Et quoad degentes in clauſtris, & extra illa notoriè delinquentes, Epiſcopus ſuperiorem regularem requirere debet; eoq; negligente, tum demum Epiſcopus puniendi poteſtatem nanciſcitur. *c.* 14. *ſ.*25. *de regular.* ſaluâ itidem diſpoſitione Concilij in alijs particularibus caſibus. *vt ſuprà.*

6\. *Quid ſi deã fuerint commorati in diœceſi requirentis?*

Concludimus itaque, non videri permiſſam hic apprehenſionem aut remiſſionem, donec propius cognitū fuerit, an in apprehendendos requiſiti hic iudicis poſſit eſſe iuriſdictio; aut certius ſit Requirenti eam in illos competere. nam id ſi liqueret; requiſito ſufficeret *d. c. vt fama. in Verb. prælat. quorum illi ſunt iuriſdictioni ſubiecti. d. l. pen.* cenſeretur enim per ipſam requiſitionem ei communicare ſuā iuriſdictionem, & requiſitus illi commodare operam, & territorium. vt fit dum iudex clerici, non quilibet, ſed competens, requirit laicum, vt clericum apprehendat. *d.c. vt fama. in Verb. cum hoc non ipſi, ſed illi quorum authoritate id faciunt, facere videantur.* requiſito enim conſtare debet magiſtratum eum eſſe, illiuſque reſpectu quem iudicat, ſeu remitti requirit. *l. eum qui. D. de iuriſd. omn. iud.* nec affirmanti ſine documentis creditur. *c. cum in iure. X. de offic. iud. deleg.*

7\. *Summa eſt conſtare Requiſito debere quod ſua ſit iuriſdictio, vel Requirentis.*

Neq; porro obſtat quod *in c.*28.*§. quia vero X. de off. deleg.* iudex requiſitus etiam ſententiā,

quam scit iniquam, iudicis requirentis debeat exequi: quia 1. agit de iudice delegato mandante Ordinario; qui illi, vt maiori ea in causa, subest: eique eapropter resistere non potest. *c. si quando. eod.* 2. dicit d. §. in fin. prius illum debere niti, vt inducat, si fieri potest. itidemq; *d. c.* si quando, si nolit, referri ad Papam, seu appellari. *ibid. in verb. donec nobis.* 3. *in d. §. quia* requisitus erat merus executor; nec cognitio ei, sed executio solum demandata erat, *in verb. quod non cognitio, sed executio*: at hic requisitus non subest, sed par requirenti est; vt in eum imperium ille non habeat. ideoque vti iniuriarum non minùs tenetur mandatarius, quàm mandans; & vterque clerici percussor excommunicatur: *c. 6. de sen. excom.* ita requisitus nō excusaretur ob requisitionem, nisi ei constet de potestate requirentis. 4. *d. §. quia vero* non obtinet, cum non iniqua tantùm, sed nulla dicitur sententia, *glos. latè ibid. in verb. etsi sciat. vbi plura citat.* singulatim *c. super eo. X. de crim. falsi.* vbi ob nullitatem ex defectu iurisdictionis (per falsitatem ibi quidē literarum; sed etsi idem defectus aliunde nascatur, eadem videbitur ratio, & infirmitas sententiæ, decreti, mandati, seu requisitionis) *quod sententiam*, inquit *d. c.* super *authoritate literarum falsarum latam noluisti executioni mandare, tuam prudentiam commendamus.*

CONSULTATIO IV.

De exemptorum visitatione, in illaque decretorum executione non obstante appellatione.

Causę visitationis, correctionis, & emendationis impensè admodum pluribus locis fauet Concilium Trid. eamque quoties opus fuerit, etiam auctoritate Apostolica fieri concedit, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantum obligent suos authores, in contrarium admissis. *s. 6. c. 4.* quinimo præcipit annuas fieri visitationes, etiam exemptorum, & prouideri vt cura animarum, debitisque obsequiis ecclesiæ minimè defraudentur. appellationibus, priuilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemoriali tempore præscriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis. *Trid. s. 7. c. 8. s. 13. c. 1. s. 21. c. 4. curentq;*, inquit Episcopi, *vt cura animarum, aliaq; debita obsequia exerceantur, appellationibus, priuilegiis, consuetudinibus, etiā immemoriabili tempore præscriptis, non obstantibus.* & iterum *s. 24. c. 10. nec in his*, inquit, *vbi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio aut vlla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat.*

1. Exempti in visitatione, morum correctione, fundationū implemento, appellatione nō iuuantur.

Sed & priori iure, *nominatim Clement. quia contingit de religios. domib.* piis fundationibus etiam erat prospectum, vt locorum Ordinarij eas impleri curarent, *etiamsi*, inquit, *pia loca exemptionis priuilegio munita consistant per se ipsos, vel alios impleant* (nota) *omnia & singula, & rectores non exemptos propria, exemptos verò & alios priuilegiatos Apostolica ad id authoritate compellant.*

2. Quin decreta per se vel alios Episcopi exequantur.

Iterum exempti administrantes beneficia & fundationes non exemptas, nulla in his exemptione fruuntur. *c. ex ore. de priuil. c. volentes in fin. eod. in 6.*

3. Exempti quoad alias fundationes nulla exemptione viuntur,

Quod *c. volentes* etiam exemptos, exemptione priuat ratione delicti commissi, aut contractus initi, aut rei sitæ in loco non exempto.

4. Nec in delictis, cōtractibus alibi commissis, aut initis.

Et quamuis alicubi olim extiterint priuilegia exemptionum cum derogatione eiusdem *c. volentes*, nihilominus tamen ea derogatio hodie sublata est per Conc. Trid. *s. 7. c. 14.* quod innouat totum tenorem *d. c. volentes*, *vide h. t. consult. 2.* additque in ciuilibus causis miserabilium personarum exemptos omninò Ordinariis subiici; miserabilium autem priuilegium causas pias fundationum etiam complectitur.

5. Et c. volentes derogatio hodie cessat per Trid.

Quin & considerandum est multos casus speciatim in iure dari, quibus specialiter declaretur exemptio cessare, qui verbis generalibus *d. c. volentes* non comprehenduntur; adeoque non data speciali illorum derogatione authoritatem retinent: etiam illa derogatione obstante. *enumerauimus in Iur. Pont. nou. anal. tit. de priuil. n. 8. & seq.*

6. Aliisque expressis multis casibus.

Vnde iterum Conc. *Trid. s. 22. c. 8.* Episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis piarū dispositionum executionem demandat, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemoriali, priuilegio, aut statuto.

7. Præsertim in piis fundationibus.

Derogationem autem *d. c. volentes* antiquis priuilegiis insertam per innouationem eiusdē *c. volentes* à Concil. Trid. illud eiusúe tenorem innouante sublatam esse eo certius dicendum est, quod Pius IV. *in Bulla incip. in Principis, data 13. Kalend. Mart. 1565.* omnia priuilegia, exemptiones, mare magnum, & omnes alias gratias, in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis & decretis Concilij Trid. contrariantur ipso iure reuocatæ, cassatæ & annullatæ, ac ad ipsius Concilij terminos, atque limites *reductæ sint*, inquit, *& esse censeantur, nec quicquam aduersus ipsa decreta & statuta quo minus apud omnes obseruentur in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi ac reputari debere ac si nunquam emanassent, authoritate apostolica declaramus, statuimus, & ordinamus.*

8. Derogatio c. volentes cessat etiam per Bullam Pij IV.

Ex quibus sequitur ritè & rectè Ordinariū visitasse ecclesiam B. & Capitulum, atque ordinationes dedisse, quas iudicauit necessarias pro piarum fundationum executione, debitis obsequiis beneficiorum ecclesiasticorum non defraudandis, & oneribus incumbentibus ritè explendis, & per Officialem suum visitationis huiusmodi decreta executioni mandari iussisse. *d. clement. quia in v. alios.*

Neque in contrarium refert quod exempti visitentur authoritate delegata; Delegatus autē non

9. Et Ordinarius in his

delegatus per se vel alium potest exequi.

non possit subdelegare : quoniam Delegatus Apostolicus subdelegare potest. *c. super quaestionum. de off. deleg.* deinde potestas concessa non personae, sed dignitati, in perpetuum futuris, adeoque incognitis, & sic non electa personae industria, fit quadantenus ordinaria, & delegabilis. *Sanchez de matrim. lib. 2. dis. 40. n. 13. 14. 15. 16. 17.*

Insuper quamuis visitatio & ordinatio delegari non posset; potest tamen delegari executio ordinatorum, & decretorum in visitatione: sic quamuis per leges potestas gladij, ac merum imperium delegari non possit, potest tamen executio. neque enim magistratus per se punit damnatos; sed per ministros & lictores.

Vt omittatur quod Episcopi & Officialis sit idem auditorium, & huius ordinaria non delegata potestas.

Denique d. Clementina *quia contingit*, disertè facit Episcopis facultatem, vt exemptos compellant ad pias fundationes implendas *per se ipsos*, inquit, *vel alios*.

CONSULTATIO V.

Regulares non posse excludi ex locis per haereticos occupatis vbi olim conuentus habuerunt, & quae officia possint praestare?

1. Nemo sine causa domicilio prohibetur.

NOn potest vlli dubium esse quin iure suo quispiam priuari, domicilio prohiberi, in exilium eiici sine culpa nequeat. consectarium est igitur eos regulares, qui in aliquo loco foederatarū prouinciarum conuentus ritè constitutos olim habuerunt, eorum locorum accessu prohiberi non posse; quò minùs veteris domicilij iure ibidē vti pergant. cùm etiā iuris communis sit, vt domicilium sibi quisq; vbi lubet, constituere possit. *l. 3. 4. 6. 11. §. fin. l. 17. §. patris. D. ad municip.* dummodo ei interdictum non sit. *l. 31. eod.* interdici autem ei non potest, qui culpa vacat. vt nulla quidem poena, nisi in culpae alicuius reis locum habet.

2. Regulares à locis veteribus nō arcēdi. quia habitent vt tales, & officia iure permissa eis obeant. quae illa:

Igitur huiusmodi regulares nulla prohibitione excludendi sunt, quò minùs in locis suorum conuentuum habitare possint. eo admisso, consequens vlterius est, vt habitare possint vt tales: id est, officium exercere, ad quod Ordo institutus, & à Sede Apostolica approbatus sit. vt Praedicatores & Minores praedicare, poenitentiam, & Eucharistiam ministrare possint. *c. inter cunctas de priuil. in extrauag. commun. clem. dudum de sepult.* vt aliorum sacramentorum, vt baptismi, matrimonij, & extremae vnctionis administratio parochis est reseruata. *d. clem. dudum. de sepult.* adeoque, si huiusmodi curis pastoralibus abstineant, nulla iuris ratione caetera illis prohiberi possunt, quò minùs iis muneribus in illis prouinciis fungantur, sicut in prouinciis Regi parentibus.

Difficultas tamen se offert ex Concilio Trid. *s. 23. c. 15.* quod nullius priuilegij praetextu nullus, etiā regularis, secularium confessiones possit audire; nullus item secularis, siue regularis in ecclesiis etiam suorum ordinū contradicente Episcopo praedicare: *idē Conc. Trid. s. 24. c. 4. §. nullus.* itaque si Vicarius Apost. eos ad confessiones approbare nolit, & praedicare prohibeat; functionem suā obire non posse videantur. Sanè difficultas ea nō exiguis scrupulis est obnoxia: sed quae tamen nō impediat habitationem, sacrorum celebrationem (dummodo sacerdotes vagi & ignoti non sint, sed suorum Ordinariorum literis commendentur *Trident. s. 22. in decret. de obseruat. celebrat. missae; s. 23. c. 16. §. fin.*) & S. Eucharistiae administrationem. Igitur de confessione & praedicatione paulò amplius est videndum. vtraque permissa fuit Praedicatoribus & Minoritis, etiam inuitis dioecesanis. *d. clem. dudum. d. extrauag. inter cunctas.* sed, quod fortè aliqui non ritè eā libertate vsi, possent incommoda generare, eatenus per Concilium Tridentinum, id est mitigatum. 3. Quid si Episcopus praedicare, & confessiones audire omnibus prohibeat?

Porrò cùm ius correctorium non obtineat, nisi quatenus verba sunt expressa; caetera autē priori iuri sint relicta : animaduertendum est primò, regulares inuitis rectoribus in parochialibus ecclesiis nō posse praedicare; sed liberè in suis ecclesiis, quin & plateis publicis: adeoque magis in aedibus priuatorum consentientium. *d. extrauag. inter cunctas. in verb. fratres in locis ipsorum quae in praesentiarum habent, & imposterum obtinebunt, ac in plateis communibus seu publicis liberè absque dioecesanorum, & aliorum Praelatorum petita licentia valeant clero & populo praedicare. eadem dicuntur in d. clem. dudum. §. nos autem.* quod magis obtineat si regulares domos emant, in quibus habitent, in oppidis veterum conuentuū; & quasi in ecclesiis suorū ordinum officiis fungantur. saltem illae domus durante exterminio loca ipsorum vocari possunt, in quibus eis liceat officia sua praestare *per d. clem. dudum. d. extrauag. inter.* 4.

Secundò animaduertendum est, quamuis Trident. *s. 5. c. 2.* licentiam Episcopi exigat, vt regulares concionentur in ecclesiis non suorū ordinum; nihil tamen disponat de praedicationibus quae fiunt in plateis communibus, minus in aedibus priuatis. 5.

Denique & 3. animaduertendum est, quod d. extrauag. *inter cunctas. §. vt autem,* inquit, *dioecesanis honor debitus reseruetur, vt à superioribus electi fratres admittantur ab Episcopis: vt eorū beneplacito officium possint exercere: quod si,* inquit, *denegent, vel intra triduum non concedant; ex tunc iidem fratres nihilominus authoritate eadem huiusmodi officium exequantur. quibus ferè conformia habet d. Clem. dudum.* animaduertendum inquam, quod huiusmodi dispositio per Concilium Tridentinum non sit reuocata. 6.

Ideoque liceat regularibus praedicare in ecclesiis suorum Ordinum, benedictione Episcopi petitâ, quamuis non obtentâ. quod refert Barbosa *in Collect. ad Concil. Trid. s. 24. c. 4. n. 25.*

adeoque, idem dicendum sit de prædicationibus, quæ fiunt in plateis communibus, & multò magis in ædibus priuatis.

Porrò Concilium Tridentinum, cùm vetuit confessiones, & prædicationes non fieri, nisi de assensu Episcopi; non instruxit Episcopos argumento aliquo elationis, vt fierent dominantes in clero; sed vt ecclesiæ consuleretur, & saluti animarum. quæ ratio, & anima legis, sicubi cessat, non pro lubitu Episcopis agere,&,vt sit pro ratione voluntas, permissum est;neque vt authoritate illa vtantur in destructionem; sed ædificationem. vti ordinarium est, vt quæ arbitrio alicuius commissa sunt, ad boni viri iudicium reiecta censeantur. *l.22.D.de reg.iur.Menoch.de arbit.q.*8.9.*& seqq.* vnde & illud communiter tradi solet,vt si, cuius cõsensus necessarius est, sit irrationabiliter dissentiens;pro consentiente habeatur. itaque non pro lubitu Episcopi confessiones & prædicationes regularibus interdicere possunt,sed pro ratione & causa,quæ Concilium mouerunt. 7.

8. Et quidem quoad confessiones *d.c.*15.*s.*23. considerat Concilium idoneitatem personæ; ideoque examen exigit,& approbationem Episcopi in iis,qui non sunt parochi: si ergo regulares huiusmodi à suis superioribus nominentur,& deputentur ad confessiones audiendas,& reuerà sint idonei; non possunt Episcopi pro lubitu eos non approbare; vel ab examine, si eis necessarium videtur,reiicere.quod conuincunt præter d.rationem, etiam verba Concilij. *approbationem quæ gratis detur*, &c. quæ vtique idoneis approbationem dari iubent,sed & gratis quidem: vt illa duo coniunctim iubeat;& dari; & gratis.

9. Nunc,quod attinet ad prædicationes,*nullus contradicente Episcopo*, inquit, *d.c.*4. *prædicare præsumat.* vbi contradictio quidem etiam non ex lubitu accipienda est;sed ad sensum *d.c.*2.*s.*5.§. *si vero (quod absit) prædicator errores aut scandala disseminauerit in populo,etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis,prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat.*causa huiusmodi si nõ adsit; iustum non erit pro lubitu Episcopum contradicere;sed ex causa d.c.2.aut simili.quo minor inter *d. c.*2.*s.*5. *& d.c.*4.*s.*24. videatur apparere contradictio: dum d.c.2.alioquin permittit sine licentia concionari regulares in ecclesiis suorum Ordinum: quamuis etiam nõ data licentia, & expressa contradictio non æquiparetur: saltem legitimam causam adesse oportebit ex arbitrio boni viri.ideoque addit Tridentinum *d.c.*2.*s.*5.§.*curent autem Episcopi, ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, iustamue de eis conquerendi occasionem habeat.* an non ergo iustam de Episcopo conquerendi occasionem habere videbitur sacerdos probus & doctus, qui in loco sui conuentus iure & priuilegio sui ordinis vti prohibetur? qui nec scandala,nec errores seminat,nec causam à iure probatam cur functione ei interdicatur, præbet;& tamen ne prædicet Episcopus contradicit?

Quod verò Concilium Tridentinum vetat, ne quis cõtradicente Episcopo prædicare præsumat,suppleuit Gregor.XV.*const.incip.inscrutabili Non. Feb.*1622. ex mente Concilij Tridentini: *habeat*,inquit,*Episcopus tamquam dictæ Sedis delegatus authoritatem coërcendi,ac puniendi quoscumque exemptos tam seculares, quàm regulares, qui in alienis ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in ecclesiis suis, aut suorum ordinum non petitâ illius benedictione,aut ipso contradicente prædicare præsumpserint. Præsumere vsurpatur*, inquit Spigelius *in lexico,pro audere vel tentare aliquid contra ius,vt ferè Pontifices Romani vtuntur: Oldend.teste.*non præsumit ergo,qui iure aut priuilegio suo vtitur.nam qui iure suo vtitur,nemini dicitur facere iniuriam.sed iniuriâ prohibetur is prædicare, qui illius est ordinis, vt ex instituto & priuilegio Apostolico id possit: nisi errores prædicarit,scandala seminarit, aut similẽ causam ipse dederit, iustamque de Episcopo conquerendi occasionem habet. 10.

Quare si non obstante huiusmodi Episcopi contradictione, talis regularis prædicaret; videri fortè posset non præsumpsisse;sed iure fecisse.vt multis in casibus DD. passim eximunt à pœna constitutionum lata in eos,qui contrà agere præsumpserint, eum, qui iustâ causâ nixus quid egerit.

Sed quoniam Cardinales Concilij Interpretes declararunt posse Episcopum contradicere,etiam non reddita causa;& prohibitum teneri obedire; securius est superiores adire. vt nuper, non exstantibus specialibus personarũ causis, sed immeritâ quacumque displicentiâ erga totos Ordines, quidam Episcopus omnibus generatim Mendicantibus prædicare in sua diœcesi prohibuit: quod factum omnium iudicio damnatum fuit;& mox à superioribus correctum. & refert Barbosa *in Collect.* DD.*ad d.c.*15.*n.*52.declarasse S.Congregat.non posse Episcopos ita procedere.

Ex illa quam citauimus, Bulla Greg.XV. constat mentem Cõcilij esse, vt regularis nunquam præsumat contradicente Episcopo prædicare:non tantùm ea hora,qua ipse concionatur,aut simili ex causa,vt restringere vult Barbosa *in Collect.ad d.c.*2. *s.*5. *n.*14. ne contrariari videatur dum *d.c.*2. in propriis ecclesiis solũ exigit petitionem benedictionis: quia *d.c.*4.*s.*24.dicit canones *d.s.*25.se aptius præsentiũ temporum vsui accommodare: adeoque ampliat eos, atque extendit,vt si non tantùm benedictionem non dederit Episcopus, sed positiuè contradixerit,regularis ne prædicaret; præsumere id non debeat.idque disertè comprehensum est Breui Vrbani VIII. quod recitat ipse Barbosa *ad d.c.*4. *n.*24. etsi vitio typographi omissa sit dictio negatiua *non*, *ante verb. liceat.* vt legatur;non modò benedictionem nõ concesserit;verum etiam prohibuerit, quo minus prædicent; tunc in sui ordinis ecclesiis non liceat prædicare. 11.

Sed obiici potest,quod in fœderatis prouinciis regulares isti conuentus amplius non habeant, 12. Quid in di-

tionibus fœderatis, & deſtructis cõuentibus? beant, ſed ab hæreticis ea loca occupentur; ideoque priuilegia conuentibus conceſſa, iis deſtructis eos non iuuent: ſed eſt reſpondendum, ea quæ per vim & rebellionem contingunt, iis non prodeſſe, qui de iure diſputant. non minus quàm Rex, qui animo ius & poſſeſſionem rebellium prouinciarum retinuit, iure maieſtatis in rebelles agere non prohibetur, nec aliquid de vllo illius iure imminutum eſt, quatenus vis compeſci aut pelli poſſit. itaque quatenus per vim hæreticorum licet regularibus in illis locis agere; iure ab Epiſcopis impediri non poſſunt, quin in locis ſuorum conuentuum habitare, & priuilegiis, ſaltem quatenus per Conc. Trid. ſunt modificata, vti poſſint; & iuxta inſtitutum ſuum ibidem domicilium habere, ſuam proximorumque ſalutem operari.

Et verò in reſolutione dubiorum, quæ à Vicario Apoſtolico Hollandiæ S. Congregationi de propaganda fide propoſita ſunt, *Kal. Maij 1623. §. 15.* reſpondit illa in hæc verba; *ſi ſuperiores regularium, vel PP. Societatis velint aliquando mittere ſuos ſolummodo ad conciones faciendas, confeſſiones audiendas, catechiſandum, & ſimilia munia obeunda, præcipuè ſi à catholicis vocentur, vel petantur, qui propriis expenſis alere velint; videtur hoc miſeris illis catholicis conſolationi dandum, cum ſcitu tamen Vicarij: eoq; magis, ſi à talibus peterentur, qui rure in caſtellis vel oppidis morantur.* id quod indiſtinctè permiſſum, multo magis obtinere debet in locis vbi illi conuentus ſuos iam olim habuerunt.

Deſtructio ergo conuentuum, quę de facto proceſſit, iuris impedimentum non præſtat. quin & priuilegia Prædicatorum ac Minoritarum *in d. extrauag. inter cunctas. d. clem. dud.* non locis, ſed ordini, & perſonis ſunt conceſſa; quãuis cum mentione loci, vt vbicumque conuentus habent, poſſint ſuum officium exercere.

13. Rurſus obiici poteſt nullibi Minoritas ipſa loca ædificiaúe vlla veterum conuentuũ obtinere; ideoque de iis inhabitandis fruſtrà diſputari: neque quamcumque vrbis partem vbi à fidelibus fortè recipiuntur in illorum ædificiorum vices tranſire; verùm iterum reſpondendum eſt, primæuam regularium admiſſionem in aliqua oppida non eſſe affixam huic vel illi glebæ, ligno, aut tigno; ſed Ordini datam: vt in oppidis huiuſmodi aut locis ſedes figere poſſint. in quibus ſi quid violentum patiantur, cum illis agendum eſt, ſicut cum iis, qui in ruina, incendio, naufragio res ſuas nolunt habere pro derelictis; vt diſſiliente per tempeſtatem naui, vnis etiam tabulis adhærere, ad litus tendere, ac in arena conſiſtere poſſint, &, quantum ex rebus ſuis ſaltem poſſint, colligere: quos ne qui impediant, aut ſuis fruſtrentur, grauibus pœnis eſt ſancitum. *l. 1. & tot. tit. D. de incend. ruin. naufrag. quod ius habet fiſcus,* inquit Conſtantin. *l. 1. C de naufrag. l. 11. in aliena calamitate, vt in re tam luctuoſa compendium ſectetur?* vt hic Vicarius alios impediat, ſuam ipſe dilatet authoritatem?

Denique obiicitur Concordatum exinde factum, & ab Vrbano VIII. confirmatum, quo §. 15. *ex reſolutione Cardinalium* eſt reſtrictus his verbis; *concordatum eſt miſſiones hoc §. memoratas, ad loca vbi aliquis ſacerdos reſidet, non fieri; niſi de ſcitu & aſſenſu eius ſacerdotis, vel Vicarij.* 14. Quid de episc. & regular. concordato quoad miſſiones?

Enimuero ex textu ipſo concordati liquidò conſtat illud initum tantùm eſſe inter Vicarium & clerum ex vna, & PP. Societatis Ieſu ex altera, tametſi narretur in Bulla cum Societate, & alij miſſionarij ſupplicaſſe pro confirmatione. Porrò non poteſt alterius per alterũ iniquior fieri conditio: cum ergo negant Minores concordatum illud vnquam ſe acceptaſſe, aut ratificaſſe, aut pro illius confirmatione ſupplicaſſe; non poteſt indefinita locutio ad illos extendi, nec literæ Pontificis vlteriorem faciunt probationem, quàm quoad ea quæ Pontifex ſe feciſſe, aut coram ſe geſta, narrat *c. literis. vnic. de probat. in Clem.*

Et quamuis ad Minoritas Concordatum extenderetur, accipiendum eſſet in propriis terminis, & verbis quibus loquitur; ſcilicet in *miſſionibus & miſſionariis.* ſiquidem tam in prima parte bullæ refertur difficultas orta inter d. Vicarium & clerum, presbyteros Societat. & alios regulares, *in illis,* inquit, *partibus miſſionarios*: quàm ad finem Bullæ, vbi ſupplicatur pro confirmatione, eodem verbo *miſſionariorum* vtitur, quàm denique in d. reſtrictione §. 15. nomine vtitur *miſſionum.* agitur ergo tantum de miſſionariis: & miſſiones reſtringuntur dumtaxat; quemadmodum etiam de miſſionibus ipſis mittentibus & miſſionariis controuerſia inter partes fuerat: vt & R. Rouenius tractatum *de Miſſionibus* typis dedit, quo amplitudinem meſſis, operariorum paucitatẽ, neceſſitatem miſſionum probauit; inquiſiuitque ad quos illas inſtituere, ad quos ſuſcipere pertineret? nomine autem miſſionum & miſſionariorum ij ſolent intelligi, qui functione indeterminatã miſſionem, & prædicationem Apoſtolicam imitantur: alioquin ſicut nõ fuit controuerſia inter partes quin ad Epiſcopum ſpectaret conferre paſtoratus, conſtituere paſtores: ita neque quin ad regulares ſpectaret conſtituere in ſuis conuentibus Priores, Guardianos, & alios in locis ſuorũ conuentuum, ſi recuperarentur; & interim, qui eorum vices ſupplerent, & iura conſeruarent, atque recuperarent; ſed ad quos miſſiones propriè pertinerent. 15.

Magna ſiquidem eſt differentia, vt ſub ſummo Pontifice Epiſcopi vel Vicarij Apoſtolici ſit arbitrium miſſionum, neque regulares vbicumque lubet ſeſe ingerant; an verò ſedibus olim eis ritè cõceſſis exturbentur. vt patet ex iis, quæ initio diximus, neminem domicilio eiiciendum, aut iure ſibi competente ſine cauſa priuandum; in miſſionibus autem propriè dictis liberius Epiſcopi arbitrium eſt, ſi priuilegiariorũ opera non vbiq; locorũ, vbi illi antiquas ſedes nõ habent, vti velit. his enim poteſt dicere *non facio tibi iniuriam; tolle quod tuum eſt:* vbi autẽ antiquas ſedes habẽt, nec vult permittere vt ibi tollant quod ſuũ eſt; videtur facere iniuriam. 16.

Quæ ratio differentiæ facit, vt appareat cur Concordata quæ respectu presbyterorum Societ. Iesu æqua sunt visa; iniqua censenda sint, si extendantur contra verborum proprietatem ad regularium loca, vbi illi olim conuentus habuerunt, quales sedes antiquas in fœderatis prouinciis non habuit Societas.

Facit eadem ratio, vt bulla Vrbani VIII. non possit extendi ad eos regulares, qui reuerà in eadem Concordata non consenserunt; vt
19. nec mens Pontificis sit, non consentientes obligare; iure suo immeritos priuare; similem legem eò vbi dissimilis est ratio, prorogare. nec eò extenditur clausula triuialis *supplentes omnes defectus iuris & facti, quamuis substantiales*, &c. non ea enim inuenta est ad subuertendas iustitiæ regulas, vt cuipiam suum immerito atque inaudito auferatur; sed vt actus sustineantur, qui enixà contrahentium voluntate constant, etsi ob aliquas circumstantias per iuris apices possent oppugnari.

Ex quibus concludimus non posse Minores excludi ex locis, vbi olim conuentus suos & sedes habuerunt; quò minùs ibidem habitare, sacra facere, & Eucharistiam administrare possint; probis, doctis, & à superioribus deputatis vt confessiones ibi excipere, verbum Dei proponere possint; ab Episcopo contradici, facultas, aut benedictio negari non debeat, nisi legitima, vt diximus, & specialis aduersus has, vel illas personas causa in contrarium fuerit; dummodo pastoralibus exercitijs, si non eis committantur, abstineant.

De Pœnitentia & Remissione.

CONSVLTATIO I.

De reuelante confessionem clarè vel obscurè.

1. *Qui ad ordinariã pœnam reuelatæ confessionis non tenetur, quia in rigore nõ reuelauit; si impudenter circa confessionem est versatus pœnâ extraordinariâ puniri potest.*

Reuelatę confessionis non tenetur R. quia non reuelauit peccatum, quia iam antè erat notum: neque peccatorem, quia nemo fuit ex nominatis: neque confessionem; quia ex nominatis nemo ei confessus erat: adeoque ad pœnam ordinariam perpetuæ peregrinationis, *ex c. sacerdos. de pœn. d 6.* vel perpetuæ inclusionis, *ex c. omnis. X. de pœnit.* obligari non potest. tamen quamuis ex eo maleficio obligatus non videtur, peccasse tamen aliquid intelligitur, vt quantam religioni iudicantis videbitur pœnam sustineat. §. 1. *instit. de obligat. quæ quasi ex delicto.*

Peccauit in eo, quod furem sibi esse confessum dixerit furtum, de quo querela est: cùm ipse R. sit confessarius in communitate non magna, & cuius non maior pars illi confiteri solet: vnde ea pars confitentium in suspicionem vocatur, cum grauamine confessionis, & sigilli offensa: vnde potest arbitrariè puniri. *Malderus tract. d sigillo, c. 12. §. 7. 9. 13.*

Secundò magis peccauit quando denominante S. tres sibi suspectos respondit, *non licere reuelare confessionem, sed fieri posse vt rectè conieceris.* illi enim tres illis verbis sub specie scientiæ confessionalis procul dubio graui suspicione denigrantur. Et quamuis comes non sit criminis veritas, aut eorum confessio, vt dictum est; tamen dum ita nudè respondetur, nec R. tres illos clarius excusat, res incidit in grauem calumniam, & putatiuam confessionis, si non singularem reuelationem, suspicionem tamen ad paucos restrictam.

Quam *iuxta d.* §. 1. non leuiori nomine Iudex notare potuit, quàm *imprudentia*: ad modum Iudicis, non secundùm leges sine maleficio iudicantis. & porrò factum non benignius designare, quàm his verbis, *materiam confessionis imprudenter tractasse*: non adhuc ipsam confessionem formalem arguendo, quia nominati non erant ei confessi; sed materiam, in quam procul dubio peccat d. responsio R. ad interrogationem S. super tribus factam.

Cùm porrò *d. c. omnis* in sacerdote confessario requirat, vt sit discretus & cautus; rectè ob huiusmodi indiscretam & incautam responsionem suspenditur ad tempus arbitrarium ab audiendis confessionibus. *l. 11. §. quoties. vers. reprobari. & ibi glos. D. de muner. & honor.* 2. *Etiam temporariæ suspensionis.*

Quæ suspensio, vt in censuris, non requirit delictum; sed iustam causam solùm; vt si deprehendatur confessarius non satis circumspectè versari, non satis peritè, ex studiorum obliuione, ætate ingrauescente, diffamatione, criminis suspicione, ob quam fructum non sit facturus audiendis confessionibus. *glos. vbi sup.*

Et quia Concil. Trid. *s. 14. c. 6. 7.* declarat confessarium Iudicis instar esse, atque absolutionem instar actus iudicialis; sequitur cessare authoritatem per suspensionẽ Superioris, sicut iudicandi, vetante iudicare eo, qui iussit. *l. iudicium. D. de iud.* qui potest iubere, potest vetare; qui committere, potest dimittere. præsertim dum beneficij, curæue parochialis iure tituloue non competit huiusmodi facultas, sed ex commissione. 3. *Præsertim in eo qui non est parochus, sed delegatus.*

Nam qui ordinariam iurisdictionem habent vt parochi, qui vi legis & magistratus ipsis delati iudicant; non ex mandato alicuius delegãtis; sicut, nisi ex causis iure decisis, priuari officio non possunt, ita & difficilius suspendi ab iis facultatibus, quę ad officiũ sunt necessariæ.

CONSVLTATIO II.

De obligatione annuæ confessionis & communionis ac secreto confessionis.

Ad annuam confessionem & communionem obligauit omnes Christi-fideles, qui ad annos discretionis peruenerint, Innocentius III. in Concilio Lateranensi *c. omnis vtriusque. X. h. t.* hanc in Paschate; illam indeterminato tempore. quod vsus tamen & Concilium 1.

cilium Trid *ſ.14.can.8.ſ.13.can.*9.optauit fieri in quadrageſima: vt & ratio; quia cùm probare ſe debeat homo, antequam de pane cœleſti edat, aut de calice bibat; rectiſſimè pauló ante communionem præmittitur confeſſio: ita tamen vt communio ex conſilio confeſſarij rationabili ex cauſa differri poſſit. *d.c.omnis.verſic.niſi.*

Omnium autem peccatorum, vtique mortalium, quorum poſt diligens examen occurrit memoria, fidelis debet eſſe confeſſio, & quam ſolus faciat peccator; id eſt ſecretò, non publicè; & proprio ſacerdoti; aut de eius licentia alieno: *cùm aliter*, inquit, *ille ipſum ſoluere non poßit, vel ligare.*

2. *Proprius ſacerdos quis?* Proprius hic ſacerdos eſt presbyter parochialis; quantum vſus loquendi canonum ſolet ſignificare: quantum autem ratio canonis facit; eius locum obtinet quiſquis confitentem poteſt ſoluere, vel ligare: nam ſicut ſententia à non ſuo Iudice lata eſt irrita: ita & confeſſio facta non habenti iuriſdictionem in confitentem. adeoque iuriſdictionem habens ex ratione poteſtatis ligandi vel ſoluendi proprius erit ſacerdos; aut ſaltem eius vice habendus.

Quare Epiſcopus, qui parochus eſt totius diœceſis, *c.licet de ferijs.* Vicarius illius Generalis, & pœnitentiarius diœceſanus proprij ſacerdotis loco ſunt: quare & licentiam dare poteſt Epiſcopus alteri confitendi. Et videtur

3. Weymſio *ad conſtitut.24.à Trid.innouatas conſt.* 23.ſatis dediſſe, quando generaliter probatum admiſit ad audiendas confeſſiones: ſed non omnibus idem viſum eſt. & hæc ſanè quæſtio eſt voluntatis. nam cùm Concilium Trid.*ſ.23. c.*15. decreuerit, *nullum etiam regularem poſſe confeßiones ſecularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*; huiuſmodi poſt examen admiſſio magis ſpectare videtur ad ſatisfactionem huius decreti, quàm conceſſionem iuriſdictionis: non magis, quàm ante illud indeterminata poteſtas abſoluendi in ordinatione presbytero conceſſa, iuriſdictionem non tribuebat; & ſine proprij ſacerdotis licentia alienus ſacerdos confitentes non poterat ſoluere vel ligare. *d.c.omnis in fin.* ſi autem admiſſio ab Epiſcopo facta ſit illa mente, vt admiſſus omnes Epiſcopo ſubditos abſoluere poſſit, vel ligare; dubitandum non eſt, etiam licentia proprij parochi non obtenta, confiteri quem poſſe taliter admiſſo, & ſatisfacere canoni d.c. omnis. quare *ob.d.c.*15*.ſ.*23. parochi licentia hodie data non approbato ab Epiſcopo non ſufficit, quin confeſſio irrita ſit atque iteranda. vt reſponderunt Interpretes, *apud Piaſ.in prax.p.2.c.1.n.9.*

4. Pariformiter, quia Pontifex Romanus eſt parochus vniuerſalis eccleſiæ, ſatisfacit canoni, qui illi confitetur, & ab illo commiſſis; vt ſunt Mendicantes; & quibus eorum priuilegia communicantur; qui omnium Chriſti fideliū ad ſe accedentium confeſſiones excipere, & abſoluere poſſunt. *clement.dudum de ſepult.c. inter cunctas de priuil.in extrauag.commun.* exceptis religioſis, qui ſuis Prælatis, vel ab illis commiſſis confiteri debent. *d.c.inter.* §.*clem.* per ſtatuta ordinis, ſeu aliàs prohibiti aliis confiteri. *qua de re diximus de regul.conſult.*4.

Quoad communionem tamen paſchalem Clemens VIII. 22. *Decemb.*1592. *in Breui ad Nuntium Belgij dato* declarauit, atque decreuit eam in parochia eſſe faciendam. *quod citamus in Iur.pont.nou.anal.de paroch.n.*2. vbi latè agimus de obligatione frequentandi eccleſiam parochialem, & in ea audiendum verbum Dei, & miſſam, vbi cōmodè fieri poteſt: quam obligationem exinde latiùs excuſſit liber inſcriptus *Parochianus obediens.* quin imo S.Congregatio iuxta Eugenij IV. literas declarauit, in die Paſchatis non poſſe adminiſtrari à religioſis Euchariſtiam. *vt refert Barboſ. in Collect.ad Trid.ſ.*13*. de ſac. Euchariſt.c.*8. tametſi exiſtiment alij poſſe illis adminiſtrari, qui credentur parochię ſatisfeciſſe, vel ſatisfacturi. & ante annos non ita multos vel in Paſchate non adminiſtrabant religioſi, vel publicabant inter ſingula ſacra non ſatisfieri præcepto eccleſiæ per huiuſmodi communionem, nunc huiuſmodi præconio omiſſo indiſtinctè adminiſtrant: qua ex cauſa multi parochiæ non ſatisfaciunt. 5. *Cōmunio paſchalis in eccleſia parochiali facienda.*

Non confitentium quotannis & communicantiū in Paſchate pœna eſt, vt viui ab eccleſia arceantur, & mortui à chriſtiana ſepultura. cui vt ſit locus, negligentiam ipſam certam eſſe oportet. nam quiſque præſumitur bonus, & officio chriſtiano ſatisfacere, niſi contrarium probetur; ſaltem graui præſumptione: quæ vix eſt, vt militet aduerſus defunctum, qui monitus non fuerit viuus, cùm ſoleamus communicare defunctis, quibus communicauimus viuis. & hanc pœnam extendi poſſe ab Epiſcopis ad pecuniariam, vel plenam excommunicationem: neque tamen expedire illius culpæ abſolutionem Epiſcopum ſibi reſeruare Interpretes reſpondiſſe refert Weymſ. *vbi ſup.n.*18. *& ſeqq.* 6. *Pœna negligentiæ ſed certæ.*

Porrò ſacerdos vices Dei agens, & medicū ſe præbere debet, & iudicem. de illo, inquit d. c.omnis *vt more periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati; diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati: ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum:* ad iudicē porrò ſicut ſpectat imprimis vt cognoſcat an ſua ſit iuriſdictio; ſic ad confeſſariū an peccata ſibi reuelata ſubſint ſuæ poteſtati; an Papæ, Epiſcopo, vel Prælato ſint reſeruata: deinde ſi res eſt difficilis, vt ſolet iudex aſſeſſores peritoſque conſulere; ita d. c. omnis *ſi prudentiori*, inquit, *conſilio indiguerit, illud abſq; vlla expreßione perſonæ cautè requirat.* 7. *Sacerdos hic medicū agit, & iudicem.*

Nam id in genere grauiſſimè incumbit ſeruandum, vt *caueat omnino*, inquit, *d.c.omnis, ne verbo aut ſigno aut alio quouis mōdo aliquatenus prodat peccatorem.* nā, quæ nouit vt vice-Deus, detegere 8. *Sigillum ſecreti vt obliget, & in quibus?*

detegere nullatenus potest, vt nemo. est enim obligatio prorsus diuina sigilli confessionis, quæ nunquam cessat, à qua nullum crimen exceptum est, quantumcumque graue, nec quantumcumque paruum. vt vix de consensu pœnitentis liceat reuelare confessionem, nisi & causa adsit vtilis, & honorifica confitenti; imò satis necessaria, consensus sanè præsumptus nunquam sufficiat; sed requiratur omninò expressus: atque etiam si consentire casu aliquo deberet pœnitens, nō tamen habetur pro consentiente, nisi expressè consentiat, quamuis ob dissensum eo in casu nec sit absoluendus; licet etiam confessus sit impœnitens, ac sine spe absolutionis facta confessio, non tamen ficta: quamuis itidem iurisdictionem non habuerit, aut voluntatem absoluendi; quamuis extrà cōfessionem eadem sciuerit, si confessionalem scientiam aliquatenus misceat. *quæ omnia distinctè probat Malderus tract. de sigillo confessionis. c. 1. vsque ad 11.*

9. Neque verò directa tantùm reuelatio, sed quæuis etiam indirecta est prohibita. huius sunt modi omninò multi: ex quibus sedecim notauit Malder. *c. 12.* generatim cautè est tractandum de materia confessionis, sacerdos ante omnia *caueat*, inquit, *c. sacerdos de pœn. dist. 7. ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet.* vt tantùm doctiorem consulere possit, exprimendo peccatum, & silendo personam: *c. offi. ij de pœnit. & remiss.* non surgat ex confessionali, pœnitente ibi ipso manere, donec doctiorem adiuerit, qui possit id animaduertere, & conspicere pœnitentem: non dicat pœnitentem quemquam se audiuisse, sed non absoluisse; non inter audiendum suspiret; nō puniat, si superior est publicè aut priuatim; ante & post confessionem eundem se pœnitenti exhibeat; pœnitentiam non imponat, quæ quoquo modo possit illum prodere; non etiam publicam: nam ad hoc forum non spectat *c. 8. s. 24. Concil. Trid.* publicam pœnitentiam pro publicis delictis exigens, sed ad forum externum. nec denique quocumque loquendi modo, gestu, aut signo pœnitentis peccata aperire licet, non tantùm in particulari, sed etiam in genere: præsertim si vel communitas ei confitentium exigua sit, vel qui eo loco aut tempore confessi sint pauci, quo recitatur peccatū confessum, vel aliæ circumstantiæ narrantur, quæ audientem deducere possint in notitiam, aut suspicionem confitentis.

10. Consectaria sigilli confess. sionalis. Sed neque licitum est vti scientiâ ex confessione acceptâ cum grauamine pœnitentis, quod disertè Clemens VIII. prohibuit 26. *Maij* 1594. superioribus regularium. quo minus id faciant, aut facere subditi eos suspicentur, itidem inhibens, ne ipsi confessiones audiant subditorum, nisi sponte petentium, aut casuum reseruatorum. vt nec ideò ad officia quem non eligere vel deponere sit licitum, aut aliter in regimine erga pœnitentem se habere, quàm aliàs si confessus non esset: denique nihil agendum quod cedere possit in odium cōfessionis. Quin & illa celanda sunt, quæ de aliorum peccatis in confessione aperiuntur, etiam complicis; cuius itidem peccatum est celandum; quamuis ipse pœnitens consentiret in reuelationem complicis: siquidem ipsius etiā consensus requireretur: multo minus is ex cōfessione complicis est accusandus, puniendus, aut corripiendus: ne conflatur odium sacramento. quin imo & celanda ea sunt, quæ in confessione sunt dicta, & alios etiam concernunt, & si peccata non sunt, sed secreta dumtaxat. à qualibus in confessione inquirendis, præsertim ad lucri finem aut speciem, omninò confessario est abstinendum: vt nec, si iniungat pœnitentias pecuniarias, vllatenus sibi fuisse applicet. imo nec conuenit vrgeri quem pluries repetere aliàs confessi, minus confessarium extra confessionem loqui confitenti de auditis in confessione, nam ad hæc non secùs, quàm in confessione audita sigillum se extendit: vt declarauit Concilium Mechlin. *an.* 1607. *tit. 5. de pœn. c. 6.* vbi & *c. 7.* declarat irrationabilem & indiscretam promissionem non alteri confitendi irritam, etiam quamuis iuratam. quin & qui ita dispositus est, vt alteri nullo casu vellet confiteri, in effectu est peccati mortalis. si tamen in confessione posteriori saluti confitentis prosit agi de auditis in priori, pro meliori illius directione; id, cùm non grauare, sed expedire possit pœnitenti, satis etiam ex consensu eius censetur permissum.

Insuper & sigillo confessionis tenetur interpres, atque internuntius, superior etiam à quo petitur vt licentiam à reseruato deleget, item cui sacrilegus sacerdos reuelauit, quique casu vel insidiosè pœnitentem vel in publica confessione audiuit, mutum per signa intellexit, vel pœnitentis peccata descripta pro futura confessione reperit, vel laicus, cui ex defectu sacerdotis in naufragio, aut simili casu facta est confessio, vt vetus erat vsus: quin & Iudex, qui nouit delationem originem habere ex confessione sacramentali, tenetur desistere à processu iudiciali. quin & ipse pœnitens tenetur obligatione secreti, quo confessario grauamen, aut sacramento odium adferretur. si confessarij tamen vel pœnitentis ad turpia solicitatio non est comprehensa sigillo, sed vterque est denunciandus superiori. in fauorem sacramenti *ex constitu. Greg. XV. quæ incip. vniuersi.* secundus tamen confessarius, cui prioris solicitatio detegitur, rectius se non impendit denunciationi; sed fœminam ad superiorem mittit. quæ omnia Malderus *eo tractatu singulatim exequitur.* 11. Qui præter sacerdotem eo obligentur.

CONSVLTATIO III.

De solicitatione in confessione.

QVamuis sanctitas huius sacramenti vnūquemque ab illius abusu reuocare deberet; quia tamen aliqui illud profanare non sunt veriti; sanctè à Clemente VIII. Paulo V. & Grego- 1. Solicitatæ à confessario fœminæ dena

nuntiare teneantur. Gregorio XV. constitutum est, vt si qui confessarij fœminas pœnitentes in confessione ad turpia solicitauerint; eos solicitatæ denuntiare teneantur seuerè corrigendos. in vim quarum constitutionũ Inquisitores alicubi edicta proponunt, vt huiusmodi denuntiationes omninò fiant, & populus suæ obligationis moneatur.

2. Non æquè alia crimina, si probari nõ possunt. quin & addunt nonnunquam alia crimina similiter denuntianda. & quamuis ea crimina, quæ probari non possunt, ordinariè nec sint denuncianda; tamen hæresis crimen, & ea, quæ ad officium Inquisitorum pertinent, quia vt cancer serpunt; & periculum trahunt in futurum; denuncianda sunt. Neque verò hodie per consuetudinem seruatur l. diuus. *l. ab accusat. D. ad Turpilianum*, vt denuntiator probare teneatur: vt neque par in his ratio est; cùm illæ leges loquantur de voluntario denunciatores; sed qui ab edicto iubentur, necessitatem habent parendi: vtique absolutè in causis fidei, iisque quæ eò reducuntur; in aliis autem huiusmodi edicta secundùm ius sunt accipienda, vt extra illius terminos non extendantur.

3. Præmissa tamen correctione fraterna. Adeoque non nisi post correctionem fraternam, quam intendit præceptum euangelicum. quod quidam in crimine hæresis etiam recipiunt; & in sacerdote, qui in confessione solicitauit; si spes est emendationis: quin etsi dubium: multo magis, si certò constat esse emendatum. quo loco & is est habendus, qui solicitationem alterius confessus abiurauit.

4. Nisi in hæresi, & dicta solicitatione. quod alij, vt æquius quidem admittunt; sed in rigore edictorum, & cõstitutionum etiam punitionem intendentium, verius esse contrariũ contendunt: præsertim propter pericula, quæ diximus, in futurum: & quia infirmum est iudicium fœmininum in re tam graui, cùm in materia fidei denunciandum etiam à filio patrem, ab vxore maritum, à fratre fratrem contendant: tametsi extra causam religionis pater, ac filius, maritus, & vxor, fratresque nec iure, nec vsu ad id cogantur; vti nec is cui graue immineat periculum si denuntiet. quin & sunt qui, *contra c. aliquando de pœnit. dist. 1.* in materia fidei prodere ac denunciare quem se ipsum teneri contendant: vtique si aliter damno religionis prouideri non potest: multo magis complices; quamuis per indirectum reducatur ea denunciatio ad manifestationem sui ipsius, quæ iure ordinario *d. c. aliquando* iniungi non potest.

5. An quis se patrem, vxorem, filium, fratrem denunciare teneatur? aut complicem?

6. Si denuntiantis fama in periculũ vocetur? Ideoque nec fœmina cogi potest à confessario solicitata, si quas cum eo turpes actus exercuit, ad illum denunciandum. quippe famæ periculum passura, si ille confessarius in ius vocatus crimen fateatur cum illa commissum. qua in re tamen iudicium prudentis alterius confessarij rectius illa rogauerit, an sine periculo suæ infamationis, satis fieri tamen possit aliqua via sanctarum constitutionum intentioni. quæ etsi sæpè in præsumptione fundentur, vt Bulla Gregorij XV. de qua agimus, in verbis; *nos in animum inducere nequeuntes*, vt & constitutio Sixti V. de astrologia iudiciaria; tamen, etsi in casu speciali præsumptio cesset, obligant ad denunciandum, nisi certò cessent pericula, & finis constitutionum.

Porrò tam Clemens VIII. quàm Paulus V. disertè agunt de sacerdote solicitante: in verbis; *allicere vel prouocare*; Gregorius autem XV. addit hæc verba; *aut cum eis illicitos aut inhonestos sermones, siue tractatus habuerint*: vnde dubium quidam fecerunt de sacerdote à fœmina solicitato an sit denunciandus? & verbis quidem eum comprehendi satis apertum est, legis voluntate non existimem: quæ considerauit nequitiam ministri sacramenti in eo ministrando, non illius lapsum ex nequitia eius cui ministraretur: præsertim in ordine ad pœnas, iisdem constitutionibus propositas, quæ vix vnquam extra suos casus extenduntur. *c. statutum de elect. l. cum quidam. D. de lib. & posth.* adeo vt Clementis & Pauli constitutiones de solicitantibus fœminas porrigi negent ad solicitantes pueros: tametsi constitutio Gregorij nunc in verbis; *qui personas quæcumque, illæ sint*, complecti videatur. quemadmodum & illæ constitutiones non videbantur extendendæ ad eos, qui non in confessione, sed sub vmbra tantùm confessionis, solicitassent; sed hæc omnes eos complectitur, *qui*, inquit, *prætextu confessionis fœminam solicitauerunt*: rursus illæ spectant ad turpitudinem confessarij, & confitentis; hæc ad inhonesta siue inter se, siue cum aliis perpetranda: iterum illæ ad eos pertinent; qui *in actu*, inquiunt, *audiendi confessiones, & dum eorum audiunt confessiones* solicitauerunt; hæc ad illos, qui *in actu*, inquit, *sacramentalis confessionis, siue antè vel pòst immediatè.* tametsi rectius natura rei pariter vt actum ea complectitur, quæ paulò antè vel pòst actum contingunt. *glos. in l. Pomponius. §. raro. D. de off. proconsul.* vt pacta incontinenti adiecta rei inesse dicuntur. *l. 7. §. quin imo. D. de pact. & plura adducit Tiraquel. de retract. conuentional. p. 2. §. 1. glos. 4. & 5. n. 23.* ad quam rationem Concilium prouinciale Mechliniense eò declarat extendi sigillum. Porrò in his, quæ per Gregorij constitutionem ampliata sunt, si quis deliquerit ante illius editionem, non est denunciandus; quia ad præterita non trahitur. *c. cognoscentes. c. vlt. X. de constitut.*

7. An sacerdos fœminam solicitanté?

8. An puer solicitatus sacerdotem?

9. An solicitata non in confessione sed illius prætextu?

10. An antè, vel pòst, non in confessione?

11. An in ampliatis per Greg. XV. constitutionem ante publicationem.

12. An solicitata sub vmbra confessionis? Dicit autem constitutio *ante vel post immediatè*: quod quæ post moram fiunt, eò non pertineant: dummodo sine vmbra, mentione, aut prætextu confessionis fiant. addo vmbram confessionis; vt est in eo qui in sede confessionali solicitat. *extra occasionem*, inquit Bulla, *confessionis*; v. g. si qua aliorum negotiorum tantùm causa eò inter alias confitentes accesserit.

13. Laicum aut sacerdotem non approbatum? Quæ causa complectitur etiam eos, qui, cùm facultatem audiendi confessiones non habeant, se in sede confessionali exponunt, quasi habeant, atque ita solicitant. quin & laicos, aut clericos non sacerdotes, se sacerdotes fingentes, audiendo confessiones solicitantes: saltem ad effectum vt arbitrio Iudicis coërceantur. dum constitutionum pœnæ non nisi in sacerdotibus quadrant, & illæ extra suum casum non videantur extendendæ.

Vnde

14. An solicitantem ad alia peccata quàm carnis. Vnde & qui ad alia peccata, quàm venerea, solicitauerit, constitutionibus illis non tenetur. siquidem verba Gregorij *sermones inhonestos & illicitos* ita sunt accipienda, vt sermones inhonesti sint, simul & illiciti: nam sæpè pœnitentes confiteri debent res & sermones inhonestos, confessor interrogare super circumstantiis aggrauantibus, qui sermones ex materia sunt inhonesti, & tamen liciti, atque à pœna liberi non tantùm, sed & ad functionem ritè obeundam necessarij; non autem ita accipienda sunt, quasi vtraque ad diuersa crimina pertineant, nam omnium istarum constitutionum scopus consistit in peccato carnis in confessoribus vindicando.

15. An mandantem? Quin & extensio an fieri possit ad mandantem confessario solicitare fœminam non est malè dubitatum; quod verba illum non complectantur: quamuis qui per alium facit per se ipsum facere videatur: *c. qui per de reg. iur. in 6.* & facere dicitur qui iubet facere, *l. manumissiones. D. de iust. & iur. l. amicu. D. de adult.* & pœna excommunicationis extenditur ad mandantem percuti clericum: *c. mulieres de sentent. excommun.* quam incurrit percutiens ex *c. si quis suadente diabolo*: quod fictè tantum faciat qui mandat, & casus verus non comprehendat casum fictum in tam pœnalibus. qua in re tamen si mandans etiam sacerdos fuerit, vt mandatarium puniendum existimarem, quò ad finem constitutionum sanctius accedi possit, periculaque in futurum caueri.

Neque iterum extensio à sacerdote ad fœminam solicitantem est facienda, vt sacerdos illam denunciare teneatur, vt diximus, sed neque tertius ex vi constitutionum: an autem tam hi, quàm alij, quos supra excepimus, ex obligatione naturali ad auertenda pericula ecclesiæ, ex circumstantiis iudicandum

16. Quid, vbi hæ constitutiones non sunt publicatæ. est. & quidem prudentes confessarij etiam in his locis, vbi nec Clementis, nec Pauli, nec Gregorij constitutiones sunt publicatæ, obligant solicitatas vt antè tamen denuncient: quasi non tantùm lege humana, sed etiam diuina sæpius obligentur. quare & eorundem arbitrio committendum est, an pœnitentes ante absolutionem mittere denunciatum debeant; quod edicta Inquisitorum alicubi præscribunt; an absoluere promittentes quamprimum denunciare.

Quemadmodum etiam arbitrio Iudicis relinquendum est, an duæ fœminæ ad testimonium sufficiant, an plures exigantur; cum imperfectas probationes, & separatas coniungi velit Gregorij constitutio. & sanè ad damnandum criminalibus pœnis per Bullas propositis exacta videtur requiri probatio; consideratis denunciantium & denunciatorum qualitatibus; cæterùm ad effectum suspensionis ab audiendis imposterum confessionibus, ac demum prohibendi non prouisionaliter tantùm, sed & definitiuè, remissior probationis rigor admitti potest. dummodo fieri id possit sine sequela infamiæ; quæ morti solet comparari. nam & in iis, quæ pro nutu superiorum possunt irrogari, id cessare, si procedatur ex causa infamante, diximus *in Iur. Pont. nou. anal. de regular.* ita tamen vt Iudex prudenter ponderet an hinc infamiæ, inde salutis periculum maiora momenta faciat. 17. An probatio per duas fœminas plenè fiat.

Facienda est autem denunciatio Inquisitoribus, vbi illi sunt; & quibus ferè Clementis & Pauli Bullæ eam cognitionem deferebant; sed ex Gregorij constitutione denunciatio etiam Episcopo fieri potest; & meritò: cùm Ordinarij iurisdictio sit vniuersalis, cui derogatum nō censetur, sed cumulatiuè accessisse, si quod de nouo officium sit erectum. *l. 1. C. de off. præfect. vrb.* & *in c. per hoc 17. de hæret. in 6.* declaratum est per institutionem Inquisitoris Episcopi officium non esse imminutum; nisi fortè disertè illud Bullis expressum sit. Igitur vbi Inquisitores non sunt; Ordinariis locorum omnimodo facienda est denunciatio. Quibus de rebus omnibus videri potest Diana *in resolut. p. 1. tract. 4. Acuna de confessor. solicit. & authores ab eis numerosè citati.* 18. Denunciatio fieri potest Inquisitoribus & Episcopis.

FINIS.



INDEX

RERVM,

Quæ in hoc Opere conſultationum tractantur.

Clerici

D.

ad

E.

 Episcopi

M.

M.

Monachis

FINIS.